5.2.464

Digitized by Google

SANCTI LEONIS MAGNI ROMANI PONTIFICIS OPERA OMNIA

Ad MSS. Codicum fidem emendata,

QUIBUS ACCEDUNT IN FINE

OPERA

D. MAXIMI

EPISCOPI TAURINENSIS.

Ad Illuſtriſs.^{mum} *& Reverendiſs.*^{mum} *D. D.*

ALOYSIUM FOSCARI

VENETIARUM PATRIARCHAM

DALMATIÆQUE PRIMATEM &c.

P. M.

VENETIIS, MDCCXLI.

Excudebat AUGUSTINUS SAVIOLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

5 . 2 . 464

Digitized by Google

Illuſtriſs.mo atque Reverendiſs.mo D. D.

ALOYSIO FUSCARO

PATRIARCHÆ VENETIARUM

DALMATIÆQUE PRIMATI, &c.

AUGUSTINUS SAVIOLI.

F.

UT primum ſpargi cœpit in vulgus Te in hanc Patriarchalem Sedem, Præſule ſuo nuper orbatam, ſufficiendum, ſuffectumque Auguſtorum Patrum conſilio intellexi; quam moliebar Operum SS. Leonis Magni S. P. & Maximi Taurinenſis Epi-

ſcopi, editionis Tibi ſiſtendæ, offerendæque, me ſtatim conſilium inceſſit. Fœtus igitur Sanctiſſimorum Epiſcoporum, ſi non ad munimen, & tuitionem, certe tamen ad majorem eorum reverentiam, cultumque ſummis viris commendandi cum ſint; ea ipſa de cauſa Tibi Magno Sacerdoti optime commendari nemo non videt. Accipe igitur e meis typis S. Leonem, dictionis ſcilicet, ut ajebat Trithemius de Script. Eccl., Eccleſiaſticæ Tullium, Sacræ Theologiæ Platonem, rationum Fidei Ariſtotelem, auctoritatis Apoſtolicæ Petrum, & in Chriſtiano pulpito Paullum: Legeſis Sanctum Maximum virum juxta Gennadium in cat. in Scripturis ſatis intentum, & ad docendum in tempore plebem, ſufficientem, cujus comptiſſimæ, elegantiſſimæ, eruditiſſimæque homiliæ ex ſanctæ piæque Moralis inſtitutionis præceptis reguliſque conflantur. Hic plane novi de Te quoque mihi aliquid eſſe dicendum, viro tantæ nobilitatis, ac pietatis, humilitatiſque tandem, qui adverſabaris Electioni ipſi tuæ; ſed cum ſciam Tibi injucundius, & permoleſtius nihil accidere, quam ut lauderis, conticeſcam, ſperans ex ipſo quoque ſilentio meo ampliorem me tuam gratiam conſequuturum.

PRÆ-

P R Æ F A T I O.

Ætatem adeo tulerunt S. Leonis Magni, tum ob pietatem, tum ob doctrinam, tum ob eloquentiam omni laudis genere cumulati viri Opera, cedro vere digna & levi ſervanda cupreſſo, ut nemo ſit rei ſacræ ſtudioſus, qui illa non habeat in deliciis & nocturna verſet manu, verſetque diurna. Quapropter paullum præfaturus cum ſim, næ ego ineptus homo eſſem, ſi verbum vel unum facerem, quo magis illa publicæ commendarem exiſtimationi; ſatiuſque duco nonnihil dicere ut palam ſit omnibus ecquid laboris huic compingendæ Editioni præſtiterim quid non, qua quæque ſint ratione diſpoſita, quis ordo, quæ ratio habita; partim ut legenti præmonſtrem viam ne aliquid offendat poſtea quod præter opinionem ſibi impedimento ſit; partim ut illi inficetorum hominum generi occurram, qui ſimulatque aliquid ſit juris publici, nulla adhibita rerum, nulla perſonarum, nulla ſortuitorum eventuum ratione, continuo impetum faciunt in ipſum, & naſo quæque ſuſpendunt adunco. Et ut rem de integro narrem, cum primum animum appuli ad hanc Sanctorum Patrum imprimendorum, qua modo fungor, provinciam, id mihi tantum negotii dari arbitratus ſum, ut quæ jamdiu excuſa fuere, typis adamuſſim deſcriberem fidelibus hiſce meis. Verum aliter poſtea eveniſſe ſenſi ac mihi perſuaſeram ab initio. Veterum enim quotquot Editionum extant alias fœdiſſimis ſcatere mendis, refertas eſſe alias ineptiſſimis commentariis communi literatorum hominum judicio damnatis, nonnullas denique mancas & mutilas eſſe deprehendi. Quod ut clarius innoteſcat, & ut ſingula aptentur ſingulis, elenchum quaſi operum ex quibus præſens hoc conflatum eſt volumen retexere juvat: ita enim apparebit, & quid ex parte noſtra ſolertiæ fuerit impenſum ac ſedulitatis in patrando negotio, & quid ex parte fortunæ præter ſpem atque ſententiam noſtram evenerit.

Introſpicienti ſe ſe offerunt in primis longo diſtributi ordine S. Leonis Sermones, eo ad unguem ipſo quo in Editione Pariſienſi unicuique cernere fas eſt, ad cujus exemplar initio propoſitum eſt noſtram iſtam effingere. Si Pariſiorum nomini celeberrimo habendus eſſet reſpectus, elegantiſſimam atque emendatiſſimam Editionem ſperare oportebat. Verum quam aliter ſe res habuit! Ita me ſalvet immortalis ac præpotens Deus, ut neminem alium memini vidiſſe librum tot tantiſque implicatum erroribus atque conſertum. Quapropter partim conijciendo partim conferendo, quamplurima naturali puritati atque integritati loca enixe reſtituere contendimus.

Quæ ſubijciuntur his Epiſtolæ tum ad familiares ſunt, tum reliquæ aliæ decretales vulgo appellatæ, ad quarum calcem libitum eſt collocare quaſdam, partim nonnullorum ad Leonem reſponſivas, partim virorum principum ac mulierum inter ſe ſive ad eundem Pontificem ſive ad publicam Romanæ Eccleſiæ cauſam ſpectantes. Quod ſi quis in nos ſurgat emunctioris homo naris acrioriſque ingenii, noſque reprehendat quod minus ſervaverimus ordinem, neque in ſuo quæque, ut par erat, conſtituta eſſe loco contendat; ſcimus equidem, & fatemur candide. Sed jam concluſus erat aditus, cum ad me concurrerunt multi, dixeruntque præter Epiſtolas a me cuſas alias reperiri, quas ſuadebant excerpere, & in hanc noſtram Editionem ingerere. Placuit eorum conſilium. Parui, ut parere ſemper debeo. Aliquo igitur illas loco inſerere maluimus quam nullo; aliquo ſcilicet, niſi omnino proprio, neque tamen improprio penitus, non enim ſunt extra epiſtolarum limites ſitæ.

Sequuntur præterea Tractatus duo, quorum inſcribitur alter de Vocatione Gentium, alter de Gratia & libero voluntatis arbitrio, nec non Epiſtola ad Demetriadem; quæ tria opuſcula peregrino jamdiu neſcio quo fato perperam appoſita Auctori, ad legitimum tandem reducuntur fato meliori parentem. Quibus ternis opuſculis terna ſubnectitur diſſertatio, ſingula ſingulo, quibus doctiſſimi viri tum veteribus monumentis, tum habita ratione locorum & temporum, aliiſque circumſtantiis æqua lance libratis, non alium Auctorem illorum eſſe ac Leonem luce clarius comprobant atque confirmant. Quare ſi qui ſunt qui nobis vitio dent quod Leonis nomen abſque ulla hæſitatione præfecerimus cum nullibi in aliis Editioni-

bus apparere conſtet, videant ne nos reprehendendo doctiſſimorum hominum ſententiam reprehendant, quorum ante diſſertationes perlegant, quam ſuum ipſi judicium profferant. Ad quæ proximior accedit libellus quidam, ſi exiguus mole, non merito exiguus, contra Eutychen inſcriptus, atque hæreticorum cæteros tempeſtate illa craſſantium.

Poſtremo conſequens eſt aliquot aliorum D. Leonis ſermonum ſimul congeſta ſeries, appendiculæ a me ideo nuncupata nomine quod in ultimo adijciatur operum omnium loco. Hic vero mihi videor videre ſurentes quamplurimos ſe ſe extollere, & me non ſane de illis tam male merito conviciis petere atque contumeliis. Sed quid facerem? num tam præclari Parentis æque præclari fœtus, ne paululum turbaretur ordo, eſſent eliminandi, atque abjciendi procul? Non equidem. Id enim quod egi, quantumcunque eſt, non meo tantum actum eſt marte, ſed bene cordatorum hominum concurrente opinione. Satius ergo ducant, ſi ſapiunt, habere id, quo multæ editiones carent, quam ordine religioſe nimis, ne dicam ſuperſtitioſe, ſervato, non ſine magno detrimento privari.

Hactenus de D. Leone atque operibus ejus; veniamus nunc, id quod reliquum eſſe videtur priuſquam abſolvo hanc meam præſatiunculam, ad D. Maximum, & quæ nos potiſſimum cauſa moverit ad illum una cum D. Leone nectendum, & quid collatum eſt a nobis ut ampliorem hanc Taurinenſis Epiſcopus omnium ſæculorum memoria dignus ſuſciperet formam, pateſaciamus. Quod ad primam propoſitarum rerum attinet, conſideravimus ex parte una non adeo multas eſſe D. Maximi homilias ut per ſe ſolæ ſtare valerent, & juxti ponderis volumen efficere; conſideravimus ex altera non adeo Leonis opera in magnam creſcere molem, ut pauciora ſibi adjungi negarent: quapropter æquæ utriuſque formæ conſulere rati ſumus, ſi ex utroque unum conflaretur idemque volumen. Quod ad ſecundam ſpectat, id certe præſtitimus quo factum eſt ut noſtra hæc editio cæteras anteiret omnes, & longo quidem intervallo anteiret. Addidimus enim duodecim homilias integras ex Muſæo Italico excerptas, ea ipſa præſatione præmiſſa, quæ illic præfigitur, quibus quæque manuſcriptis codicibus extracta ſuere declarante validiſque probante rationibus. In quo monitor & præmonſtrator noſter fuit Vir omni doctrinæ ac eruditionis genere ornatus [illegible], clarum hujus noſtræ Urbis decus, qui de hac re nos inſcios certiores fecit, & librum inſuper nobis, ut eſt natura ſua comis ac facilis, uſque ad perfectionem operis commodavit.

Hæc habui, humane lector, de quibus te monitum volui. Si quid eſt quod te delectet ac juvet, oro te etiam atque etiam ut æqui bonique facias, illos ignoſcendo errores, quos parum humana cavit natura. Si operam meam tibi gratam fuiſſe intellexero, alacriorem me efficies in reliquis imprimendis Patribus, quos & elegantiores & ornatiores in lucem prodituros eſſe polliceor.

VITA

D. LEONIS MAGNI,

VERE SUMMI SANCTISSIMIQUE PONTIFICIS

V I T A.

LEO Papa ejus nominis primus, & Thuſcus natione, & Quintiano patre, in demortui Sixti III. locum Pontifex creatus eſt, idque non ſine ſingulari ſuffragantium omnium concordia. Fuit hic annus a Chriſto nato plus minus CCCCXLI. juxta cyclum Dionyſii. Quo tempore diaconus adhuc in Galliis procul agens, magno ſanctoque ſtudio reſarciendæ pacis inter Aetium & Albinum ipſe diſtinebatur. Hinc igitur publica legatione Romam accitus, ut quem non ambitio, ſed virtus, nec tam ſavor humanus, quam propitii numinis voluntas ad ſummæ dignitatis Pontificiæ faſtigium evexiſſet, jam ardenti cunctorum deſiderio magnaque patientia diu expectatus acceſſit & ægregie confectis rebus apud Gallias, magno omnium applauſu Romæ Pontifex Maximus conſalutatus eſt. Tum vir ille contra nominis rationem humaniſſimus, ad collectam Epiſcoporum coronam viciſſim gratias dixit, partim quod ex longa peregrinatione ſalvum & in columem ſe conſpiceret apud incolumes illos Patres, partim quod ſingulari Dei Opt. Max. benignitate & illorum concordi voluntate munus ampliſſimum ſibi concreditum eſſet. Sed acceptam divini præſidii ſpem, fore ſcilicet, ut ſuſceptæ provinciæ Chriſto juvante ſatisfaceret, ſolicitus quoque temperabat animi mœror, ut non minus perinde lætandum ac triſtandum ſibi putaret: hac parte quidem non diſſimilis illi regi, qui perpenſis curis regiæ dignitatis, ne humi quidem ante oculos jacens diadema ſuſtollendum in caput arbitrabatur. Quare quod ad boni paſtoris imaginem exprimendam attinet, cum fide in Chriſtum ardenti modeſtiam maximam conjunxit ut obſcurum eſſe nemini poteſt ſi vel primos, qui nunc leguntur hoc autore, ſermones obiter inſpiciat. Occupavit Apoſtolicam illam cathedram paſtor Apoſtolicus annos xxi. jam inde a beato Petro Apoſtolorum principe ccccxliiij. Chriſtianæ Eccleſiæ curator & antiſtes. Porro veluti futurorum præpoſcius, per omnem vitam excellenti Pontificatus muneri ſe diligenter præparare voluiſſe videtur, dum præcipue quidem his rebus inſtructum habere pectus ab adoleſcentia curavit, nempe ſacrorum voluminum recondita intelligentia, multa Scripturarum exercitatione, varia doctorum lectione, judicio ſano, prudentia non vulgari, ſincero fortique animo, ut ratio ſui nominis flagitabat, denique parata linguæ copia, ſed paratiore ſimul & purgatiore corde, quod fons eſt orationis, & efficax dicendi docendique magiſter. Proinde ſatis illi nequaquam fuit purum eſſe ob omni crimine, niſi juxta ejuſdem beati Pauli monita ſeſe abſtineret ab omni ſpecie mala, ne qua videlicet in ſuſpicionem criminis incurreret. Nihil in ejus puro pectore, quod ſævus ille tyrannus amor divitiarum, vel gloriæ mundanæ ſitis, vel ambitionis fœda lues ſibi vendicaret. Chriſtianam philoſophiam nec apte ſatis a ſe doceri, nec conſtanter retineri poſſe putavit, niſi voluptatum illecebras & cupiditates noxias a ſenſibus omnibus procul ſubmoviſſet. Hinc quod conſequens eſt, extinctis vitiorum ſomentis in dies magis ac magis ardebat in eo fides, magna vi tandem erumpens, ut verum Dei timorem, religioſam divinæ majeſtatis venerationem, & infractum animi robur adverſus omnia terriculamenta perficeret magis quam conferret. Fides porro gignebat illi charitatem, quemadmodum charitas viciſſim alebat fidem bonis operibus. Per oculum ac lumen fidei citra errorem omnem cernebat, quid expetendum, quid fugiendum eſſet. Rurſus per charitatem, quod fides dictaſſet exequens, eam naturæ vim, quæ voluntas dicitur, perficiebat. Jam inter malorum agmina, quæ piis viris deſunt nunquam, ita ſpe vice baculi ſe ſe ſuſtentabat, ut nec animum in adverſis dejiceret, nec in proſperis inſolentem redderet, homo tranquillæ ſemper ſecuræque conſcientiæ. Tum ſicut mentem habebat igneam, & ad bene merendum de omnibus flagrantem, ita Chriſti ſpiritus inhabitans cor ejus movebat oris plectrum, & vim arcanam verbis promanantibus adſerebat. Quo factum eſt, ut Chriſtianum Demoſthenem, immo cœleſtem oratorem ſonare paſſim omnibus videretur. Manat enim etiamnum e ſanctiſſimo Leonis pectore gravis & auctoritatis plena oratio, qualem in aliis reperire ſit multo difficillimum. Etenim licet omnibus quoque dicendi virtutibus excellant, quod Leoni maxime conceſſum eſt, ægre tamen fiet, quin aliquando remittant æquale ſolidumque pondus illud verborum atque ſententiarum. Taceo quam operoſum moleſtumque ſit, in homiliis perpetuam unius dictionis gratiam ſortemque ſplendorem apud populum ſervare. Sed hac in parte ſic Leo regnat, ut ob ſapientiſſimam eloquentiam & eloquentiſſimam ſapientiam Magni cognomen apud poſteros obtinuerit, ſic eloquentia nemini Theologorum cedens, uti multos excedit ſapientia. Et quis demum hoc hodie præſtare queat, quod ſuis tot tantiſque ſcriptis Leo? ne ex iſtis quidem opinor aliquis, qui ſtudium omne collocarunt in paranda dictionis facultate. Tanta autem erat in Leone, tamque mirabilis ingenii facilitas, tanta ſanitas tantaque præſentia, ut paratam orationis hujus copiam cum ſingulari gravitate, ſed & jucunditate quadam conjuncta, nullus non impendio mirarent. Sunt ſane viri & auctoritate graves & eruditione ſpectabiles, qui Leonem appellare non vereantur eccleſiaſticæ dictionis Tullium, Theologiæ Homerum, rationum fidei Ariſtotelem, quod multo eſt amplius, Petrum ipſum in pontificio throno ſimul & Paulum in pulpito Chriſtiano diſſerentem. Ita enim demulcet, inquiunt, ut vinctos auditores teneat: ita docet, ut ſenſibus divinis aures impleat: ita exhortatur, ut ardoribus virtutis animos incendat. Oratione quidem parcus, ſenſibus vero ſublimis, in

primiſque cœleſtis, & quod eſt ante omnia admirabile, profundiſſimus atque planiſſimus. Ad hæc pontificia majeſtate differens, & Apoſtolico facundus eloquio, modeſtia illa vere Chriſtiana virtureque divina cum nuſquam oon admirabilis exiſtat, tum in ſuis præcipue ſermonibus, ut nemo alius effulget; quod brevitatis magiſter & unicus pene artiſex latiſſima rerum divinarum myſteria perſtringat, & ſecundum canooiças Scripturas quendam ſacri eloquii principatum includat. Quid vero in ejuſdem epiſtolis ultro citroque miſſis uſquam deſideres, quod non a Maximi Pontificis throno, & excultiſſimi pectoris domicilio digniſſime profectum videri poſſit? Quamquam interim pontificalium negotiorum ingens ille & nunquam æſtimandus præmebat labor, noctu diuque cruciabat omnium in orbe Eccleſiarum non deſitura cura, miſere ſolicitabant tot animorum peſtes humanam ſuperantes induſtriam, augebant denique continuum illi mœrorem nunciata piorum pericula, exilia, cruces & ignominiæ; nihilo ſecius ad ſapienter conficiendas tot tantaſque cauſas, licet etiam novæ inciderent quotidie, ſemper illi præſens erat animus & (quod incredibile videtur) ad ſcribendum æquabilis ubique ſtilus. Partim autem bonæ conſcientiæ ſecuritate, partim æternæ felicitatis expectatione ſic manebat alacris, ut nullis prorſus humanæ vitæ vel illecebtis vel terriculamentis a curſu pietatis ac ferventiſſimo de omnibus bene merendi ſtudio retardaretur. Quidni? vel ipſa ſui nominia ratione provocatus, illud a ſapiente ſapiens in Proverbiis didicerat: *Juſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit*. Et illud: *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum*.

Triſte quidem dictu ac miſerabile prorſus, ſi quis horrendos etiam illius ſæculi motus æſtuſque ſermone conſequi aliqua ſaltem ex parte conetur. Nos unius hominis Athilæ nihil obſcurum exemplum cum illa ſingulari Leoninæ virtutis magnitudine componemus. Igitur Athila Hunnorum dux, qui flagellum Dei vocatus eſt, cujus omnium efferatiſſimi Barbari ardebant oculi, totoque ex ore crudelitas emicabat, inflammatus furore in Italiam venit, ſimul atque jam Tracias & Illyrium, Macedoniam & Mœſiam, & Achajam, & Græciam, Pannoniam & Germaniam rabie immaniſſima devaſtaſſet, adeoque germanum fratrem Budam regni conſortem alter ipſe Romulus jugulaſſet, crudelis totus in ſuppliciis, avarus in rapinis, ſuperbus in contumeliis. Quam obſecro tam immaoem charybdim Poetæ fingendo exprimere potueruot, quæ tantos exhaurire gurgites poſſet, quantas iſte provinciarum Occidentalium prædas exhrbuit? Concordiam iocendio conſumpſit, Aquileam funditus evertit, Ticinum & Mediolanum regias urbes excidit. Hinc cæteris Italiæ civitatibus partim direptis & incenſis, partim metu deditis, late porro inter Abduam & Atheſim pervagari cœpit. Ubi præter commemoratas urbes, Mantuam, Brixiam, Cremonam, Bergomum & Ravennam pari clade afflixit. Itaque vaſtatis circumquaque tot tantiſque urbibus, Hunni velut ruptis clauſtris, Athila duce, Romam irrumpere feſtinarunt. Quo tum Leonem eſſe animo oportuit? quæ hic facerct tali in re ac tempore? cum ignaviæ ratio in fugam atque latebras fortiſſimum quemque impelleret, improbitas autem & furor hoſtis ad deſperationem cogeret, populi denique clamor crudeliſſimum & luctuoſiſſimum exitum promitteret, ita ut incenſionem urbi, internecionem civibus, vaſtitatem Italiæ, atque adeo interitum totius Chriſtianæ Reipublicæ vicina quæque portenderent. Certe cum jam eſſet hoſtis propemodum in conſpectu ut copias etiam, qua Mintius Padum influit, trajicere pareret (mirum dictu!) occurrit Leo vir ſanctiſſimus, utpote calamitatem tum Italiæ tum urbis Romæ miſeratus: ac Leoninæ mentia nunquam interiturum editurus argumentum, occurrit inquam, grandis jam natu cum altero Conſulum & parte non modica Romani Senatus. Occurrit omnia depopulanti tyranno ſenex innocuæ ſimplicitatis, & multa idem canicie ſimul & auguſtiore habitu venerabilis qui ſeſe totum præſervandis ovibus impendere vel non rogatus jam dudum exoptabat. Atque illic circa Mintium amnem ita regem truculentum affatus dicitur: Senatus populuſque Romanus quondam orbis victor, nunc vero victus, ſuppliciter abs te veniam & ſalutem precatur rex regum Athila; nihil tibi in tanta rerum geſtarum gloria contingere potuit aut ad præſens decus pulchrius, aut ad poſteros memorabilius, quam ut is populus ſupplex ad tuos pedes jaceret, ante quem olim omnes gentes & reges ſupplices jacuerunt. Subegiſti quidem Athila omnem terrarum orbem, cui Romanos omnium victores gentium ſubigere tributum eſt. Nunc tantum precamur, ut te ipſum vincas, qui vincis cætera. Nec eſt, quoniam jam omne humanitatis faſtigium tranſcendiſti, in quo Deo immortali ſimilior eſſe poſſis, quam quo plures viceris, plures per te ſalvos eſſe velis. Senſerunt mali flagellum tuum: ſentiant nunc ſupplices clementiam, vel quia ſe victos fatentur, vel quia ſunt ultro imperata facturi. Hæc bona conſcientia invictus Leo dixerat, in cujus habitu venerabilique aſpectu contemplando cum tacitus ſtaret Athila deliberabundo ſimilis, en duo quidam dextera lævaque viri, Petrus nimirum & Paulus Apoſtoli, ſubito ipſi conſpecti ſunt, qui non ſolum auguſtiore habitu pro Pontifice quoque adſtarent, verum etiam ſupra ipſius caput ſtrictos tenerent intenderentque gladios, ac mortem demum minitarentur, niſi dicto Pontificis obtemperaret. Quamobrem ut auctor eſt Eutropius, hac Leonis interceſſione placatus Athila, quamvis alioqui furioſus, confeſtim promiſſa pace firmiſſima ultra Danubium non rediturus abſceſſit. Nec enim diu poſt rebus humanis exceſſit, & humani generis diutinæ vexationi finem aliquando vel mortuus impoſuit. Rogatus autem ab his, qui proxime adſtiterant Leoni ſupplicanti, quid in cauſa eſſet, cur tam facile pulcherrimam precibus hoſtium victoriam condonaviſſet, & proſtratos ante pedes ſurgere ac ſtare juſſiſſet (Bono ſitis, inquiebat, animo, datur vobis venia) reſpondiſſe fertur palam, oportuiſſe ſic fieri, quando medio affatu ſupplicantium, tales tamque viri ſibi viſi fuiſſent, ac ſubito mutare ſententiam coegiſſent. Videas igitur alterum in Leone Moyſem, qui ſpiritalibus armis Barbarorum vires expugnet, iratumque Deum peccatrici genti conciliet. Proinde hoc tam inſigni beneficio principem Valentinianum, urbemque totam, ſicut nuoquam antea, ſibi devincivit, & vulgo receptam ſuæ ſanctitatis opinionem etiam atque etiam apud omnes confirmavit. Sub hæc ad urbem rediens, non ſioe communi omnium applauſu (ut quem patrem patriæ coospicerent, cui ſecundum Deum, fortunas omnes, incolumitatem ſuam, nec minus orbis, quam urbis ſalutem acceptas merito ferrent) in primis Deo Optimo Maximo, & Apoſtolis ejus Petro & Paulo gratias dixit, his omnem rei bene geſtæ gloriam adſcribens, quorum & patrocinio conceſſæ ſedis Romanæ conſortium tribuere ſolet. Dein totus ad confirmandam tuendamque catholicam fidem

con-

convertitur, quæ tunc a multis quidem hæreticis, uti Manichæis, Donatiſtis, Arianis, Priſcillianiſtis, præcipue vero a Neſtorianis & Eutychianis hoſtiliter impugnabatur. Certe Neſtorius ille Conſtantinopolitanus Epiſcopus, genere Germanicienſis, cujus hæreſes a D. Cyrillo confutatas prima ſynodus Epheſina damnaverat, incomparabilem illam terque beatam Virginem Mariam negavit eſſe deiparam, hoc eſt, hominis duntaxat genitricem eſſe cenſuit, ut aliam divinitatis perſonam in Chriſto faceret, ac proinde ſejunctum alterum Dei filium, alterum hominis impie ſtatueret. Eutyches vero Presbyter & archimandrita Conſtantinopolitanus, homo ſenex, verſipellis & impudens, qui tantum Leoni ſimul & Chalcedonenſi Concilio negotium faceſſit, ne interim blaſphemo Neſtorio palam conſonare videretur, divinam cum humana naturam docuit in unum idemque compoſitum recidiſſe, unumque factum, nec ullo modo debere diſtingui. At Cyrilli ſucceſſor in Alexandrina Eccleſia Dioſcorus, homo vafer, violentus & ſeditioſus plane, cum Imperatoris Theodoſii & Epheſini conciliabuli auctoritatem pro ſe ſtare magna vi coegiſſet, repulſis etiam ſedis Apoſtolicæ, qui præſiderent ſynodo, Legatis, ac iniquiſſime damnato cum reliquis orthodoxis Epiſcopis Flaviano Conſtantinopolitano, ſic Eutychetia cauſam perfidus apud perfidos egit, ut niſi Leonis cura Imperator & Auguſta Pulcheria ſynodum apud Chalcedonam innovaſſent, oppreſſa certe pietas & deſerta Eccleſiæ cauſa jacuiſſent. Adeo quidam omnis pudoria & reverentiæ metas tranſgreſſi, jam tum eo temeritatis proruperant, ut inſignes Eccleſias, quæ domus orationis hactenus efflorebant, in ſpeluncas latronum ignominioſe converterent, monaſteria profanata everterent, Sacramentorum lumen extinguerent, ſacrificii oblationem interciperent, ſanctificationem chariſmatis auferrent, ut jam parricidalibus manibus impiorum omnia demum myſteria ſeſe ſubtraxerint. Et hæc velut infanda ſacrilegii genera peracerbe ſugillat Leo epiſtola lxxv. ad Leonem Auguſtum. Neque tantum litteris abſens, ſed Nicephoro teſte lacrymas etiam præſens, quo ſcandala tam horrenda corrigerentur, optimates tum admonere tum obteſtari non deſiit. Et quæ gravior obteſtatio, quam dum hiſce verbis Theodoſii fidem officiumque implorat?

Ecce ego, inquit, Chriſtianiſſime & venerabilis Imperator cum conſacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ veſtræ ſinceri amoris officium, cupienſque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Eccleſia ſupplicatur, ne ante tribunal Chriſti domini rei de ſilentio judicemur, obſecramus coram unius deitatis inſeparabili Trinitate, quæ tali facto læditur (cum ipſa veſtri ſit cuſtos & auctor Imperii) & coram ſanctis Angelis Chriſti, ut omnia in eo ſtatu eſſe jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari, quia quod neceſſe eſt nos dicere, veremur, inquit, ne cujus religio diſſipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete & tota mentis acie reverenter aſpicite beati Petri gloriam, & communes cum ipſo omnium Apoſtolorum coronas, cunctorumque martyrum palmas. Verum iſthæc in promovenda ſynodo vehementia minus apud Theodoſium profecit, ſive quod is inter vivos diu ſupereſſe non potuit, ſive quod in tuenda religione, ſicut & in adminiſtrando Imperio ſegnior haberetur, ad omnem fere auram mobilis adeoque incurius, ut chartis a ſe non perlectis facile ſubſcripſerit. Conſtantior autem & ſpectatæ pietatis prudentiæque fuit Martianus, quem defuncto Theodoſio Imperatorem Pulcheria Auguſta Theodoſii ſoror pronunciarat. Religioſam ejus mulieris ſollicitudinem, & præcipuum erga Chriſti Eccleſiam ſtudium variis amiciſque litteris Leo deſignavit. At Martianus Imperator ad celebrandam ſynodum Chalcedonenſem & componendos Eccleſiæ motus omne ſuum ſtudium convertit. Id quod Leoni rurſus acceptum ferre oportet, qui magna & irrefutabili conſtantia neceſſariam cogendæ ſynodi rationem illi commendaret: æquiſſimum eſſe dicens, ut Chriſti legibus & Eccleſiæ commodis ſerviret humanæ potentiæ faſtigium.

Inter amicos præcipue coluit Proſperum Aquitanicum, poſtea Regienſem Epiſcopum, & Flavianum, cujus & antea mentionem fecimus, Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum. Uterque pietatis & religionis omnis obſervantiſſimus fuit, nec minus eruditus, quam ſanctus. De illo agemus paulo inferius: in hoc ne martyrii quidem gloria deſideratur, ſic nimirum agente Dioſcori apud Epheſum tyrannide, quod accuſatum ab Euſebio Eutychem hæreſiarcham, apud ſuos primus ille condemnaviſſet. Unde Flaviani nomen honorifice paſſim citatur a Leone, multis etiam datis ad eum litteris cohoneſtatum. Nec eſt inter Leonis epiſtolas ulla celebrior, quam quæ ad Flavianum decima legitur, a Concilio Chalcedonenſi ſummopere comprobata, cujus etiam unice Gennadius meminit, reliquis omiſſis Leonis operibus. Quin exacti judicii Papa Gelaſius, ubi de receptis probatiſque Patrum ſcripis pronunciat, præterquam quod inter primos illic beatum Leonem numerat, certe tanta religione dictam epiſtolam proſequitur, ut anathema dicat ei, quiſquis vel textum illius, vel iota unum improbarit contentioſior, vel non ſingulatim in ea ſuſceperit omnia venerandus. Putant nonnulli divino magis ſpiritu, quam humano ingenio factum, ut Eutychetis perplexa impietas tanta veritatis luce detecta profligaretur. Nam hic ſuis etiam Leo diffiſus viribus priuſquam epiſtolam illam aliquo deſtinaſſet, altari B. Petri utcumque ſcriptum impoſuit, ſe vero per quadraginta dies tum jejuniis, tum precibus exercens, hoc unum ab Apoſtolorum principe votis flagrantibus contendit, ut ſi quid forte corrigendum haberet epiſtola, quæ cauſam fidei longe difficillimam tractabat, id omne ſuis ille manibus correctum abſolveret. Nec fefellit ſanctam precatoris expectationem etiam rarus eventus. Terſam enim & elaboratam epiſtolam dies reddidit quadrageſimus, addita ſimul revelatione certiſſima, ſucceſſum Apoſtolo illi tribuendum eſſe, cujus pia dignatio & fida dilectio, ne in perſona quidem imparis tepeſcit hæredis. Quid quod aliquando cum nimio libidinis æſtu diſcruciaretur, quando deoſculata ſibi manus forte fuiſſet muliercula, ut in ſacra communione feſto paſchæ moris erat, tanto zelo a ſe ſponte ſumpſit ſupplicium, ut manum ſcandalizantem amputarit penitus, veluti noxium peſtilenſque membrum excindens? Hinc quemadmodum Damaſcenus ille Joannes deſectam manum fuſis ad beatam Virginem Mariam precibus rurſum recuperavit, (ut eſt idoneus teſtis Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus) ita non diſſimili ratione per ejuſdem ſacroſanctæ Virginis ſuffragia, quæ ſummo eum animi mœrore tum expetebat Leo, detruncatam manum denuo recepit, receptam obmurmuranti populo, quod non ſacrificaret, læte protulit, acceptumque tantum divinitus beneficium publicis laudibus cohoneſtavit. Neque vero fidem excedit aut pietati refragatur, quod omnem peccatorum veniam ſemel conſecutus dicitur, præſertim

& jejunando & precando diebus quadraginta, quibus apud beatiſſimi Petri corpus divina expetens miſericordiam, hoc tandem reſponſi lætiſſimus tulit: Deprecatus ſum pro te Dominum, remiſit ille tibi peccata, ut ſolum hoc expendendum & a te poſtulandum ſuperſit, quibus adverſus Apoſtolicam legem temere manus impoſueris. Breviter, his præſertim armis omnium valentiſſimis continenter uſus eſt, vigiliis, jejuniis, lacrymis, & quibus rebus potiſſimum Leoninas vires collegit conſtanti in Deum fiducia, necnon ardenti in precando inſtantia. Sic urbem defendit, Italiam ſervavit, Imperium Romanum erexit, dum placato Athila tyranno tam ſævum Hunnorum jugum a ſuorum cervicibus excuſſit. Sed quale illi quæſo certamen cum Genſerico Barbarorum omnium immaniſſimo? Is Alanorum & Vandalorum Imperator præterquam quod Arianæ factioni patrocinaretur, expulſis paſſim Epiſcopis, nihil non juris & bonorum Epiſcopalium ſibi vendicabat, ac præſertim Carthagini clericorum miniſteria, templorum cultum, ſacra omnia profanavit, corrupit, evertit, cum in univerſum captivi populi ordinem ſævus, tum præcipue nobilitati & religioni infeſtus. Hinc ab Eudoxia in auxilium vocatus, ut ejus defuncti conjugis Valentiniani Cæſaris mortem ulciſceretur, vacuam præſidio urbem hoſtili manu invaſit. Prodierat autem Leo Pontifex obviam venienti, non aliis quidem armatus præſidiis, quam quæ talem decent Pontificem, linguam, precibus & vitæ ſanctimonia. Qui precatus eſt inflexibilem Tyrannum, ut ab ea urbe prohiberet injuriam, cui Athila omnium hominum immaniſſimus victor pepereiſſet: aut ſi urbem ſuis diripiendam dare in animo haberet, parceret ſaltem templis, parceret ædificiis publicis & privatis, urbem nobiliſſimam civibuſque magna ex parte vacuam ab excidio ſervaret. Ergo quamquam nec perſonæ dignitas Barbarorum, nec religionis pietas Arianorum legem ſatis mitigaret, ab igne tamen & cæde ſuppliciiſque tyrannum avocavit, præda contentum abductiſque ſpoliis. Quo majori deinde cura Leo tum ad reparandam urbem, tum ad conſolandos afflictos converſus eſt. Templa diffracta reſtituit, ſacrorum vaſa vel a Barbaris comminuta vel ablata reformavit. Demetriadem ad beato Stephano condendam in fundo ſuo Baſilicam impulit, aliam in Epiſcopi Cornelii honorem ipſe conſtituit, Apoſtolorum ſepulchris clericos cubiculares addidit, ac præter alia religioni conſecrata loca & deputata officia, monaſterium prope ſanctum Petrum extruxit. De Proſpero Aquitanico dicere ſuperſedemus, quando familiarem illius cum Leone convictum Ant. Flaminius Imolenſis expoſuit. Neque Chalcedonenſe Concilium attingemus, quod abunde quidem Leonis exhauſtas pro Eccleſia curas, laboreſque commendat. Niſi forte parum ſit, a tot tantiſque Patribus ter ſanctum acclamari, & hoc a ſapientiſſimis elogium conſequi: Leo ſanctiſſimus, Apeſtolicus, & œcumenicus ſeu univerſalis Patriarcha per multos annos vivat. Vixit ad ætatem uſque decrepitam vere magnanimus ac plane glorioſius Leo; ſed ut non minus in hiſce ſuis monumentis orbi ſuperſit etiam defunctus.

F I N I S.

SAN-

SANCTO

LEONI MAGNO

ECCLESIÆ ROMANÆ

EPISCOPO,

NEC TANTÆ SEDIS IMPARI,

VIRO APOSTOLICO,

ECCLESIÆ LUMINARI,

ORTODOXÆ FIDEI COLUMNÆ,

VOCIS PETRI INTERPRETI,

APOSTOLICORUM DOGMATUM DEFENSORI,

APOSTOLIS COÆQUANDO,

ANGELIS ÆQUALI,

CUJUS SENTENTIAM QUICQUID UBIQUE CATHOLICUM EST

VELUT CELESTE ORACULUM MIRATUR,

CELEBRAT, VENERATUR,

CATHOLICÆ VERITATIS ASSERTORI,

SED PACIFICO,

ECCLESIASTICÆ PACIS AMATORI,

SED INTREPIDO,

EVANGELICÆ LEGIS INTERPRETI,

SED NON EX SUO,

SACERDOTALIS SANCTIMONIÆ PRÆCONI,

SED NON OTIOSO,

ECCLESIÆ CATHOLICÆ DOCTORI,

SED TRADITIONIS DISCIPULO,

Digitized by Google

CANONICÆ DISCIPLINÆ
INSTAURATORI SAPIENTISSIMO,
EXECUTORI RELIGIOSISSIMO,
VINDICI FORTISSIMO,
FIDELI AC FIDENTI ECCLESIÆ
PROPUGNATORI,
HÆRETICORUM NON FICTO AUT TREPIDO
IMPUGNATORI,
CUJUS PRO CATHOLICA FIDE
SOLICITUDINEM AC DILIGENTIAM,
LABOREM ET INDUSTRIAM,
LIBERTATEM ATQUE CONSTANTIAM,
OMNIS ECCLESIA PREDICARE NON CESSAT;
QUI
MYSTERIUM SACROSANCTÆ
TRINITATIS
CONTRA PRISCILLIANISTAS,
JESU-CHRISTI
INCARNATIONIS NECESSITATEM
CONTRA JUDÆOS,
EAMDEM CUM PATRE SUBSTANTIAM
CONTRA ARIANOS,
HUMANÆ PROPRIETATEM NATURÆ
CONTRA EUTYCHEN,
PERSONÆ SINGULARITATEM
CONTRA NESTORIUM,
ECCLESIÆ
JURA AC POTESTATEM
CONTRA NOVATIANOS,

COR-

CORPORIS MYSTICI UNITATEM
CONTRA DONATISTAS,
GRATIÆ
SANGUINE MEDIATORIS PARTÆ
OMNIMODAM NECESSITATEM,
GRATUITAM LARGITIONEM,
INSUPERABILEM VIRTUTEM,
CONTRA PELAGIANOS
PELAGIANORUMQUE RELIQUIAS,
MYSTERIORUM OMNIUM
VERITATEM, DIGNITATEM, SANCTITATEM,
CONTRA MANICHÆOS,
SINCERUM RELIGIONIS CULTUM
CONTRA IMPIOS ET PSEUDO-CHRISTIANOS,
CÆLESTI DOCTRINA,
PIETATE SINGULARI,
INVICTO ANIMO,
EXEMPLO, SERMONIBUS, SCRIPTIS
EX IPSO APOSTOLORUM CORDE PROLATIS
EXPLICUIT,
ASSERUIT,
PROPUGNAVIT;
TANTÆ SANCTITATIS,
TANTÆ FIDEI, TANTÆ DOCTRINÆ,
PONTIFICI,
ECCLESIÆ AD VICTORIAM

DIVINITUS PRÆPARATO,

SE, AC SUUM HOC QUODCUMQUE STUDIUM

IN SCRIPTIS EJUS

COLLIGENDIS, PURGANDIS, ILLUSTRANDIS,

IMPENSUM,

OFFERT, DICAT, CONSECRAT,

DEVOTISSIMUS ATQUE OBSEQUENTISSIMUS

CLIENS

AUGUSTINUS SAVIOLI.

NOI

N. 44.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo Veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitor di Venezia* nel Libro intitolato *SS. PP. Leonis Magni Romani Pontificis, Maximi Taurinenſis, &c.* non v' eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro; niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza ad *Agoſtino Savioli Stampator di Venezia*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 4. Giugno 1741.

(Gio: Emo Proc. Riſ.

(Pietro Grimani Cav. Proc. Riſ.

(Z. Alviſe Mocenigo 2°. Riſ.

Regiſtrato in Libro a c. 7.

Agoſtino Bianchi Segr.

15. Novembre 1741.

Regiſtrato nel Magiſtr. Eccellentiſs. contro la Beſtemmia.

Alviſe Legrenzi Segr.

IN-

I N D E X
OPERUM IN TOMO PRIMO
OCCURRENTIUM.

SERMONES.

In anniverſario die Aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum.

Sermones III.

I. *Dignitates Eccleſiaſticæ a quo conferantur, & ad quid valeant.* Pag. 1
II. *Pontificatus qualitas ſecundum ordinem Melchiſedech.* 2
III. *Sacerdotium ſupremum quare B. Petro, & ejus ſucceſſoribus collatum.* 3

De Collectis & Eleemoſynis.

Sermones V.

I. *Eleemoſyna quid proſit.* 4
II. *Eleemoſyna ut ſit ſecundum lavacrum a peccatis, & opus maxime charitatis.* ibid.
III. *Eleemoſyna quantum excruciet dæmones, quidve ſentiendum de Collectis.* ibid.
IV. *Eleemoſyna ut ſalvet hominem.* 5
V. *Eleemoſynæ ac temperantiæ bona quæ, virtuteſque omnes non proſunt ſine miſericordiæ operibus.* 6

De jejunio decimi menſis de Collectis, ac Eleemoſynis.

Sermones VIII.

I. *Creatio hominis ut fuerit ad Dei imaginem, quantumve oratio, jejunium, eleemoſyna nos Deo commendent.* 7
II. *Jejunium menſis Septembris cur inſtitutum, ejuſque efficacia.* 8
III. *Ager Dominicus fides muniatur, jejuniis exerceatur, eleemoſyna feratur, orationibuſque fœcundetur.* ibid.
IV. *Jejunium in utroque Teſtamento obſervatum quid valeat contra peccata.* ibid.
V. *Jejunii & eleemoſynarum fructus, ac hæreticorum prodigioſa ſervitus.* 9
VI. *Morbus avaritiæ quis, & fructus eleemoſynarum, ac jejuniorum Chriſtianorum.* 10
VII. *Ut homo Chriſtianus impugnetur aſſidue, quæque ſint piis arma contra inviſibiles hoſtes.* 11
VIII. *Jejuniorum Chriſtianorum tempora quæ ſint deque duplici jejunio.* 12

In Solemnitate Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

Sermones X.

I. *De lætitia habenda, & quid Chriſtus in hac ſolemnitate nobis attulerit.* 13
II. *Nativitatis Chriſti quæ fuerit neceſſitas, qualitas, & utilitas.* ibid.
III. *Ut ſentiendum ſit de Chriſti divinitate & humanitate, & quare ejus incarnatio tam diu dilata fuerit.* 15
IV. *Ratio Incarnationis Chriſti, erroreſque circa eandem quorundam hæreticorum.* 16
V. *Humanitas Chriſti ut fuerit ad credendum difficilis, deque ſtulta ſapientia mundi, quidque obedientia & humilitas Chriſti nobis attulerint.* 17
VI. *Filius Dei quare factus ſit filius hominis, & opera bona quid poſſint.* 19
VII. *Duæ naturæ in Chriſto, & quatenus creaturis utendum.* 20
VIII. *Incarnationis Chriſti modus, & neceſſitas, ac hæreticorum circa eandem diverſorum mendacia.* 22
IX. *Divinitas immutabilis ut noſtra infirma ſuſceperit, & quod libertatis nobis per hoc ipſum contulerit.* 23
X. *Verbum paternæ majeſtatis ut habitavit in nobis, & de ejuſdem excellentia.* 24

In Solemnitate Epiphaniæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

Sermones VIII.

I. *Epiphaniæ celebritas quid inſinuet, & de trium Magorum adventu ac muneribus.* 25
II. *Epiphaniæ Dominicæ ratio & quid profuerit Chriſtianis excæcatio judæorum.* 26
III. *Declarationis Chriſti cauſa, neceſſitas, & utilitas.* 27
IV. *Epiphaniæ feſtum ſummis laudibus celebrandum. Spiritus ſancti in Magos opus, atque Manichæorum hæreſes.* 28
V. *Epiphaniæ Feſtum quare celebrandum, quid Stella deſignet, quid Herodes, & quomodo in magis (perſonam gentium gerentibus) eorum vocatio Judæis in errore obſtinatis, indicata ſit:* 30
VI. *Quomodo munera myſtice offerre debeamus. Diaboli (per Herodem ſignificati) rabies & furor. Perſecutionibus tyrannorum ut Eccleſia creverit; & quam periculoſa ſit tranquillitas a perſecutionibus eorundem.* 31
VII. *De humilitate & infantia Salvatoris.* 32
VIII. *Nihil indigne ſentiendum de Chriſti majeſtate, & quibus argumentis deprehendatur Deum in nobis habitare.* 33

De Quadrageſima.

Sermones XII.

I. *Jejunandum Hebræorum exemplo & Chriſti,*

ad

ad victoriam obtinendam contra hoſtes inviſibiles, & de modo jejunandi. 34
II. *Vivendum in Quadrageſima religioſius, quia tunc diabolus adverſus nos acriore ſævit invidia.* 35
III. *Non præſumendum de non peccandi facilitate, & de calliditate tentationis.* 36
IV. *Abſtinendum in Quadrageſima ab omnibus vitiis, & miſericordiæ operibus incumbendum; atque de Manichæorum impietate.* 37
V. *De multitudine periculorum hujus vitæ, & peccatis remittendis.* 39
VI. *Jejunio corporis & animæ adjungenda opera miſericordiæ, quæ magis ex animi affectione, quam donorum magnitudine penſantur.* 40
VII. *De via Domini paranda, deque Fide, Charitate, & Miſericordia.* 41
VIII. *De vera utriuſque naturæ in Chriſto ſubſtantia, & quibus argumentis utraque natura probetur, ac de hæreticis vitandis.* 42
IX. *De perſecutione & Cruce Chriſti ferenda, atque de impietate Manichæi & Apollinaris.* 43
X. *De laude Charitatis, & de offenſis remittendis.* 44
XI. *De tentationibus vitæ humanæ, & diabolica impugnatione, ac remiſſione injuriarum.* 45
XII. *De laude continentiæ, & quod patientia Dei non ſit abutendum.* 46

De Paſſione Domini.

Sermones XIX.

I. *De neceſſitate Incarnationis Filii Dei, de ſcelere & infidelitate Judæ, ac inutili pœnitentia, atque Chriſti potentia.* 47
II. *De converſione latronis, & ſignis factis in morte Chriſti ad confuſionem Judæorum.* 48
III. *De gemina Chriſti natura, Judæ deſperatione, Petri trepidatione & converſione, ac Judæorum ſcelere ac punitione.* 49
IV. *De ſignificatione latronum, & Crucis myſterio prædicto.* 50
V. *Quod neceſſe fuerit Chriſtum eſſe Deum & hominem, & de pœnitentia Judæ.* 51
VI. *Quomodo Chriſtus ductus ſit ad Caipham, & de diruptione veſtimentorum ejus, & quomodo Chriſtus ad ſe omnia traxerit.* 53
VII. *Cur Chriſtus mori voluerit in feſto Paſchæ, & de traditione Judæ, & oratione Chriſti.* 53
VIII. *De peccato Pilati ac Judæorum, de Myſterio quoque & gloria Crucis, & de Simone Cyrenæo.* 54
IX. *Paſſio Chriſti variis Prophetarum oraculis & figuris prædicta, & de diaboli ruina, ac avaritiæ morbo, Petrique negatione.* 56
X. *Quod Chriſtus falſo ſit accuſatus quod ſe regem fecerit, & de compaſſione mulierum, ac ruina diaboli.* 57
XI. *De confeſſione Petri; & de gemina Chriſti natura, deque occultato Dæmonibus Myſterio Incarnationis; atque Judæ deſperatione.* 58
XII. *De virtute ac neceſſitate mortis Chriſti, & de ejus vera divinitate & humanitate contra Manichæos, & cur ſolus Filius Dei incarnatus ſit.* 59
XIII. *De reparatione hominis, ac de legalibus ſacramentis per Chriſtum completis, de ſpiritalibus Iſraelitis, & de vera Chriſti humanitate.* 60
XIV. *De modo redemptionis generis humani, atque Fidei Eccleſiæque unitate, & imitatione Chriſti.* 61
XV. *De veri Chriſti humanitate, patientia in morte, obcæcatione judæorum, & Manichæorum perfidia.* 62
XVI. *De Paſſione Chriſti per Prophetas pronunciata, Judæorum inexcuſabilitate, Judæ ſcelere, & Chriſti querela in Cruce.* 63
XVII. *De vera Chriſti divinitate ac humanitate, clamore ejus in Cruce, fideque Centurionis.* 64
XVIII. *De figuris veteris Teſtamenti in Paſſione Domini reſeratis, & Sacramento Redemptionis humani generis diabolo & Judæis abſcondito, ac de vitandis hæreticorum colloquiis.* 65
XIX. *De incomprehenſibili humani generis ſacramento, de diaboli inſidiis ac poteſtate, & de Chriſti Cruce ferenda,* 67

De Reſurrectione Domini.

Sermones II,

I. *De duplici vita ac morte, de Reſurrectionis Dominicæ documentis & immortalitate Chriſti.* 68
II. *Quod Crux Chriſti ſit ſalvandis Sacramentum & exemplum, & de Myſterio Incarnationis.* 69

De Aſcenſione Domini.

Sermones II.

I. *Cur Diſcipuli permiſſi ſint dubitare de Reſurrectione, & quod egerit Chriſtus inter Aſcenſionem & Reſurrectionem ſuam, & de Petri prærogativa, atque cicatricibus Chriſti.* 71
II. *De exaltatione humanæ naturæ per Chriſtum, de virtute fidei, & Chriſti divinitate.* 72

De Pentecoſte.

Sermones III.

I. *De virtute ac miſſione Spiritus ſancti in linguis igneis, & de peccato in Spiritum ſanctum.* 73
II. *De Myſterio Trinitatis, & de miſſione Spiritus ſancti, & Manichæorum impietate.* 74
III. *Quod opera Trinitatis ſint indiviſa, & de cauſa incarnationis, & æqualitate perſonarum.* 75

De jejunio Pentecoſtes.

Sermones IV.

I. *De abſtinentia ac carnis afflictione & neminem in hac vita eſſe ſecurum.* 77
II. *De jejunio Chriſtianorum, Judæorum, Hæreticorum & Paganorum.* ibid.
III. *De utilitate jejunii, & Eleemoſynarum.* 78
IV. *De laude abſtinentiæ, & de carnis caſtigatione.* ibid.

In Natali Apoſtolorum Petri & Pauli.

Sermones II.

I. *De dignitate urbis Romæ conſequuta per Apoſtolos Petrum & Paulum, de imperio, ſuperſtitione, & fide ejuſdem, & de furore Neronis ac perſecutione.* ibid.
II. *De Petri fide ac confeſſione, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia.* 79

Digitized by Google

In Octava Apoſtolorum Petri & Pauli.

Sermo unicus.

De ingratitudinis vitio, ac decem leproſis. 80

In Nativitate ſeptem Sanctorum fratrum Martyrum Machabæorum.

Sermo unicus.

De Machabæorum feſto ac martyrio, & continuo Chriſtianorum conflictu. 81

In Feſtivitate S. Laurentii.

Sermo unicus.

De laude atque exemplo Martyrum, & D. Laurentii Paſſione ac triumpho. ibid.

De jejunio ſeptimi Menſis.

Sermones IX.

I. *De laude abſtinentiæ & eleemoſynarum.* 82
II. *De fortitudine, continentia, & operibus pietatis, carnalibuſque deſideriis comprimendis.* ibid.
III. *De neceſſitate jejunii, de publica ac privata lege jejunii, orationiſque, ac eleemoſynæ.* 83
IV. *De libertate ſpiritus, de diverſitate jejunii Judæorum & Chriſtianorum, & de delectu ciborum, de generali jejunio, de diaboli inſidiis, & de eleemoſyna Chriſtianis elargienda.* 84
V. *De fragilitate humanæ naturæ ac pugna carnis, de auxilio Divino & de duobus amoribus, atque adventu regni Dei.* 85
VI. *De duplici Chriſti natura adverſus Eutychen & Neſtorium, & de veritate corporis Chriſti in Eucbariſtia.* 86
VII. *De ſpiritali veteris legis impletione, rectaque jejunii forma, & ſpiritualibus theſauris.* ibid.
VIII. *De duplici concupiſcentia carnis & ſpiritus, de pugna ſpirituali & abſtinentia.* 87
IX. *De jejunio quatuor temporum, itemque ſpiritali quod eſt mentis.* 88

Contra hæreſim Eutychetis.

Sermo unicus.

De evitandis hæreticis, de veritate corporis Chriſti, & Fidei Romanæ commendatione. ibid.

De Transfiguratione Domini.

Homilia unica.

De eo quod ſcriptum eſt: Aſſumpſit Jeſus Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit eos in montem ſeorſum. Et reliqua. 8

In Feſto omnium Sanctorum.

Homilia unica.

De eo quod ſcriptum eſt: Videns Jeſus turbas aſcendit in montem & quum ſediſſet acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus &c. De gradibus aſcenſionis ad beatitudinem. 91

In Natali S. Vincentii Martyris.

Sermo unicus:

S. Vincentii vita & Paſſio. 92

De Martyribus.

Sermo unicus incerti authoris.

Non recuſanda imitatio Martyrum in tribulationibus, & æqualis expectanda retributio. 93

In anniverſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum.

Sermo unicus.

In auctorem bonorum operum refundit quidquid recti egerit in magnitudine ſui miniſterii. 94

De Collectarum die.

Sermo unicus.

In Eleemoſyna principale fundamentum ad obtinendam Divinam miſericordiam. 95

De jejunio decimi menſis.

Sermo unicus.

De utilitate jejunii, & quomodo ſanctificandum proficiat. 96

EPISTOLÆ ET DECRETA.

Nec non diverſorum ad D. Leonem Papam, & pleroſque alios Epiſtolæ. 97. *uſq. ad finem.*

IN-

INDEX

OPERUM, IN TOMO SECUNDO

OCCURRENTIUM.

DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM

LIBRI DUO.

LIBRI PRIMI.

Caput Primum.

NOn ſane ſentire eos qui putant prædicatione gratiæ negari liberum arbitrium. 229

Caput II.

Omni animæ humanæ naturaliter ineſſe qualemcumque voluntatem; quæ aut ſenſualis, aut animalis, aut ſpiritualis eſt. ibid.

Caput III.

De voluntate ſenſuali. ibid.

Caput IV.

De voluntate animali: qua nihil ſupra mercedem temporalis gloriæ acquiritur, etiamſi dono Dei in ea ſublimius ſapiatur. 230

Caput V.

Omnes gentes in elementis acceperunt præcepta legalia, ut inexcuſabiles ſint in idolatria. ibid.

Caput VI.

Abſque Divina gratia voluntas tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni, quia non in gloriam Dei vivit. ibid.

Caput VII.

In homine cum ad pietatem redit, non alia in eo creatur ſubſtantia, ſed eadem quæ fuerat labefactata reparatur, nec aliud ab eo auſertur, niſi vitium, priore voluntate correcta. 231

Caput VIII.

Gratia ſic reparat opus Dei, ut liberum arbitrium non auferat: ſed potius per ipſummet illud ſanat. 231

Caput IX.

Quod ſcriptura ſive de bonis, ſive de malis loquatur, ſive de electis, ſive de reprobis, ita meminit unius partis, quaſi neminem hominum prætermittat. 232

Caput X.

Quod Scriptura de electis & reprobis ejuſdem populi loquitur, tanquam de iiſdem. 233

Caput XI.

Quod Scriptura de diverſorum temporum hominibus loquitur, quaſi de ejuſdem temporis generatione. 234

Caput XII.

Quod illud Apoſtoli: vult omnes homines ſalvos fieri: *de omni genere hominum intelligitur.* ibid.

Caput XIII.

Secreti illius profunditas, quo Dei ſalvantis gratia aliquos pro quibus Eccleſia orat, præterit, nobis in hac vita patere non poteſt. 235

Caput XIV.

Multa eſſe in diſpenſatione operum divinorum, quorum cauſis latentibus, ſoli monſtrantur effectus. ibid.

Caput XV.

Quod pars hominum liberetur, adſcribi non poteſt meritis voluntatum: veluti bonos elegerit gratia, malos præterierit. 236

Caput XVI.

Ex eo, quod parium parvulorum alii ad æternam vitam, alii ad mortem æternam ante intelligentiæ uſum hinc migrent oſtenditur inſcrutabilitas divinorum judiciorum. ibid.

Caput XVII.

Ex impiis qui in extremis converſi ſalvantur, oſtenditur & gratiam ſine meritis dari, & inſcrutabile eſſe Dei judicium. ibid.

Caput XVIII.

Gratia ſine qua bona merita eſſe nequeunt non accipitur a quoquam, niſi ex Dei voluntate ſine meritis. 237

Caput XIX.

Qualis ſit natura ſine gratia. ibid.

Caput XX.

Viſcera miſericordiæ Dominus ad omnium nationum impendit ſalutem; omneſque ſalvat: & tamen etiam verum eſt quod teſtimonium ejus nemo accipit. ibid.

Ca-

Digitized by Google

Caput XXI.

Non eſſe ſcrutandum cur Deus alios eligit, alios non elegit, ſicut nec cur unum omnibus gentibus prætermiſſis, unum Iſrael elegit. 238

Caput XXII.

Eos, qui diſcretionem cur Deus alios eligit, alios non elegit, ad merita referunt voluntatis humanæ, docere neminem gratis, ſed ex retributione ſalvari: & ex parvulis aperte confutari. ibid.

Caput XXIII.

Omne bonum hominis meritum ab initio fidei uſque ad perſeverantiæ conſummationem donum eſſe Divinum, & primum hoc oſtenditur de fide. ibid.

Caput XXIV.

Omne bonum in homine eſſe ex gratia, & fidem dari non petitam, ut ipſius petitionibus cætera bona conſequamur. 239

Caput XXV.

Quæſtionem, cur hic potius quam ille accipiat gratiam, eſſe impenetrabilem, nec poſſe ex libero arbitrio ſolvi. 242

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.

Tria eſſe certa, Deum velle omnes ſalvos fieri, cognitionem veritatis & ſalutem eſſe ex gratia, & judicia Dei eſſe impenetrabilia. ibid.

Caput II.

Scriptura docet Deum velle omnes homines ſalvos fieri. ibid.

Caput III.

Inſcrutabile eſt cur Deus judicarit quorundam vocationem differendam. 243

Caput IV.

In præteritis ſæculis ſemper admonuit divina bonitas homines ſui cultus per elementa: ſicut populum Iſrael, peculiariter per legem & prophetas. ibid.

Caput V.

Qui inter gentes Deo placuerunt, ſpiritu fidei & gratiæ ſunt diſcreti. 244

Caput VI.

Non omnibus etiam nunc eadem menſura gratiæ confertur. ibid.

Caput VII.

Cum omne bonum ex gratia Dei ſit, imparitas meritorum nec in liberum arbitrium eſt referenda, nec in querelam eſt vocanda. ibid.

Caput VIII.

Unicuique ſine merito datur, unde tendat ad meritum, & a gratia jam donato expectatur, ut ad quod accepit, augeat per illum qui dat incrementum. ibid.

Caput IX.

Variatæ per diviſa tempora, gratiæ cauſa a nobis non eſt inveſtiganda. 245

Caput X.

Omnibus ſæculis miſericordia Dei & corpora ahuic & mentes juvit. ibid.

Caput XI.

Hominibus fere paulatim & particulatim accreſcit, quod ſuperna largitas eis dare decrevit. ibid.

Caput XII.

Divinæ conſtitutionis non eſt noſtra a Deo averſio, ſed propriæ voluntatis: ideoque meriti hominis eſſe ſi ſteterit, quia cadere potuit. 246

Caput XIII.

Bonitatem Dei non ſolum Sanctis, ſed & impiis inſtituendis affuiſſe ante diluvium. ibid.

Caput XIV.

In diluvio & poſtea uſque ad Chriſtum revelata ſunt opera divinæ gratiæ, & Chriſtianæ gratiæ miracula præſignata: etſi abundantia gratiæ quæ nunc mundum rigat, pari largitate non fluxit. 247

Caput XV.

Meliora non naſci nunc ingenia, quam ante Chriſti adventum, quimmo tempore adventus Chriſti inventa eſt iniquitas robuſtior, ut gratia Dei manifeſtaretur. 247

Caput XVI.

Quod Chriſtus pro omnibus impiis mortuus eſt. ibid.

Caput XVII.

Nationes, quibus nondum gratia ſalutaris illuxit, diſpoſito tempore vocandas eſſe ad Evangelium. ibid.

Caput XVIII.

Prioribus ſæculis abſconditam fuiſſe Gentibus gratiam Chriſti, non tamen Prophetis. 249

Caput XIX.

Deus pro omni tempore vult omnes homines ſalvos fieri, aut generalibus donis, aut etiam peculiaribus. ibid.

Caput XX.

Objectio ex parvulis contra illud: Qui vult omnes homines ſalvos fieri. ibid.

Caput XXI.

Juſte agi cum parvulis pereuntibus tam in hoc ſæ-

ſæculo quam in futuro, propter originale peccatum. 250

Caput XXII.

Divina juſtitia cuilibet menſuram & modum miſeriæ ordinat. ibid.

Caput XXIII.

Parvulis pereuntibus generalis gratia tribuitur, dum ea parentibus datur. ibid.

Caput XXIV.

Non eſſe juſtam querelam ex diſcretione parium parvulorum, ſed magnam divinæ juſtitiæ & gratiæ Chriſti commendationem. 251

Caput XXV.

Deum ob generalem gratiam omni tempore velle omnes ſalvos fieri: ut peculiari gratia quoſdam tantum. ibid.

Caput XXVI.

Quod in omnibus juſtificationibus gratia quidem principaliter præemineat, ſed voluntas ei ſubjungatur, quia gratia primo ſibi, tanquam receptricem & famulam donorum ſuorum præparat voluntatem. ibid.

Caput XXVII.

Conſenſum voluntatis per gratiam gigni non ſolum ex doctrina & illuſtratione, ſed etiam ex terrore & metu. ibid.

Caput XXVIII.

Poſſe eos qui gratia Dei in Chriſtum credunt, non cadere, & eos qui perſeverant, a Deo recedere, 252

Caput XXIX.

Promiſſio benedictionis omnium gentium ita completur quotidie, ut nec pereuntibus ſit excuſatio juſta, nec ſalvatis de ſua juſtitia gloriatio. ibid.

Caput XXX.

Repetitio primi Capituli libri ſecundi. ibid.

Caput XXXI.

Omnibus ſæculis adfuiſſe omnibus hominibus generalem Dei bonitatem; ſed tantum ſalvandis peculiarem gratiam. 253

Caput XXXII.

Inter fideles varios eſſe gradus munerum Dei, idque non ex meritis eorum, ſed juſto & latenti Dei judicio. 253

Caput XXXIII.

Nemo perit qui perire non debet ſed omnes ab æterno electi ſalvi fiunt. 253

Caput XXXIV.

Non fruſtra laborari ad acquirenda bonorum operum merita, vel orationibus inſiſti: quamvis incommutabile ſit Dei propoſitum ſuper ſalute electorum. 254

Caput XXXV.

Gratia datur electis, non ut otientur vel a nullo hoſte impetantur; ſed ut bene operentur & hoſtem vincant. 254

Caput XXXVI.

Electio non tollit orandi ſtudium; ſed ejus effectus per orationem & bona opera completur. ibid.

Caput XXXVII.

De nullo ante finem vitæ hujus pronunciari poteſt quod in electorum gloria ſit futurus: & nullius lapſi eſt deſperanda reparatio. 255

S E N T E N T I Æ

De gratia Dei & libero voluntatis arbitrio.

Sent. I.

I. *Quod Adam omnes homines læſerit, nec quemquam ſine gratia poſſe ſalvari.* 256

II. *Quod nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione ejus, qui ſolus eſt bonus.* 256

III. *Quod niſi gratia Dei continua juvemur, inſidias Diaboli ſuperare non poſſumus.* ibid.

IV. *Quid per Chriſtum libero bene utamur arbitrio.* 257

V. *Quod omnia Sanctorum merita dona ſint Dei.* ibid.

VI. *Quod omnis ſancta cogitatio & motus piæ voluntatis ex Deo ſit.* ibid.

VII. *Quod gratia Dei non ſolum peccata dimittat, ſed etiam adjuvet ne committantur, & præſtet ut lex impleatur, non ſicut ait Pelagius, facile, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſſit impleri.* ibid.

VIII. *Quod præter Statuta Sedis Apoſtolicæ, omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur.* 258

IX. *Quid gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio cum exorciſmis & ex ſufflatione ſpiritus ab eis aligantur immundi.* ibid.

X. *Quod profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitus aſſerendæ.* ibid.

E P I S T O L A

Ad Sacram Virginem Demetriadem.

Exaltat veram humilitatem, adverſantemque ſuperbiam confundit, ac per hoc ad elationem cavendam, & præſidio ſinceræ humilitatis perſuadet. 259

DISSERTATIONES.

In quibus vindicantur S. Leoni Magno Libri duo de vocatione omnium gentium. 266

Sententiæ de gratia Dei, & libero voluntatis arbitrio. 285

Epiſtola ad Virginem Demetriadem. 298

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS

Adverſus errores Eutychetis, & aliorum hæreticorum. 305

APPENDICULA

Continens Sermones

De Reſurrectione Domini.

Sermo unicus.

Qua virtute & exemplo nos commortui, & correſuſcitati invitemur ad gloriam. 309

In Cathedra Sancti Petri.

Sermo unicus.

Feſtum magna devotione celebrandum, munditia cordis colendum; & quomodo in ſucceſſoribus Apoſtoli documentum audiendum. 310

In Nativitate Domini.

Sermo unicus.

Quale eſſe debeat gaudium in tanta ſolemnitate. 311

In Aſcenſione.

Sermo unicus.

Completa victoria Chriſti, cujus exaltationis efficiamur participes. 312

FINIS.

D.LEO-

D. LEONIS PAPÆ
HUJUS NOMINIS PRIMI,
SERMONES

IN PRÆCIPUIS ANNI TOTIUS FESTIVITATIBUS, ac de feriis quibuſdam aliis negotiis habiti ad fidelem plebem.

In anniverſario die Aſſumptionis ejus ad Summi Pontificis Romani culmen, & onus.

SERMO I.

Dignitates Eccleſiaſticæ a quo potiſſimum conferantur, & ad quid valeant.

Ingratitudinis eſt beneficia Dei tacere.

LAudem Domini loquatur os meum, & nomen ſanctum ejus anima mea ac ſpiritus, caro & lingua benedicat. Quia non verecundæ, ſed ingratæ mentis indicium eſt, beneficia tacere divina, & ſatis dignum eſt, a ſacrificiis Dominicæ laudis obſequium conſecrati Pontificis inchoare. Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri Dominus, & benedixit nobis: quia fecit mihi mirabilia magna ſolus, ut præſentem me cerneret veſtræ ſanctitatis affectio, quem fecerat neceſſitas longæ peregrinationis abſentem. Ago igitur Deo noſtro gratias, & ſemper acturus ſum pro omnibus quæ tribuit mihi. Veſtri quoque ſavoris arbitrium debita gratiarum actione concelebro, evidenter intelligens, quantum mihi poſſint reverentiæ, amoris, & fidei, ſtudia veſtræ dilectionis impendere, animarum veſtrarum ſalutem paſtorali ſollicitudine cupienti, qui tam ſanctum de me, nullis admodum præcedentibus meritis, judicium protuliſtis. Obſecro igitur per miſericordias Domini, juvate votis, quem deſideriis expetiſtis, ut & ſpiritus gratiæ maneat in me, & judicia veſtra non fluctuent. Præſtet in commune nobis omnibus pacis bonum, qui nobis unanimitatis ſtudia infudit: ut omnibus diebus vitæ meæ, in omnipotentis Dei ſervitium, & ad veſtra paratus obſequia,

Joan. 17.

cum fiducia poſſim Dominum deprecari: *Pater ſancte, conſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi*, ſemperque proficientibus vobis ad ſalutem, magnificet anima mea Dominum, & in futuri retributione judicii ita mihi apud juſtum judicem ſacerdotii mei ratio ſubſiſtat, ut vos mihi per bona opera veſtra ſitis gaudium, vos corona, qui bona voluntate ſincerum præſentis vitæ teſtimonium præſtitiſtis.

1. Theſſ. 2.

Honorabilem igitur mihi, dilectiſſimi, hodiernum diem fecit divina dignatio: quæ dum humilitatem meam in ſummum gradum provehit, quod neminem ſuorum ſperneret, demonſtravit. Unde etſi neceſſarium eſt trepidare de merito, religioſum eſt tamen gaudere de dono: quoniam qui mihi *honoris eſt autor, ipſe mihi fiet adminiſtrationis adjutor: & ne ſub magnitudine gratiæ ſuccumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Recurrente igitur per ſuum ordinem die, quo me dominus Epiſcopalis officii voluit habere *principium, vera mihi in gloriam Dei cauſa eſt lætandi, qui mihi, ut multum a me diligeretur, multa dimiſit. Et ut mirabilem faceret gratiam ſuam, in eum munera ſua contulit, in quo meritorum ſuffragia non invenit. Quo opere ſuo Dominus, quid cordibus noſtris inſinuat, quidve commendat, niſi ut de juſtitia ſua nemo præſumat, & de ipſius miſericordia nemo diffidat? Quæ tunc evidentius præeminet, quando peccator ſanctificatur, & abjectus erigitur. Neque enim de qualitate noſtrorum operum pendet cœleſtium menſura donorum: aut in iſto ſæculo, in quo tota vita tentatio eſt, hoc unicuique retribuitur quod meretur: ubi ſi iniquitates Dominus obſervaret, nullus judicium ſuum ſuſtineret. Magnificate ergo, dilectiſſimi, Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus invicem, ut tota ratio celebritatis hodiernæ ad laudem ſui referatur auctoris. Nam quod proprie ad affectum animi mei pertinet, confiteor me plurimum de omnium veſtrum devotione gaudere. Cumque hanc venerabilium conſacerdotum meorum ſplendidiſſimam frequentiam video, angelicum nobis in tot ſanctis ſentio intereſſe conventum. Nec dubito nos abundantiore hodie divinæ præſentiæ gratia viſitari, quando ſimul adſunt, & uno lumine micant, tot ſpecioſiſſima tabernacula Dei, tot membra excellentiſſima corporis Chriſti. Nec abeſt, ut confido, ab hoc cœtu etiam beatiſſimi Apoſtoli Petri pia dignatio & fida dilectio: nec veſtram devotionem ille deſeruit, cujus nos reverentia congregavit. De veſtro itaque & ipſe gaudet affectu, & in conſortibus honoris ſui, obſervantiam Dominicæ inſtitutionis amplectitur, probans ordinatiſſimam totius Eccleſiæ

* Alias, *oneris*.

* Vide num *principatum* legendum.

Quid nos moneat Deus in honorum collatione.

Job. 7.

charitatem, quæ in Petri ſede Petrum ſuſcipit, & a tanti amore paſtoris nec in perſona tam imparis tepeſcit hæredis. Ut ergo hæc pietas, dilectiſſimi, quam erga humilitatem meam unanimiter exhibetis, fructum ſui ſtudii conſequatur, miſericordiſſimam Dei noſtri clementiam ſupplices obſecrate, ut in diebus noſtris expugnet impugnantes nos, muniat fidem veſtram, multiplicet devotionem ac dilectionem, augeat pacem, meque ſervulum ſuum, quem ad oſtendendas divitias gratiæ ſuæ gubernaculis Eccleſiæ voluit præſidere, ſufficientem tanto operi, & utilem veſtræ defenſioni dignetur efficere, & ad hoc tempora noſtræ ſervitutis extendere, ut proficiat devotioni, quod fuerit largitus ætati, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

SERMO II.

In anniverſario die adſumptionis ejuſdem ad ſummi Pontificis munus.

Pontificatus qualitas ſecundum ordinem Melchiſedec quæ ſit.

QUoties nobis miſericordia Dei donorum ſuorum dies revocare dignatur, juſta, dilectiſſimi, & rationabilis cauſa eſt lætandi, ſi officii origo ſuſcepti ad laudem ſui referatur authoris. Hanc enim obſervantiam omnibus quidem ſacerdotibus congruam, ſed mihi neceſſariam maxime eſſe cognoſco, qui reſpiciens ad exiguitatis meæ tenuitatem, & ad ſuſcepti muneris magnitudinem, etiam ego illud propheticum debeo proclamare: *Domine audivi auditum tuum, & timui: conſideravi opera tua, & expavi*. Quid enim tam inſolitum, tam pavendum, quam labor fragili, ſublimitas humili, dignitas non merenti? Et tamen non deſperamus, neque deficimus, quia non de nobis, ſed de illo præſumimus, qui operatur in nobis. Unde & Davidicum Pſalmum, dilectiſſimi, non ad noſtram elationem, ſed ad Chriſti Domini gloriam conſona voce cantavimus. Ipſe eſt enim, de quo prophetice ſcriptum eſt: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hoc eſt non ſecundum ordinem Aaron, cujus ſacerdotium per propaginem ſui ſeminis currens, temporalis miniſterii fuit, & cum veteris Teſtamenti lege ceſſavit: ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, in quo æterni Pontificis forma præceſſit: Et dum quibus parentibus ſit editus non refertur, in eo ille intelligitur oſtendi, cuius generatio non poteſt enarrari. Denique cum hujus divini ſacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & ſanguis creavit, eligitur: ſed ceſſante privilegio patrum, & familiarum ordine prætermiſſo, eos rectos Eccleſia accipit, quos Spiritus ſanctus præparavit: ut in populo adoptionis Dei, cujus univerſitas ſacerdotalis atque regalis eſt, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, ſed dignatio cœleſtis gratiæ gignat antiſtitem. Quamvis ergo, dilectiſſimi, nos ad explendam noſtri officii ſervitutem, & infirmi inveniamur & ſegnes, dum, ſi quid devote & ſtrenue agere cupimus, ipſius noſtræ conditionis fragilitate tardamur: habentes tamen inceſſabilem propitiationem omnipotentis & perpetui ſacerdotis, qui ſimilis noſtri, æqualis Patri, divinitatem uſque ad humana ſubmiſit, humanitatem uſque ad divina provexit, digne & pie de ipſius conſtitutione gaudemus: quoniam etſi multis paſtoribus curam ſuarum ovium delegavit, ipſe tamen dilecti gregis cuſtodiam non reliquit. Da cujus principali æternoque præſidio, & Apoſtolici operis munimen accepimus, quod utique ab opere ſuo non vacat: & firmitas fundamenti, cui totius Eccleſiæ ſuperſtruitur altitudo, nulla incumbentis ſibi templi mole laſſeſcit: Soliditas enim illius fidei, quæ in Apoſtolorum principe eſt laudata; perpetua eſt. Et ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit: ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit. Cum enim ſicut Evangelica lectione reſeratum eſt, interrogaſſet Dominus diſcipulos, quem ipſum (multi diverſa opinantibus) crederent, reſpondiſſetque B. Petrus, dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*; Dominus ait: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: Et quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Manet ergo diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petræ perſeverans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cœlorum janitor conſtituitur, dum ligandorum ſolvendorumq; arbiter, manſura etiam in cœlis judiciorum ſuorum definitione, præficitur; qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum ejus myſteria noſceremus. Qui nunc plenius & potentius ea quę ſibi commiſſa ſunt, peragit, & omnes partes officiorum atq; curarum in ipſo & cum ipſo, per quem eſt glorificatus, exequitur. Si quid itaq; a nobis recte agitur, recteque diſcernitur: ſi quid a miſericordia Dei quotidianis ſupplicationibus obtinetur, illius eſt operum atq; meritorum, cujus in Sede ſua vivit poteſtas & excellit autoritas. Hoc enim obtinuit, dilectiſſimi, illa confeſſio, quæ a Deo Patre Apoſtolico inſpirata cordi, omnia humanarum opinionum incerta tranſcendit: & firmitatem petræ, quæ nullis impulſionibus quateretur, accepit. In univerſa namque Eccleſia: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, quotidie Petrus dicit: & omnis lingua, quę confitetur Dominum, magiſterio hujus vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, & captivorum ejus vincula diſſolvit. Hæc erutos mundo inſerit cœlo, & portæ inferi adverſus eam prævalere non poſſunt. Tanta enim divinitus ſoliditate munita eſt, ut eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia. His itaque modis, dilectiſſimi, rationabili obſequio celebratur hodierna feſtivitas, ut in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium paſtorum ſollicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit. Unde venerabilium quoq; fratrum & conſacerdotum meorum deſiderata mihi & honoranda præſentia hinc ſacratior eſt atq; devotior, ſi pietatē hujus officii, in quo adeſſe dignati ſunt, ei principaliter deferunt, quem non ſolum hujus Sedis præſulem, ſed & omniū Epiſcoporum noverunt eſſe primatem. Cum ergo cohortationes noſtras auribus veſtræ ſanctitatis adhibemus, ipſum vobis, cujus vice fungimur, loqui credite, quia & illius vos affectu monemus, & non aliud vobis, quam quod docuit, prædicamus, obſecrantes ut ſuccincti lumbos mentis veſtrę caſtam & ſobriam vitam in timore Dei ducatis, nec concupiſcentiis carnis mens, principatus ſui oblita, conſentiat. Brevia & caduca ſunt terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æternitatem vocatos, a ſemitis vitæ conantur avertere. Fidelis ergo & religioſus animus, ea quæ ſunt cœleſtia, concupiſcat, & divinarum promiſſionum avidus, in amorem ſe incorruptibilis boni, & in ſpem veræ lucis attollat. Certi autem

eſto-

Abac. 3.

Pſalm. 109.

Sacerdos eſt Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech.

Eccleſiæ ſtabilitas.

Matth. 16.

Fidei Eccleſiæ Romanæ præconium.

Petr. omnium Epiſcoporum primus.

eſtote, dilectiſſimi, quod labor veſter, quo vitiis reſiſtitis, & carnalibus deſideriis repugnatis, placens in conſpectu Dei eſt atque pretioſus, nec ſolum vobis, ſed etiam mihi apud Dei miſericordiam profuturus; quia de profectu Dominici gregis gloriatur
1. Theſſ. 2. cura paſtoris, *Corona enim mea*, ſicut Apoſtolus ait,
2. Rom. 1. *& gaudium vos eſtis*: ſi fides veſtra, quæ ab initio Evangelii in univerſo mundo prædicata eſt, in dilectione & ſanctitate permanſerit; Nam licet omnem Eccleſiam, quæ in toto eſt orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen præcipue inter cæteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipſa Apoſtolicæ petræ arce fundatos, Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum omnibus redemit, & beatus Apoſtolus Petrus præ omnibus erudivit, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

SERMO III.

In anniverſario die ejuſdem Aſſumptionis.

Sacerdotium ſupremum quare beato Petro, & ejus collatum ſucceſſoribus.

GAudeo, dilectiſſimi, religioſo veſtræ devotionis affectu, & Deo gratias ago, quod in vobis pietatem Chriſtianæ unitatis agnoſco. Sicut enim ipſa frequentia veſtra teſtatur, intelligitis hujus diei recurſum ad communem lætitiam pertinere, & honorem celebrari totius gregis per annua feſta paſtoris. Nam licet univerſa Eccleſia Dei diſtinctis ordinata ſit gradibus, ut ex diverſis membris ſacrati corporis ſubſiſtat integritas: nos tamen
1. Cor. 12. omnes, ſicut ait Apoſtolus, *In Chriſto Jeſu unum ſumus*, nec quiſquam ab alterius ita eſt diviſus officio, ut non ad connexionem pertineat capitis cujuslibet humilitas portionis. In unitate igitur fidei atque baptiſmatis, indiſcreta nobis ſocietas, dilectiſſimi, & generalis eſt dignitas, ſecundum illud beatiſſimi Petri Apoſtoli ſacratiſſima voce
1. Petr. 2. dicentis: *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini in domos ſpiritales, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum*
Sacerdotium quomodo competat omnibus Chriſtianis
Chriſtum. Et infra: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*. Omnes enim in Chriſto regeneratos crucis ſignum efficit Reges; ſancti vero Spiritus unctio conſecrat ſacerdotes, ut præter iſtam ſpecialem noſtri miniſterii ſervitutem, univerſi ſpiritales & rationales Chriſti agnoſcant ſe regii generis, & ſacerdotalis officii eſſe conſortes. Quid enim tam regium, quam ſubditum Deo animum corporis ſui eſſe rectorem? Et quid
Hoſtiæ ſpiritualis. tam ſacerdotale, quam vovere Domino conſcientiam puram, & immaculatas pietatis hoſtias de altari cordis offerre? Quod cum omnibus per Dei gratiam commune ſit factum, religioſum tamen nobis atque laudabile eſt, de die provectionis noſtræ, quaſi proprio honore gaudere: ut unum celebretur in toto Eccleſiæ corpore Pontificii ſacramentum, quod effuſo benedictionis unguento, copioſius quidem in ſuperiora profluxit, ſed non parce etiam in inferiora deſcendit. Quum itaque, dilectiſſimi, de conſortio iſtius muneris magna ſit nobis materia communium gaudiorum, verior tamen nobis & excellentior erit cauſa lætandi, ſi non in noſtræ humilitatis conſideratione remoremini: cum multo utilius multoque ſit dignius, ad beatiſſimi Petri Apoſtoli gloriam contemplandum, aciem mentis attollere, & hunc diem in illius potiſſimum veneratione celebrare, qui ab ipſo omnium chariſmatum fonte tam copioſis eſt irrigationibus inundatus, ut cum multa ſolus acceperit, nihil in quemquam ſine illius participatione tranſierit:
Verbum enim caro factum fuerat, & habitabat jam Joan. 1.
in nobis, ut reparando humano generi totum ſe Chriſtus impenderet. Nihil indiſpoſitum ſapientiæ, nihil erat arduum poteſtati. Famulabantur elementa, miniſtrabant ſpiritus, Angeli ſerviebant, nec ullo modo poterat inefficax eſſe ſacramentum, quod ſimul ipſius Deitatis unitas operabatur & Trinitas. Et tamen de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ patribus præponatur, ut quamvis in populum Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Petrus Princeps paſtorum a Chriſto conſtitutus
Magnum & mirabile, dilectiſſimi, huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio: & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit quicquid aliis non negavit. Omnes denique Apoſtolos Dominus, quid de ſe homines opinentur, interrogat: tandiu ſermo reſpondentium communis eſt, quandiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At, ubi, quid habeat ſenſus diſcipulorum, exigitur, primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate. Qui cum Matth. 16.
dixiſſet: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: reſpondit ei Jeſus: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi; ſed Pater meus, qui in cælis eſt*. Id eſt, ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te feſellit, ſed inſpiratio cæleſtis te inſtruxit, & non caro & ſanguis; Epheſ. 2.
ſed ille me tibi, cujus ſum unigenitus filius, indicavit. *Et ego*, inquit, *dico tibi*: hoc eſt, ſicut Pater meus tibi manifeſtavit divinitatem meam; ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, *quia tu es Petrus*. Id eſt, cum ego ſim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego fundamentum præter quod nemo poteſt aliud ponere: 1. Cor. 3. Petrus dicitur petra, ſuper quam fundatur Eccleſia.
tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Eccleſiæ meæ cælo inferenda ſublimitas, in hujus fidei firmitate conſurget. Hanc confeſſionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt; vox enim iſta, vox vitæ eſt. Et ſicut confeſſores ſuos in cæleſtia provehit, ita negatores ad inferna demergit: Propter quod dicitur beatiſſimo Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Et quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*. Petrus omnibus Apoſtolis prælatus.
Tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti hujus conſtitutio commeavit: ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipſius fertur æquitate judicium: Nec nimia eſt vel ſeveritas, vel remiſſio, ubi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod beatus Petrus aut ſolverit, aut ligaverit. Inſtante autem paſſione ſua, Dominus, quæ diſcipulorum erat turbatura conſtantiam, Simoni inquit: *Simon, ecce Satanas expoſtulavit vos, ut cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando*

Chriſtus ſpecialiter pro Petro rogavit.

converſus confirma fratres tuos, ut non intretis in tentationem. Commune erat in omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis a Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri proprie ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principia victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Cum itaque, dilectiſſimi, tantum nobis videamus præſidium divinitus inſtitutum, rationabiliter & juſte in Ducis noſtri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes ſempiterno Regi Redemptori noſtro Domino Jeſu Chriſto, qui tantam potentiam dedit ei quem totius Eccleſiæ principem fecit: ut ſi quid etiam noſtris temporibus recte per nos agitur, recteque diſponitur, illius operibus, illius ſit gubernaculis deputandum, cui dictum eſt: *Et tu converſus confirma fratres tuos.* Et cui poſt reſurrectionem ſuam Dominus ad trinam æterni amoris profeſſionem myſtica inſinuatione ter dixit: *Paſce oves meas.* Quod nunc quoque procul dubio facit, & mandatum Domini pius paſtor exequitur, confirmans nos cohortationibus ſuis, & pro nobis orare non ceſſans, ut nulla tentatione ſuperemur. Si autem hanc pietatis ſuæ curam omni populo Dei, ſicut credendum eſt, ubique prætendit: quanto magis nobis alumnis ſuis opem ſuam dignatur impendere, apud quos in ſacro beatæ dormitionis thoro, eadem qua præcedit carne, requieſcit? Illi ergo hunc ſervitutis noſtræ natalitium diem, illi adſeribamus hoc feſtum, cujus patrocinio ſedis ipſius meruimus eſſe conſortes, auxiliante nobis per omnia gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit & regnat cum Deo Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Lucæ 22.

Joan. 21.

Oratio ſanctorum pro nobis.

SERMO I.

De Collectis.

Eleemoſynæ quid proſit, & uti præſtetur.

MUltis divinarum ſcripturarum teſtimoniis edocemur, quantum eleemoſynarum meritum, & quanta ſit virtus. Certum eſt enim unumquemque noſtrum animæ ſuæ benefacere, quoties miſericordia ſua inopiæ ſuccurrit alienæ. Prompta ergo & facilis, dilectiſſimi, apud nos largitas eſſe debet, ſi credamus ſibi unumquemque id præſtare, quod indigentibus tribuit. Theſaurum enim ſuum condit in cælo, qui Chriſtum paſcit in paupere. Benignitatem itaque in hoc & diſpenſationem divinæ pietatis agnoſce. Idcirco enim te abundare voluit, ut per te alius non egeret, & per miniſterium operis tui, pauperem ab egeſtatis labore, teque a peccatorum multitudine liberaret. O mira providentia & bonitas Creatoris, ut uno facto, duobus vellet eſſe ſuccurſum! Ventura igitur Dominica dies, collectarum futura eſt. Hortor & moneo ſanctitatem veſtram, ut ſinguli quique & pauperum memineritis & veſtri, & pro poſſibilitate virium veſtrarum intelligatis in egentibus Chriſtum, qui tantum nobis pauperes commendavit, ut ſe in ipſis veſtiri ac ſuſcipi teſtaretur, & paſci Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & ſancto Spiritu vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Eleemoſynarum fructus.

Matth. 25.

SERMO II.

De Collectis.

Eleemoſyna ut ſit ſecundum lavacrum a peccatis, & opus maxima charitatis.

NOtum vobis, dilectiſſimi, & familiare mandatum paſtorali prædicamus hortatu, ut in opere miſericordiæ ſtudeatis eſſe devoti. Quod etiamſi nunquam a veſtra ſanctitate negligitur, nunc tamen promptius eſt & impenſius exequendum; quia primus Collectarum dies ſaluberrime a ſanctis patribus inſtitutus hoc exigit, ut unuſquiſque, prout votivum atque poſſibile eſt, in uſus atque alimoniam pauperum de veſtris facultatibus conferatis; ſcientes præter illud regenerationis lavacrum, in quo univerſorum ablutæ ſunt maculæ peccatorum, hoc remedium infirmitati humanæ divinitus eſſe donatum, ut ſi quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemoſynis deleatur. Eleemoſynæ enim opera charitatis ſunt, & ſcimus quod charitas operit multitudinem peccatorum. Proinde, dilectiſſimi, in ſecundam feriam ſpontaneas * collectas veſtras ſollicite præparate, ut quicquid vobis de temporalibus ſubſtantiis dempſeritis, id multiplicatum in æterna retributione ſumatis.

Eleemoſynis extinguuntur peccata.

2. Cor. 13.

1. Pet. 4.

Alias, *collectiones.*

SERMO III.

De Collectis.

Eleemoſyna quantum excruciet dæmones, quidve ſentiendum de Collectis.

CHriſtianæ pietatis eſt, dilectiſſimi, ut quæ Apoſtolicis ſunt traditionibus inſtituta, perſeveranti devotione ſerventur: Nam illi beatiſſimi diſcipuli veritatis, hoc divinitus inſpirata commendavere doctrina, ut quoties cæcitas paganorum * in ſuperſtitionibus ſuis eſſet intenſior, tunc præcipue populus Dei orationibus, & operibus pietatis inſtaret. Quoniam immundi ſpiritus, quantum gentilium errore lætantur, tantum veræ religionis obſervantia atteruntur, & argumenta juſtitiæ urunt impietatis auctorem. Cujus impia & profana commenta, ne ſacratis Deo vero cordibus aliquid pollutionis inferrent, beatus magiſter gentium præcavebat, cum voce Apoſtolica diceret: *Nolite jugum cum infidelibus ducere.* Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Et deinde vocem prophetici ſpiritus addidit dicens: *Exite, exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Unde quoniam ad deſtruendas antiqui hoſtis inſidias in die, quo impii ſub idolorum ſuorum nomine diabolo ſerviebant, providentiſſime in ſancta Eccleſia prima eſt inſtituta collectio: volumus dilectionem veſtram tertia feria per omnes regionum veſtrarum Eccleſias cum voluntariis oblationibus eleemoſynarum convenire. In quo opere, etſi non eſt omnium æqualis facultas, debet * eſſe par pietas; quoniam fidelium largitas non de muneris penſatur pondere, ſed de benevolentiæ quantitate. Habeant in hoc miſericordiæ commercio etiam pauperes lucrum, & ad ſuſtentationem egentium de quantacumque parte ſubſtantiæ ſuæ aliquid, quod eos non contriſtet, excerpant. At dives munere copioſior, dum pauper animo non ſit inferior. Quamvis enim major ſuperetur re-

Alias, *ſuper inſtitutionibus ſuis.*

Opera bona excrucient diabolum.

2. Cor. 6.

Addendum forte, *tamen.*

reditus de majore ſemente, poteſt tamen de exigua ſatione multus fructus provenire juſtitiæ. Juſtus enim eſt judex & verax, qui neminem fraudat mercede meritorum.

Meritum eleemoſynæ.
Matth. 5.

Et ideo nos curam pauperum vult habere, ut in futuræ retributionis examine, miſericordibus, quam promiſit, miſericordiam largiatur Chriſtus Deus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula, Amen.

SERMO IV.

De Collectis, & Eleemoſyna.

Eleemoſyna ut ſalvet hominem.

Miſericordia, dilectiſſimi, & juſtitia Dei, formam retributionum ſuarum a mundi conſtitutione diſpoſitam, per doctrinam Domini noſtri Jeſu Chriſti benigniſſima nobis expoſitione reſervavit, ut acceptis rerum ſignificationibus, quæ futura credimus, jam quaſi geſta noſceremus. Sciebat enim Redemptor noſter atque Servator, quantos fallacia diaboli per totum mundum ſparſiſſet errores, & quam multis ſuperſtitionibus maximam ſibi partem humani generis ſubdidiſſet. Sed ne ultra per ignorantiam veritatis, creatura ad imaginem Dei condita, in præcipitia perpetuæ mortis ageretur, Evangelicis paginis judicii ſui inſeruit qualitatem, quæ omnem hominem a callidiſſimi hoſtis revocaret inſidiis: quum jam nulli eſſet incognitum, quæ bonis ſperanda præmia & quæ malis eſſent inferenda ſupplicia:

Joan. 8.
Diaboli aſtus & malitia in deceptione generis humani.

Incentor namque ille auctorque peccati, primum ſuperbus, ut caderet, deinde invidus, ut noceret, quia in veritate non ſtetit, totam vim ſuam in mendacio collocavit, omniaque deceptionum genera de hoc venenatiſſimo artis ſuæ fonte produxit, ut ab illo bono, quod ipſe propria elatione perdiderat, ſpem humanæ devotionis excluderet, eoſque in conſortium damnationis ſuæ traheret, ad quorum ipſe reconciliationem pertinere non poſſet. Quidquid igitur hominum quibuslibet impietatibus Deum læſit, hujus fraude traductum, hujus eſt nequitia depravatum. Facile enim in omnia flagitia impulit, quos religione decepit.

Fides ſine charitate eſſe poteſt.
Ad Tit. 1.

Sciens autem Deum non ſolum verbis, ſed etiam factis negari, multis quibus auferre non potuit fidem, ſuſtulit charitatem: & agro cordis ipſorum avaritiæ radicibus occupato, ſpoliavit fructu operum quos non privavit confeſſione labiorum. Propter has ergo, dilectiſſimi, verſutias hoſtis antiqui, ſcire nos voluit ineffabilis benignitas Chriſti, quid in die retributionis de univerſitate hominum eſſet decernendum, ut dum in hoc tempore legitimorum remediorum medicina præbetur, dum eliſis reparatio non negatur, & qui diu fuerunt ſteriles, poſſunt tandem eſſe fœcundi, prævenniatur diſpoſita cenſura juſtitiæ, & numquam a cordis oculis divinæ diſcretionis imago diſcedat.

Matth. 25.

Veniet enim in majeſtatis ſuæ gloria Dominus, ſicut ipſe prædixit, eritque cum eo radians in ſplendoribus ſuis innumerabilis angelicarum multitudo legionum.

Judicii extremi forma.

Congregabuntur ante thronum potentiæ ejus omnium gentium populi, & quicquid hominum univerſis ſæculis toto orbe terrarum progenitum eſt, in conſpectu judicantis adſtabit. Separabuntur ab injuſtis juſti, a nocentibus innocentes: & cum præparatum ſibi regnum, recenſitis miſericordiæ operibus, filii pietatis acceperint, exprobrabitur duritia ſterilitatis injuſtis: & nihil habentes ſiniſtri commune cum dextris, in ignem ad diaboli & Angelorum ejus tormenta diſpoſitum, omnipotentis judicis damnatione mittentur, cum illo habituri pœnæ communionem, cujus elegerunt facere voluntatem.

Opera miſericordiæ ſalvant hominem.

Quis igitur iſtam ſortem æternorum cruciatuum non paveſcat? Quis mala numquam finienda non timeat? Sed cum ideo denunciata ſit ſeveritas, ut miſericordia quæratur, in diebus præſentibus cum miſericordiæ eſt largitate vivendum, ut homini poſt periculoſam negligentiam, ad pietatis opera revertenti poſſibile ſit ab hac ſententia liberari. Hoc enim agit potentia judicis, hoc gratia Servatoris ut relinquat impios vias ſuas, & ab iniquitatis ſuæ conſuetudine peccator abſcedat. Miſereantur pauperum, qui ſibi volunt parcere Chriſtum. Faciles ſint in alimenta miſerorum, qui cupiunt ad ſocietatem * pervenire fidelium.

Alias, *pertinere*.

Non ſit vilis homini homo, nec in quoquam deſpiciatur illa natura, quam rerum Conditor ſuam fecit. Cui enim laborantium licet negare quod Chriſtus ſibi profitetur impendi? Juvatur conſervus, & gratiam refert Dominus. Cibus egeni, regni cæleſtis eſt pretium: & largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. Unde autem exigua iſta impendia tanta æſtimari taxatione meruerunt? Niſi quia pondera operum charitatis lance penſantur, & quum amatur ab homine quod Deus diligit, merito in ejus aſcenditur regnum, in cujus tranſitur affectum.

Inſtitutiones Apoſtolorum ſervandæ ſunt.

Ad horum ergo operum, dilectiſſimi, piam curam dies nos Apoſtolicæ inſtitutionis invitat, in quo ſanctarum collectionum prima collectio eſt prudenter a Patribus & utiliter ordinata: ut quia in hoc tempore gentilis quondam populus ſuperſtitioſius dæmonibus ſerviebat, contra profanas hoſtias impiorum, ſacratiſſima a nobis noſtrarum eleemoſynarum celebraretur oblatio. Quod quia incrementis Eccleſiæ fructuoſiſſimum fuit, placuit eſſe perpetuum. Unde hortamur ſanctitatem veſtram, ut per Eccleſias regionum veſtrarum, quarta feria, de facultatibus veſtris, quantum ſuadet poſſibilitas & voluntas, expenſas miſericordiæ conferatis: ut poſſitis illam beatitudinem promereri, in qua ſine fine gaudebit, qui intelligit ſuper egenum & pauperem.

Pſal. 40.

Ad quod intelligendum, dilectiſſimi, ſollicita benignitate vigilandum eſt, ut quem modeſtia tegit, & verecundia præpedit, invenire poſſimus.

Pauperibus verecundis ſubveniendum eſt

Sunt enim, qui palam poſcere ea, quibus indigent, erubeſcunt: & malunt miſeria tacitæ egeſtatis affligi, quam publica petitione confundi. Intelligendi ergo iſti ſunt, & ab occulta neceſſitate * ſublevandi, ut hoc ipſo amplius gaudeant, cum & paupertati eorum conſultum fuerit, & pudori.

Alias, *relevandi*.

Recte enim in egeno & paupere, ipſius Jeſu Chriſti Domini noſtri perſona ſentitur, qui cum eſſet dives, ſicut dicit Apoſtolus, inops factus eſt, ut nos ſua paupertate ditaret.

2. Cor. 8.

Et ne deeſſe nobis ſua præſentia videretur, ita humilitatis & gloriæ ſuæ temperavit myſterium, ut quem Regem & Dominum in majeſtate Patris adoramus, eundem in ſuis pauperibus paſceremus, liberandi ob hoc in die mala a damnatione perpetua, & pro intellecti pauperis cura, regni cæleſtis conſortiis inferendi. Ut autem in omnibus, dilectiſſimi, placeat Domino veſtra devotio, etiam ad hanc vos hortamur induſtriam, ut Manichæos ubicunque latentes veſtris Preſbyteris publicetis.

Hæretici prodendi ſunt.

Magna eſt enim pietas prodere latebras impiorum, & ipſum in eis, cui ſerviunt, diabolum debellare. Contra iſtos enim, dilectiſſimi, omnem quidem orbem terrarum, & totam ubique Eccleſiam decet fidei arma arripere. Sed veſtra in hoc opere devotio debet excellere, qui in progenitoribus veſtris Evangelium crucis Chriſti ab ipſo beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli

ore

ore didiciſtis. Non ſinantur latere homines, qui legem per Moſen datam, in qua Deus univerſitatis conditor oſtenditur, recipiendam eſſe non credunt: Prophetis, & Sancto Spiritui contradicunt: Pſalmos Davidicos, qui per univerſalem Eccleſiam cum omni pietate cantantur, damnabili impietate auſi ſunt refutare: Chriſti Domini nativitatem ſecundum carnem negant: paſsionem & reſurrectionem ejus ſimulatam dicunt fuiſſe, non veram: baptiſmum regenerationis totius gratiæ virtute diſpoliant. Nihil eſt apud eos ſanctum, nihil integrum, nihil verum. Cavendi ſunt, ne cuiquam noceant: prodendi ſunt, ne aliqua civitatis noſtræ parte conſiſtant. Vobis, dilectiſsimi, ante tribunal Domini proderit, quod indicimus, quod rogamus. Dignum eſt enim, ut eleemoſynarum ſacrificio & hujus operis palma jungatur: auxiliante nobis per omnia Domino Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO V.

De Collectis Eleemoſynis.

Eleemoſynæ ac temperantiæ bona quæ, virtuteſque omnes non prodeſſe ſine miſericordiæ operibus.

Patrum traditiones.

APoſtolicæ traditionis, dilectiſsimi, inſtituta ſervantes, paſtorali vos ſollicitudine cohortamur, ut diem quem illi ab impiorum ſuperſtitione purgatum miſericordiæ operibus conſecrarunt, devotione religioſæ conſuetudinis celebremus, oſtendentes apud nos auctoritatem patrum vivere, eorumque doctrinam in noſtra obedientia permanere. Quoniam ſancta tantæ conſtitutionis utilitas, non præterito tantum tempori, ſed etiam noſtræ proſpexit ætati: ut quod illis profuit ad deſtructionem vanitatum, hoc nobis proficeret ad incrementa virtutum. Quid autem tam aptum fidei, quid tam conveniens pietati, quam egentium juvare paupertatem? infirmorum curam recipere? fraternis neceſsitatibus ſubvenire? & conditionis propriæ in aliorum labore meminiſſe? In quo opere, quantum quis poſsit, quantumque non poſsit, ſolus veraciter ille diſcernit, qui novit, quid quibuſque contulerit. Non ſolum enim ſpiritales opes & dona cæleſtia, Deo donante, capiuntur, ſed etiam terrenæ & corporeæ facultates ex ipſius largitate proveniunt; ut merito rationem earum quæſiturus ſit, qui non magis poſsidentia tradidit, quam diſpenſanda commiſit. Muneribus igitur Dei juſte & ſapienter utendum eſt, ne materia boni operis fiat cauſa peccati: Nam divitiæ quidem, quantum ad ipſas ſpecies earum atque ſubſtantias pertinet, bonæ ſunt, & humanæ ſocietati plurimum proſunt, cum a benevolis habentur & largis, nec illas aut luxurioſus prodigit, aut avarus abſtrudit, ut tam pereant male conditæ, quam inſipienter expenſæ. Quamvis autem laudabile ſit intemperantiam fugere, & turpium voluptatum damna vitare, multique magnifice dedignentur facultates ſuas occulere, & in copiis affluentes vilem atque ſordentem horreant parcitatem: non eſt tamen talium aut felix abundantia, aut probanda frugalitas, ſi ipſis tantum propriæ opes ſerviunt, ſi eorum bonis nulli juvantur pauperes, nulli foventur infirmi: ſi de magnarum abundantia facultatum, non captivus redemptionem, non peregrinus ſolatium, non exul ſentit auxilium. Hujuſmodi divites, egentiores ſunt omnibus egenis. Perdunt enim illos reditus, quos poſſunt habere perpetuos: & dum brevi nec ſemper libero incumbunt uſui, nullo juſtitiæ cibo, nulla miſericordiæ ſuavitate paſcuntur: foris ſplendidi, intus obſcuri: abundantes temporalium, inopes æternorum: quia ipſi animas ſuas fame afficiunt, & nuditate dehoneſtant: qui de iis quæ terrenis horreis commendarunt, nihil theſauris cæleſtibus intulerunt. Sed forte ſunt aliqui divitum, qui licet nullis largitionibus pauperes Eccleſiæ ſoleant adjuvare: alia tamen mandata Dei cuſtodiunt, & inter diverſa fidei & probitatis merita, venialiter ſibi æſtimant unam deeſſe virtutem. Verum hæc tanta eſt, ut ſine illa cæteræ, etſi ſint, prodeſſe non poſſint. Quamvis enim quis fidelis ſit, & caſtus, & ſobrius, & aliis moribus ornatus inſignibus, miſericors tamen ſi non eſt, miſericordiam non meretur. Ait enim Dominus: *Beati miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus.* Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & ſederit in throno gloriæ ſuæ, & congregatis omnibus gentibus bonorum & malorum fuerit facta diſcretio; in quo laudabuntur, qui ad dexteram Dei ſtabunt, niſi in operibus benevolentiæ, & charitatis officiis, quæ Jeſus Chriſtus ſibi impenſa reputabit? Quoniam qui naturam hominis ſuam fecit, in nullo ſe ab humana humilitate diſcrevit. Siniſtris vero quid objicietur, niſi neglectus dilectionis, duritia inhumanitatis, & pauperibus miſericordia denegata? Quaſi nec alias virtutes dextri, nec alias offenſiones habeant ſiniſtri. Sed illo magno ſummoque judicio tanti æſtimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, & pro ſumma omnium commiſſorum, & per unum bonum iſti introducantur in regnum, & per unum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur, dilectiſſimi, de ullis ſibi bonæ vitæ meritis blandiatur, ſi illi defuerint opera charitatis: nec de ſui corporis qualitate ſecurus ſit, qui nulla eleemoſynarum purificatione mundatur: Eleemoſynæ enim peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Sed qui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentia retribuentis alienus, dicente Salomone: *Qui obturat aures, ne audiat imbecillem, & ipſe vocabit Dominum, & non erit qui exaudiat eum.* Unde & Tobias filium ſuum præceptis pietatis inſtituens: *Ex ſubſtantia,* inquit, *tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere:* ita fiet ut nec a te avertatur facies Dei. Hæc virtus omnes facit utiles eſſe virtutes, quæ ipſam quoque fidem, ex qua juſtus vivit & quæ ſine operibus mortua nominatur, ſui admixtione vivificat. Quia ſicut in fide eſt operum ratio; ita in operibus fidei fortitudo. Dum ergo tempus habemus, ſicut ait Apoſtolus, operemur bonum: maxime autem ad domeſticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus. Præſens itaque vita tempus eſt meſſis, quando unuſquiſque ſeminum fructus ſecundum ſationis ſuæ percipiet quantitatem. De proventu autem iſtius ſegetis nemo falletur, quia animorum ibi magis quam impendiorum menſura taxabitur: & tantum reddent exigua de exiguis, quantum magna de magnis. Et ideo, dilectiſſimi, ſatisfiat Apoſtolicis inſtitutis. Et quia die Dominica prima eſt futura collectio, omnes vos devotioni voluntariæ præparate, ut unuſquiſque ſecundum ſufficientiam, habeat in ſacratiſſima oblatione conſortium. Exorabunt pro vobis & ipſæ eleemoſynæ, & ii, qui veſtris muneribus juvabuntur, ut ad omne opus bonum idonei ſemper eſſe poſſitis, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Terrenarum facultatum non tam poſſeſſio, quam diſpenſatio nobis commiſſa eſt.

Temperantiæ modus ac bonum.

Avarorum & prodigorum egeſtas.

Matth. 5.
Virtutes aliæ abſque miſericordiæ operibus non proſunt.
Matth. 25.

Eleemoſynæ bona.

Prov. 21.

Tob. 4.
Fides ſine operibus mortua eſt.
Abac. 2.
Rom. 1.
Galat. 3.
Hebr. 10.
Jacob. 2.

SER-

SERMO PIMUS.

De Jejunio decimi menſis, & Collectis.

Creatio hominis cur fuerit ad Dei imaginem, quantumque oratio, jejunium, eleemoſyna nos Deo commendent.

[Homo cur ad imaginem Dei ſit conditus.] SI fideliter, Dilectiſſimi, atque ſapienter creationis noſtræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet auctor: & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Servatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in ſecundo. Cauſa autem reparationis noſtræ non eſt niſi miſericordia Dei, quem non diligeremus, niſi prius nos ipſe diligeret, & tenebras ignorantiæ noſtræ, ſuæ veritatis luce diſcuteret. Quod [Eſaiæ 42.] per ſanctum Eſaiam Dominus denuncians ait: *Adducam cacos in viam quam ignorabant, & ſemitas quas neſciebant, faciam illos calcare. Faciam illis tenebras in lucem, & prava in directa. Hæc verba faciam illis, & non relinquam eos.* Et iterum: [Eſaiæ 65.] *Inventus ſum,* inquit, *a non quærentibus me, & palam apparui iis qui me non interrogabant.* Quod quomodo impletum ſit, [1. Joan. 5.] [1. Joan. 4.] Joannes Apoſtolus docet, dicens: *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum, & ſimus in vero Filio ejus.* Et iterum: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipſe prius dilexit nos.* Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem ſuam nos reparat, & ut in nobis formam ſuæ bonitatis inveniat, dat unde ipſi quoque quod operatur, operemur: accendens ſcilicet mentium noſtrarum lucernas, & igne nos ſuæ charitatis inflammans ut non ſolum ipſum, ſed etiam quicquid diligit, diligamus. [Amicitia vera quæ ſit.] Nam ſi inter homines ea demum firma amicitia eſt quam morum ſimilitudo ſociarit, cum tamen paritas voluntatum ſæpe in reprobos tendat affectus: quantum nobis optandum atque nitendum eſt, ut in nullo ab iis, quæ Deo ſunt placita, diſcrepemus? [Pſalm. 29.] De quo dicit Propheta: *Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus:* quia non aliter in nobis erit dignitas divinæ Majeſtatis, niſi imitatio fuerit voluntatis. Dicente itaque Domino: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum ſicut teipſum?* [Matt. 22.] ſuſcipiat fidelis anima Auctoris ſui atque rectoris immarceſcibilem charitatem, totamque ſe etiam ejus ſubjiciat voluntati, in cujus operibus atque judiciis nihil vacat a veritate juſtitiæ, nihil a miſeratione clementiæ. Quoniam etſi magnis quis laboribus & multis fatigetur incommodis, bona eſt illi cauſa tolerandi, qui ſe adverſis vel corrigi intelligit, vel probari. Charitatis vero iſtius pietas perfecta eſſe non [Proximus noſter quis ſit.] poterit, niſi diligatur & proximus. Quo nomine non ii tantum intelligendi ſunt, qui nobis amicitia aut propinquitate junguntur, ſed omnes prorſus homines, cum quibus nobis natura communis eſt, ſive illi hoſtes ſint, ſive ſocii, ſive liberi, ſive ſervi. Unus enim nos Conditor finxit, unus nos Creator animavit: eodem cuncti cœlo & aere, iiſdem utimur die- [Actor. 14.] bus & noctibus. Quumque alii ſint boni, alii mali, alii juſti, alii injuſti; Deus tamen omnibus largitor, omnibus eſt benignus, ſicut Lycaoniis a Paulo, & Barnaba Apoſtolis dicitur de Providentia Dei, qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens eis de cœlo, dans pluviam & tempora fructiſera, & implens cibo & juſtitia corda noſtra. Dedit autem nobis majores diligendi proximum cauſas, Chriſtianæ gratiæ latitudo, quæ ſe per omnes partes totius orbis extendens neminem deſpectat, dum docet neminem negligen- [Matth. 5.] dum. Et merito etiam inimicos diligi, & pro perſe- [Rom. 12.] quutoribus ſibi præcipit ſupplicari, qui ex omnibus quotidie gentibus fractis olivæ ſuæ ramis, germen inſerens oleaſtri, de inimicis reconciliatos, de alienis [Philip. 2.] adoptivos, de impiis facit juſtos, ut omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Cum ergo Deus bonos nos eſſe velit, quia bonus eſt, nihil nobis debet de ejus judiciis diſplicere. Nam non per omnia illi gratias agere, quid eſt aliud, quam ex quadam eum parte reprehendere? Audet plerumque humana inſipientia adverſus creatorem ſuum, non ſolum de inopia, ſed etiam de copia, murmurare: ut & quum aliquid non ſuppetit, quærula, & quum quædam exuberant, [Matth. 9.] ſit ingrata. Multæ meſſis dominus, horreorum ſuo- [Lucæ 16.] rum plenitudinem faſtidivit, & ad copiam vindemiæ affluentis ingemuit: nec de magnitudine fructuum gratulatus, ſed de utilitate conqueſtus eſt. Si autem parcior fuerit in ſuſceptis terra ſeminibus, & caſtigatiore proventu vites, oleæque defluxerint, accuſatur annus, arguuntur elementa, nec aeri parcitur, nec cœlo, quum fideles & pios diſcipulos veritatis nihil magis commendet & muniat, quam perſeverans in Deum indefeſſa laudatio, dicente [1. Theſſ. 5.] Apoſtolo: *Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei eſt in Chriſto Jeſu in omnibus.* Hujus autem devotionis quemadmodum poterimus eſſe participes, niſi rerum varietas conſtantiam mentis exerceat? ut amor directus in Deum, nec inter ſecunda ſuperbiat, nec inter adverſa deficiat. Quod placet Deo, placeat & omnibus nobis, de omni menſura munerum ejus gaudeamus. Qui bene uſus eſt magnis, utatur bene & modicis. Tam nobis copia, quam parcitate conſulitur. Nec in ſpiritalibus lucris anguſtia gravabimur ſfructuum, ſi fœcunditas non areſcat animorum. Oriatur de cordis agro, quod terra non dedit. Semper illi, quod largiatur, occurrit, cui bene velle non deficit. Ad omnia igitur, Dilectiſſimi, opera pietatis, omnium nobis qualitas proſit annorum, ne benevolentiam Chriſtianam difficultas tempo- [4. Reg. 4.] ralis impediat. Novit Dominus vaſa hoſpitali viduæ [Joan. 2.] in opus pietatis ſuæ vacuata complere: novit aquas [Joan. 6.] in vina convertere: novit de paucifſimis panibus quinque millia eſurientium ſaturare populorum. [Tria potiſſimum miſericordiæ opera.] Et ille, qui in ſuis paſcitur, quæ potuit augere dando, poteſt multiplicare ſumendo. Tria vero ſunt, quæ maxime ad religioſas pertinent actiones, oratio ſcilicet, jejunium, & eleemoſyna, quibus exercendis omne quidem tempus acceptum, ſed illud eſt ſtudioſius obſervandum, quod Apoſtolicis accepimus traditionibus conſecratum: ſicut etiam decimus hic menſis morem refert veteris inſtituti, ut tria illa, de quibus locutus ſum, diligentius exequamur. Oratione enim propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiſcentia carnis extinguitur, eleemoſynis peccata re- [Dan. 4.] dimuntur, ſimulque per omnia Dei in nobis imago renovatur, ſi & in laudem ejus ſemper parati, & ad purificationem noſtram ſine ceſſatione ſolliciti, & ad ſuſtentationem proximi indeſinenter ſimus intenti. Hæc triplex obſervantia, Dilectiſſimi, omnium virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imaginem & ſimilitudinem Dei pervenit, & a Spiritu ſancto inſeparabiles facit. Quia in orationibus permanet fides recta, in jejunio innocens vita, in eleemoſynis

Interceſſio Sanctorum.

mens benigna. Quarta igitur & ſexta feria jejunemus. Sabbato autem apud beatiſſimum Apoſtolum Petrum vigilias celebremus: qui & orationes, & jejunia, & eleemoſynas noſtras, precibus ſuis dignabitur adjuvare, per Domioum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & ſancto Spiritu vivit & regnat in ſecula ſæculorum, Amen.

SERMO II.

De Jejunio decimi menſis, & Collectis ejuſdem.

Jejunium menſis Septembris cur inſtitutum, ejuſque efficacia.

QUod temporis ratio & devotionis noſtrę admonet conſuetudo, paſtoralis vobis, dilectiſſimi, ſollicitudine prædicamus, decimi menſis celebrandum eſſe jejunium, pro quo conſummata perceptione omnium fructuum, digniſſime largitori eorum Deo, continentiæ libamen offertur.

Jeiunii efficia.

Quid enim poteſt efficacius eſſe jejunio? Cujus obſervantia appropinquamus Deo, & reſiſtentes diabolo, vitia blanda ſuperamus. Semper virtuti cibus jejunium fuit. De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiſcentiis moritur, virtutibus ſpiritus innovatur. Sed quia non ſolo jejunio animarum noſtrarum ſalus acquiritur, jejunium noſtrum miſericordiis pauperum ſuppleamus. Impendamus virtuti, quod ſubtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abſtinentia jejunantis. Studeamus viduarum defenſioni, pupillorum utilitati, lugentium conſolationi, diſſidentium paci. Suſcipiatur peregrinus, adjuvetur oppreſſus, veſtiatur nudus, foveatur ægrotus, ut quicumqua noſtrorum da juſtis laboribus auctori bonorum omnium Deo ſacrificium hujus pietatis obtulerit, ab eodem regni cœleſtis præmium percipere mereatur. Quarta igitur & ſexta feria jejunemus. Sabbato autem apud beatum Petrum Apoſtolum pariter vigilemus, cujus ſuffragantibus meritis, quæ poſcimus, impetrare poſſimus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & ſancto Spiritu vivit & regnat in ſæcula, &c.

SERMO III.

De Jejunio decimi menſis, & de Eleemoſynis ejuſdem.

Ager dominicus ut fide muniatur, jejuniis exerceatur, eleemoſyna feratur, orationibuſque fecundetur.

IN dominico agro, Dilectiſſimi, cujus operarii ſumus, oportet nos prudenter atque vigilanter ſpiritalem exercere culturam, ut perſeveranti induſtria quæ legitimis temporibus ſunt exequenda curantes, de ſanctorum operum fruge lætemur. Quæ ſi pigro otio & inerti deſidia negligantur, terra noſtra nihil generoſi germinis pariet, & ſpinis ac tribulis ſubdita, non producet quæ condenda ſint horreis, ſed quæ urenda ſint flammis. Ager autem iſte, Dilectiſſimi, rorante deſuper gratia Dei, fide munitur, jejuniis exercetur, eleemoſynis ſeritur, orationibus fœcundatur, ut inter plantationes rigationeſque noſtras, nullius amaritudinis radix pullulet, nec ſe incrementa cujuſque noxiæ ſtirpis attollant; ſed enecato omni ſemine vitiorum, convaleſcat ſeges læta virtutum. Ad quam diligentiam omni quidem nos tempore pietatis magiſter adhortatur; ſed in his diebus, qui huic operi ſunt ſpecialius præſtituti, major animoſitas & cura eſt excitanda ferventior, ne quod pium eſt agere non indictum, impium ſit negligere prædicatum. Decimi itaque menſis jejunium, ad quod charitatem veſtram religioſo propoſito novimus præparatam, unanimiter auxiliante CHRISTO celebrantes, hortamur monentes, ut unuſquiſque ſecuodum menſuram poſſibilitatis quam accepit a Deo, in bonis operibus eniteſcat. Quia & inimici noſtri, qui noſtra ſanctificatione torquentur, in his diebus, quos ad majorem obſervantiam nobis diſpoſitos eſſe noverunt, vehementius ſæviunt, & ſubtiliore inſidiantur aſtutia, ut aliis immittendo metum inopiæ da largitatis expenſis, aliis immittendo triſtitiam de labore jejunii, quamplurimos a conſortio hujus devotionis abducant. Contra quas tentationes, Dilectiſſimi, vigilet in nobis pii cordis intentio, & a Chriſtianis mentibus cogitationes diffidentiæ repellantur. Modicum eſt enim, quod pauperi ſatis eſt. Nec victus illius, nec veſtitus oneroſus eſt. Vile enim eſt, quod eſurit: vile eſt, quod ſitit; & nuditas, quæ indiget operiri, non poſcit ornari. Et tamen Dominus noſter tam pius operum noſtrorum arbiter, tam benignus eſt æſtimator, ut etiam pro calice aquæ frigidæ ſit præmium redditurus. Et quia juſtus inſpector eſt animorum, non impendium ſolum operis, ſed etiam affectum eſt remuneraturus operantis, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Diabolus bene operantibus magis inſidiatur.

SERMO IV.

De Jejunio decimi menſis, & de Eleemoſynis ejuſdem.

Jejunium in utroque Teſtamento obſervatum quid valeat contra peccata.

COnfidenter, vos, Dilectiſſimi, ad opera pietatis hortamur, quia experimentis didicimus libenter vos ſuſcipere, quod monemus. Scitis namque, & Deo docente cognoſcitis, ad æternum vobis gaudium profuturam divinorum obſervantiam mandatorum. In quibus exequendis quia humana fragilitas plerumque laſſeſcit, & in multis per lubricum ſuæ infirmitatis offendit, miſericors & pius Dominus remedia nobis & adjutoria dedit, per quæ veniam obtinere poſſimus: Quis enim tot illecebras mundi, tot inſidias diaboli, tot denique pericula ſuæ mutabilitatis evaderet, niſi clementia æterni regis mallet nos reparare, quam perdere? Nam & qui jam redempti, jam regenerati filii lucis effecti ſunt; quamdiu tamen in hoc mundo, qui totus in maligno poſitus eſt, detinetur: quamdiu infirmitati carnis corruptibilia & temporalia blandiuntur, non poſſunt iſtos dies ſine tentatione tranſire. Nec facile provenit cuiquam tam incrueota victoria, ut inter multos hoſtes frequenteſque conflictus, etiamſi ſit liber a morte, ſit quoque immunis a vulnere. Curandis igitur læſionibus, in quas ſæpe incidunt, qui cum inviſibili hoſte confligunt, trium maxime remediorum eſt adhibenda medicina, in orationis inſtantia, in caſtigatione jejunii, in eleemoſynæ largitate. Quæ cum pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur. Et iis quidem præſidiis ſemper fidelis anima debet accingi; ſed tunc ſtudioſius præparari, cum ii adſunt dies, qui proprie ſunt ad hæc pietatis officia præſtituti. De quorum ordine eſt etiam decimi hujus menſis ſolemne jejunium:

Pugna continua Chriſtianorum. 1. Joan. 5.

quod

Jejunium licet in veteri Teſtamento ſit obſervatum, tamen etiam in novo obſervandum eſt.

quod non ideo negligendum eſt, quia de obſervantia veteris legis aſſumptum eſt, tanquam hoc de illis ſit, quæ inter diſcretiones ciborum, inter baptiſmatum differentias, & avium pecudumque hoſtias eſſe deſtiterunt. Illa enim quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis quæ ſignificaverant, finita ſunt. Jejuniorum vero utilitatem, novi Teſtamenti gratia non removit, & continentiam corpori, atque animæ ſemper profuturam, pia obſervatione ſuſcepit. Quoniam ſicut permanet apud intelligentiam Chriſtianam: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Et: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, & cætera talium mandatorum: ita quod in eiſdem libris de jejuniorum ſanctificatione & curatione præceptum eſt, nulla interpretatione vacuatur. In omni enim tempore, omnique vita hujus ſæculi, jejunia nos contra peccata faciunt fortiores, jejunia concupiſcentias vincunt, tentationes repellunt, ſuperbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt: ſi tamen in ſocietatem ſibi benevolentiam charitatis aſſumant, & in operibus miſericordiæ ſe prudenter exerceant. Jejunium enim ſine eleemoſyna, non tam purgatio animæ, quam carnis afflictio eſt, magiſque ad avaritiam, quam ad continentiam referendum eſt, quando aliquis ſic a cibo abſtinet, ut etiam a pietate abſtineat. Noſtra ergo jejunia, dilectiſſimi, abundent fructibus largitatis, & in pauperes CHRISTI benignis ſint fœcunda muneribus. Nec tardentur in hoc opere mediocres, quia parum ſit, quod poſſint de ſua facultate decerpere. Novit Dominum omnium vires, & ſcit juſtus inſpector, de qua menſura quiſque quid tribuat. Diſſimiles quidem ſubſtantiæ ſimiles erogationes habere non poſſunt. Sed æquatur plerumque merito, quod diſtat impendio. Qui poteſt eſſe par animus, etiam ubi par eſt ſenſus? Hæc itaque ut adjuvante Deo pia devotione curentur, quarta & ſexta feria jejunemus. Sabbato vero apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, cujus orationibus adjuti in omnibus miſericordiam Dei mereamur.

Matth. 4.
Matth. 22.

SERMO V.

De Jejunio decimi menſis, & de Eleemoſynis ejuſdem.

Jejunii & Eleemoſynarum fructus, ac hæreticorum prodigioſa ſervitus.

SUblimitas quidem, dilectiſſimi, gratiæ Dei hoc quotidie operatur in cordibus Chriſtianis, ut omne deſiderium noſtrum a terrenis ad cæleſtia transferatur. Sed & præſens vita per creatoris opem ducitur, & per ipſius providentiam ſuſtinetur: quia idem eſt largitor temporalium, qui promiſſor eſt æternorum. Sicut enim pro ſpe felicitatis, ad quam per fidem currimus, gratias Deo agere debemus, quod ad perceptionem tantæ præparationis evehimur: ita pro iis quoque commodis, quæ ſingulorum annorum revolutione conſequimur, Deus a nobis honorandus atque laudandus eſt, qui ſic terræ fœcunditatem ab initio dedit, ſic pariendorum fructuum leges in quibuſque germinibus & ſeminibus ordinavit, ut nunquam ſua inſtituta deſereret, ſed in rebus conditis benigna conditoris adminiſtratio permaneret. Quicquid ergo ad uſus hominum ſegetes, vineæ, oleæque pepererint, totum hoc e divinæ bonitatis largitate profluxit: quæ elementorum qualitate variata, dubios agricolarum labores clementer adjuvit, ut utilitatibus noſtris venti & imbres, frigora & æſtus, dies noctesque ſervirent: Non enim ſibi ad effectus operum ſuorum humana ratio ſufficeret, niſi plantationibus & rigationibus ſolitis Deus incrementa præberet. Unde plenum pietatis atque juſtitiæ eſt, ut de iis quæ nobis cæleſtis pater miſericorditer contulit, nos quoque alios adjuvemus. Sunt enim plurimi, qui nullam in agris, nullam in vineis, nullam habent in oleis portionem, quorum inopiæ de ea, quam Dominus dedit, copia conſulendum eſt, ut & ipſi nobiſcum Deo pro terræ fœcunditate benedicant, & gaudeant poſſidentibus fuiſſe donata, quæ etiam pauperibus ac peregrinis fuerunt facta communia. Felix eſt illud horreum, & omnium fructuum multiplicatione dignissimum, de quo egentium & debilium ſaturatur eſuries, de quo relevatur peregrini neceſſitas, de quo deſiderium fovetur infirmi. Quos ideo ſub diverſis moleſtiis juſtitia Dei laborare permiſit, ut & miſeros pro patientia, & miſericordes pro benevolentia coronaret. Huic autem operi, dilectiſſimi, cum omnia opportuna ſint tempora, hoc nunc præcipue aptum eſt atque conveniens, in quo ſancti Patres noſtri divinitus inſpirati, decimi menſis ſanxere jejunium, ut omnium fructuum collectione concluſa, rationabilis Deo abſtinentia dicaretur, & meminiſſet quiſque ita uti abundantia, ut & circa ſe abſtinentior, & circa pauperes eſſet effuſior. Efficaciſſima enim pro peccatis deprecatio eſt in eleemoſynis atque jejuniis, & velociter ad divinas conſcendit aures talibus oratio elevata ſuffragiis. Quoniam, ſicut ſcriptum eſt, *animæ ſuæ benefacit vir miſericors*, & nihil uniuſcujuſque tam proprium, quam quod impendit in proximum. Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus miniſtratur, in divitias tranſit æternas; & illæ opes de hac largitate pariuntur, quæ nullo uſu minui, nulla poterunt corruptione violari. Beati autem miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus. & ipſe erit illis ſumma præmii, qui eſt forma præcepti. Inter hæc autem, dilectiſſimi, opera pietatis, quæ nos Deo magis magiſque commendant; dubium non eſt quin hoſtis noſter nocendi cupidus & peritus, acrioribus invidiæ ſtimulis incitetur: ut quos apertis & cruentis perſecutionibus impugnare non ſinitur, ſub falſa Chriſtiani nominis profeſſione corrumpat, habens hæreticos huic operi ſervientes, quos a Catholica fide devios, ſibique ſubjectos, militare in caſtris ſuis ſub diverſis erroribus fecit. Et ſicut decipiendis primis hominibus miniſterium ſibi ſerpentis aſſumpſit: ita horum linguas ad ſeducendos rectorum animos, veneno ſuæ falſitatis armavit. Sed iis inſidiis, dilectiſſimi, paſtorali ſollicitudine, quantum Dominus auxiliatur, occurrimus. Et ne quid de ſancto grege pereat, præcaventes paternis vos denuntiationibus admonemus, ut labia iniqua & linguam doloſam, a quibus animam ſuam Propheta liberari poſtulat, declinetis: quoniam ſermo eorum ſicut ait beatus Apoſtolus, ſerpit ut cancer. Humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. Veniunt enim, ſicut Salvator prædixit, ſub veſtitu ovium, intus autem ſunt lupi rapaces: quia non poſſent veras & ſimplices oves fallere, niſi Chriſti nomine tegerent rabiem beſtialem. In iis autem omnibus operatur, qui cum ſit veræ illuminationis inimicus, in lucis ſe Angelum transfigurat. Hujus arte Baſilides, hujus Marcion callet ingenio, hoc duce agitur Sabellius, hoc præcipitatur rectore Photinus, hujus poteſtati famulatur Arius, hujus ſpiritui ſervit Eunomius. Tota denique

Eleemoſynæ fructus.
Prov. 11.
Matth. 5.
Hæretici miniſtri diaboli.
Geneſ. 3.
Pſalm. 119.
2. Tim. 2.
Matth. 7.
Hæretici mentiuntur ſe Chriſtianos.

beſtiarum talium cohors hoc præſide ab Eccleſiæ unitate diſceſſit, hoc magiſtro a veritate deſcivit. Sed cum in cunctis perverſitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen ſibi in Manichæorum ſtruxit inſania, & latiſſimam in eis aulam in qua ſe exultantius jactaret, invenit, ubi non unius pravitatis ſpeciem, ſed omnium ſimul errorum impietatumque mixturam generaliter poſſideret. Quod enim in paganis profanum, quod in Judæis carnalibus cæcum, quod in ſecretis magicæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæreſibus ſacrilegum atque blaſphemum eſt, hoc in iſtos, quaſi in ſentinam quandam cum omnium ſordium concretione confluxit. Unde univerſas eorum impietates ac turpitudines enarrare, perlongum eſt. Superat enim verborum copiam criminum multitudo, ex quibus ad indicandum pauca ſufficiunt, ut de iis quæ audieritis, etiam illa, quæ verecunde prætermittimus, æſtimetis. De ſacris tamen eorum, quæ apud illos tam obſcœna ſunt, quam nefanda, quod inquiſitioni noſtræ Dominus manifeſtari voluit, non tacemus, ne quiſquam putet nos de hac re, dubiæ famæ & incertis opinionibus credidiſſe. Reſidentibus itaque mecum Epiſcopis ac Presbyteris, ac in eundem conſeſſum Chriſtianis viris ac nobilibus congregatis, electos & electas eorum juſſimus præſentari. Qui quum de perverſitate dogmatis ſui, & de feſtivitatum ſuarum conſuetudine multa reſerarent, illud quoque ſcelus, quod eloqui verecundum eſt, prodiderunt, quod tanta diligentia inveſtigatum eſt, ut nihil minus credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes perſonæ, per quas infandum facinus fuerat perpetratum, puella ſcilicet ut multum decennis, & duæ mulieres, quæ ipſam nutrierant, & huic ſceleri præpararant. Præſto erat etiam adoleſcentulus viciator puellæ, & Epiſcopus ipſorum deteſtandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum & una confeſſio, & patefactum eſt execratum, quod aures noſtræ vix ferre potuerunt. De quo ne apertius loquentes caſtos offendamus auditus, geſtorum documenta ſufficiunt: quibus pleniſſime docetur nullam in hac ſecta pudicitiam, nullam honeſtatem, nullam penitus reperiri caſtitatem, in qua lex eſt mendacium, diabolus religio, ſacrificium turpitudo. Hos itaque homines, dilectiſſimi, per omnia execrabiles atque peſtiferos quos aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia veſtra penitus abdicate, voſque præcipue mulieres a talium notitia & colloquiis abſtinete: ne dum fabuloſis narrationibus incautus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis. Qui ſciens, quod primum virum mulieris ore ſeduxerit, perque femineam credulitatem omnes homines a Paradiſi felicitate dejecerit, veſtro nunc quoque ſexui ſecuriore inſidiatur aſtutia, ut eas, quas ſibi potuerit per miniſtros ſuæ falſitatis illicere, & fide ſpoliet, & pudore. Illud quoque vos, dilectiſſimi, obſecrans moneo, ut ſi cui veſtrum innotuerit, ubi habitent, ubi doceant, quos frequentent & in quorum ſocietate requieſcant, noſtræ ſollicitudini fideliter indicetis: quia parum prodeſt unicuique, quod protegente Spiritu ſancto ab iſtis ipſe non capitur, ſi cum alios capi intelligit, ipſe non movetur. Contra communes hoſtes pro ſalute communi, una communis debet eſſe vigilantia, ne de alicujus membri vulnere etiam alia poſſint membra corrumpi: & qui tales non prodendos putant, in judicio Chriſti invenientur rei de ſilentio, etiamſi non contaminentur aſſenſu. Aſſumite igitur religioſæ ſollicitudinis pium zelum, & contra ſæviſſimos animarum hoſtes, omnium Fidelium cura conſurgat. Ideo enim miſericors Deus quandam nobis partem prodidit hominum noxiorum, ut manifeſtato periculo, excitaretur diligentia cautionis. Non ſufficiat, quod actum eſt, ſed eadem inquiſitio perſeveret: quæ hoc auxiliante Deo, conſequitur, ut non ſolum, qui recti ſunt, incolumes perſeverent; ſed etiam multi, qui diabolica ſeductione decepti ſunt, ab errore revocentur. Veſtræ autem orationes & eleemoſynæ atque jejunia, miſericordi Deo per hanc ipſam devotionem ſacratius * afferentur: cum etiam hoc opus fidei ad omnia officia pietatis acceſſerit. Quarta igitur & ſexta feria jejunemus: Sabbato autem apud præſentem beatiſſimum Apoſtolum Petrum vigilias celebremus. Qui ſicut experimur & credimus, pro commendatis ſibi a Domino ovibus indeſinenter paſtorales prætendit excubias exoraturus deprecationibus ſuis, ut Eccleſia Dei, quæ ipſius eſt prædicationibus inſtituta, ab omni errore ſit libera: per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Manichæorum impietas.

Manichæorum ſacrificia.

Hæretici prodendi ſunt.

* *offerentur.*

Interceſſio ſanctorum.

SERMO VI.

De Jejunio decimi menſis, & de miſericordiæ operibus.

Morbus avaritiæ quis, & fructus Eleemoſynarum ac jejuniorum Chriſtianorum.

EVangelicis ſanctionibus, dilectiſſimi, multum * auctoritatis præbet doctrina legalis, cum quædam de mandato veteri ad novam obſervantiam transferunt: & ex ipſa Eccleſiaſtica devotione demonſtratur, quod Dominus Jeſus Chriſtus non venit legem ſolvere, ſed adimplere. Ceſſantibus enim ſignificationibus, quibus Salvatoris noſtri nuntiabatur adventus, & peractis figuris quas abſtulit ipſa præſentia veritatis, ea quæ vel ad regulas morum, vel ad ſimplicem Dei cultum ratio pietatis inſtituit, in eadem apud nos forma, in qua ſunt condita, perſeverant: & quæ utrique Teſtamento erant congrua, nulla ſunt commutatione variata. Ex iis autem eſt etiam decimi menſis ſolemne jejunium, quod a nobis nunc annua eſt conſuetudine celebrandum: quia plenum juſtitiæ eſt atque pietatis, gratias divinæ agere largitati pro fructibus, quos in uſus hominum ſecundum ſummæ providentiæ temperamentum terra produxit. Quod ut prompto animo nos facere monſtremus, non ſolum continentiam jejunii, ſed etiam eleemoſynarum curam oportet aſſumi: ut de terra quoque cordis noſtri, germen juſtitiæ, & fructus charitatis oriatur, & miſericordiam Dei, pauperum ipſius miſerendo mereamur. Efficaciſſima enim eſt ad exorandum Deum poſtulatio, cui pietatis opera ſuffragantur: quoniam qui ſuum ab inope non avertit animum, cito ad ſe Domini convertit auxilium, dicente Domino: *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt. Dimittite, & dimittetur vobis.* Quid hac juſtitia benignius? Quid hac retributione clementius, ubi ſententia judicaturi in poteſtate ponitur judicandi? *Date*, inquit, *& dabitur vobis.* Quam cito diffidentiæ ſollicitudo, avaritiæ eſt amputata cunctatio: ut quod reddituram ſe promittit veritas, ſecura expendat * humilitas? Conſtans eſto, Chriſtiane largitor, da quod accipias: ſere quod metas, ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium, noli de dubio ſuſpirare proventu. Subſtantia tua cum bene erogatur, augetur, & concupiſcere juſtum mi-

Cap. 7. * *Utilitas.*

Matth. 5. Vetus lex in nova impletur.

Lucæ 6. Eleemoſynarum utilitas.

* *humanitas.*

Cap. II.

miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari
commercium. Munerator tuus vult te eſſe munifi-
cum, & qui dat, ut habeas, mandat ut tribuas di-
Luc. 6. cens: *Date & dabitur vobis*. Amplectenda eſt tibi
promiſſionis iſtius gratulanda conditio. Quamvis
enim non habeas niſi quod acceperis: non potes ta-
1. Cor. 4. men non habere, quod dederis. Qui ergo pecunias
amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat
augmentis, hoc potius ſanctum fœnus exerceat, &
hac uſurarum arte diteſcat, ut non hominum labo-
rantium captet neceſſitates, ne per doloſa officia in
laqueos incidat inſolubilium debitorum; ſed illius
ſit creditor, illius fœnerator, qui dicit: *Date, &
dabitur vobis, & qua menſura menſi fueritis, eadem
remetietur vobis*. Infidelis autem & iniquus eſt
etiam, qui ſibi quod æſtimat diligendum, non vult
habere perpetuum. Quantalibet adjiciat, quantali-
bet condat & congerat, inops de hoc mundo & ege-
Pſalm. 48. nus abſcedet, dicente David Propheta, *Quoniam
cum interierit, non accipiet omnia, neque deſcendet
cum eo gloria ejus*. Qui ſi benignus eſſet animæ ſuæ,
illi bona ſua crederet, qui & idoneus fidejuſſor eſt
pauperum, & largiſſimus redditor uſurarum. Sed
Avaritiæ morbus. injuſta & impudens avaritia, quæ beneficium ſe di-
cit præſtare, eum decipit, non credit Deo veraci-
ter promittenti, & credit homini trepide paciſcen-
ti: dumque certiora exiſtimat præſentia quam futu-
ra, merito in hoc frequenter incurrit, ut ei cupidi-
Cap. III. Fœneratoris malum. tas injuſti lucri, non injuſti cauſa ſit damni. Unde
quilibet ſequatur eventus, mala ſemper eſt ratio fœ-
nerantis, cui pecuniam & minuiſſe & auxiſſe pecca-
tum eſt: ut aut miſer ſit amittendo quod dedit, aut
miſerior accipiendo quod non dedit. Fugienda
prorſus eſt iniquitas fœnoris: & lucrum, quod
omni caret humanitate, vitandum eſt. Multiplica-
tur quidem facultas injuſtis & triſtibus incrementis,
ſed mentis ſubſtantia contabeſcit: quoniam fœnus
pecuniæ, funus eſt animæ. Quid enim de hujuſmo-
di hominibus ſentiat Deus, ſacratiſſimus Propheta
Pſalm. 15. David manifeſtat. Qui cum diceret, *Domine, quis
habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in
monte ſancto tuo?* reſponſo divinæ vocis inſtruitur,
& eum ad æternam requiem pertinere cognoſcit, qui
inter alia, quæ converſationis regulas faciunt, pecu-
niam ſuam non dedit ad uſuram: & a tabernaculo
Dei oſtenditur alienus, & a ſancto monte ejus ex-
traneus, qui doloſum quæſtum de pecuniæ ſuæ ca-
ptat uſuris: & dum per aliena cupit damna ditari,
Cap. IV. æterna dignus eſt egeſtate puniri. Vos itaque, dile-
ctiſſimi, qui ex toto corde promiſſionibus Domini
credidiſtis, fugientes avaritiæ lepram immundiſſi-
mam, donis Dei pie & ſapienter utimini. Et quo-
niam de ipſius largitate gaudetis, date operam ut
poſſitis gaudiorum veſtrorum habere conſortes.
Multis enim, quæ vobis ſuppetunt, deſunt: & in
quorumdam indigentia, materia vobis data eſt divi-
næ bonitatis imitandæ: ut per vos etiam in alios be-
neficia divina tranſirent & bene diſpenſantes tempo-
ralia, acquireretis æterna. Quarta igitur & ſexta
Feria jejunemus: Sabbato autem apud beatiſſimum
Petrum Apoſtolum vigilemus, cujus orationibus
nobis per omnia obtineatur divina protectio, per
Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

SERMO VII.

De Jejunio decimi menſis, & Eleemoſynis.

*Ut homo Chriſtianus impugnetur aſſidue, quæque
ſint piis arma contra inviſibiles hoſtes.*

PRæſidia militiæ Chriſtianæ, dilectiſſimi, ſan-
ctificandis mentibus noſtris atque corporibus
divinitus inſtituta, ideo cum dierum temporumque
curriculis ſine ceſſatione reparantur: ut infirmita-
tum noſtrarum ipſa nos medicina commoveat. Na- Naturæ humanæ infirmitas.
tura quippe mutabilis & de peccati labe morta-
lis, licet etiam jam redempta, & ſacro Baptiſmate
ſit renata, in quantum eſt paſſibilis, in tantum eſt ad
deteriora proclivis, corrumpereturque carnali deſi-
derio, niſi ſpiritali muniretur auxilio, quia ſicut illi
nunquam deeſt, unde corruat: ita ſemper præſto eſt,
unde ſubſiſtat, dicente Apoſtolo, *Fidelis enim Deus,
qui vos non patietur tentari ſupra id quod poteſtis, ſed
faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*.
Quamvis ergo Dominus protegat bellatores, & mi- 1. Cor. 10.
lites ſuos ille, qui potens eſt in prælio, cohortetur &
dicat, *Nolite timere, quia ego vici mundum*: ſciendum
tamen eſt, dilectiſſimi, hoc incitamento formidinem Pſalm. 23.
ſublatam eſſe, non pugnam, & retuſo aculeo timo- Joan. 16.
ris, cauſam manere certaminis: quod ab hoſte ver- Pugnandum homini continue.
ſuto, terribiliter quidem furore perſecutionis mo-
vetur, ſed innocentibus ſpecie pacis infertur. Ubi
enim in aperto ſunt pugnæ, in manifeſto ſunt &
coronæ. Et hoc ipſum alit atque accendit patientiæ
fortitudinem: quod ſicut proxima eſt tribulatio, ita
eſt & vicina promiſſio. Ceſſantibus vero publicis Cap. I.
impugnationibus impiorum, & a cædibus ac ſup-
pliciis Fidelium diabolo continente, ne pertinacia
crudelitatum, multiplicatio noſtrorum fieret trium-
phorum, fremit adverſarius, & cruentas inimici-
tias ad quietas convertit inſidias: ut quos vincere
fame & gelu, flammis ferroque non poterat, otio ta-
beſaceret, cupiditatibus irretiret, ambitione infla-
ret, voluptate corrumperet. Sed iis malis atque aliis
omnibus deſtruendis habet acies Chriſtiana poten-
tes munitiones & arma victricia, Deo ſcilicet in-
ſtruente milites ſuos, ut ſpiritu veritatis, manſue-
tudo iram, largitas avaritiam, benignitas extinguat
invidiam. Commutante enim dextera Excelſi cor- Arma Chriſtianorum.
da multorum, reddit in novitatem vetuſtas, & de fa-
mulis iniquitatis miniſtri prodiere juſtitiæ. Subegit
luxuriam continentia, humilitas arrogantiam pro-
pulſavit; & qui impudicitia ſorduerant, caſtitate
nituerunt. His autem converſionibus, dilectiſſimi,
providente gratia Dei, addita ſunt ſancta jejunia,
quæ in quibuſdam diebus ab univerſa Eccleſia de-
votionem obſervantiæ generalis exigerent. Quam-
vis enim pulchrum ſit atque laudabile, ut ſingula
quæque membra corporis Chriſti propriis ornen-
tur officiis; excellentioris tamen eſt actionis ſacra-
tioriſque virtutis, cum in unum propoſitum piæ
plebis corda concurrunt; ut ille cui ſanctificatio
noſtra ſupplicium eſt, non ſolum a parte, ſed etiam a
ſoliditate ſuperetur. Cui nunc operi, dilectiſſimi, de-
cimus menſis offertur, admonens quodammodo pro
qualitate temporis ſui, ne quiſquam frigore infide-
litatis obtorpeat, ſed potius charitatis ſpiritu conca-
leſcat. Quoniam & per ipſa elementa mundi, tan-
quam per publicas paginas, ſignificationem divinæ
voluntatis accipimus: nec unquam ceſſat ſuperna
eruditio, quando etiam de iis quæ nobis famulan-
tur, imbuimur. Præter illam namque Apoſtolicam Matth. 3.

ſententiam, qua homines fructu pietatis carentes, vacuis arboribus comparantur, etiam illa ficus nobis cavenda eſt de ſuæ infœcunditatis exemplo, quam Dominus Jeſus, ſicut Evangelium refert, nihil habentem, quod eſuriens ſumeret, perpetua ſterilitate damnavit: ut intelligeremus, quoniam qui eſurientem non refovet egenum, illi denegat cibum, qui quod pauperi eſt datum, ſibi dixit impenſum. Et hujus maledictionis arbores erunt, quibus a judicante dicetur: *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo, & Angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare. Sitivi, & non dediſtis mihi bibere*, &c. Quæ ideo ſingula recoluntur, ut advertamus non futurum extra miſericordiam, qui vel partem horum operum fuerit executus. Anima autem neminem juvans, erit arbor non habens poma cum totius fructu pietatis invenietur aliena. Decimi ergo menſis jejunium, quod hyemalis eſt temporis, ad agriculturam nos myſticam vocat: qua ſegetum & palmitum atque arborum vires, quibus humana ſuſtentatur infirmitas, ſpiritalibus ſtudiis excolantur: ut Dominicus ager ſuis ditetur impendiis, & quem nunquam expedit eſſe ſine fructu, de propria fiat ubertate fœcundior. Quod utique intelligit ſanctitas veſtra, ad totius Eccleſiæ profectum eſſe referendum: quorum in fide germen eſt, in ſpe incrementum, in charitate maturitas: quia caſtigatio corporis, & inſtantia orationis tunc veram obtinent puritatem, cum eleemoſynarum ſanctificatione niteſcunt, dicente Domino: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. Quarta igitur & ſexta Feria jejunemus: Sabbato autem apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, ipſo præſtante & adjuvante, qui cum Patre & ſanto Spiritu vivit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Matth. 26.
Pœna eorum qui eleemoſynas non fecerunt.
Matth. 25.
Lucæ 13.

SERMO VIII.

De Jejunio decimi menſis, & Eleemoſynis.

Jejuniorum Chriſtianorum tempora quæ ſint, deque duplici jejunio.

Cap. I.

CUm de adventu regni Dei, & de mundi fine ac temporum, Diſcipulos ſuos Salvator inſtrueret, totamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret; *Cavete*, inquit, *ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & cogitationibus ſæcularibus*. Quod utique præceptum, dilectiſſimi, ad nos ſpecialius pertinere cognoſcimus: quibus denunciatus dies, etiamſi eſt occultus, non dubitatur eſſe vicinus. Ad cujus adventum omnem hominem convenit præparari: ne quem aut ventri deditum, aut curis ſæcularibus inveniat implicatum. Quotidiano enim, dilectiſſimi, experimento probatur, potus ſatietate aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis hebetari; ita ut delectatio edendi, etiam corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri, ſubtrahat voluptati. Quamvis enim ſine anima nihil caro deſideret, & inde accipiat ſenſus, unde ſumit & motus; ejuſdem tamen eſt animæ, quædam ſibi ſubditæ negare ſubſtantiæ, & interiori judicio, ab inconvenientibus exteriora frænare, ut a corporeis cupiditatibus ſæpius libera, in aula mentis poſſit divinæ vacare ſapientiæ, ubi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum, in meditationibus ſanctis, & in deliciis lætetur æternis. Quod ſi in hac vita difficile eſt continuari, poteſt tamen frequenter adſumi: ut ſæpius ac diutius ſpiritualibus potius quam carnalibus occupemur. Et cum melioribus curis majores impendimus moras, ad incorruptibiles divitias, etiam temporales tranſeunt actiones. Hujus obſervantiæ utilitas, dilectiſſimi, in Eccleſiaſticis præcipue eſt conſtituta jejuniis, quæ ex doctrina ſancti Spiritus, ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem jejunium vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc qui eſt decimus, celebramus, intelligentes divinis nihil vacuum eſſe præceptis & verbo Dei ad eruditionem noſtram omnia elementa ſervire: dum per ipſius mundi cardines, quaſi per quatuor Evangelia, inceſſabiliter diſcimus, quod & prædicemus & agamus. Dicente enim Propheta: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*: quid eſt per quod veritas nobis non loquitur? Ipſius voces in die, ipſius audiuntur in nocte. Et pulchritudo rerum unius Dei opificio conditarum non deſinit cordis auribus magiſtram inſinuare rationem: ut inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur, & non creaturis, ſed creatori omnium ſerviatur. Cum ergo univerſa vitia per continentiam deſtruantur, & quicquid avaritia ſitit, quicquid ſuperbia ambit, quicquid luxuria concupiſcit, hujus virtutis ſoliditate ſuperetur: quis non intelligat, quantum nobis per jejunia conferatur? in quibus indicitur, ut non ſolum a cibis, ſed etiam ab omnibus carnalibus deſideriis temperetur. Alioqui ſuperfluum eſt ſuſcipere eſuriem, & iniquam non deponere voluntatem: reciſo affligi cibo, & a concepto non deſinere peccato. Carnale eſt, non ſpiritale jejunium, ubi ſoli corpori non parcitur: & in iis, quæ omnibus deliciis nocentiora ſunt, permanetur. Quid prodeſt animæ foris agere quaſi dominam, & intus ſervire captivam? membris propriis imperare, & jus proprię libertatis amittere? Et merito plerumque patitur famulam rebellantem, quæ non reddit Domino debitam ſervitutem. Jejunans ergo corpus ab eſcis, mens jejunet a vitiis, & curas cupiditateſque terrenas, Regis ſui lege dijudicet. Meminerit primam dilectionem Deo, ſecundam deberi proximo, omneſque affectus ſuos hac regula dirigendos: ut nec a cultu recedat Domini, nec ab utilitate conſervi. Quomodo autem Deus colitur, niſi ut quod ipſi placet, placeat & nobis? Nec ab ejus imperio noſter unquam reſultet affectus; quoniam ſi hoc, quod ille vult, volumus, ab illo ſumet infirmitas noſtra virtutem, a quo ipſam accepimus voluntatem. Deus eſt enim, ſicut ait Apoſtolus, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Nec ſuperbia denique homo inflabitur, nec deſperatione frangetur: ſi bonis divinitus datis, in gloriam datis utatur, & ab iis deſideria ſua revocet, quæ ſibi nocitura cognoſcit. Abſtinens enim ab invidiæ malignitate, a luxuriæ diſſolutione, a perturbatione iracundiæ, a cupiditate vindictæ, purificabitur veri ſanctificatione jejunii; & incorruptibilium deliciarum voluptate paſcetur, ut per uſum ſpiritalem etiam terrenas copias in cœleſtem noverit transferre ſubſtantiam, non ſibi condendo, quæ acceperit, ſed magis magiſque multiplicando quod dederit. Unde paternæ charitatis affectu dilectionem veſtram monemus, ut jejunium decimi menſis fructuoſum vobis eleemoſynarum largitate faciatis, gaudente quod per vos Dominus pauperes ſuos paſcit & veſtit. Quibus utique poſſet eas, quas vobis contulit,

tri-

Lucæ 21.
Intemperantiæ malum.
Animæ corpus debet eſſe ſubjectum.
Cap. II.
Jejunii tempora ab Eccleſia per totum annum deſcripta.
Quadrageſimæ obſervatio.
Pſalm. 18.
Rom. 1.
Jejunii utilitas.
Jejunium corporale abſque ſpiritali non prodeſt.
Cap. III.
Philip. 2.

tribuere facultates: niſi pro ineffabili miſericordia ſua & illos juſtificare vellet de patientia laboris, & vos de opere charitatis. Quarta igitur & ſexta Feria jejunemus: Sabbato autem apud beatiſſimum Apoſtolum Petrum vigilias celebremus, qui & orationes, & jejunia, & eleemoſynas noſtras, precibus ſuis dignabitur adjuvare, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & ſancto Spiritu vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

IN SOLEMNITATE NATIVITATIS Domini JESU CHRISTI.

SERMO PRIMUS.

De lætitia in hac ſolemnitate habenda, & quid Chriſtus ſua nativitate nobis attulerit.

Cap. 1.

Incarnationis myſterium.

SAlvator noſter, dilectiſſimi, hodie natus eſt, gaudeamus. Neque enim fas eſt locum eſſe triſtitiæ, ubi natalis eſt vitæ, quæ conſumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promiſſa æternitate lætitiam. Nemo ab hujus alacritatis participatione ſecernitur. Una cunctis lætitiæ communis eſt ratio, quia Dominus noſter peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exultet Sanctus, quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam. Animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque filius ſecundum plenitudinem temporis, quam divini conſilii inſcrutabilis altitudo diſpoſuit, reconciliandam autori ſuo naturam generis adſumpſit humani: ut inventor mortis diabolus per ipſam, quam vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis jure certatum eſt, dum omnipotens Dominus cum ſæviſſimo hoſte, non in ſua majeſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate: objiciens ei eandem formam, eandemque naturam, mortalitatis quidem noſtræ participem; ſed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac nativitate eſt, quod de omnibus legitur, *Nemo mundus a ſorde, ne infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram.* Nihil ergo in iſtam ſingularem nativitatem de carnis concupiſcentia tranſivit, nihil de peccati lege manavit. Virgo regia Davidicæ ſtirpis eligitur quæ ſacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore. Et ne ſuperni ignara conſilii, ad inuſitatos paveret * affatus: quod in ea optandum erat a Spiritu ſancto, colloquio diſcit angelico. Nec damnum credit pudoris, Dei genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate deſperet, cui efficientia de Altiſſimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam præ cunctis atteſtatione miraculi, donaturque Eliſabeth inopinata fœcunditas: ut qui conceptum dederat ſterili, daturus non dubitaretur & Virgini. Verbum igitur Dei Deus, Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte, factus eſt homo: ita ſe ad ſuſceptionem humilitatis noſtræ ſine diminutione ſuæ majeſtatis inclinans, ut manens quod erat, aſſumenſque quod non erat, veram ſervi formam ei formæ, in qua Deo Patri eſt æqualis, uniret: & tanto fœdere naturam utramque conſereret, ut nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Salva igitur proprietate utriuſque ſubſtantiæ, & in unam coeunte perſonam, ſuſcipitur a majeſtate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad rependendum noſtræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ eſt unita paſſibili, Deuſque verus & homo verus in unitatem Domini temperatur, ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem Dei hominumque mediator, & mori poſſet ex uno, & reſurgere poſſet ex altero. Merito igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus ſalutis: quia cuſtodia fuit pudoris, editio veritatis. Talis igitur, dilectiſſimi, nativitas decuit Dei virtutem & Dei ſapientiam Chriſtum: qua nobis & humilitate congrueret, & divinitate præcelleret. Niſi enim eſſet Deus verus, non adferret remedium: niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum. Ab exultantibus ergo Angelis naſcente Domino gloria in excelſis Deo canitur: & pax in terra bonæ voluntatis hominibus nunciatur. Videot enim cœleſtem Jeruſalem ex omnibus mundi gentibus fabricari: de quo inenarrabili divinæ pietatis opere, quantum lætari debet humilitas hominum, quum tantum gaudeat ſublimitas Angelorum! Agamus ergo, dilectiſſimi, gratias Deo Patri per Filium ejus in Spiritu ſancto, qui propter multam charitatem ſuam, qua dilexit nos, miſertus eſt noſtri: & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto, ut eſſemus in ipſo nova creatura, novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus ſuis: & adepti participationem generationis Chriſti, carnis renunciemus operibus. Agnoſce, o Chriſtiane, dignitatem tuam: & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento, cujus capitis & cujus corporis ſis membrum. Reminiſcere, quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. Per Baptiſmatis ſacramentum Spiritus ſancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, & diaboli te iterum ſubjicere ſervituti: quia pretium tuum ſanguis eſt Chriſti, qui in veritate te judicabit, * qui in miſericordia te redemit, Qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Margin notes, left column: Job. 16. ſecundum 70. — Maria prius mente Deum concepit quam corpore. — * affectus. — Cap. 11. Joan. 1. — Philip. 2.

Margin notes, right column: Mediator Dei & hominum Chriſtus. 1. Tim. 2. — 1. Cor. 1. — Lucæ 2. — Cap. 11. Epheſ. 2. — Epheſ. 4. Coloſ. 3. — * qui miſericorditer.

SERMO II.

In eadem ſolemnitate.

Nativitatis Chriſti quæ neceſſitas, qualitas, & utilitas.

Cap. 2.

EXultemus in Domino, dilectiſſimi, & ſpiritali jucunditate lætemur: quia illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Reparatur enim nobis ſalutis noſtræ annua revolutione ſacramentum, ab initio promiſſum, in fine redditum, ſine fine manſurum. In quo dignum eſt nos erectis ſurſum cordibus divinum adorare myſterium: ut quod magno Dei munere agitur, magnis Eccleſiæ gaudiis celebretur. Deus enim omnipotens & clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, ſtatim ut nos diabolica malignitas veneno ſuæ mortificavit invidiæ, prædeſtinata renovandis mortalibus ſuæ pietatis remedia inter ipſa mundi primordia præſignavit: denuncians ſerpenti futurum ſemen mulieris, quod noxii capitis Geneſ. 3.

ela-

Chriſti in carne venturi promiſſio.

elationem ſua virtute contereret, Chriſtum ſcilicet in carne venturum hominemque ſignans, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem ſua fraude deceptum divinis caruiſſe muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis ſubiiſſe ſententiam, ſeque in malis ſuis quoddam de prævaricatoris conſortio inveniſſe ſolatium: Deum quoque juſte, ſeveritatis exigente ratinne, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutaſſe ſententiam: opus fuit, dilectiſſimi, ſecreti diſpenſatione conſilii, ut incommutabilis Deus (cujus voluntas non poteſt ſua benignitate privari) primam pietatis ſuæ diſpoſitionem, ſacramentò occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis verſutia actus in culpam, contra Dei propoſitum non periret.

Incarnationis neceſſitas.

Cap. II. Advenientibus ergo temporibus, dilectiſſimi, quæ redemptioni hominum fuerant præſtituta, ingreditur hæc infirma Jeſus Chriſtus Dominus noſter, de cœleſti ſede deſcendens, & a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia inviſibilis in ſuis, viſibilis factus eſt in noſtris: Incomprehenſibilis voluit comprehendi: Ante tempora manens, eſſe cœpit ex tempore: Univerſitatis Dominus ſervilem formam obumbrata majeſtatis ſuæ dignitate ſuſcepit: Impaſſibilis Deus non dedignatus eſt homo eſſe paſſibilis, & immortalis, mortis legibus ſubjacere. Nova autem nativitate genitus eſt, conceptus a virgine, natus ex virgine, ſine paternæ carnis concupiſcentia, ſine maternæ integritatis injuria: quia futurum hominem Salvatorem talis ortus decebat, qui & in ſe haberet humanæ ſubſtantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta neſciret. Auctor enim in carne naſcens, Deus eſt, teſtante Archangelo ad beatam Virginem Mariam: Quia *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*. Origo diſſimilis, ſed natura conſimilis: humano uſu & conſuetudine, quod credimus, caret, ſed divina poteſtate ſubnixum eſt, quod virgo conceperit, qund virgo pepererit, & virgo permanſerit. Non hic cogitetur parientis conditio, ſed naſcentis arbitrium: qui ſic homo natus eſt, ut volebat & poterat. Si veritatem quæris, humanæ naturæ cognoſce materiam: ſi rationem ſcrutaris originis, virtutem confitere divinam. Venit enim Dominus Jeſus Chriſtus contagia noſtra auferre, nnn perpeti: nec ſuccumbere vitiis, ſed mederi. Venit, ut omnem languorem corruptionis & univerſa vulnera ſordentium curaret animarum, propter quod oportuit, ut novo naſceretur ordine, qui novam impollutæ ſinceritatis gratiam humanis corporibus inſerebat. Oportuit enim ut primam genitricis integritatem naſcens incorruptio cuſtodiret, & complacitum ſibi clauſtrum pudoris & ſanctitatis hoſpitium, divini Spiritus virtus infuſa ſervaret, quæ ſtatuerat dejecta erigere, confracta ſolidare & ſuperandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiæ donare virtutem: ut virginitas, quæ in aliis non poterat ſalva eſſe generando, fieret in aliis imitabilis conſitendo, renaſcendo.

Luc. 1.

Partus divini qualitas.

Cap. III.

Hoc ipſum autem, dilectiſſimi, quod Chriſtus naſci elegit ex Virgine: nonne apparet altiſſimæ fuiſſe rationis? ut ſcilicet humano generi natam ſalutem diabolus ignoraret, & ſpiritali latente conceptu, quem non alium videret, quam alios, non aliter crederet natum eſſe quam cæteros. Cujus enim ſimilem cum univerſis advertit naturam, parem habere arbitratus eſt cum omnibus cauſam. Nec intellexit a tranſgreſſionis vinculis liberum, quem ab infirmitate mortalitatis non invenit alienum. Verax namque miſericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiæ: ſed ratione juſtitiæ. Nam ſuperbia hoſtis antiqui non immerito ſibi in omnes homines jus tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat: quos a mandato Dei ſpontaneos in obſequium ſuæ voluntatis illexerat. Non itaque juſte amitteret originalem dedititii generis ſervitutem, niſi de eo quod ſubegerat, vinceretur. Quod ut fieret, ſine virili ſemine editus eſt Chriſtus ex Virgine, quam non humanus coitus, ſed Spiritus ſanctus fœcundavit. Et cum omnibus matribus non fiat ſine peccati ſorde conceptio: hæc inde purgationem traxit, unde concepit. Quo enim paterni ſeminis transfuſio non pervenit, peccati ſe illic rubigo non miſcuit. Inviolata virginitas concupiſcentiam neſcivit, ſubſtantiam miniſtravit. Aſſumpta eſt de matre hominis natura, non culpa: creata eſt forma ſervi ſine conditione virili, quia novus homo ſic contemperatus eſt veteri, ut & veritatem ſuſciperet generis, & vitium excluderet vetuſtatis. Quum igitur miſericors omnipotenſque Salvator ita ſuſceptionis humanæ moderaretur exordia, ut virtutem inſeparabilis a ſuo homine deitatis, per velamen noſtræ infirmitatis abſconderet, illuſa eſt ſecuri hoſtis aſtutia, qui nativitatem pueri in ſalutem generis humani procreati, non aliter ſibi, quam omnium naſcentium putavit obnoxiam. Vidit enim vagientem atque lachrymantem, vidit pannis involutum, circumciſioni ſubditum, & legalis ſacrificii oblatione perfectum. Agnovit deinceps ſolita pueritiæ incrementa, & uſque in viriles annos de naturalibus non dubitavit augmentis. Inter hæc intulit contumelias, multiplicavit injurias, adhibuit maledicta, opprobria, blaſphemias, convitia: omnem poſtremo in ipſum vim furoris ſui effudit. Omnia tentamentorum genera percurrit, & ſciens quo humanam naturam infeciſſet veneno, nequaquam credidit primæ tranſgreſſionis exortem, quem tot documentis didicit eſſe mortalem. Perſtitit ergo improbus prædo & avarus exactor in eum, qui nihil ipſius habebat, inſurgere: & dum vitiatæ originis præjudicium generale perſequitur chirographum, quo nitebatur, *excidit ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Solvitur itaque lethiferæ pactionis male ſuaſa conſcriptio, & per juſtitiam plus petendi, totius debiti ſumma vacuatur. Fortis ille nectitur ſuis vinculis, & omne commentum maligni in caput ipſius retorquetur. Ligato mihi principe, captivitatis vaſa rapiuntur. Redit in honorem ſuum ab antiquis contagiis purgata natura: mors morte deſtruitur, nativitas nativitate reparatur, quoniam ſimul & redemptio aufert ſervitutem, & regeneratio mutat originem, & fides juſtificat peccatorem. Quiſquis igitur Chriſtiano nomine pie & fideliter gloriaris, reconciliationis hujus gratiam juſto perpende judicio. Tibi enim quondam abjecto, tibi extruſo a paradiſi ſedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in pulverem & cinerem diſſoluto, cui jam non erat ſpes ulla vivendi: per Incarnationem Verbi poteſtas data eſt, ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, recognoſcas parentem, liber efficiaris ex ſervo, de extraneo proveharis in filium; ut qui ex incorruptibili carne natos es, ex Dei ſpiritu renaſcaris, & obtineas per gratiam, quod non ha-

Diaboli tyrannis juſte deſtructa.

Cap. IV.

Luc. 2.

Excedit.

Cap. V.

Digitized by Google

habebas per naturam: ut ſi Dei Filium per ſpiritum adoptionis agnoveris, Deum Patrem audeas nuncupare. Malæ conſcientiæ reatu abſolutus, ad

Humana natura per Chriſtum ſublimata.

cæleſtia regna ſuſpires: voluntatem Dei facias divino fultus auxilio: imiteris Angelos ſuper terram: immortalitatis ſubſtantiæ virtute paſcaris, ſecurus adverſus inimicas tentationes pro pietate confligas, & ſi cæleſtis militiæ ſacramenta ſervaveris, non dubites te in caſtris triumphalibus regis æterni pro victoria coronandum; cum te reſurrectio Piis parata ſuſceperit in regni cæleſtis conſortium provehendum.

Cap. v.

Habentes ergo tantæ ſpei fiduciam, dilectiſſimi, in fide, qua fundati eſtis, ſtabiles permanete, ne idem ille tentator, cujus jam a vobis dominationem Chriſtus excluſit, aliquibus vos iterum ſeducat inſidiis, & hæc ipſa præſentis diei gaudia ſuæ fallaciæ arte corrumpat, illudens ſimplicioribus animis de quorundam *perſuaſione peſtifera,

Præſumptione.

quibus hæc dies ſolennitatis noſtræ: non tam de nativitate Chriſti, quam de novi, ut dicunt, ſolis ortu honorabilis videatur. Quorum corda vaſtis tenebris obvoluta, & ab omni incremento veræ lucis aliena ſunt: trahuntur enim adhuc ſtultiſſimis gentilitatis erroribus. Et quia ſupra id quod carnali intuentur aſpectu, nequeunt aciem mentis erigere: miniſtra mundi luminaria divino honore venerantur. Abſit ab animis Chriſtianis impia ſuperſtitio, prodigioſumque mendacium. Ultra omnem modum diſtant a ſempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, a dominatore ſubjecta: quia etſi mirandam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent deitatem. Illa ergo virtus, illa ſapientia, illa eſt colenda majeſtas, quæ univerſitatem

Adorandus ſolus Deus.

mundi creavit ex nihilo, & in quas voluit formas atque menſuras, terrenam cœleſtemque ſubſtantiam omnipotenti ratione produxit. Sol, luna, & ſidera ſint commoda utentibus, ſint ſpecioſa cernentibus: ſed ita, ut de illis gratiæ referantur autori, & adoretur Deus, qui condidit, non creatura, quæ ſervit. Laudate igitur Deum, dilectiſſimi, in omnibus operibus ejus atque judiciis. Sit in vobis indubitata credulitas virgineæ integritatis & partus. Reformationis humanæ ſacrum divinumque myſterium ſancto atque ſincero honorate ſervitio. Amplectimini Chriſtum in noſtra carne naſcentem, ut eundem Deum gloriæ videre mereamini in ſua majeſtate regnantem: Qui cum Patre & Spiritu ſancto manet in unitate deitatis in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO III.

In eadem ſolemnitate.

Ut ſentiendum ſit de Chriſti divinitate & humanitate, & quare ejus incarnatio tam diu dilata fuit.

Cap. i.

NOn quidem ſunt nobis, dilectiſſimi, & frequenter audita, quæ ad ſacramenta pertinent ſolemnitatis hodiernæ: ſed ſicut illæſis oculis voluptatem adfert lux iſta viſibilis: ita cordibus ſanis æternum dat gaudium nativitas Salvatoris, quæ a nobis nunquam eſt reticenda. Non enim ad illud tantummodo ſacramentum, quo Filius Dei con-

Eſaiæ 53.

ſempiternus eſt Patri, ſed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum eſt, credimus pertinere quod dictum eſt, *Generationem ejus quis enarrabit?* Deus itaque Dei Filius, par atque eadem de Patre & cum Patre natura, univerſitatis Creator Dominus, totus ubique præſens, & univerſa excedens, in ordine temporum, quæ ipſius diſpoſitione decurrunt, hunc ſibi diem, quo in ſalutem mundi ex beata Virgine naſceretur, elegit, integro per omnia pudore generantis. Cujus virginitas ſic non eſt violata partu, ut non fuerat temerata conceptu, ut im-

Eſaiæ 7.

pleretur, ſicut ait Evangeliſta, quod dictum eſt a Domino per Eſaiam Prophetam: *Ecce virgo concipiet in utero, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod interpretatur, nobiſcum Deus. Hic

Natura divina & humana in una perſona ſubſiſtit.

enim mirabilis ſacræ virginis partus, vere humanam, vere divinam, una edidit prole naturam, quia non ita proprietates ſuas tenuit utraque ſubſtantia, ut perſonarum in eis poſſet eſſe diſcretio: nec ſic natura in ſocietatem ſui Creatoris eſt aſſumpta, ut ille habitator & illa habitaculum eſſet; ſed ita, ut naturæ alteri altera miſceretur. Et quamvis alia ſit, quæ ſuſci-

Joan. 14.
Joan. 10.

pitur, alia vero, quæ ſuſcipit: in tantam tamen unitatem convenit utriuſque diverſitas, ut unum idemque ſit Filius, qui ſe, & ſecundum quod verus eſt homo, Patre dicit minorem, & ſecundum quod verus eſt Deus, Patri profitetur æqualem.

Cap. ii.

Hanc unitatem, dilectiſſimi, qua creatori creatura conſeritur, intelligentiæ oculis cernere cæcitas Ariana non potuit: quæ unigenitum Dei ejuſdem cum Patre gloriæ atque ſubſtantiæ eſſe non credens, minorem dixit Filii deitatem, de iis argumenta ſumens, quæ ad formam ſunt referenda ſervilem, quam idem Filius Dei, ut oſtendat in ſe non diſcretæ, neque alterius eſſe perſonæ, ſic cum eadem dicit: *Ego & Pater unum ſumus*, forma enim ſervi quam noſtræ reparationis cauſa in fine ſæculorum ſuſcepit, minor eſt Patre: in forma autem Dei, in qua erat ante ſæcula, æqualis eſt

Galat. 4.

Patri. In humilitate humana factus eſt ex muliere, factus ſub lege: in majeſtate divina, manens Dei

Joan. 1.
Philip. 2.

Verbum, per quod facta ſunt omnia. Proinde qui in forma Dei fecit hominem, in forma ſervi factus eſt homo: ſed utrumque Deus de potentia ſuſcipientis, utrumque homo de humilitate ſuſcepit. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam utraque natura. Et ſicut formam ſervi forma Dei non adimit: ita formam Dei ſervi forma non minuit. Sacramentum itaque unitæ cum infirmitate virtutis, propter eandem hominis naturam minorem Patre dici Filium

Chriſtus quomodo major & minor ſit Patre.

ſinit: Deitas autem, quæ una eſt in Trinitate Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, omnem opinionem inæqualitatis excludit. Nihil enim ibi habet æternitas temporale, nihil natura diſſimile: una illic voluntas eſt, eadem ſubſtantia, par poteſtas, & non tres dii, ſed unus eſt Deus: quia vera inſeparabilis eſt unitas, ubi nulla poteſt eſſe diverſitas. In integra igitur veri hominis perfectaque natura, verus natus eſt Deus totus in ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit: Nam illa, quæ deceptor invexit, & homo deceptus admiſit, nullum habuerunt in Salvatore veſtigium. Nec quia communionem humanarum ſubiit infirmitatum, ideo noſtrorum particeps fuit delictorum. Aſſumpſit formam ſervi ſine ſorde peccati, humana provehens, divina non

Cap. iii.

minuens. Exinanitio enim illa, qua ſe inviſibilis viſibilem præbuit, inclinatio fuit miſerationis, non defectio poteſtatis. Ut ergo ad æternam beatitudinem ab originalibus vinculis, & a mundanis revocemur erroribus, ipſe ad nos deſcendit, ad quem nos non poteramus aſcendere: quia etſi multis inerat amor veri, incertarum tamen opinionum varietas fallentium dæmonum decipiebatur aſtutia, & falſi nomi-

Incarnationis neceſſitas.

nis ſcientia in diverſas compugnanteſque ſententias humana ignorantia trahebatur. Ad auferendum autem hoc ludibrium, quo captivæ mentes ſuperbienti diabolo ſerviebant, non ſufficiebat doctrina legalis,

non

non per ſolas cohortationes propheticas poterat natura noſtra reparari: ſed adjicienda erat veritas redemptionis mortalibus inſtitutis, & corruptam ab initio originem novis renaſci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hoſtia, quæ eſſet noſtri generis ſocia, & noſtræ contaminationis aliena: ut hoc propoſitum Dei, quo peccatum mundi in Jeſu Chriſti placuit nativitate ac paſſione delere, ad omnium generationum ſæcula pertineret: nec turbarent nos, ſed potius confirmarent myſteria, pro temporum ratione variata, quum fides, in qua vivimus, nulla fuerit ætate diverſa.

Fides una & eadem ſemper fuit. Incarnatio Chriſti non fruſtra dilata.

Ceſſent igitur illorum querelæ, qui impio murmure divinis diſpenſationibus obloquentes, de Dominicæ nativitatis tarditate cauſantur, tanquam præteritis temporibus non ſit impenſum quod in ultima mundi ætate eſt geſtum. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta, & ſacramentum ſalutis humanæ in nulla unquam antiquitate ceſſavit. Quod prædicaverunt Apoſtoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ: nec ſero eſt impletum, quod ſemper eſt creditum. Sapientia vero & benignitas Dei hac ſalutiferi operis mora, capaciores nos ſuæ vocationis effecit: ut quod multis ſignis, multis vocibus, multiſque myſteriis per tot fuerat ſecula prænunciatum, in his diebus Evangelii non eſſet ambiguum; & nativitas quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat exceſſura menſuram, tanto conſtantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus & antiquior præceſſiſſet & crebrior. Non itaque novo conſilio Deus rebus humanis, nec ſera miſeratione conſuluit: ſed a conſtitutione unam eandemque omnibus cauſam ſalutis inſtituit. Gratia autem Dei, qua ſemper eſt univerſitas juſtificata Sanctorum, aucta eſt, Chriſto naſcente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis ſacramentum, quo totus jam mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit ut non minus adepti ſint qui in illud credidere promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum. Unde

Cap. IV. cum manifeſta pietate, dilectiſſimi, tantæ in nobis divinæ bonitatis effuſæ ſint gratiæ, quibus ad æternitatem vocandis, non ſolum exemplum præcedentium utilitas miniſtravit; ſed etiam ipſa veritas, & viſibilis & corporalis apparuit, non ſegni, neque carnali lætitia diem Dominicæ nativitatis celebrare debemus: Quod digne ac intelligenter fiet a ſingulis, ſi meminerit quiſque cujus corporis membrum ſit, & cui capiti coaptatum, ne ſacræ ædificationi diſcors compago non hæreat. Conſiderate, dilectiſſimi, & ſecundum illuminationem Spiritus ſancti prudenter advertite, quis nos in ſe ſuſceperit, & quem ſuſceperimus in nobis, quoniam ſicut factus eſt Dominus caro noſtra naſcendo, ita & nos facti ſumus ipſius renaſcendo. Ideo & membra Chriſti, & templum ſumus Spiritus ſancti. Et ob hoc B. Apoſtolus dicit, *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*

1. Cor. 6. Matth. 11. Qui formam nobis ſuæ manſuetudinis & humilitatis inſinuans, ea nos virtute imbuit, qua redemit, ipſo Domino pollicente: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Suſcipiamus ergo regentis nos veritatis non grave nec aſperum jugum, & ſimus ejus humilitati ſimiles, cujus gloriæ volumus eſſe conformes: ipſo auxiliante & perducente nos ad promiſſiones ſuas, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam potens eſt peccata noſtra delere, & ſua in nobis dona perficere, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO IV.

In eadem ſolemnitate.

Rationem incarnationis Chriſti explicat, erroreſque circa eandem quorundam hæreticorum refellit.

SEmper quidem, dilectiſſimi, diverſis modis multiſque menſuris humano generi bonitas divina conſuluit, & plurima providentiæ ſuæ munera omnibus retro ſæculis clementer impertiit: ſed in noviſſimis temporibus omnem abundantiam ſolitæ benignitatis exceſſit, quando in Chriſto, ipſa ad peccatores miſericordia, ipſa ad errantes veritas, ipſa ad mortuos vita deſcendit, ut verbum illud coæternum & coæquale genitori in unitate deitatis ſuæ naturam noſtræ humilitatis aſſumeret, & Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine naſceretur. Promiſſum quidem hoc a conſtitutione mundi, & multis ſignificationibus rerum atque verborum ſemper fuerat prophetatum; ſed quantam hominum portionem figuræ illæ & myſteria obumbrata ſervarent, niſi longa & occulta promiſſa adventu ſuo Chriſtus impleret: & quod tunc paucis credentibus profuit faciendum, innumeris jam fidelibus prodeſſet effectum. Jam ergo nos non ſignis neque imaginibus ad fidem ducimur; ſed Evangelica hiſtoria confirmati, quod factum credimus, adoramus: accedentibus ad eruditionem noſtram propheticis inſtrumentis, ut nullo modo habeamus ambiguum, quod tantis oraculis ſcimus eſſe prædictum. Hinc enim eſt quod Dominus Abra- Geneſ. 22.
hæ ait: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.*
Hinc David promiſſionem Dei prophetico ſpiritu Pſal. 130.
canit: *Juravit Dominus David, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Hinc idem Dominus per Eſaiam: *Ecce vir-* Eſa. 7.
go, inquit, *in utero concipiet, & pariet filium, & voca-*
bitur nomen ejus Emmanuel: quod interpretatur nobi- Eſa. 11.
ſcum Deus. Et iterum, *Exiet virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* In qua virga non dubie beata virgo Maria prædicta eſt, quæ de Jeſſe & David ſtirpe progenita, & Spiritu ſancto fecundata, novum florem carnis humanæ, utero qui-
dem materno, ſed partu eſt enixa virgineo. Exul- Cap. II.
tent ergo in laudem Dei corda Credentium, & mirabilia ejus confiteantur filii hominum: quoniam in hoc præcipue Dei opere humilitas noſtra cognoſcit, quanti eam ſuus Conditor æſtimarit. Qui cum origini humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem ſuam fecit; reparationi noſtræ longe amplius tribuit, cum ſervuli formæ ipſe ſe Dominus coaptavit. Quamvis enim ex una eademque pietate ſit, quicquid creaturæ Creator impendit, minus tamen mirum eſt hominem ad divina proficere, quam Deum ad humana deſcendere. Hoc autem niſi facere dignaretur omnipotens, nulla quenquam ſpecies juſtitiæ, nulla forma ſapientiæ a captivitate diaboli, & a profundo æternæ mortis erueret. Condemnatio enim ex uno in omnes cum peccato tranſiens permaneret, & lethali vulnere tabefacta natura, nullum remedium reperiret, quia conditionem ſuam ſuis viribus mutare non poſſet. Primus namque homo carnis ſub-
ſtantiam accepit e terra, & rationali ſpiritu per Geneſ. 2.
inſufflationem creantis animatus eſt, ut ad imaginem & ſimilitudinem ſui authoris vivens, formam Dei bonitatis atque juſtitiæ in ſplendore imitationis, tanquam in ſpeculi nitore ſervaret. Quam naturæ

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ ſpecioſiſſimam dignitatem, ſi per obſervantiam legis datæ perſeveranter excoleret: ipſam illam terreni corporis qualitatem ad cœleſtem gloriam [Adam in ſtatu innocentiæ potuit mereri.] mens incorrupta perduceret. Sed quia invido & deceptori temere atque infeliciter credidit, & ſuperbiæ conſiliis acquieſcens, repoſitum honoris augmentum occupare maluit quam mereri, non ſolum ille [Geneſ. 3. 1. Cor. 15. Cap. III.] homo, ſed etiam univerſa in illo poſteritas ejus audivit: *Terra es, & in terram ibis*. Qualis ergo terrenus, tales & terreni: & nemo immortalis, quia nemo cœleſtis. Ad hoc itaque peccati & mortis vinculum reſolvendum, omnipotens filius Dei omnia implens, omnia continens, æqualis per omnia Patri, & in una ex ipſo & cum ipſo conſempiternus eſſentia, naturam in ſe ſuſcepit humanam, & creator ac Dominus omnium rerum, dignatus eſt unus eſſe mortalium: electa ſibi matre quam fecerat, quæ ſalva integritate virginea, corporeæ eſſet tantum miniſtra ſubſtantiæ, ut humani ſeminis ceſſante contagio, novo homini & puritas ineſſet & veritas. Non ergo in Chriſto ex utero Virginis genito, quia nativitas eſt mirabilis, ideo eſt natura diſſimilis. [Pſal. 84.] Qui enim verus eſt Deus, idem verus eſt homo: & nullum eſt in utraque ſubſtantia mendacium. Verbum caro factum eſt provectione carnis, non defectione deitatis: quæ ſic potentiam ſuam bonitatemque moderata eſt, ut & noſtra ſuſcipiendo proveheret, & ſua communicando non perderet. In hac nativitate Chriſti ſecundum Prophetiam David, *Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit*. In [Eſaiæ 45. Baptiſmus eſt quaſi Virginis uterus. Manichæorum inſania. Cap. IV.] hac nativate etiam Eſaiæ ſermo completus eſt dicentis: *Producat terra, & germinet Salvatorem, & juſtitia oriatur ſimul.* Terra enim carnis humanæ, quę in primo fuerat prævaricatore maledicta, in hoc ſolo beatæ Virginis partu germen edidit benedictum, & a vitio ſuæ ſtirpis alienum. Cujus ſpiritalem originem in regeneratione quiſque conſequitur, & omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis inſtar eſt uteri virginalis, eodem Spiritu ſancto replente fontem, qui replevit & virginem: ut peccatum quod ibi evacuavit ſacra conceptio, hic myſtica tollat ablutio. Ab hoc ſacramento, dilectiſſimi, inſanus Manichæorum error alienus eſt, nec ullum habent in Chriſti regeneratione conſortium, qui eum de Maria Virgine negant corporaliter natum: ut cujus non credunt veram nativitatem, nec veram recipiant paſſionem, & quem non confitentur vere ſepultum, abnuant veraciter ſuſcitatum. Ingreſſi enim præruptam execrandi dogmatis viam, in qua nihil non tenebroſum, nihilque non lubricum eſt, ruunt in profunda mortis per præcipitia falſitatis: nec aliquid ſolidum cui innitantur inveniunt, qui propter omnia diabolici probra commenti, in ipſo præcipuo obſervan[Cap. V.]tiæ ſuæ feſto, ſicut proxima eorum confeſſione patefactum eſt, ut animi, ita & corporis pollutione lætantur, neque in fide integritatem, nec in pudore ſervantes, ut & in dogmatibus ſuis impii, & in ſacris inveniantur obſcœni. Aliæ hæreſes, dilectiſſimi, licet merito omnes in ſua perverſitate damnandæ ſint, habent tamen ſingulæ in aliqua ſua parte quod [Arius.] verum eſt. Arius Dei filium minorem Patre & creaturam eſſe definiens, & ab eodem inter omnia creatum putans Spiritum ſanctum, magna impietate ſe perdidit: ſed ſempiternam atque incommutabilem deitatem, quam in Trinitatis unitate non vidit, in [Macedonius.] Patris eſſentia non negavit. Macedonius a lumine veritatis alienus divinitatem ſancti Spiritus non recepit, ſed in Patre & Filio unam potentiam, & ean[Sabellius.]dem confeſſus eſt eſſe naturam. Sabellius inexplanabili errore confuſus, unitatem ſubſtantiæ in Patre & Filio & Spiritu ſancto inſeparabilem ſentiens, quod æqualitati tribuere debuit, ſingularitati dedit. Et cum veram Trinitatem intelligere non valeret, unam eandemque credidit ſub triplici appellatione perſonam. [Photinus.] Photinus mentis cæcitate deceptus, in Chriſto verum & ſubſtantiæ noſtræ confeſſus eſt hominem; ſed eundem Deum de Deo ante omnia ſæcula genitum eſſe non credit. [Appollinaris.] Apollinaris fidei ſoliditate privatus, Filium Dei ita veram humanæ carnis credidit ſuſcepiſſe naturam, ut in illa carne diceret animam non fuiſſe, quia vicem ejus expleverat ipſa divinitas. Hoc modo ſi omnes quos Catholica fides damnat, retractentur errores, in aliis atque aliis quidem invenitur, quod a damnabilibus poſſit abjungi. In Manichæorum autem ſceleſtiſſimo dogmate prorſus nihil eſt, quod ex ulla parte poſſit tolerabile judicari. Sed vos, dilectiſſimi, quos nullius dignius quam beati Petri Apoſtoli alloquor verbis, [1. Petr. 2.] genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ædificati ſuper inviolabilem petram Chriſtum, ipſique Domino ſalvatori noſtro per veram ſuſceptionem noſtræ carnis inſerti, permanete ſtabiles in ea fide, quam confeſſi eſtis coram multis teſtibus, & in qua renati per aquam & Spiritum ſanctum, accepiſtis chriſma ſalutis, & ſignaculum vitæ æternæ. Si quis autem vobis aliud annunciaverit præter id quod didiciſtis, anathema ſit. Nolite impias fabulas præponere lucidiſſimæ veritati, [Joan. 3. Galat. 1.] & quicquid contra regulam Catholici & Apoſtolici Symboli aut legere aut audire contigerit, id omnino mortiferum & diabolicum judicate. Non vos ſeducant deceptoriis artibus ficta & ſimulata jejunia: quæ non ad purificationem, ſed ad perditionem proficiunt animarum. Speciem quidem ſibi pietatis & caſtitatis aſſumunt, ſed hoc dolo actuum ſuorum obſcœna circum tegunt, & de profani cordis penetralibus jacula, quibus ſimplices vulnerentur, emittunt, ut ſicut ait Propheta, *Sagittent in obſcuro rectos corde*. [Pſal. 10. Fidei commendatio.] Magnum præſidium eſt fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab ullo quicquam, nec minui poteſt: quia niſi una eſt, fides non eſt, dicente [Epheſ. 4.] Apoſtolo: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma; unus Deus & pater omnium qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* [Hebr. 12.] Huic unitati, dilectiſſimi, inconcuſſis mentibus inhærete, & in hac omnem ſectamini ſanctitatem, in hac præceptis Domini deſervite: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. [Abac. 1.] Et nihil ſine illa ſanctum, nihil caſtum eſt, nihil vivum. Juſtus enim ex fide vivit; quam qui diabolo decipiente perdiderit, vivens mortuus eſt. Quia ſicut per fidem juſtitia, ita etiam per fidem veram vita obtinetur æterna, dicente Domino Salvatore: *Hæc eſt autem vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*; [Joan. 8.] Qui vos proficere & perſeverare faciat uſque in finem, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO V.

In eadem ſolemnitate.

Humanitas Chriſti ut fuerit ad credendum difficilis, deque ſtulta ſapientia mundi, quidque obedientia & humilitas Chriſti nobis attulerint.

[Cap. I.] QUamvis, dilectiſſimi, ineffabilis ſit nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti, qua ſe naturæ noſtrę carne veſtivit, audeo tamen non de facultate mea, ſed de ipſius inſpiratione præſumere, ut in die, qui in ſacramentum humanæ reſtaurationis electus eſt, aliquid a nobis, quod audientes poſſet ædificare, pro-

Digitized by Google

promatur. Non enim quia major pars Eccleſiæ Dei
quod credit, intelligit, ideo neceſſarium non eſt,
etiam quæ dicta ſunt dicere, cum utique nunc
multis ad fidem primum venientibus oris noſtri of-
ficium debeamus, meliuſque ſit doctos onerare jam
notis, quam rudes fraudare diſcendis. Quod ergo
Filius Dei, qui cum Patre & Spiritu ſancto non
unius perſonæ, ſed unius eſſentiæ eſt, dignatus eſt
humanitatis noſtræ particeps fieri, & unus paſſibi-
lium, unus voluit eſſe mortalium; tam ſacratum tam-
que mirabile eſt, ut ratio divini conſilii ſapientibus
mundi patere non poſſit, niſi humanæ ignorantiæ
Fidei diffi- cultas. tenebras lux vera diſcuſſerit. Non enim in ſolo ope-
Matth. 7. re virtutum, aut in ſola obſervantia mandatorum,
ſed etiam in tramite fidei, anguſta & ardua via eſt
quæ ducit ad vitam, & magni laboris eſt, magnique
diſcriminis, inter dubias imperitorum opiniones &
veriſimiles falſitates per unam ſanæ doctrinæ ſemi-
tam inoffenſis greſſibus ambulare, & cum undique ſe
laquei erroris opponant, omne periculum deceptio-
nis evadere. Quis autem ad hæc idoneus, niſi qui
1. Cor. 2. Spiritu Dei docetur & regitur? dicente Apoſtolo:
*Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed
ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata
Pſal. 93. ſunt nobis:* Canente etiam David, *Beatus homo quem
tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum*. Ha-
bentes itaque, dilectiſſimi, inter pericula erroris
præſidia veritatis, & non humanæ ſapientiæ verbis,
ſed doctrina Spiritus ſancti eruditi, quod didicimus
credimus: quod credimus, prædicamus, Dei filium
ante ſæcula á patre genitum, & patri ſempiterna, &
conſubſtantiali æqualitate coæternum veniſſe in hunc
mundum per uterum virginis, in hoc ſacramentum
pietatis electæ, in qua, & ex qua ædificavit ſibi Sa-
Prover. 9. pientia domum, & formam ſibi ſervi in ſimilitudi-
Rom. 8. nem carnis peccati, incommutabilis Verbi deitas
coaptavit; in nullo apud ſe & Patrem & Spiritum
ſanctum minor gloria ſua, quia diminutionem &
varietatem ſummæ & æternæ eſſentiæ natura non
recipit. Propter noſtram autem infirmitatem exte-
nuavit ſe incapacibus ſui, & velamine corporis
Philip. 2. ſplendorem majeſtatis ſuæ, quem viſus hominum
non ferebat, obtexit. Unde etiam exinaniſſe ſe dici-
tur tanquam ſe propria virtute evacuaverit: dum in
ea humilitate, qua nobis conſuluit, non ſolum Pa-
tre, ſed etiam ſeipſo factus eſt inferior. Nec aliquid
illi hac inclinatione deceſſit: cui cum Patre & Spi-
ritu ſancto, hoc quod eſt, commune eſt, ut hoc ip-
ſum intelligamus ad omnipotentiam pertinere,
quod qui ſecundum noſtra minor eſt, ſecundum
propria minor non eſt. Quia enim lux ad obcæca-
tos, virtus ad imbecilles, miſericordia reſpexit ad
miſeros, de magna factum eſt poteſtate ut Dei Filius
ſubſtantiam humanam cauſamque ſuſceperit, qui
& noſtram naturam quam condidit reformaret, &
1. Cor. 2. mortem quam non fecit aboleret. Repudiatis igi-
CAP. III. tur longeque rejectis omnibus opinionibus impio-
rum quibus aut ſtultitia eſt Crux Chriſti, aut ſcanda-
lum, exultet rectarum mentium fides, & verum u-
Divinitas Chriſti. numque Dei filium, non ſolum ſecundum deitatem,
qua a Patre genitus, ſed etiam ſecundum humanita-
tem, qua de matre virgine eſt natus, intelligat. Ipſe eſt
enim in humanitate noſtra, qui eſt in majeſtate di-
vina, verus homo & verus Deus, ſempiternus in
ſuis, temporalis in noſtris: unum cum Patre in ſub-
ſtantia, quæ nunquam fuit minor Patre: unum cum
matre in corpore quod creavit. In aſſumptione enim
naturæ noſtræ nobis factus eſt gradus, quo ad ip-
ſum per ipſum poſſimus aſcendere: Nam illa eſſen-
tia, quæ ſemper ubique tota eſt, locali deſcenſione
non eguit, & tam ei proprium fuit, totam homini in-
ſeri, quam ei proprium eſt, totam a Patre non dividi.
Manet ergo quod in principio erat Verbum, & non
eſt ei accidens, ut quod eſt, aliquando non fuerit.
Sempiterne enim filius, filius eſt, & ſempiterne pa- Joan. 4.
ter, pater eſt. Unde cum ipſe filius dicat, *Qui videt
me, videt & patrem*: excæcavit te, o hæretice, impie-
tas tua, ut qui majeſtatem Filii non vidiſti, Patris glo-
riam non videres: dicendo enim genitum eſſe qui
non erat, filium aſſeris temporalem: & dum filium aſ-
ſeris temporalem, credidiſti Patrem eſſe mutabilem.
Mutabile enim eſt, non ſolum quod minuitur, ſed Mutabile quicquid augetur.
etiam quicquid augetur: ſi & ideo patri impar eſt
genitus, quia ut tibi videtur, generando eum qui non
erat, genuit, imperfecta erat etiam generantis eſſen-
tia, quæ adhibendo quod non habuit, generando
perfecit. Sed hanc impie perverſitatem tuam fides
Catholica execratur & damnat: quæ in deitate vera
nihil temporalitatis agnoſcit, ſed unius ſempiterni-
tatis & Patrem confitetur & Filium: quia ſplendor
ex luce ortus, non eſt luce poſterior, & lux vera nun-
quam eſt ſui ſplendoris indiga, ſic ſubſtantiale ſem-
per habens fulgere, ſicut ſubſtantiale ſemper ha-
bet exiſtere. Hujus autem ſplendoris manifeſtatio,
miſſio dicitur, qua Chriſtus mundo apparuit. Qui
cum omnia inviſibili majeſtate ſua ſemper impleret,
tamen quaſi de remotiſſimo altiſſimoque ſecreto iis,
quibus erat ignotus, advenit, cum cæcitatem ignoran- Eſai. 9.
tiæ ſuſtulit, ſicut ſcriptum eſt: *Sedentibus in tenebris* CAP. IV.
& in umbra mortis, lux orta eſt eis. Quamvis enim
etiam prioribus ſæculis ad illuminationem ſanctorum
Patrum & Prophetarum lumen veritatis emiſſum ſit, Pſal. 42.
dicente David, *Emitte lucem tuam & veritatem
tuam*: & diverſis modis multiſque ſignis opera præ- Galat. 4.
ſentiæ ſuæ deitas Filii declaravit, omnes tamen illæ
ſignificationes, cunctaque miracula, teſtimonia fue-
runt iſtius miſſionis, de qua dicit Apoſtolus, *Cum
ergo venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum,
natum ex muliere, factum ſub lege.* Quid vero hoc eſt,
niſi Verbum carnem fieri? Conditorem mundi per
uterum virginis naſci? Dominum majeſtatis, hu-
manis ſe coaptare primordiis? Et licet conceptui ſpi-
ritali nulla ſint terreni ſeminis mixta contagia, ad
ſuſcipiendam tamen veræ carnis ſubſtantiam, ſolam
ſumere de matre naturam? Hac miſſione, qua Deus
unitus eſt homini, filius impar eſt Patri, non in eo
quod ex Patre, ſed in eo quod eſt factus ex homine.
Æqualitatem enim, quam inviolabilem habet dei-
tas, non corrupit humanitas, & creatoris ad creatu-
ram deſcenſio, credentium eſt ad æterna ſubvectio.
Nam quia, ſicut ait Apoſtolus, *In ſapientia Dei non* 1. Cor. 1.
*cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per
ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*. Mun-
do ergo, id eſt, prudentibus mundi, ſapientia ſua cæci-
tas facta eſt, nec potuerunt per illam cognoſcere
Deum, ad cujus notitiam non niſi in ſapientia ejus ac-
ceditur. Et ideo quia mundus de vanitate ſuorum do-
gmatum ſuperbiebat, in eo conſtituit Dominus ſal-
vandorum fidem, quod & indignum videretur &
ſtultum, ut & deficientibus omnibus opinionum
præſumptionibus, ſola Dei gratia revelaret, quod
comprehendere humana intelligentia non valeret.
Agnoſcat igitur Catholica fides in humilitate Do- CAP. I.
mini gloriam ſuam, & de ſalutis ſuæ ſacramentis
gaudeat Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti: quia niſi
Verbum Dei caro fieret & habitaret in nobis, niſi in
communionem creaturæ creator ipſe deſcenderet,
& vetuſtatem humanam ad novum principium ſua
nativitate revocaret, regnaret mors ab Adam uſque Rom. 5.
in finem, & ſuper omnes homines condemnatio in-
ſolubilis permaneret, cum de ſola conditione naſcen-
di, una cunctis eſſet cauſa pereundi. Solus itaque
in-

inter filios hominum Dominus Jeſus innocens natus eſt: quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione conceptus. Factus eſt homo noſtri generis, ut nos divinæ naturæ poſſimus eſſe conſortes. Originem, quam ſumpſit in utero virginis, poſuit in fonte baptiſmatis. Dedit aquæ quod dedit matri.
Lucæ 1. Virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritus ſancti, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem: eadem
Chriſt obedientia & humilitas. Adæ inobedientia & ſuperbia. fecit, ut regeneraret unda credentem. Quid autem ſanandis ægris, illuminandis cœcis, vivificandis mortuis aptius fuit, quam ut ſuperbiæ vulnera, humilitatis remediis curarentur? Adam præcepta Dei negligens, peccati induxit damnationem: Jeſus factus ſub lege, reddidit juſtitiæ libertatem. Ille diabolo obtemperans uſque ad prævaricationem, meruit ut in ipſo omnes morerentur, hic patri obediens uſque ad crucem, fecit ut in ipſo omnes vivificarentur. Ille cupidus honoris angelici, naturæ ſuæ perdidit dignitatem: hic infirmitatis noſtræ ſuſcipiens conditionem, propter quos ad inferna deſcendit, eoſdem in cœleſtibus collocavit. Poſtremo, illi per
Geneſ. 3. elationem lapſo dictum eſt, *Terra es, & in terram*
Pſalm. 109. *ibis*: huic per ſubjectionem exaltato dictum eſt: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

Cap. VI. Hæc Domini noſtri opera, dilectiſſimi, non ſolum ſacramento nobis utilia ſunt, ſed etiam imitationis exemplo, ſi in diſciplinam ipſa remedia transferantur, quodque impenſum eſt myſteriis, proſit & moribus: ut meminerimus, nobis in humilitate & manſuetudine Redemptoris noſtri eſſe vivendum,
Rom. 8. quoniam ſicut ait Apoſtolus, *Si compatimur, & con-*
Joan. 14. *regnabimus*. Fruſtra enim appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſimus Chriſti: qui ideo ſe viam dixit eſſe, ut converſatio magiſtri forma eſſet diſcipuli, & illam humilitatem eligeret ſervus, quam ſectatus eſt Dominus, Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO VI.

In eadem ſolemnitate.

Filius Dei quare factus ſit filius hominis, & opera bona quid proſint.

Cap. I OMnibus quidem diebus, dilectiſſimi, atque temporibus, animus fidelium divina meditantium, Domini & Salvatoris noſtri ex matre virgine ortus occurrit: ut mens ad confeſſionem ſui autoris erecta, ſive in gemitu ſupplicationis, ſive in exultatione laudis, ſive in ſacrificii oblatione verſetur, nihil crebrius, nihilque magis fidenter ſpiritali attingat intuitu, quam quod Deus Dei filius genitus de patre coæterno, idem etiam partu eſt natus humano. Sed hanc adorandam in cœlo & in terra nativitatem nullus nobis dies magis quam hodiernus inſinuat, & nova etiam in elementis luce radiante, totam ſenſibus noſtris mirabilis ſacramenti ingerit claritatem.
Feſtorum celebrandorum ratio. Non ſolum enim in memoriam, ſed in conſpectum quodammodo redit Angeli Gabrielis cum Maria ſtupente colloquium, & conceptione de Spiritu ſancto tam mire promiſſa, quam credita, autor mundi editus eſt utero virginali. Et qui omnes naturas condidit, ejus eſt factus filius quam creavit. Hodie Verbum Dei carne apparuit veſtitum, & quod nunquam fuit humanis oculis viſibile, cœpit etiam manibus eſſe tractabile. Hodie genitum in noſtræ carnis animæque ſubſtantia Salvatorem angelicis vocibus didicere paſtores, & apud Dominicorum præſules

gregum hodie evangelizandi forma præcondita eſt, ut nos quoque cum cœleſtis militiæ dicamus exercitu: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*
Lucæ 2. Cap. 11. *bonæ voluntatis*. Quamvis igitur illa infantia, quam Filii Dei non eſt dedignata majeſtas, in virum perfectum ætatis adjectione profecta ſit, & conſummato paſſionis & reſurrectionis triumpho, omnes ſuſceptæ pro nobis humilitatis tranſierint actiones, renovat tamen nobis hodierna Feſtivitas nati Jeſu ex Maria Virgine ſacra primordia, & dum Salvatoris noſtri adoramus ortum, invenimus nos noſtrum celebrare principium. Generatio enim Chriſti, origo eſt populi Chriſtiani: & natalis capitis, natalis eſt corporis. Habeant licet ſinguli quique vocatorum ordinem ſuum, & omnes Eccleſiæ filii temporum ſint ſucceſſione diſtincti, univerſa tamen ſumma Fidelium, foote orta baptiſmatis, ſicut cum Chriſto in paſſione crucifixi, in reſurrectione reſuſcitati, in aſcenſione ad dexteram Patris collocati: ita cum ipſo ſumus in hac nativitate congeniti. Quicquid enim hominum, in quacunque mundi parte credentium, regeneratur in Chriſto: interciſo originalis tramite vetuſtatis, tranſit in novum hominem renaſcendo, nec jam in propagine habetur carnalis Patris, ſed in germine Salvatoris qui ideo filius hominis eſt factus, ut nos filii Dei eſſe poſſimus. Niſi enim ille ad nos hac humilitate deſcenderet, nemo ad illum ullis ſuis meritis perveniret. Nihil hic vocatorum cordibus caliginis inferat terrena ſapientia, nec ſe contra altitudinem gratiæ Dei, mox in ima rediturus terrenarum cogitationum pulvis attollat. Impletum eſt in fine ſæculorum, quod erat ante tempora æterna diſpoſitum, & ſub præſentia rerum, ſignis ceſſantibus figurarum, lex & prophetiæ veritas facta eſt, ut Abraham fieret omnium gentium pater, & in ſemine ejus daretur mundo promiſſa benedictio, ne ii tantum eſſent Iſrael, quos ſanguis & caro genuiſſet; ſed in poſſeſſionem hæreditatis fidei filiis præparatæ, univerſitas adoptionis intraret. Nec obſtrepant inc- Cap. III.
piarum calumniæ quæſtionum, nec effectus divini
operis ratiocinatio humana diſcutiat. Nos cum Rom. 4.
Abraham credimus Deo, nec hæſitamus diffidentia, ſed pleniſſime ſcimus, quoniam quod promiſit Dominus, potens eſt & facere. Naſcitur ergo non de carnis ſemine, dilectiſſimi, ſed de Spiritu ſancto Salvator: quem primæ tranſgreſſionis condemnatio non teneret. Unde ipſa collati muneris magnitudo di-
gnam a nobis exigit ſuo ſplendore reverentiam. Ideo 1. Cor. 2.
enim, ſicut beatus Apoſtolus docet, non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis: qui non aliter pie colitur, niſi id ei, quod ipſe tribuit, offeratur. Quid enim in theſauro Dominicæ largitatis ad honorem præſentis feſti tam congruum poſſumus invenire, quam pacem, quæ in nativitate Domini
prima eſt angelico prædicata concentu? Ipſa enim Pacis commendatio.
eſt, quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, & genitrix unitatis: requies beatorum, & æternitatis habitaculum, cujus hoc opus proprium & ſpeciale beneficium eſt, ut jungat Deo, quos ſecernit de mundo,
Unde Apoſtolus ad hoc bonum nos incitat, dicens: Rom. 5.
Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum. Cujus ſententiæ brevitate, omnium fere mandatorum continetur effectus: quia ubi fuerit veritas pacis, nihil ibi poteſt deeſſe virtutis. Quid eſt autem, dile-
ctiſſimi, pacem habere ad Deum, niſi velle quod ju- Pax cum Deo qualis ſit.
bet, & nolle quod prohibet? ſi enim humanæ amicitiæ pares animos & ſimiles expetunt voluntates, nec unquam diverſitas morum ad firmam poteſt pervenire concordiam: quomodo divinæ particeps erit pacis, cui ea placent quæ Deo diſplicent, & iis

appetit delectari, quibus illum novit offendi? Non
eſt iſtc animus filiorum Dei, nec talem ſapientiam
recipit adoptiva nobilitas. Genus electum & regium
regenerationis ſuæ reſpondeat dignitati. Diligat
quod diligit pater, & in nullo ab authore ſuo diſ-
Eſaiæ 1. ſentiat, ne iterum dicat Dominus: *Filios genui & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Agnovit bos poſ-*
ſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael au-
tem me non cognovit; & populus meus me non intelle-
Cap. iv. *xit*. Magnum eſt, dilectiſſimi, hujus muneris ſacra-
mentum, & omnia dona excedit hoc donum: ut
Deus hominem vocet filium, & homo Deum nomi-
net Patrem. Per has enim appellationes ſentitur &
diſcutitur, quis ad tantam altitudinem aſcendat af-
fectus. Nam ſi in progenie carnali & ſtirpe terrena
claris parentibus genitos vita malæ converſationis
obſcuret, & ipſo majorum ſuorum lumine ſoboles
indigna confunditur, in quem exitum venient, qui
propter amorem mundi a generatione Chriſti non
Opera bona neceſſaria filiis Dei. metuunt abdicari? Si autem ad humanam pertinet
laudem, ut patrum decus in prole reſplendeat;
quanto magis glorioſum eſt ex Deo natos in autho-
ris ſui imaginem reſulgere, & illum in ſe, qui illos
Matth. 5. generavit, oſtendere, dicente Domino: *Sic luceat*
lumen veſtrum coram hominibus ut videant opera ve-
ſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis
eſt. Scimus quidem, quod ſicut Joannes Apoſtolus di-
1. Joan. 5. cit: *Totus mundus in maligno poſitus eſt*; & inſidiante
diabolo & angelis ejus, in hoc innumeris tentationi-
bus laboratur, ut hominem ad ſuperna nitentem,
aut adverſa terreant, aut ſecunda corrumpant: ſed
major eſt, qui in nobis eſt, quam qui adverſum nos
eſt: & pacem cum Deo habentibus, ac ſemper Patri
Matth. 6. toto corde dicentibus, *Fiat voluntas tua*, nulla præ-
valere certamina, nulli poſſunt nocere conflictus.
Accuſantes enim noſmetipſos confeſſionibus no-
ſtris, & conſenſum animi carnis concupiſcentiis de-
negantes, inimicitias quidem adverſum nos ejus
qui peccati auctor eſt, commovemus: ſed inexpu-
gnabilem cum Deo pacem, gratiæ ipſius ſerviendo
firmamus, ut Regi noſtro non ſolum obedientia ſub-
jiciamur, ſed etiam judicio copulemur. Quoniam
ſi in eadem ſententia ſumus; ſi quod vult, volumus, &
quod improbat, improbamus, ipſe jam pro nobis om-
nia bella conficiet, ipſe qui dedit velle donabit &
poſſe, ut ſimus cooperatores operum ejus, & prophe-
Cooperatores Dei ſumus. ticum illud cum fidei exultatione dicamus: *Dominus*
illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Domi-
Pſal. 26. *nus defenſor vitæ meæ, a quo trepidabo?*

Cap. v. Joan. 1. Qui ergo *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate*
carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt,
offerant Patri pacificorum concordiam filiorum, &
in primogenitum novæ creaturæ, qui venit non
ſuam, ſed mittentis facere voluntatem, univerſa ad-
optionis membra concurrant: quoniam gratia pa-
tris non diſcordes, neque diſſimiles, ſed unum ſen-
tientes, unumque amantes adoptavit hæredes. Ad
unam reformatos imaginem oportet animam habe-
re conformem. Natalis Domini, natalis eſt pacis.
Sic enim ait Apoſtolus: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit*
Epheſ. 2. *utraque unum*: quoniam ſive Judæus, ſive Gentilis,
per ipſum habemus acceſſum in uno ſpiritu ad Pa-
trem: qui ante paſſionis diem, voluntaria diſpoſi-
tione prælectum, diſcipulos ſuos hac præcipue do-
Joan. 14. ctrina ſua informavit, ut diceret: *Pacem meam do*
Pax mundi qualis. *vobis, pacem meam relinquo vobis*. Et ne ſub nomine
generali, pacis ſuæ qualitas lateret, adjecit: *Non*
quemadmodum mundus dat, ego do vobis. Non ha-
bet, inquit, mundus amicitias veras, & multos fa-
cit perverſo amore concordes. Sunt etiam in vitiis
pares animi, & ſimilitudo deſideriorum æqualita-
tem gignit affectuum. Et ſi quidam forſitan repe-
riantur, quibus prava & inhoneſta non placeant, qui-
que illicitas conſenſiones a fœdere ſuæ charitatis ex-
cludant: tamen etiam tales, ſi vel Judæi ſint, vel
hæretici, vel pagani, non de amicitia Dei, ſed de
pace ſunt mundi. Pax autem ſpiritalium & Catho-
licorum, a ſupernis veniens, & ad ſuperna perdu-
cens, cum amatoribus mundi nulla nos vult com-
munione miſceri, ſed omnibus obſtaculis reſiſtere,
ad vera gaudia a pernicioſis delectationibus evola-
re, dicente Domino: *Ubi fuerit theſaurus tuus, ibi* Matth. 6.
erit cor tuum. Hoc eſt ſi deorſum ſunt quæ amas, ad
ima deſcendes: ſi ſurſum ſunt quæ diligis, ad ſum-
ma pervenies. Quo nos unum volentes, unum ſen-
tientes, & in fide ac ſpe & in charitate concordes,
ſpiritus pacis agat atque perducat: quoniam qui-
cunque ſpiritu Dei aguntur, ii filii ſunt Dei, qui
regnat cum Filio & Spiritu ſancto in ſæcula ſæcu-
lorum, Amen.

SERMO VII.

In eadem ſolemnitate.

Duarum naturarum in Chriſto rationem explicat,
& quatenus creaturis attendam.

FEſtivitatis hodiernæ, dilectiſſimi, verus venera- Cap. 1.
tor eſt & pius cultor, qui nec de Incarnatione
Domini aliquid falſum, nec de deitate aliquid ſen-
tit indignum. Paris enim periculi malum eſt, ſi illi
aut naturæ noſtræ veritas, aut paternæ gloriæ ne-
gatur æqualitas. Cum ergo ad intelligendum ſacra-
mentum Nativitatis Chriſti, qui de matre Virgine eſt
ortus, accedimus: abigatur procul terrenarum caligo
rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ ſa-
pientiæ fumus abſcedat. Divina eſt enim authoritas,
cui credimus: divina eſt doctrina, quam ſequimur.
Quoniam ſive legis teſtificationi, ſive oraculis Pro-
phetarum, ſive Evangelicæ tubæ, interiorem admo-
veamus auditum, verum eſt quod Joannes plenus
Spiritu ſancto intonuit: *In principio erat Verbum, &* Joan. 1.
Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc
erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta
ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Et ſimiliter verum eſt
quod idem prædicator adjecit: *Verbum caro factum* Naturæ duæ in Chriſto.
eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, glo-
riam quaſi unigeniti a Patre. In utraque ergo natura
idem eſt Dei filius noſtra ſuſcipiens, & propria non
amittens: in homine hominem renovans, in ſe incom-
mutabilis perſeverans. Deitas enim, quæ illi cum Pa-
tre communis eſt, nullum detrimentum omnipoten-
tiæ ſubiit, nec Dei formam ſervi forma violavit: quia
ſumma & ſempiterna eſſentia, quæ ſe ad humani ge-
neris inclinavit ſalutem, nos quidem in ſuam gloriam
tranſtulit, ſed quod erat, eſſe non deſtitit. Unde cum Joan. 14.
unigenitus Dei minorem ſe Patre confitetur, cui ſe Joan. 10.
dicit æqualem, veritatem in ſe formæ utriuſque de-
monſtrat: ut & humanam probet imparilitas, & di-
vinam declaret æqualitas. Majeſtati igitur Filii Dei Cap. ii.
corporea nativitas nihil abſtulit, nihil contulit: quia
ſubſtantia incommutabilis nec minui potuit, nec au-
geri. Quod enim Verbum caro factum eſt, non hoc Verbum caro factum eſt quomodo intelligendum ſit.
ſignificat, quod in carnem ſit Dei natura mutata, ſed
quod a Verbo in unitatem perſonæ ſit caro ſuſce-
pta: cujus utique nomine homo totus accipitur, cum
quo intra virginis viſcera, ſancto Spiritu fœcunda-
ta, & nunquam virginitate caritura, tam inſeparabi-
liter Dei Filius unitur, ut qui erat intemporaliter de
eſſentia patris genitus, ipſe ſit temporaliter de utero
virginis natus. Aliter enim ab æternæ mortis vincu-
lis non poſſemus abſolvi, niſi in noſtris fieret humilis

qui omnipotens permanebat in ſuis. Naſcens itaque Dominus noſter Jeſus Chriſtus homo verus, qui nunquam deſtitit eſſe Deus verus, novæ creaturæ in ſe fecit exordium, & in ortus ſui forma dedit humano generi ſpeciale principium, ut ad carnalis generationis abolenda contagia, eſſet regenerandis
Joann. 1. origo ſine ſemine criminis: de quibus dicitur: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Quæ hoc ſacramentum mens comprehendere, quæ hanc gratiam valet lingua narrare? Redit in innocentiam iniquitas, & in novitatem vetuſtas: in adoptionem veniunt alieni, & in hæreditatem ingrediuntur extranei. De impiis juſti, de avaris benigni, de incontinentibus caſti, de terrenis incipiunt eſſe cœle-
1. Joan. 3. ſtes. Quæ autem eſt iſta mutatio, niſi dextræ Excelſi? Quoniam venit filius Dei diſſolvere opera diaboli, & ita ſe nobis, noſque inſeruit ſibi, ut Dei
Cap. III. ad humana deſcenſio, fieret hominis ad divina provectio. In hac autem, dilectiſſimi, miſericordia Dei, cujus erga nos magnitudinem explicare non valemus, multa ſollicitudine præcavendum eſt Chriſtianis, ne diabolicis iterum capiantur inſidiis, & eiſdem rurſus, quibus renunciaverant, erroribus
1. Cor. 11. implicentur. Non enim deſinit hoſtis antiquus, transfigurans ſe in Angelum lucis, deceptionum laqueos ubique prætendere, & ut quoquo modo fi-
Diaboli aſtus & inſidiæ. dem credentium corrumpat, inſtare. Novit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebris gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat; quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus: & ibi cauſas quærit nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſius occupari. Habet etenim multos ex eis, quos tenacius obligavit, aptos ſuis artibus quorum ad alios decipiendos & ingeniis utatur & linguis. Per iſtos remedia ægritudinum, indicia futurorum, placationes dæmonum, & depulſiones promittuntur umbrarum. Adduntur & illi, qui totam humanæ
Fatorum obſervatio & ſolis veneratio ſuperſtitioſa. vitæ conditionem de ſtellarum pendere effectibus mentiuntur, & quod eſt aut divinæ voluntatis, aut noſtræ, indeclinabilium dicunt eſſe fatorum. Quæ tamen ut cumulatius noceant, ſpondent poſſe mutari, ſi illis quæ adverſantur, ſyderibus ſupplicetur. Unde commentum impium ſua ratione deſtruitur: quia ſi prædicta non permanent, non ſunt fata metuenda: ſi permanent, non ſunt aſtra veneranda. De talibus inſtitutis etiam illa generatur im-
Cap. IV. pietas, ut Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens a quibuſdam inſapientioribus de locis eminentioribus adoretur; quod nonnulli etiam Chriſtiani adeo ſe religioſe facere putant, ut priuſquam ad B. Petri Apoſtoli Baſilicam, quæ uni Deo vivo & vero eſt dicata, perveniant, ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum aræ ſuperioris aſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe Solem reflectant, & curvatis cervicibus, in honorem ſe ſplendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis ſpiritu, multum tabeſcimus & dolemus. Qua etſi quidam forte creatorem potius pulchri luminis, quam ipſum lumen, quod eſt creatura, venerantur: abſtinendum tamen eſt ab ipſa hujuſmodi ſpeciei officii, quam cum in noſtris invenit, qui deorum cultum reliquit, nonne hanc ſecum partem opinionis vetuſtæ tanquam probabilem retentabit,
Cap. V. quam Chriſtianis & impiis viderit eſſe communem? Abjiciatur ergo a conſuetudine Fidelium damnanda perverſitas, nec honor uni Deo debitus, eorum ritibus, qui creaturis deſerviunt, miſceatur. Dicit enim Scriptura divina: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et beatus Job, *Homo ſine* Matth. 4.
querela, ut ait Dominus, *& continens ſe ab omni re* Job. 31.
mala: Nunquid vidi, inquit, *ſolem cum fulgeret,* Sol.
& lunam incedentem clare; & lætatum eſt cor meum Luna.
in abſcondita, & oſculatus ſum manum meam, quæ eſt iniquitas maxima & negatio contra Deum altiſſimum? Quid autem eſt ſol, vel quid eſt luna, niſi viſibilis creaturæ & corporeæ lucis elementa, quorum unum eſt majoris claritatis, & aliud minoris eſt luminis? Sicut enim alia diurna, alia nocturna ſunt tempora: ita diverſam in luminaribus qualitatem creator inſtituit, cum tamen prius, quam hæc fierent, & dies ſine ſolis officio, & noctes ſine lunæ miniſterio præceſſiſſent. Sed condita ſunt iſta ad faciendam hominis utilitatem, ut rationale animal, nec in diſtinctione menſium, nec in recurſu annorum, nec in dinumeratione temporum falleretur, cum per inæqualium horarum impares moras, & diſſimilium ortuum ſigna manifeſta, & annos ſol concluderet, & menſes luna renovaret. Quarto Geneſ. 1.
namque, ut legimus, die, dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & luceant ſuper terram, & dividant inter diem & noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, et annos, et ſint in firmamento*
cœli; ut luceant ſuper terram. Expergiſcere, o Cap. VI.
homo, & dignitatem tuæ cognoſce naturæ. Re- Geneſ. 1.
cordare te factum ad imaginem Dei: quæ etſi in Adam corrupta, in Chriſto tamen eſt reformata.
Utere quomodo utendum eſt viſibilibus creaturis, Creaturis ut utendum.
ſicut uteris terra, mari, cœlo, aere, fontibus, atque fluminibus: & quicquid in eis pulchrum atque mirabile eſt, refer ad laudem & gloriam conditoris. Noli eſſe deditus illi lumini, quo volucres & ſerpentes, quo beſtiæ & pecudes, quo muſcæ delectantur & vermes. Lucem corpoream ſenſu tange corporeo, & toto mentis affectu illud verum lumen amplectare, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & de quo dicit Propheta: Joan. 1.
Accedite ad eum, illuminamini, et vultus veſtri Pſalm. 33.
non erubeſcent. Si enim templum Dei ſumus, et ſpiri- 1. Cor. 3.
tus Dei habitat in nobis, plus eſt, quod fidelis quiſque habet in ſua anima, quam quod miratur in cœlo. Non itaque vobis, dilectiſſimi, hoc aut indicimus, aut ſuademus, ut deſpiciatis opera Dei, aut contrarium aliquid fidei veſtræ, in iis, quæ Deus bonus bona condidit, æſtimetis: ſed ut omni creaturarum ſpecie, & univerſo hujus mundi ornatu rationabiliter, & temperanter utamini. *Quæ enim videntur*, ſicut ait Apoſtolus, *temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Unde quia ad præſentia ſumus nati, ad futura autem renati: non temporalibus bonis dediti, ſed æternis ſimus
intenti. Et ut ſpem noſtram poſſimus propius in- 1. Cor. 4.
tueri, in ipſo ſacramento natalis Domini cogitemus, quid naturæ noſtræ gratia divina contulerit, Audiamus Apoſtolum dicentem: *Mortui enim eſtis, et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*
Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & Coloſſ.
vos apparebitis cum ipſo in gloria, Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO VIII.

In eadem ſolemnitate.

Incarnationis Chriſti modum, neceſſitatemque et hæreticorum circa eandem diverſorum mendacia expendit.

Cap. I.

CUm ſemper nos, dilectiſſimi, gaudere in Domino, omnia divina eloquia exhortentur, hodie procul dubio ad ſpiritalem lætitiam copioſius incitamur, nativitatis Dominicæ ſacramento nobis clarius coruſcante: ut recurrentes ad illam divinæ miſericordiæ ineffabilem inclinationem, qua creator hominum homo fieri eſt dignatus, in ipſius non inveniamus natura, quem adoramus in * noſtra.

Terra.

Deus enim Dei Filius, de ſempiterno & ingenito Patre unigenitus, ſempiternus manens in forma Dei,& incommutabiliter atque intemporaliter habens non aliud eſſe quam Pater, formam ſervi ſine ſuæ detrimento majeſtatis accepit: ut in ſua nos proveheret, non ipſe in noſtra deficeret. Unde utrique naturæ in ſuis proprietatibus permanenti, tanta eſt unitatis

Cap. II. Corpus Chriſti non prius formatum quam animatum.

facta communio, ut quicquid ibi eſt Dei, non ſit ab humanitate disjunctum; quicquid autem eſt hominis, non ſit a Deitate diviſum. Celebrantes igitur, dilectiſſimi, natalem diem Domini Salvatoris, partum Beatæ Virginis integre cogitemus, ut carni animæque conceptæ virtutem Verbi nullo temporis puncto defuiſſe credamus, nec prius formatum atque animatum templum corporis Chriſti, quod ſibi ſuperveniens vindicaret habitator, ſed ipſum & in ipſo, novo homini datum eſſe principium: ut in uno Dei atque hominis filio, & ſine matre deitas, & ſine patre eſſet humanitas. Simul enim per Spiritum-ſanctum fœcundata virginitas, ſine corruptionis veſtigio edidit, & ſui generis ſobolem, & ſuæ

Matth. 22.

ſtirpis authorem. Unde & idem Dominus, ſicut Evangeliſta commemorat, quæſivit a Judæis, cujus filium Chriſtum Scripturarum authoritate didiciſſent, & eidem reſpondentibus, quod ex David venturus ſemine traderetur: *Quomodo*, inquit, *illum*

Pſalm. 109.

Dominum ſuum David in ſpiritu vocat, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Nec potuerunt Judæi propoſitam ſolvere quæſtionem: qui non intelligebant in uno Chriſto & progeniem Davidicam, & naturam prophetatam eſſe divinam. Majeſtas autem Filii Dei æqualis Patri, veſtiens ſe humilitate ſervili nec metuebat minui, nec indigebat augeri: ipſumque effectum miſericordiæ ſuæ, quem

Geneſ. 1. Cap. III.

reſtitutioni impendebat humanæ, ſola exequi poterat virtute deitatis, ut creaturam ad imaginem Dei conditam a jugo diræ dominationis erueret. Sed quia non ita in primum hominem diabolus violentus extiterat, ut eum in partes ſuas ſine liberi arbitrii conſenſione transferret, ſic deſtruendum peccatum fuerat voluntarium, & hoſtis conſilium, ut dono gratiæ non obeſſet norma juſtitiæ.

Incarnationis Filii Dei neceſſitas.

In totius igitur humani generis ſtrage communi, unum ſolum fuit remedium ſub divinæ rationis occulto, quod poſſet ſubvenire proſtratis, ſi aliquis filiorum Adam originalis prævaricationis alienus atque innocens naſceretur, qui cæteris exemplo prodeſſet & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non ſinebat, nec poterat vitiatæ radicis ſine ſemine propago eſſe, de

Job. 14.

quo Scriptura dicit: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es?* Dominus David, factus eſt filius David; & de promiſſi generis fructu proles eſt orta ſine vitio, in unam perſonam gemina conveniente natura: ut eodem conceptu eodemque partu gigneretur Dominus noſter Chriſtus, cui vera ineſſet deitas ad miracula operum, & vera humanitas ad tolerantiam paſſionum.

Cap. IV.

Fides igitur Catholica, dilectiſſimi, oblatrantium hæreticorum ſpernat errores, qui mundanæ ſapientiæ vanitate decepti, a veritatis Evangelio receſſerunt, & incarnationem Verbi intelligere non valentes, de cauſa illuminationis fecerunt ſibi materiam cæcitatis: Nam omnium fere falſa credentium opinionibus, quæ etiam in ſancti Spiritus negationem proruunt, retractatis, neminem pene deviaſſe cognoſcimus, niſi qui duarum in Chriſto naturarum veritatem ſub unius perſonæ confeſſione non credidit. Alii etenim Domino ſolam humanitatem, alii ſolam adſcripſere deitatem. Alii veram quidem in ipſo divinitatem, ſed carnem dixerunt

Hæreſeon Catalogus.

fuiſſe ſimulatam. Alii profeſſi ſunt veram eum ſuſcepiſſe carnem, ſed Dei Patris non habuiſſe naturam; & deitati ejus, quæ erant humanæ ſubſtantiæ deputantes, majorem ſibi Deum minoremque finxerunt, cum gradus in vera divinitate eſſe non poſſit. Quoniam quicquid Deo minus eſt, Deus non eſt. Alii cognoſcentes Patris & Filii nullam eſſe diſtantiam, quia non poterant unitatem deitatis intelligere, niſi in unitate perſonæ, eundem aſſeruerunt eſſe Patrem, quem Filium, & naſci & nutriri, pati & mori, ſepeliri & reſurgere, ad eundem pertinere, quæ per omnia & hominis perſonarum impleret & Verbi. Quidam putaverunt Dominum Jeſum Chriſtum non noſtræ ſubſtantiæ corpus habuiſſe, ſed ab elementis ſuperioribus ac ſubtilioribus ſumptum. Quidam autem æſtimaverunt in carne Chriſti humanam animam non habitaſſe, nec fuiſſe, ſed partes animæ ipſam Verbi impleſſe deitatem. Quorum imprudentia in hoc tranſiit, ut animam quidem fuiſſe in Domino faterentur; ſed eandem dicerent mente caruiſſe, quia ſufficeret homini ſua deitas ad omnia rationis officia. Poſtremo iidem aſſerere præſumpſerunt, partem quandam Verbi in carnem fuiſſe converſam, ut in unius dogmatis varietate multiplici, non carnis tantum animæque natura, ſed etiam ipſius Verbi ſolveretur eſſentia.

Cap. V.

Multa ſunt & alia prodigia falſitatum, quibus enumerandis charitatis veſtræ non eſt fatigandus auditus: ſed poſt diverſas impietates, quæ ſibi invicem ſunt multiformium blaſphemiarum cognatione connexæ, & de iis potiſſimum erroribus declinandis obſervantiam veſtræ devotionis admoneo, quorum unus dudum, Neſtorio authore, conſurgere non impune tentavit.

Eutychianæ hæreſis.

Alius nuper pari execratione damnandus, Eutyche aſſertore, prorupit: Nam ille beatam Mariam Virginem hominis tantummodo auſus eſt prædicare genitricem, ut in conceptu ejus & partu nulla Verbi & carnis facta unitio crederetur: quia Dei Filius non ipſe factus eſt hominis filius, ſe creato homini ſola ſe dignatione ſociaverit. Quod Catholicæ aures nequaquam tolerare potuerunt, quæ ſic Evangelio veritatis imbutæ ſunt, ut firmiſſime noverint, nullam eſſe humano generi ſpem ſalutis, niſi ipſe eſſet Filius Virginis, qui creator eſt matris. Hic autem recentioris ſacrilegii prophanus adſertor, unitionem quidem in Chriſto duarum confeſſus eſt naturarum, ſed ipſa unitione id dixit effectum, ut ex duabus una remaneret, nullatenus alterius exiſtente ſubſtantia, quæ utique fieri niſi aut in conſumptione aut ſeparatione

non

Digitized by Google

non poſſet. Hæc vero tam inimica ſunt ſanæ fidei,
ut nequeant recipi ſine excidio nominis Chriſtiani.
Si enim Verbi incarnatio non unitio eſt divinæ hu-
manæque naturæ, ſed hoc ipſo concurſu, quod erat
geminum, factum eſt ſingulare, ſola divinitas ex utero
virginis nata eſt, & per ludificatoriam ſpeciem ſola
ſubiit nutrimenta & incrementa corpore: utque
omnes mutabilitates humanæ conditionis omit-
tam, ſola divinitas crucifixa, ſola divinitas mor-
tua, ſola divinitas eſt ſepulta, ut jam ſecundum
talia ſentientes, ſperandæ reſurrectionis nulla ſit
Rom. 8. ratio, nec ſit primogenitus ex mortuis Chriſtus,
Coloſ. 1. quia non fuit, qui deberet reſuſcitari, ſi non fuit,
Cap. 1. qui poſſet occidi. Abſint a cordibus veſtris, dile-
ctiſſimi, diabolicarum inſpirationum virulenta
mendacia: & ſcientes, quod ſempiterna filii deitas
nullo apud Patrem crevit augmento: prudenter
Geneſ. 3. advertite, quod cui naturæ in Adam dictum eſt,
Pſal. 109. *Terra es, & in terram ibis*, eidem in Chriſto dicitur,
Sede a dextris meis. Secundum illam naturam, qua
Chriſtus æqualis eſt Patri, nunquam inferior fuit
unigenitus ſublimitate genitoris, nec temporalis
eſt ei cum Patre gloria, qui eſt ipſa Patris dextera.
De qua in Exod. dicitur: *Dextera tua, Domine, glo-*
Exod. 15. *rificata eſt in virtute*. Et in Eſaia: *Domine quis cre-*
Dextera Patris Filius Dei. *didit auditui noſtro? & brachium Domini cui revela-*
tum eſt? Aſſumptus igitur homo in filium Dei, ſic
Eſaiæ 53. in unitatem perſonæ Chriſti ab ipſis corporalibus eſt
Rom. 10. receptus exordiis, ut nec ſine deitate conceptus ſit,
nec ſine deitate editus, nec ſine deitate nutritus. Idem
erat in miraculis, idem in contumeliis, & per hu-
manam infirmitatem crucifixus, mortuus & ſepultus,
per divinam virtutem die tertia reſuſcitatus, aſcendit
ad cœlos, ſed ad dexteram Dei Patris & in natura
hominis accepit a Patre, quod in natura deitatis
Cap. VII. etiam ipſe donavit. Hæc, dilectiſſimi, pro corde me-
ditantes, Apoſtolici ſemper memores eſtote præce-
Coloſ. 2. pti qui univerſos admonet dicens: *Videte, ne quis*
vos ſeducat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſe-
cundum traditionem hominum, et non ſecundum Chri-
ſtum; quia in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis
corporaliter, et eſtis repleti in illo. Non dixit ſpiri-
taliter, ſed corporaliter, ut veram intelligamus
ſubſtantiam carnis, ubi eſt plenitudinis divinitatis
inhabitatio corporalis: qua utique tota etiam reple-
Epheſ. 1. tur Eccleſia, quæ inhærens capiti, corpus eſt Chri-
Coloſ. 1. ſti, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto,
Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO IX.

In eadem ſolemnitate.

Divinitas immutabilis ut noſtra infirma ſuſcepe-
rit, et quid libertatis nobis per hoc
ipſum contulerit.

Cap. I. EXcedit quidem, dilectiſſimi, multumque ſu-
pereminet humani eloquii facultatem divi-
ni operis magnitudo: & inde oritur difficultas
fandi, unde adeſt ratio non tacendi: Quia in Chri-
ſto Jeſu Filio Dei non ſolum ad divinam eſſen-
tiam, ſed etiam ad humanam ſpectat naturam,
quod dictum eſt per Prophetam: *Generationem*
Eſaiæ 53. *ejus quis enarrabit?* Utramque enim ſubſtantiam
in unam conveniſſe perſonam, niſi fides credat,
ſermo non explicat: & ideo nunquam materia
deficit laudis, quia nunquam ſufficit copia lau-
datoris. Gaudeamus igitur, quod ad eloquen-
dum tantæ miſericordiæ ſacramentum impares
ſumus, & cum ſalutis noſtræ altitudinem pro-
mere non valemus, ſentiamus nobis bonum eſ-
ſe, quod vincimur. Nemo enim ad cognitionem
veritatis magis propinquat, quam qui intelligit
in rebus divinis, etiamſi multum proficiat, ſem-
per ſibi ſupereſſe quod quærat. Nam qui ſe ad
id, in quod tendit, perveniſſe præſumit, non
quæſita reperit, ſed in inquiſitione deficit. Ne
autem infirmitatis noſtræ perturbemur anguſtiis,
Evangelicæ nos & propheticæ adjuvant voces, qui-
bus ita accendimur & docemur, ut nos nativita-
tem Domini, qua Verbum caro factum eſt, non Joan. 1.
tam præteritam recolere, quam præſentem videa-
mur inſpicere. Quod enim paſtoribus pro gre- Luc. 2.
gum ſuorum cuſtodia vigilantibus nunciavit Ange-
lus, etiam noſtrum implevit auditum: & ideo do-
minicis ovibus præſumus quia verba divinitus edi- Ibid.
ta cordis ore ſervamus, tanquam & in hodierna
feſtivitate dicatur, *Evangelizo vobis gaudium ma-*
gnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis
hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civita-
te David. Cujus prædicationis ſummitati exulta-
tio innumerabilium jungitur Angelorum, ut excel-
lentius fieret teſtimonium, cui militiæ cœleſtis
multitudo concineret in honorem Dei una bene-
dictione dicentium: *Gloria in excelſis Deo, et in*
terra pax hominibus bonæ voluntatis. Dei ergo glo-
ria eſt ex matre virgine Chriſti naſcentis infantia,
& reparatio humani generis merito in laudem ſui
refertur authoris: quia & ipſe beatæ Mariæ miſ-
ſus a Deo Gabriel Angelus dixerat: *Spiritus ſan-*
ctus ſuperveniet in te, et virtus Altiſſimi obum-
brabit tibi: ideoque et quod naſcetur ex te ſanctum,
vocabitur Filius Dei. In terra autem illa pax conce-
ditur, quæ homines efficit bonæ voluntatis. Quo
enim ſpiritu de intemeratæ matris viſceribus naſci-
tur Chriſtus, hoc de ſanctæ Eccleſiæ utero rena-
ſcitur Chriſtianus, cui vera pax eſt a Dei volun-
tate non dividi, & in iis ſolis, quæ Deus diligit,
delectari.

Natalem igitur, dilectiſſimi, diem Domini ce- Cap. II.
lebrantes, qui ex omnibus præteritorum tempo-
rum diebus electus eſt, licet diſpenſatio actionum
corporalium, ſicut æterno conſilio fuerat præ-
ordinata, tranſierit, totaque Redemptoris humili-
tas in gloriam paternæ majeſtatis evecta ſit *ut in no-* Philip. 2.
mine Jeſu omne genuflectatur, cæleſtium, terreſtrium
et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Do-
minus Jeſus in gloria eſt Dei Patris: Indeſinen-
ter tamen ipſum partum ſalutiferæ virginis ado-
ramus, & illam Verbi & carnis indiſſolubilem
copulam non minus ſuſcipimus in præſepe ja-
centem, quam in throno paternæ altitudinis con-
ſidentem. Immutabilis enim deitas quamvis in-
tra ſemetipſam, & claritatem ſuam & potentiam
contineret, non tamen ideo non erat conſerta
naſcenti, quia humano aſpectui non patebat, ut
per veri hominis ſic inuſitata primordia ille agno-
ſceretur genitus, qui Regis David & Dominus
eſſet & filius. Ipſe enim prophetico ſpiritu cantat,
dicens: *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris* Pſal. 9.
meis. Quo teſtimonio, ſicut Evangelium refert,
confutata eſt impietas Judæorum. Nam cum Jeſu
interrogante Judæos, cujus filium dicerent Chri-
ſtum, reſpondiſſent, *David*, confeſtim Dominus
cæcitatem illorum arguens, ait: *Quomodo ergo* Matt. 22.
David in ſpiritu vocat eum Dominum dicens, Dixit
Dominus Domino meo, ſede a dextris meis? Interclusiſtis
vos, o Judæi, intelligentiæ viam, & dum ſolam
naturam carnis aſpicitis, tota vos veritatis luce pri-
vatis. Expectantes enim ſecundum veſtræ perſua-
ſionis fabuloſa figmenta, David filium de ſola ſtirpe
cor-

Rom. 1. corporea, dum ſpem veſtram in homine tantum conſtituitis, Deum Dei Filium repuliſtis, ut quod nobis Matth. 1. confiteri glorioſum eſt, vobis prodeſſe non poſſit. Nam & nos interrogati, cujus filius ſit Chriſtus, voce Apoſtoli confitemur, quod *factus eſt ex ſemine David, ſecundum carnem*: & de initio ipſo Evangelicæ prædicationis inſtruimur, legentes: *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David*. Sed ideoa veſtra impietate diſcernimur, quia quem ex progenie David hominem novimus natum, eundem, ſecundum Joann. 1. quod *Verbum caro factum eſt*, Deum Deo Patri credimus coæternum. Unde ſi teneres, o Iſrael, tui nominis dignitatem, & propheticas denunciationes Eſai. 7. non obcæcato corde percurreres, Eſaias tibi Evan- Matth. 1. gelicam panderet veritatem, & non ſurdus audires divina inſpiratione dicentem: *Ecce virgo concipiet in utero, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus.* Quem ſi in tanta proprietate ſacri nominis non videbas, in Davidica ſaltem voce didiciſſes, ne contra teſtificationem Cap. III. novi & veteris Teſtamenti, Jeſum Chriſtum David filium denegares, quem David Dominum non fateris.

Quapropter, dilectiſſimi, quoniam per ineffabilem gratiam Dei, Eccleſia fidelium gentium conſecuta eſt, quod carnalium Judæorum ſynagoga non meruit, dicente David: *Notum fecit Dominus ſalutare* Pſal. 97. *ſuum, in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam*: & Eſaia ſimiliter prędicante: *Populus qui ſedebat in te-* Eſai. 9. *nebris, vidit lucem magnam: qui habitabant in regione* Eſa. 55. *umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Et iterum: *Gentes quæ te non noverunt, invocabunt te: & populi qui te neſciunt, ad te confugient*: exultemus in die ſalutis noſtræ, & per novum Teſtamentum in conſortium ejus Pſalm. 2. aſſumpti, cui dicitur a Patre per Prophetam: *Filius meus es tu: ego hodie genui te: poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: in adoptantis nos miſericordia glo- Rom. 8. riemur: quia ſicut Apoſtolus ait, *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater)* Dignum eſt enim atque conveniens, ut teſtantis patris voluntas ab adoptionis filiis impleatur, & dicente Ibidem. Apoſtolo, *Si compatimur, & conglorificabimur, ſint humilitatis Chriſti comparticipes qui ſunt futuræ glo-* Rom. 8. *riæ cohæredes*: honoretur in infantia ſua Dominus, nec ad deitatis referantur injuriam exordia & incrementa corporea: quoniam naturæ incommutabili nec addidit aliquid noſtra natura, nec minuit, ſed qui in ſimilitudinem carnis peccati dignatus eſt hominibus eſſe conformis, in unitate deitatis Patri permanet æqualis, cum quo & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO X.

In eadem ſolemnitate.

Verbum paternæ majeſtatis ut habitavit in nobis, & de ejuſdem excellentia.

Cap. I. SÆpe, ut noſtis, dilectiſſimi, de excellentia feſtivitatis hodiernæ officium vobis ſermonis ſalutaris impendimus: nec ambigimus ita cordibus veſtris divinæ pietatis reſplenduiſſe virtutem, ut quod vobis fide eſt inſitum, id ſit etiam intelligentia comprehenſum. Sed quia Domini Salvatoriſque noſtri nativitas non ſolum ſecundum deitatem de Patre, ſed etiam ſecundum carnem de matre, ita facultatem humani excedit eloquii, ut merito ad utrumque Eſai. 53. referatur, quod dictum eſt, *Generationem ejus quis enarrabit?* In eo enim ipſo, quod digne non poteſt explicari, ſemper exuberat ratio differendi, non quia liberum ſit diverſa ſentire, ſed quia dignitati materiæ nulla poteſt lingua ſufficere. Magnitudo igitur ſacramenti, in ſalutem humani generis ante ſæcula æterna diſpoſiti, in ſæculorum fine reſerati, integritati ſuæ nec auferri aliquid patitur, nec auge- Hæreſes unde. ri: & ſicut propria non amittit, ita aliena non reci- 1. Tim. 1. pit. Sed multi opinionum ſuarum ſequaces quod nondum intellexerant, paratiores docere quam diſcere, ſicut ait Apoſtolus, circa fidem naufragaverunt: quorum pravas compugnanteſque ſententias brevi ſignificatione perſtringam: ut errorum tenebris a veritatis luce diſcretis, & religioſe honorentur beneficia divina, & ſcienter caveantur mundana mendacia. Quidam enim ex documentis nativitatis Cap. II. Domini Jeſu Chriſti, quæ eum verum hominis filium demonſtrabant, nihil ipſum amplius quam hominis filium crediderunt, non putantes illi adſcribendam eſſe dignitatem, quem & primordia infantiæ, & incrementa corporea, & paſſionum uſque ad crucem mortemque conditio, non diſſimilem cæteris mortalibus approbaſſent. Alii vero virtutum Hæreſes diverſæ circa incarnationem Verbi. admiratione permoti, & originis nativitatem, & dictorum factorumque potentiam, ad divinam intelligentes pertinere naturam, nihil illi putaverunt noſtræ ineſſe ſubſtantiæ, totumque illud quod corporeæ fuit actionis & formæ, aut de ſublimioris generis produiſſe materia, aut ſimulatam carnis ſpeciem habuiſſe: ut videntium & tangentium ſenſus ludificatoria imagine fallerentur. Fuit autem in quibuſdam errantibus etiam illa perſuaſio, qua conarentur aſſerere, ex ipſa Verbi ſubſtantia quiddam in carnem fuiſſe converſum, natoque Jeſu ex Maria Virgine, nihil maternæ fuiſſe naturæ, ſed & quod erat Deus, & quod erat homo, utrumque ad id pertinuiſſe, quod Verbum eſt: ut ſcilicet in Chriſto & per diverſitatem ſubſtantiæ ſalva fuerit humanitas, & per defectum mutabilitatis non vera divinitas. Has ergo, dilectiſſimi, aliaſque Cap. III. impietates diabolica inſpiratione conceptas, & in multorum noxam per vaſa perditionis effuſas, olim Catholica fides, cui Deus & magiſter eſt & auxiliator, obtinuit, exhortante & inſtruente Spiritu ſancto per legis teſtificationem, per vaticinia Prophetarum, & per Evangelicam tubam, Apoſtolicamque Joan. 1. doctrinam, ut conſtanter intelligenterque creda- Deus Verbum ut in nobis habitavit. mus; quia, ſicut ait beatus Joannes: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* In nobis utique quos ſibi Verbi divinitas coaptavit, cujus caro de utero Virginis ſumpta nos ſumus. Quæ ſi de noſtra, id eſt vere humana non eſſet, Verbum caro factum non habitaſſet in nobis. In nobis autem habitavit, qui naturam noſtri corporis ſuam fecit, ædificante ſibi ſapientia domum, non de quacunque materia, ſed de ſubſtantia proprie noſtra; cujus aſſumptio eſt manifeſtata, cum dictum eſt, *Verbum caro fa-* Ibidem. *ctum eſt, et habitavit in nobis*. Huic autem ſacratiſſimæ prædicationi etiam beati Pauli Apoſtoli Coloſſ. 2. doctrina concordat, dicentis, *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam et inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, et non ſecundum Chriſtum: quia in Chriſto habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et eſtis repleti in illo*. Totum igitur corpus implet tota divinitas, & ſicut nihil deeſt illius majeſtatis, cujus habitatione repletur habitaculum: ſic nihil deeſt corporis, quod non ſuo habitatore ſit plenum. Quod autem dictum eſt, *Et eſtis repleti in illo*, noſtra utique eſt ſignificata natura, ad quos illa repletio non pertineret, niſi Dei Verbum noſtri ſibi generis & animam & corpus univiſſet. Agnoſcendum ſane,

di-

dilectiſſimi, & toto corde eſt confitendum, quod
Chriſti incarnatio quam ſit excellens. hæc generatio, qua & Verbum & caro, id eſt,
Deus homo unus Dei Filius, unuſque Chriſtus ef-
ficitur, ſupra omnem originem humanæ creationis
Geneſ. 2. excellit. Nec enim aut Adæ de limo terræ forma-
tio, aut Evæ de viri carne plaſmatio, aut cætero-
rum hominum de utriuſque ſexus permixtione con-
Geneſ. 22. ditio, Jeſu Chriſti poteſt ortui comparari. Genuit
Abraham ſenex divinæ promiſſionis hæredem, &
transgreſſa fœcunditatis annos, ſterilis Sara conce-
Geneſ. 25. pit. Jacob dilectus eſt a Deo, antequam natus, &
Malach. 1. præveniente gratia, voluntarias actiones ab hiſpida
Rom. 9. congeniti fratris aſperitate diſcretus. Hieremiæ di-
citur, *Priuſquam te formarem in utero, novi te,*
Hier. 1. *& antequam exires de vulva, ſanctificavi te.* Anna
Generationes omnium ætatum. diu fœcunditatis aliena, Samuelem Prophetam,
quem Deo offerret, enixa eſt, ut & partu clara eſ-
ſet & voto. Zacharias ſacerdos de Eliſabeth ſterili
1. Reg. 1. ſanctam ſuſcepit prolem: & Præcurſor Chriſti fu-
Luc. 1. turus Joannes, ſpiritum propheticum intra viſcera
matris acceperat, & nondum editus puer genitri-
cem Domini ſigno clauſæ exultationis oſtenderat.
Magna hæc omnia, & divinorum operum ſunt
plena miraculis: ſed hoc ipſo immoderatius ſtu-
Nativitatis Chriſti excellentia. penda, quo plura. Nativitas autem Domini noſtri
Jeſu Chriſti omnem intelligentiam ſuperat, & cun-
cta exempla tranſcendit. Nec poteſt ullis eſſe com-
parabilis, quæ eſt inter omnes ſingularis. Electæ
namque Virgini de ſemine Abrahæ, ac de radice Jeſ-
ſe, per propheticas voces, & per myſtica ſigna pro-
miſſæ denunciatur ab Archangelo ſine damno pu-
doris beata fœcunditas, ſacram virginitatem nec
Luc. 1. conceptu violatura, nec partu. Superveniente quip-
pe in eam Spiritu ſancto, & Altiſſimi obumbrante
virtute, incommutabile Dei Verbum de incontami-
nato corpore habitum ſibi humanæ carnis aſſumpſit:
que & nullum contagium de concupiſcentia carnis
traheret, & nihil eorum, quæ ad animæ corporiſque
Cap. v. naturam pertinent, non haberet. Recedant procul,
atque in tenebras ſuas eant hæreticarum monſtra
opinionum, & inſanarum ſacrilegia falſitatum. Nos
exultans in laudem Dei cœleſtium multitudo, &
inſtructi ab Angelis docuere paſtores: ut cognitis
naturæ utriuſque documentis, & Verbum in Chri-
ſto homine, & Chriſtum hominem adoremus in
1. Cor. 6. Verbo. Nam ſi, ut Apoſtolus ait, *Qui adhæret Do-
mino, unus ſpiritus eſt:* quanto magis Verbum caro
factum unus eſt Chriſtus? ubi nihil eſt alterius na-
turæ, quod non ſit utriuſque. Non ergo infirme-
tur in conſiliis miſericordiæ Dei, quæ nos & inno-
centiæ reformat & vitæ, nec quia in Salvatore no-
ſtro manifeſte cognoſcimus geminæ ſigna naturæ,
aut in gloria Dei de veritate carnis, aut in humilita-
te hominis de deitatis majeſtate dubitemus. Idem
eſt in forma Dei, qui formam ſuſcepit ſervi. Idem
eſt incorporeus manens, & corpus aſſumens. Idem
eſt in ſua virtute inviolabilis, & in noſtra infirmitate
paſſibilis. Idem eſt a paterno non diviſus throno,
& ab impiis crucifixus in ligno. Idem eſt ſuper cœ-
lorum altitudines victor mortis aſcendens, & uſque
ad conſummationem ſæculi univerſam Eccleſiam
Matth. 28. non relinquens. Idem poſtremo eſt, qui in eadem,
qua aſcendit, carne venturus, ſicut judicium ſu-
ſtinuit impiorum, ita judicaturus eſt de omnium
actione mortalium. Unde ne plurimis teſtimoniis
immoremur, unum ſufficit ex Evangelio Beati Joan-
Joan. 5. nis adhiberi, quo ipſe Dominus noſter dicit: *Amen,
amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quan-
do mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint,
vivent. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo,
ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo: & pote-*

ſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.
Ergo ſub una ſententia oſtendit, quia Filius Dei at-
que filius hominis eſt. Unde apparet quemadmo-
dum Chriſtum Dominum in unitate perſonæ crede-
re debeamus, quia cum ſit Filius Dei, per quem facti
ſumus, etiam filius hominis per aſſumptionem car-
nis eſt factus, ut moreretur, ſicut ait Apoſtolus, pro- Rom. 4.
pter delicta noſtra, ut reſurgeret propter juſtificatio-
nem noſtram. Hæc confeſſio, dilectiſſimi, nullas Cap. vi.
metuit contradictiones, nullis cedit erroribus. A-
gnoſcimus enim miſericordiam Dei ab initio promiſ-
ſam, & ante ſæcula præparatam, per quam reſolvi
captivitatis humanæ vincula potuerunt, quibus pri-
mum hominem omnemque ejus poſteritatem ma-
le ſuaſis peccati fautor obſtrinxerat, & propagi-
nem dedititiam jam originali ſibi præjudicio vindica-
bat. Quia igitur juſtificandis hominibus hoc prin-
cipaliter opitulatur, quod unigenitus Dei, etiam fi-
lius hominis eſſe dignatus eſt, ut ὁμοούσιος Patri
Deus, id eſt unius ſubſtantiæ, idem homo verus &
ſecundum carnem matri conſubſtantialis exiſtere,
utroque gaudemus, quia non niſi utroque ſalvamur,
in nullo dividentes viſibilem ab inviſibili, corpo-
reum ab incorporeo, paſſibilem ab impaſſibili, pal-
pabilem ab impalpabili, formam ſervi a forma Dei:
quia etſi unum manet ab æternitate, aliud cœpit a
tempore: quæ tamen in unitatem convenerunt, nec
ſeparationem poſſunt habere nec finem, dum exal-
tans & exaltatus, glorificans & glorificatus, ita ſi-
bimet inhæſerunt, ut ſive in omnipotentia, ſive in
contumelia, nec divina in Chriſto careant humanis,
nec humana divinis. Hoc credentes, dilectiſſimi, Cap. vii.
Chriſtiani ſumus, veri Iſraelitæ, & in conſortium
filiorum Dei veraciter adoptati: quia & omnes San-
cti, qui Salvatoris noſtri tempora præceſſerunt, per
hanc fidem juſtificati, & per hoc ſacramentum Chri-
ſti ſunt corpus effecti, expectantes univerſalem
credentium redemptionem in ſemine Abrahæ, de
quo dicit Apoſtolus: *Abrahæ dictæ ſunt repromiſ-* Gal. 3.
ſiones, & ſemini ejus. Non dicit, & ſeminibus,
quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo,
qui eſt Chriſtus. Propter quod Matthæus Evangeli- Matth. 3.
ſta, ut promiſſionem ad Abraham factam oſtenderet
in Chriſto eſſe completam, generationum ordinem
percurrit, & in quo omnibus gentibus diſpoſita
fuiſſet benedictio, demonſtravit. Lucas quoque Lucæ 3.
Evangeliſta ab ipſo Domini ortu ſeriem generi ſui
ſurſum verſus retexuit, ut etiam illa ſæcula, quæ
diluvium prævenerunt, huic ſacramento doceret
fuiſſe connexa, omneſque ab initio ſucceſſionum
gradus, ad eum in quo uno erat ſalus omnium
tetendiſſe. Non ergo dubitandum eſt, quia præter
Chriſtum non eſt aliud nomen ſub cœlo datum
hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri, Qui cum
Patre & Spiritu ſancto æqualis in Trinitate vivit
& regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO I.

IN SOLEMNITATE EPIPHANIÆ Domini noſtri JESU CHRISTI.

Epiphaniæ celebritas quid inſinuet, & de trium Magorum adventu ac muneribus.

CElebrato proximo die, quo intemerata vir- Cap. 1.
ginitas humani generis edidit Salvato-
rem, Epiphaniæ nobis, dilectiſſimi, veneranda

ſeſtivitas dat perſeverantiam gaudiorum : ut inter cognatorum ſolemniratum vicina ſacramenta, exultationis vigor & ſervor fidei non tepeſcat. Ad omnium enim hominum ſpectat ſalutem, quod infantia mediatoris Dei & hominum jam univerſo declarabatur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quamvis enim Iſraeliticam gentem, & ipſius gentis unam familiam delegiſſet, de qua naturam univerſæ humanitatis aſſumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis anguſtias, ortus ſui latere primordia ; ſed mox ab omnibus voluit agnoſci, qui dignatus eſt omnibus naſci.

Tres Magi ut ſtellam viderint.

Tribus igitur Magis in regione Orientis ſtella novæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris pulchriorque ſideribus, facile in ſe intuentium oculos animoſque converteret : ut confeſtim adverteretur non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur. Dedit ergo aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum : & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inveniendum obtulit requiſitus.

Cap. II.

Sequuntur tres viri ſuperni luminis ductum, & prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, gratiæ ſplendore ducuntur, qui humano ſenſu ſignificatum ſibi Regi ortum æſtimaverunt in civitate regia eſſe quærendum. Sed qui ſervi ſuſceperat formam, & non judicare venerat, ſed judicari, Bethleem prælegit nativitati, Hieroſolymam paſſioni. Herodes vero audiens Judæorum principem natum, ſucceſſorem ſuſpicatus expavit, & molitus necem ſalutis auctori, falſum ſpopondit obſequium. Quam felix foret, ſi Magorum imitaretur fidem, & converteret ad religionem, quod diſponebat ad fraudem ! O cæca ſtultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas divinum tuo furore conſilium ! Dominus mundi temporale non quærit regnum qui præſtat æternum. Quid incommutabilem diſpoſitarum rerum ordinem vertere, & aliorum facinus præoccupare conaris ? Mors Chriſti non eſt temporis tui. Ante condendum eſt Evangelium, ante prædicandum eſt Dei regnum, ante ſanitates donandæ, ante ſunt facienda miracula. Cur, quod alieni futurum eſt operis, tui vis eſſe criminis ; & non habiturus effectum ſceleris, in ſolum te reatum præcipitas voluntatis ? Nihil hac molitione proficis, nihil peragis : Qui voluntate natus eſt, ſui arbitrii poteſtate morietur. Conſummant ergo Magi deſiderium ſuum, ad puerum Dominum Jeſum Chriſtum eadem ſtella præeunte perveniunt. Adorant in carne Verbum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum majeſtatis : utque ſacramentum fidei ſuæ intelligentiæque manifeſtent, quod cordibus credunt, muneribus poteſtantur.

Magorum munera.

Thus Deo, myrram homini, aurum offerunt Regi : ſcienter divinam humanamque naturam in unitate venerantes, quia quod erat in ſubſtantiis proprium, non erat in perſona diverſum.

Cap. III.

Reverſis autem Magis in regionem ſuam, tranſlatoque Jeſu in Ægyptum ex admonitione divina, exardeſcit, fruſtrata in meditationibus ſuis Herodis inſania.

Innocentes martyres.

Necari omnes Bethleem parvulos jubet, & quoniam quem metuat neſcit infantem, generalem ſæviriam in ſuſpectam ſibi tendit ætatem. Sed quos Rex impius eximit mundo, Chriſtus inſerit cælo : & quibus nondum ſanguinis ſui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem. Erigite igitur, dilectiſſimi, fideles animos ad coruſcantem gratiam luminis ſempiterni, & impenſa ſaluti humanæ gratiæ ſacramenta venerantes, ſtudium veſtrum iis, quæ pro vobis geſta ſunt, ſubdite. Diligite caſtimoniæ puritatem, quia Chriſtus virginitatis eſt filius : abſtinete vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, quemadmodum nos præſens beatus Apoſtolus ſuis, ut legimus, verbis hortatur : *Malitia parvuli eſtote, quia Dominus gloriæ mortalium ſe conformavit infantiæ.* Sectamini humilitatem, quam Dei Filius diſcipulos ſuos docere dignatus eſt. Induite vos virtutem patientiæ, in qua animas veſtras poſſitis, acquirere : quoniam qui cunctorum eſt redemptio, ipſe eſt omnium fortitudo. *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Per viam veritatis & vitæ conſtanter incedite : nec vos impediant terrena, quibus ſunt parata cæleſtia. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

1. Pet. 1.

1. Cor. 14.

Matth. 18.

Coloſſ. 3.

SERMO II.

In eadem ſolemnitate.

Epiphaniæ Dominicæ ratio, & quid Chriſtianis profuerit excæcatio Judæorum.

GAudete in Domino, dilectiſſimi, iterum dico, gaudete, quoniam brevi intervallo temporis poſt ſolemnitatem nativitatis Chriſti, feſtivitas declarationis ejus illuxit : & quem in illo die Virgo peperit, in hoc mundus agnovit. Verbum enim caro factum ſic ſuſceptionis noſtræ temperavit exordia, ut natus Jeſus & credentibus manifeſtus, & perſequentibus eſſet occultus. Jam tunc ergo cœli enarraverunt gloriam Dei, & in omnem terram ſonus veritatis exivit : quando & paſtoribus exercitus Angelorum Salvatoris editi annunciator apparuit, & Magos ad eum adorandum prævia ſtella perduxit : ut a ſolis ortu uſque ad occaſum veri Regis generatio coruſcaret, cum rerum fidem, & regna Orientis per Magos diſcerent, & Romanum imperium non lateret. Nam & ſævitia Herodis, volens primordia ſuſpecti ſibi Regis extinguere, huic diſpenſationi neſciens ſerviebat : ut dum attroci intentus facinori, ignotum ſibi puerum indiſcreta infantium cæde perſequitur, annunciatum cœlitus dominatoris ortum inſignior ubique fama loqueretur, quam promptiorem ad narrandum diligentioremque faciebat & ſupernæ ſignificationis novitas, & cruentiſſimi perſecutoris impietas. Tunc autem etiam Ægypto Salvator illatus eſt, ut gens antiquis erroribus dedit, jam ad vicinam ſalutem, per occultam gratiam ſignaretur : & quæ nondum ejecerat ab animo ſuperſtitionem, jam hoſpitio reciperet veritatem. Merito igitur, dilectiſſimi, dies iſte manifeſtatione Domini conſecratus ſpecialem in toto mundo obtinuit dignitatem, quæ in cordibus noſtris digno debet ſplendore clareſcere, ut rerum geſtarum ordinem non ſolum credendo, ſed etiam intelligendo veneremur. Quantum enim gratiarum actionem debeamus Domino pro illuminatione gentium, probat obcæcatio Judæorum ; Quid enim tam cæcum, quid tam lucis alienum, quam illi ſacerdotes & ſcribæ Iſraelitarum fuerunt ? qui percontantibus Magis, & Herode quærente, ubi Chriſtus ſecundum Scripturarum teſtimonium naſceretur, hoc reſponderunt de prophetico eloquio, quod indicabat ſtella de cœlo. Quæ utique poterat Magos Hieroſolymis prætermiſſis, uſque ad cunabula pueri, ſicut poſtmodum fecit,

Cap. I.

Philip. 4.

Joan. 1.

Pſalm. 18.

Rom. 10.

Luc. 2.

Matth. 2.

Chriſtus cur in Ægyptum delatus.

Excæcatio Judæorum, illuminatio fuit gentium.

ſua

ſua ſignificatione perducere ; niſi ad confutandam Judæorum duritiam pertinuiſſet, ut non ſolum dictu ſideris, ſed etiam ipſorum profeſſione innoteſceret nativitas Salvatoris. Jam ergo ad eruditionem gentium propheticus ſermo tranſibat, & prænunciatum antiquis oraculis Chriſtum alienigenarum corda diſcebant : cum Judæorum infidelitas veritatem ore proferret, & mendacium corde retineret. Noluerunt enim agnoſcere oculis, quem de ſacris indicabant libris : ut quem non adorabant in infantiæ infirmitate humilem, poſtea crucifigerent in virtutum
Cap. II. ſublimitate fulgentem. Quæ iſta, Judæi, tam imperita in vobis ſcientia eſt, & tam indocta doctrina? Interrogati, ubi Chriſtus naſceretur, veraciter & memoriter dicitis, quod legiſtis in Bethleem
Mich. 5. Judæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam, *Et tu Bethleem terra Juda, non es minima inter principes*
Luc. 2. *Juda? Ex te enim exiet princeps, qui regat populum meum Iſrael.* Hunc principem natum, & paſtoribus angeli, & vobis nunciavere paſtores. Hunc principem natum longinquæ Orientalium gentium nationes inſolito oovi ſideris ſplendore didicerunt. Et ne de loco editi regis ambigerent, veſtra eruditio prodidit, quod ſtella non docuit. Cur vobis viam, quam aliis aperitis, obſtruitis? Cur in veſtra infidelitate reſidet dubium, quod ex veſtra ſit reſponſione manifeſtum? Locum nativitatis de Scripturarum teſtimonio demonſtratis, præſentiam temporis de cœli & terræ atteſtatione cognoſcitis : & tamen ubi ad perſequendum animus Hærodis exarſit, ibi ad non credendum veſter ſenſus obduruit.
Matth. 2. Felicior ergo ignorantia infantium, quos perſecutor occidit, quam veſtra ſcientia quam in ſua perturbatione conſuluit. Vos noluiſtis regnum ejus recipere, cujus oppidum potuiſtis oſtendere. Illi potuerunt pro eo mori, quem nondum poterant
Matth. 28. confiteri. Itaque Chriſtus, ne ullum ei tempus eſſet abſque miraculo, ante uſum linguæ poteſtatem verbi tacitus exerebat, & quaſi jam diceret:
Cap. III. *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum.* Nova gloria coronabat infantes, & de initiis ſuis parvulorum primordia conſecrabat : ut diſceretur neminem hominum divini incapacem eſſe ſacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ eſſet apta martyrii. Agnoſcamus ergo, dilectiſſimi, in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ fideique primitias, & exultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus. Exinde enim in æternam hæreditatem cœpimus introire. Exinde nobis Chriſtum loquentia Scripturarum arcana patuerunt, & veritas, quam Judæorum obcæcatio noo recipit, omnibus nationibus lumen ſuum invexit. Honoretur itaque a nobis ſacratiſſimus dies, in quo ſalutis noſtræ author apparuit, & quem Magi infantem venerati ſunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cœlis. Ac ſicut ille de theſauris ſuis myſticas Domino munerum ſpecies obtulerunt : ita & nos de cordibus noſtris, quæ Deo
Laborantibus, non otioſis, regnum Dei promiſſum. ſunt digna, promamus. Quamvis enim omnium bonorum ſit ipſe largitor, etiam noſtræ tamen fructum quærit induſtriæ. Non enim dormientibus provenit regnum cœlorum, ſed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus : ut ſi dona illius irrita non fecerimus, per ea quæ dedit, mercamur accipere quod promiſit. Unde cohortamur dilectionem veſtram, ut abſtinentes vos ab omni opere malo, quæ ſunt caſta, & juſta, ſectemini. Filii enim lucis abiicere debent opera tenebrarum. Itaque odia declinate, mendacia abiicite, ſuperbiam humilitate deſtruite, avaritiam largitate
Rom. 13. delete. Decet enim ut capiti ſuo membra conveniant : ut promiſſarum beatitudinum mereamur eſſe conſortes. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO III.

In eadem ſolemnitate.

Declarationis Chriſti cauſam, neceſſitatem, utilitatemque explicat.

Quamvis ſciam, dilectiſſimi, quod ſancti- Cap. I.
tatem veſtram hodiernæ feſtivitatis cauſa non lateat, eamque ſecundum conſuetudinem Evangelicus vobis ſermo reſeraverit : tamen ut noſtri nihil deſit officii, loqui de eadem quod Dominus donaverit, audebo : ut in communi gaudio, tanto religioſior ſit omnium pietas, quanto magis omnibus fuerit intellecta ſolemnitas. Providentia namque miſericordiæ Dei, diſpoſitum habens percunti mundo in noviſſimis temporibus ſubvenire, ſalvationem omnium gentium præfinivit in Chriſto, ut quia & cunctas nationes a veri Dei cultu impius dudum error adverterat, & ipſe peculiaris Dei populus Iſrael ab inſtitutis legalibus pene totus exciderat, concluſis omnibus ſub peccato, omnium miſereretur. Deficiente enim ubique juſtitia, & toto Rom. 12.
mundo in vana & maligna prolapſo, niſi judicium ſuum divina poteſtas differret, univerſitas hominum ſententiam damnationis exciperet. Sed in indulgentiam ira translata eſt, & ut clarior fieret exercendæ gratiæ magnitudo, tunc placuit abolendis peccatis hominum ſacramentum remiſſionis adferri, quando nemo poterat de ſuis meritis gloriari.

Hujus autem ineffabilis miſericordiæ manifeſta- Cap. II. Incarnationis Chriſti promiſſum tempus.
tio facta eſt, Hærode apud Judæos jus regium tenente, ubi legitima Regum ſucceſſione ceſſante, & Pontificum poteſtate deſtructa, alienigenæ obtinuerant principatum : ut veri regis ortus, illius prophetiæ probaretur voce, quæ dixerat: *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus,* Geneſ. 49.
donec veniat, cui repoſitum eſt: & ipſe erit expectatio gentium. De quibus quondam beatiſſimo Patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promiſſa ſucceſ- Geneſ. 22.
ſio, non carnis ſemine, ſed fidei fœcunditate generanda : & ideo ſtellarum multitudini comparata, ut ab omnium gentium patre, non terrena, ſed cœleſtis progenies ſperaretur. Ad creandam ergo promiſſam poſteritatem, hæredes in ſideribus deſigna- Srella cur Magis apparuerit.
ti, ortu novi ſideris excitantur : ut in quo cœli adhibitum ſic fuerat teſtimonium, cœli famularetur obſequium. Commonet Magos remotioris Orientis habitatores, ſtellis cæteris ſtella fulgentior, & de mirandi luminis claritate, viri ad hæc ſpectanda non inſcii, magnitudinem ſignificationis intelligunt : agente hoc ſine dubio in eorum cordibus inſpiratione divina, ut eos tantæ viſionis myſterium non lateret, & quod oculis oſtendebatur inſolitum, animis non eſſet obſcurum. Denique officium ſuum cum religione diſponunt, & his ſe inſtruunt donis, ut adoraturi unum, tria ſe ſimul crediſſe demonſtrent : auro honorantes perſonam regiam, myrrha humanam, thure divinam. Ingrediuntur Cap. III.
itaque Judaici regni præcipuam civitatem, & in urbe regia oſtendi ſibi poſtulant, quem ad regnandum didicerant procreatum. Conturbatur Hærodes, timet ſaluti ſuæ, metuit poteſtati. Requirit a

ſacerdotibus & doctoribus legis, quid de ortu Chriſti Scriptura prædixerit, in notitiam venit quod fuerat prophetatum. Veritas illuminat Ma-

Rom. 4. Geneſ. 25. Rom. 9.

gos, infidelitas obcæcat magiſtros. Carnalis Iſrael non intelligit quod legit, non videt quod oſtendit, utitur paginis, quarum non credit eloquiis. Ubi eſt, Judæe, gloriatio tua? Ubi de Abraham patre ducta nobilitas? Nonne circumciſio tua præputium facta eſt? Ecce major ſerviet minori, & alienigenis in ſortem hæreditatis tuæ intrantibus, ejus teſtamenti, quod in ſola littera tenes, recitatione famularis.

Pſalm. 75. Malach. 1.

Intret, intret in patriarcharum familiam gentium plenitudo, & benedictionem in ſemine Abrahæ, qua ſe filii carnis abdicant, filii promiſſionis accipiant. Adorent in tribus Magis omnes populi univerſitatis Authorem: & non in Judæa tantum Deus, ſed in toto orbe ſit notus, ut ubique in Iſrael ſit ma-

Magi cur per aliam viam reverſi ſint.

gnum nomen ejus. Quoniam hanc electi generis dignitatem ſicut infidelitas in ſuis poſteris convincit eſſe degenerem, ita fides omnibus facit eſſe communem. Adorato autem Domino Magi & omni devotione completa, ſecundum admonitionem ſomnii non eodem, quo venerant, itinere revertuntur. Oportebat enim, ut jam in Chriſtum credentes, non per antiquæ converſationis ſemitas ambularent; ſed novam ingreſſi viam a relictis erroribus abſtinerent. Tum ut etiam Hærodis vacuarentur inſidiæ, qui in puerum Jeſum impietatem doli per ſimulationem diſponebat officii. Unde quia ſpes iſtius erat ſoluta commenti, in majorem furorem iracundia Regis ardeſcit. Nam recolens tempus quod indicaverant Magi, in omnes Bethleem pueros rabiem crudelitatis effundit, & cede generali univerſæ civitatis illius in æternam gloriam tranſituram trucidat in-

Jeſus infans cur Ægypto illatus.

fantiam, æſtimans fore, ut nullo illic parvulo non occiſo, occideretur & Chriſtus. At ille, qui ſanguinem ſuum pro mundi redemptione fundendum in aliam differret ætatem, Ægypto ſe parentum miniſterio ſubvectus intulerat, repetens ſcilicet Hebreæ gentis antiqua cunabula, & principatum veri Joſeph majoris providentiæ poteſtate diſponens, ut illam diriorem omni inedia famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ & cibus rationis auferret, nec ſine illa regione pararetur ſingularis hoſtiæ ſacramentum, in qua primum occiſione

Cap. IV. Magi primitiæ gentium.

agni, ſalutiferum Crucis ſignum & Paſcha Domini fuerat præformatum. His igitur, dilectiſſimi, divinæ gratiæ myſteriis eruditi, diem primitiarum noſtrarum, & inchoationem vocationis gentium rationabili gaudio celebremus: gratias agen-

Coloſ. 1.

tes miſericordi Deo, qui dignos nos fecit, ſicut ait Apoſtolus, in partem ſortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ. Quoniam

Eſai. 9.

ſicut prophetavit Eſaias, Gentium populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & qui habitabant in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.

Eſai. 55. Joan. 8. Rom. 4.

De quibus idem dicit ad Dominum, *Gentes, quæ te non noverunt, invocabunt te: & populi, qui te neſciebant, ad te confugient.* Hunc diem Abraham vidit, & gaviſus eſt, quum benedicendos fidei ſuæ filios in ſemine ſuo, quod eſt Chriſtus, agnovit, & omnium ſe futurum gentium patrem credendo proſpexit, dans gloriam Deo, & pleniſſime ſciens quoniam quod promiſit, potens eſt &

Pſal. 85.

facere, *Omnes gentes, quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram te, Domine: & glorificabunt nomen*

Pſal. 97.

tuum. Et illud: *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, ante conſpectum gentium revelavit juſtitiam ſuam.* Quod utique exinde fieri novimus, ex quo tres Magos, de longinquitate ſuæ regionis excitatos, ad cognoſcendum & adorandum Regem cœli & terræ ſtella perduxit, & recte intuentibus quotidie apparere non deſinit. Et ſi potuit notum facere Chriſtum infantia latentem, quanto magis poteſt eundem manifeſtare in majeſtate regnantem? Cujus utique famulatus ad formam nos ſui hortatur obſequii, ut huic gratiæ quæ omnes invitat ad Chriſtum, quantum poſſumus, ſerviamus. Quicunque enim in Eccleſia pie vivit & caſte: qui ea quæ ſurſum ſunt, ſapit, non quæ ſuper terram: Coloſ. 3.
cœleſtis quodammodo inſtar eſt luminis. Et dum ipſe ſanctæ vitæ nitorem ſervat, multis viam ad Dominum quaſi ſtella demonſtrat. In quo ſtudio, dilectiſſimi, omnes vobis invicem prodeſſe debetis, ut in regno Dei, ad quod recta fide & bonis operibus pervenitur, ſicut lucis filii ſplendeatis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO IV.

In eadem ſolemnitate.

Epiphaniæ feſtum (in quo magnum præſidium providentia divina conſtituit) ſummis laudibus celebrandum docet, Spiritusque ſancti in Magos opus oſtendit, atque Manichæorum hæreſim detegendo confutat.

JUſtum & rationabile, dilectiſſimi, veræ pietatis obſequium eſt, in diebus, qui divinæ opera miſericordiæ proteſtantur, toto corde gaudere, & honorifice ea quæ ad ſalutem noſtram geſta ſunt, celebrare, vocante nos ad hanc devotionem ipſa recurrentium temporum lege, quæ nobis poſt diem, in quo coæternus Patri Filius Dei natus ex virgine eſt, brevi intervallo Epiphaniæ intulit feſtum, ex apparitione Domini conſecratum. In quo fidei noſtræ magnum præſidium providentia divina conſtituit, ut dum ſolemni veneratione recolitur adorata in exordiis ſuis Salvatoris infantia, per ipſa originalia documenta probaretur veri hominis in Chriſto orta natura. Hoc enim eſt quod juſtificat impios, hoc eſt quod ex peccatoribus facit Sanctos, ſi in uno eodemque Domino noſtro Jeſu Chriſto, & vera deitas, & vera credatur humanitas. Deitas, qua ante omnia ſæcula in forma Dei æqualis eſt Patri: humanitas, qua noviſſimis diebus in forma ſervi unitus eſt homini. Ad roborandum ergo hanc fidem, quæ contra omnes pronunciabatur errores, ex magna geſtum eſt divini pietate conſilii, ut gens in longinqua Orientalis plagæ regione conſiſtens, quæ ſpectandorum ſiderum arte pollebat, ſignum nati pueri, qui ſupra omnem Iſrael eſſet regnaturus, acciperet. Nova enim claritas apud Magos ſtellæ illuſtrioris apparuit, & intuentium animos ita admiratione ſui ſplendoris implevit: ut nequaquam ſibi crederent negligendum, quod tanto nunciabatur indicio. Præerat autem, ſicut res docuit, huic miraculo gratia Dei, & cum Chriſti nativitatem nec ipſa adhuc Bethleem tota didiciſſet, jam illam credituris gentibus inferebat: & quod nondum poterat humano eloquio diſſeri, cœlo faciebat evangelizante cognoſci. Quamvis autem divinæ dignationis eſſet hoc mu-

Cap. II. nus, ut cognoſcibilis gentibus fieret nativitas Salvatoris, ad intelligendum tamen miraculum ſigni potuerunt Magi etiam de antiquis Balaam prænunciationibus commoveri, ſcientes olim eſſe prædi-
Num. 24 ctum, & celebri memoria diffamatum: *Orietur ſtella ex Jacob, & exurget homo ex Iſrael, & dominabitur gentium.* Tres itaque viri, fulgore inſoliti ſideris divinitus incitati, prævium micantis luminis curſum ſequuntur, exiſtimantes ſe ſignificatum puerum Hieroſolymis in civitate regia reperturos. Sed cum eos hæc opinio feſelliſſet, per Judæorum ſcribas atque doctores, quod ſacra de ortu Chriſti prænunciaverat Scriptura, didicerunt, ut gemino teſtimonio confirmati, ardentiori fide expeterent, quem & ſtellæ claritas, & prophetiæ
Mich. 5. Matth. 2. manifeſtabat authoritas. Prolato autem divino oraculo per reſponſa pontificum, & declarata ſpiritus voce, quæ dicit, *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es inter principes Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael:* quam facile, & quam conſequens fuit ut Hebræorum proceres crederent quod docebant. Sed apparet illos carnaliter cum Hærode ſapuiſſe, & regnum Chriſti commune cum hujus mundi poteſtatibus æſtimaſſe: ut in Chriſto iſti temporalem ſperarent ducem, & terrenum metuerent illi conſortem. Superfluo, Hærodes, timore turbaris, & fruſtra in ſuſpectum tibi puerum ſævire moliris. Non capit Chriſtum regio tua, nec mundi Dominus poteſtatis tuæ ſceptri eſt contentus anguſtiis. Quem in Judæa regnare non vis, ubique regnat: & felicius ipſe regnares, ſi ejus imperio ipſe ſubdereris. Cur ſincero officio non facis, quod ſubdola falſitate promittis? Perge cum magis, & verum regem ſuppliciter adorando venerare. Sed tu Judaicæ ſectator cæcitatis, non imitaris gentium fidem, corque perverſum ad crudeles convertis inſidias, nec illum occiſurus quem metuis, nec illis nociturus quos perimis.

Cap. III. Deducti igitur, dilectiſſimi, in Bethleem Magi ſtellæ præcedentis obſequio, gaviſi ſunt gaudio magno valde, ſicut Evangeliſta narravit: *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.* O perfectæ ſcientiæ mirabilem fidem! quam non terrena ſapientia erudivit, ſed Spiritus
Spiritus ſancti opus in Magos. ſanctus inſtituit. Unde enim ii viri, cum proficiſcerentur de patria, qui nondum viderant Jeſum, nec aliquo contuitu ejus, quo eum tam ordinate venerarentur, adverterant, hanc deferendorum munerum ſervavere rationem? Niſi quia præter illam ſtellæ ſpeciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, ut priuſquam labores itineris inchoarent, eum ſibi ſignificari intelligerent, cui in auro regius honor, in thure divina veneratio, in myrrha mortalitatis confeſſio deberetur. Et hæc quidem, quantum ad illuminationem ſidei pertinebat, potuerunt illis credita & intellecta ſufficere: ut corporali intuitu non inquirerent, quod pleniſſi-
Nobis profuit, quod Magi infantiam Chriſti viderunt. mo viſu mentis inſpexerant. Sed diligentia ſagacis officii, uſque ad videndum puerum perſeverans, futuri temporis populis, & noſtri ſæculi hominibus ſerviebat: ut ſicut omnibus nobis profuit, quod poſt reſurrectionem Domini veſtigia vulnerum in carne ejus, Thomæ Apoſtoli exploravit manus; ita ad noſtram utilitatem proficeret, quod infantiam ipſius Magorum probavit
Roman. 1 Galat. 4. Matth. 5. aſpectus. Viderunt itaque Magi, & adoraverunt puerum de tribu Juda, de ſemine David ſecundum carnem, factum ex muliere, factum ſub lege, quam non ſolvere venerat, ſed adimplere. Viderunt & adoraverunt puerum, quantitate parvulum, alienæ opis indiguum, fandi impotem, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate diſſimilem. Quia ſicut fidelia erant teſtimonia, quæ in eo majeſtatem inviſibilis deitatis aſſererent; ita probatiſſimum eſſe decebat Verbum carnem factum, & ſempiternam illam eſſentiam filii Dei, hominis verum ſuſcepiſſe naturam, ne vel ineffabilium operum ſecutura miracula, vel excipiendarum ſupplicia paſſionum, ſacramentum fidei ex rerum diverſitate turbarent: cum juſtificari omnino non poſſent, niſi qui Dominum Jeſum & verum Deum & verum hominem credidiſſent.

Cap. IV. Manichæorum impietas. Huic ſingulari fidei, dilectiſſimi, & prædicatæ per omnia ſæcula veritati diabolica Manichæorum reſiſtit impietas: qui ſibi ad interficiendas deceptorum animas nefandi dogmatis ferale commentum de ſacrilegis & fabuloſis mendaciis texuerunt: & per has inſanarum opinionum ruinas eoſque præcipites proruunt, ut ſibi falſi corporis fingerent Chriſtum, qui nihil in ſe ſolidum, nihil verum, oculis hominum, actibuſque præbuerit, ſed ſimulatæ carnis vacuam imaginem demonſtravit. Indignum enim videri volunt, ut credatur Deus Dei Filius fœmineis ſe inſeruiſſe viſceribus, & majeſtatem ſuam huic contumeliæ ſubdidiſſe, ut naturæ carnis immixtus, in vero humanæ ſubſtantiæ corpore naſceretur: cum totum hoc opus non injuria ſit ipſius, ſed potentia, nec credenda pollutio, ſed glorioſa dignatio. Si enim lux iſta viſibilis nullis immunditiis, quibus ſuperfuſa fuerit, violatur; nec radiorum ſolis nitorem, quem corpoream eſſe creaturam non dubium eſt, loca ulla ſordentia vel cœnoſa contaminant: quid illius ſempiternæ & incorporeæ lucis eſſentiam potuit qualibet ſui qualitate polluere? quæ ſe ei quam ad imaginem ſuam condidit, ſociando creaturæ purificationem præſtitit, maculam non recepit: & ſic ſanavit vulnera infirmitatis, ut nulla pateretur damna virtutis. Quod divinæ pietatis magnum & ineffabile ſacramentum, quia omnibus ſanctarum Scripturarum teſtificationibus eſt nunciatum: iſti, de quibus loquimur, adverſarii veritatis, legem per Moſen datam, & inſpirata divinitus Prophetarum oracula reſpuerunt, ipſaſque Evangelicas & Apoſtolicas paginas, quædam auferendo, & quædam inſerendo violaverunt; confingentes ſibi ſub Apoſtolorum nominibus, & ſub verbis ipſis Salvatoris, multa volumina falſitatis, quibus erroris ſui commenta munirent, & decipiendorum mentibus mortiferum virus infunderent. Videbant enim ſibi univerſa obſiſtere, omnia reclamare & non ſolum novo, ſed etiam veteri Teſtamento ſacrilegæ impietatis ſuæ dementiam confutari. Et tamen in furioſis mendaciis perſiſtentes, Eccleſiam Dei, deceptionibus ſuis perturbare non deſinunt: hoc miſeris (quos illaqueare potuerunt) perſuadentes, ut negent a Domino Jeſu Chriſto humanam naturam vere eſſe ſuſceptam, negent eum vere pro mundi ſalute crucifixum, negent de ejus latere lancea vulnerato ſanguinem redemptionis & aquam fluxiſſe baptiſmatis, negent eum ſepultum, ac die tertia ſuſcitatum, negent eum in conſpectu diſcipulorum ad conſedendum in dextera Patris, ſuper omnes cœlorum altitudines elevatum: & ut tota Apoſtolici veritate Symboli ſublata, nullus metus terreat impios,

nulla

nulla ſpes incitet Sanctos: negent a Chriſto vivos & mortuos judicandos, ut quos rantorum ſacramentorum virtute privarint, doceant in ſole & luna colere Chriſtum, & ſub nomine Spiritus Sancti, ipſum talium impietatum magiſtrum adorare Manichæum. Ad confirmanda igitur, dilectiſſimi, corda noſtra io fide & veritate, proſit omnibus hodierna feſtivitas, & ex teſtimonio manifeſtatæ Salvatoris infantiæ confeſſio Catholica muniatur, & naturæ noſtræ carnem in Chriſto negantium anathema-

Cap. v.

tizetur impietas: de qua nos beatus Joannes Apoſtolus non dubio ſermone præmonuit, dicens: *Omnis ſpiritus, qui confitetur Chriſtum Jeſum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Nihil ergo cum hujuſmodi hominibus commune ſit cuiquam Chriſtiano, nulla cum talibus habeatur ſocietas, nullumque conſortium.

Manichæorum impietas anathematizanda.
1. Joan. 4.
Manichæi vitandi.

Proſit univerſæ Eccleſiæ, quod multi ipſorum, Domino miſerante, detecti ſunt, & in quibus ſacrilegiis viverent, eorundem confeſſione patefactum eſt. Neminem fallant diſcretionibus ciborum, ſordibus veſtium, vultuumque palloribus. Non ſunt caſta jejunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, ſed de arte fallaciæ. Hactenus nocuerint incautis, hactenus illuſerint imperitis, poſt hæc nullius excuſabilis erit lapſus: nec jam ſimplex habendus eſt, ſed valde nequam atque perverſus, qui deinceps repertus fuerit nefando obſtrictus errore. Eccleſiaſticum ſane atque divinitus inſtitutum non ſolum non inhibemus, ſed etiam incitamus affectum: ut etiam pro talibus nobiſcum Domino ſupplicetis, quoniam & nos deceptarum animarum ruinam cum fletu & mœrore miſereamur, exequentes Apoſtolicæ pietatis exemplum, ut cum infirmantibus infirmemur, & cum flentibus defleamus.

Orandum pro hæreticis.

1. Cor. 11.
Rom. 12.

Speramus enim exorandam miſericordiam Dei multis lachrymis & legitima ſatisfactione lapſorum: quia dum hoc in corpore vivitur, nullius deſperanda reparatio, ſed omnium eſt optanda correctio, auxiliante Domino, *qui eligit eliſos, ſolvit compeditos, illuminat cæcos.* Cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Pſal. 145.

SERMO V.

In eadem ſolemnitate.

Epiphaniæ feſtum quare celebrandum ſit, quid ſtella deſignet, quid Hærodes, & quomodo in Magis (perſonam gentium gerentibus) earum vocatio, Judæis in errore obſtinatis, indicata ſit, quos tandem ad reſipiſcentiam revocare conatur.

Cap. I.

HOdiernam feſtivitatem, dilectiſſimi, apparitio Domini & Salvatoris noſtri (ſicut noſtis) illuſtrat: Et hic ille dies, quo ad cognoſcendum, adorandumque Dei Filium tres Magos prævia ſtella perduxit. Cujus facti memoriam merito placuit honore annuo celebrari: ut dum Evangelica hiſtoria inceſſabiliter recenſetur, ſemper ſe intelligentium ſenſibus inferat ſalutiferum myſterium per inſigne miraculum.

Tres Magi
Matth. 2.

Præceſſerant quidem multa documenta, quæ corpoream nativitatem Domini manifeſtis indiciis declararent: ſive cum beata Maria virgo fœcundandam ſe Spiritu ſancto, pariturамque Dei Filium audivit & credidit, ſive cum ad ſalutationem ipſius in utero Eliſabeth nondum natus Joannes prophetica exultatione commotus eſt, & quaſi etiam intra matris viſcera jam clamaret, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* vel cum ortum Domini, angelo nunciante, paſtores cæleſtis exercitus ſunt claritate circundati, ut non ambigerent de majeſtate pueri, quem erant in præſepe viſuri: nec putarent quod in ſola natura hominis eſſet editus, cui ſupernæ militiæ famularetur occurſus.

Luc. 2.
Joan. 1.
Luc. 2.

Sed hæc atque alia hujuſmodi paucis tunc videntur innotuiſſe perſonis, quæ vel ad cognitionem Mariæ virginis, vel ad ſancti Joſeph familiam pertinebant. Hoc autem ſignum, quod Magos in longinquo poſitos & efficaciter movit, & ad Dominum Jeſum perſeveranter attraxit, illius ſine dubio gratiæ ſacramentum, & illius fuit vocationis exordium, qua nimirum non in Judæa tantum, ſed etiam in toto mundo Chriſti erat Evangelium prædicandum: ut per illam ſtellam quæ Magorum viſui ſplenduit, Iſraelitarum vero oculis non refulſit: & illuminatio ſignificata ſit gentium, & cæcitas Judæorum.

Cap. II.

Permanet igitur, dilectiſſimi, ſicut evidenter apparet, myſticorum forma geſtorum: & quod imagine inchoabatur, veritate completur. Radiat namque e cœlo ſtella per gratiam, & tres Magi coruſcatione Evangelici fulgoris adſciti, in omnibus quotidie nationibus ad adorandam potentiam ſummi Regis accurrunt. Hærodes quoque in diabolo fremit, & auferri ſibi iniquitatis ſuæ regnum io iis, qui ad Chriſtum tranſeunt, ingemiſcit. Unde ſi parvulos interficiat, Jeſum ſibi videtur occidere.

Quid myſtice Stella, quid Magi.
Matth. 2.
Quid Herodes.

Quod utique facere ſine ceſſatione molitur, dum primordiis renatorum Spiritum ſanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere. Judæi vero, qui extra regnum Chriſti eſſe voluerunt, adhuc quodam modo ſub Hærodis ſunt principatu, & dominante ſibi Salvatoris inimico, alienigenæ ſerviunt poteſtati, quaſi neſciant prophetatum, dicente Jacob: *Non deficiet princeps ex Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniat cui repoſita ſunt: & ipſe eſt expectatio gentium.*

Gen. 49.

Sed nondum intelligunt quod negare non poſſunt, & mente non capiunt quod Scripturarum narratione noverunt. Quoniam inſanis magiſtris veritas ſcandalum eſt, & cæcis doctoribus fit caligo quod lumen eſt: Reſpondent itaque interrogati, quod in Bethleem naſcitur Chriſtus: & ſcientiam ſuam, qua alios inſtruunt, non ſequuntur. Perdiderunt igitur ſucceſſionem Regum, placationem hoſtiarum, locum ſupplicationum, ordinem ſacerdotum; cum omnia ſibi clauſa, omnia experiantur ſibi eſſe finita, non vident ea in Chriſtum eſſe tranſlata.

Unde quod illi tres viri univerſarum gentium perſonam gerentes adorato Domino ſunt adepti, hoc in populis ſuis per fidem, quæ juſtificat impios, totus mundus aſſequitur: & hæreditatem Domini ante ſæcula præparatam accipiunt adoptivi, & perdunt qui videbantur eſſe legitimi.

Magi gentium perſonam gerunt.

Reſipiſce tandem, Judæe, reſipiſce, & ad Redemptorem etiam tuum depoſita infidelitate convertere. Noli ſceleris tui immanitate terreri. Non juſtos Chriſtus, ſed peccatores vocat: nec impietatem tuam repellit, qui pro te, cum crucifixus eſſet, oravit. Immitem crudelium patrum tuorum ſolve ſententiam, neque te eorum maledicto patiaris obſtringi, qui clamantes de Chriſto, *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros*, facinus in te ſui criminis transfuderunt. Redite ad miſericordem, utimini clementia remittentis. Sævitia enim veſtræ iniquitatis converſa eſt in cauſam ſalutis. Vivit, quem perire voluiſtis. Confitemini negatum, adorate venditum: ut vobis bonitas illius proſit, cui veſtra malignitas nocere non potuit.

Judæorum vocatio ad reſipiſcentiam.
Matth. 9.
Luc. 23.
Matth. 27.

Quod ergo ad veram, dilectiſſimi, pertinet charitatem, quam etiam inimicis noſtris ex Dominica eruditione debemus, & optandum nobis eſt & ſtu-

Cap. III.
Matth. 5.

Digitized by Google

ſtudenduos, ut & hic populus, qui ab illa ſpiritali patrum nobilitate defecit, ramis ſuæ arboris inſeratur. Multum enim nos Deo benevolentia iſta commendat: quia ideo dilectum illorum nobis miſericordiæ locum fecit, ut eos ad æmulationem ſalutis recipiendæ fides noſtra revocaret. Nam vitam piorum non ſolum ſibi, ſed etiam aliis eſſe utilem decet: ut quod apud eos agi non poteſt verbis, obtineatur exemplis.

Operum commendatio.

Conſiderantes itaque, dilectiſſimi, ineffabilem erga nos divinorum munerum largitatem, cooperatores ſimus gratiæ Dei operantis in nobis. Non enim dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio deſidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur: ſed quia, ſicut Apoſtolus ait,

Rom. 8. Joan. 14.

ſi compatimur, & conglorificabimur, illa nobis currenda eſt via, quam ipſe Dominus ſe eſſe teſtatus eſt, qui nobis, nullis operum meritis ſuffragantibus,

Humilibus & obedientibus nihil difficile. Matth. 11.

& ſacramento conſuluit & exemplo: ut in adoptionem vocatos per illud provehere ad ſalutem, per hoc imbueret ad laborem. Hic autem labor, dilectiſſimi, piis filiis & bonis ſervis non ſolum nec aſper, nec onerosus, ſed etiam ſuavis & lenis eſt, dicente Domino: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Nihil ergo, dilectiſſimi, ardum eſt humilibus, nihil aſperum mitibus, & facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxi-

2. Cor. 3.

lium, & obedientia mollit imperium. Intonante enim quotidie auribus noſtris eloquio Dei, omnis homo, qui divinæ juſtitiæ placeat, ſcire convincitur. Sed quia judicium illud, quod unuſquiſque recipiet, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum, iudicatur patientia & bonitate differtur: impunitatem ſibi iniquitatis infidelium cordam promittunt, & putant humanorum actuum qualitates ad divinæ providentiæ non pertinere cenſuram, quaſi non evidentiſſimis plerumque ſuppliciis male geſta plectantur, aut non ſæpe cœleſtium comminationum terror oſtendatur: quibus utique & fides monetur, & infidelitas increpatur.

Cap. IV.

Inter hæc autem permanet ſuper omnes benignitas Dei, & nulli miſericordiam ſuam denegat cum indiſcrete univerſis bona multa largiatur, eoſque quos merito ſubderet pœnis, mavult invitare beneficiis. Dilatio enim vindictæ dat locum pœnitentiæ. Nec tamen dici poteſt nulla ibi eſſe ultio, ubi nulla converſio eſt: quia mens dura & ingrata jam ſibi ipſa ſupplicium eſt, & in conſcientia ſua patitur, quidquid Dei bonitate differtur. Non ita igitur delinquentes peccata delelectent, ut illos in ſuis actibus vitæ hujus finis inveniat. Quoniam in inferno nulla eſt correctio, nec datur remedium ſatisfactionis, ubi jam non ſupereſt actio voluntatis,

Pſalm. 6.

dicente Propheta David: *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Fugiantur noxiæ voluptates, inimica gaudia, & deſideria jam jamque peritura. Quis fructus eſt, quæve utilitas, ea indeſinenter cupere, quæ etiamſi non deſerant, deſerenda ſunt? Amor rerum deficientium ad incorruptibilia transferatur, & ad ſublimia vocatus animus cœleſtibus delectetur. Confirmate amicitias cum ſanctis Angelis, intrate in civitatem Dei, cujus nobis ſpondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribuſque ſo-

Sanctorum ambienda ſuffragia.

ciamini. Unde & illi gaudent, inde gaudete. Horum divitias concupiſcite, & per bonam æmulationem ipſorum ambite ſuffragia. Cum quibus enim fuerit vobis conſortium devotionis, erit & communio dignitatis. Dum itaque tempus vobis ad mandata Dei exequenda conciditur, glorificate Deum in corpore veſtro, & lucete, dilectiſſimi, ſicut luminaria in hoc mundo. Hinc lucernæ mentium ve-

1. Cor. 6. Philip. 2. Luc. 2. Ephel. 5.

ſtrarum ſemper ardentes, & nihil reſideat veſtris in cordibus tenebroſum. Quoniam ſicut ait Apoſtolus: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate*: impleanturque in vobis, quæ in trium Magorum imagine præceſſerunt. *Et ſic*

Matth. 5.

luceat lumen veſtrum coram hominibus, ut videntes opera veſtra bona, magnificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Sicut enim magnum peccatum eſt, cum inter gentes propter malos Chriſtianos nomen Domini blaſphematur: ita magnum pietatis eſt meritum, cum eidem in ſancta ſervorum ſuorum converſatione benedicitur: Cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO VII.

In eadem ſolemnitate.

Quomodo munera myſtice offerre debeamus, docet, diaboli (per Herodem ſignificati) inſidiandi rabiem & furorem, & quomodo perſecutionibus tyrannorum Eccleſia creverit, indicat, & quam periculoſa ſit tranquillitas iſta a tyrannorum perſecutionibus.

Cap. I.

Dies, dilectiſſimi, quo primum gentibus Salvator mundi Chriſtus apparuit, ſacro nobis honore venerandus eſt: & illa hodie cordibus noſtris concipienda ſunt gaudia, quæ in trium Magorum fuere pectoribus; quando Regem cœli & terræ ſigno & ductu novi ſideris incitati, quem crediderant promiſſum, adoravere conſpicuum. Neque enim ita ille emenſus eſt dies, ut virtus operis, quæ tunc eſt revelata tranſierit, nihilque ad nos niſi rei geſtæ fama pervenerit: quam fides ſuſciperet, & memoria celebrat, cum multiplicato munere Dei, etiam quotidie noſtra experiantur tempora, quidquid illa habuere primordia.

Tres Magi unde venerunt.

Quamvis ergo narratio Evangelicæ lectionis illos proprie recenſeat dies, in quibus tres viri, quos nec prophetica prædicatio docuerat, nec teſtificatio legis inſtruxerat, ad cognoſcendum Deum a remotiſſima Orientis parte venerunt: hoc idem tamen & manifeſtius nunc & copioſius fieri in omnium vocatorum illuminatione perſpicimus, quoniam impletur Prophetia Eſajæ, di-

Eſaiæ 55.

centis: *Revelavit Dominus brachium ſanctum ſuum in conſpectu omnium gentium*: &, *Viderunt omnes gentes terræ ſalutem, quæ a Domino Deo eſt.* Et ite-

Eſaiæ 53.

rum, *Et quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.* Unde cum cernimus homines mundanæ ſapientiæ deditos, & a Jeſu Chriſti confeſſione longinquos & de profundo erroris ſui reduci, & ad cognitionem veri luminis advocari, divinæ procul dubio gratiæ ſplendor operatur, & quicquid in cordibus tenebroſis novæ lucis apparet, de ejuſdem ſtellæ radiis micat, ut mentes quas ſuo fulgore contigerit & miraculo moveat, & ad Deum adorandum præeundo perducat. Si autem ſollicito intellectum velimus aſpicere, quomodo etiam triplex illa ſpecies munerum ab omnibus, qui ad Chriſtum greſſu fidei veniunt, offeratur: nonne in cordibus recte credentium eadem celebratur oblatio?

Chriſto quis offerat Aurum, Myrrham, Thus.

Aurum etenim de theſauro animi ſui promit, qui Chriſtum Regem univerſitatis agnoſcit. Myrrham offert, qui unigenitum Dei credit veram ſibi hominis univiſſe naturam. Et quodam eum thure veneratur, qui in nullo ipſum paternæ majeſtati imparem confitetur.

Digitized by Google

tur. His comparationibus, dilectiſſimi, prudenter inſpectis, invenimus etiam Herodis non deeſſe perſonam, cujus ipſe diabolus, ſicut tunc fuit occultus incentor, ita nunc quoque indefeſſus eſt imitator. Cruciatur enim vocationem gentium, & quotidiana poteſtatis ſuæ deſtructione torquetur: dolens ubique ſe deſeri, & verum Regem in locis omnibus adorari. Parat fraudes, fingit diſſenſiones, erumpit in cædes: & ut reliquiis eorum quos adhuc fallit utatur, invidia utitur in Judæis, ſimulatione inſidiatur in hæreticis, ſævitia accenditur in paganis. Videt enim inſuperabilem eſſe potentiam Regis æterni cujus mors ipſius vim mortis extinxerit, ideo totam nocendi artem in eos qui vero Regi famulantur, armavit: alios per inflationem ſcientiæ legalis obdurans, alios vero in furorem perſequutionis inſtigans, alios per falſæ fidei commenta depravans. Sed hanc Herodis iſtius rabiem ille vincit & deſtruit, qui etiam parvulos martyrii gloria coronavit: & fidelibus ſuis tam invictam edidit charitatem, ut

Rom. 8.

Apoſtoli verbis audeant dicere: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſequutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?*

Pſal. 43.

ſicut ſcriptum eſt: *Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.*

Cap. 11.

Hanc fortitudinem, dilectiſſimi; non illis tantum temporibus neceſſariam fuiſſe credimus, quibus reges mundi, & omnes ſæculi poteſtates, cruenta impietate in Dei populum ſæviebant: quum ad maximam pertinere gloriam ſuam deducerent, ſi de terris nomen Chriſtianum auferrent, neſcientes Eccleſiam Dei per furorem ſuæ crudelitatis augeri, quoniam in ſuppliciis & mortibus beatorum Martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo.

Perſecutionibus tyrannorum creviſſe Eccleſiam.

Denique tantum contulit fidei noſtræ impugnatio perſequentium, ut nihil magis rerum ornet principatum, quam quod Domini mundi membra ſunt Chriſti, nec tam gloriantur quod in imperio geniti, quam gaudent quod in baptiſmate ſunt renati. Sed quia tempeſtas priorum turbinum conquievit, & dudum ceſſantibus prœliis quædam videtur arridere tranquillitas, vigilanter cavenda ſunt illa diſcrimina, quæ de otio ipſius pacis oriuntur.

Otii & tranquillitatis pericula.

Adverſarius enim, qui in apertis inefficax perſecutionibus fuit, tecta nocendi arte deſævit: ut quos non perculit ictu afflictionis, lapſu dejiciat voluptatis. Videns itaque ſibi reſiſtere principum fidem, & unius Deitatis inſeparabilem Trinitatem, non ſegnius in palatiis, quam in Eccleſiis adorari, interdictam dolet ſanguinis Chriſtiani effuſionem, & quorum obtinere non poteſt mortes, impetit mores. Terrores proſcriptionum in avaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit. Malignitas enim longo uſu propriæ imbuta nequitiæ, non depoſuit odium, ſed vertit ingenium, quo ſibi mentes Fidelium blandius ſubdat. Inflammat enim concupiſcentiis, quos non poteſt vexare tormentis: ſerit diſcordias, accendit iras, incitat linguas, & ne ab illicitis dolis cautiora corda ſe revocent, conſummandorum ſcelerum ingerit facultates: quia illi totius fraudis hic fructus eſt, ut qui immolatione pecudum, & thuris incenſione non colitur, quibuslibet ei criminibus ſerviatur.

Perſequutio nova dæmonis in Chriſtianos.

Cap. IV.
Fides vana

Habet igitur, dilectiſſimi, pax noſtra pericula ſua: & fruſtra de fidei libertate ſecuri ſunt, qui vitiorum deſideriis non reſiſtunt. Cor hominum de operum oſtenditur qualitate, & formas mentium ſpecies detegit actionum.

Ad Tit. 1.

Nam ſunt quidam, ſicut ait Apoſtolus, qui Deum profitentur ſe ſcire, factis autem negant. Vere enim reatus negationis incurritur, quando bonum, quod in ſono vocis auditur, in conſcientia non habetur. Fragilitas enim humanæ conditionis facile in delicta prolabitur. Et quia nullum ſine delectatione peccatum eſt, cito acquieſcitur deceptoriæ voluptati. Sed a carnalibus deſideriis recurratur ad ſpiritale præſidium, & mens habens notitiam Dei ſui a conſiliis ſe male ſuadentis hoſtis avertat. Proſit illi patientia Dei, nec ideo delinquendi pertinacia nutriatur, quia vindicta differtur. Non ſit peccator de impunitate ſecurus, quia ſi tempus pœnitentiæ amiſerit, locum indulgentiæ non habebit, dicente Propheta: *Quia non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Pſal. 6.

Qui autem ſibi correctionis reparationem experitur eſſe difficilem, confugiat ad auxiliantis Dei clementiam, & vincula malæ conſuetudinis ab illo poſcat abrumpi, qui allevat omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Pſal. 144.

Non erit vacua confitentis oratio, quoniam miſericors Deus voluntatem timentium ſe faciet, & dabit quod petitur, qui dedit unde peteretur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, viventem & regnante in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO VII.

In eadem ſolemnitate.

De humilitate & infantia Salvatoris, ad quam nos cohortatur.

Cap. 1.

MEmoria rerum ab humani generis Salvatore geſtarum, magnam nobis, dilectiſſimi, confert utilitatem, ſi quæ veneramur credita, ſuſcipiamus imitanda. In diſpenſationibus enim ſacramentorum Chriſti & virtutes ſunt gratiæ, & incitamenta doctrinæ: ut quem confitemur fidei ſpiritu, operum quoque ſequamur exemplo.

Fides operibus declaranda.

Nam etiam ipſa primordia, quæ Dei Filius per matrem virginem naſcendo ſuſcepit, ad provectum nos pietatis inſtituunt. Simul enim apparet cordibus rectis in una eademque perſona & humana humilitas, & divina majeſtas. Quem cunæ teſtantur infantem, cœlum & cœleſtia ſuum loquuntur authorem. Puer corpore parvus, mundi Rector & Dominus: & genitricis gremio continetur, qui nullo fine concluditur. Sed in his noſtrorum vulnerum eſt curatio, & noſtræ dejectionis erectio: quia niſi in unum tanta diverſitas conveniret, reconciliari Deo humana natura non poſſet.

Cap. 11.

Legem ergo vivendi remedia nobis noſtra ſanxerunt: & inde data eſt moribus forma, unde mortuis eſt impenſa medicina.

Tres Magi.

Nec immerito, cum tres Magos ad adorandum Jeſum novi ſideris claritas deduxiſſet, non eum imperantem dæmonibus, non mortuos ſuſcitantem, non cæcis viſum, aut claudis greſſum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua divinarum virtutum actione viderunt: ſed puerum ſilentem, quietum, & ſub matris ſollicitudine conſtitutum: in quo nullum quidem apparet de poteſtate ſignum, ſed magnum præbetur de humilitate miraculum. Ipſa itaque ſpecies ſacræ infantiæ, cui ſe Deus Dei Filius aptarat, prædicationem auribus intimandam oculiſque gerebat: & quod adhuc vocis non proferebat ſonus, viſionis jam docebat effectus. Tota enim victoria Salvatoris, quæ & diabolum ſuperavit & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta. Diſpoſitos dies ſub perſequutione inchoavit, & ſub perſequutione finivit, nec puero tolerantia paſſionis, nec paſſuro defuit manſuetudo puerilis: quia unigenitus Dei ſub una majeſtatis ſuæ inclinatione ſuſcepit, ut & homo vellet naſci, & ab hominibus poſſet occidi.

Digitized by Google

Cap. iv. Humilitatis Chriſti magnum exemplum. Si igitur omnipotens Deus cauſam noſtram nimis
malam, humilitatis privilegio bonam fecit, & ideo
deſtruxit mortem & mortis authorem: quia omnia,
quæ perſequutores intulere, non renuit, ſed obe-
diens Patri crudelitates ſævientium mitiſſima leni-
tate toleravit: quantum nos humiles, quantum opor-
tet eſſe patientes, qui, ſi quid laboris incidimus,
Prov. 20. nunquam niſi noſtro merito ſuſtinemus? Quis enim
gloriabitur caſtum ſe habere cor? Aut mundum ſe
1. Joan. 1. eſſe a peccato? Et dicente beato Joanne; *Si dixeri-
mus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus,
& veritas in nobis non eſt*: quis invenietur ita immu-
nis a culpa, ut in eo non habeat, vel juſtitia quod
Humilitatis laus. arguat, vel miſericordia quod remittat? Unde tota,
dilectiſſimi! Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, non in
abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque
in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & volun-
taria humanitate conſiſtit: quam Dominus Jeſus
Luc. 22. Chriſtus ab utero matris uſque ad ſupplicium crucis,
Math. 18. pro omni fortitudine & elegit & docuit: Nam cum
diſcipuli ejus intra ſe, ut ait Evangeliſta, diſquire-
rent, quis eorum major eſſet in regno cœlorum,
vocavit parvulum, & ſtatuit eum in medio eorum,
& dixit: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, &
efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœ-
lorum*. Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut puer
Infantia, quam ſit Chriſto grata. iſte, hic major erit in regno cœlorum. Amat Chri-
ſtus infantiam, quam primum & animo ſuſcepit, &
corpore. Amat Chriſtus infantiam, humilitatis ma-
giſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis for-
mam. Amat Chriſtus infantiam, quæ majorum di-
rigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, & eos
ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſubli-
mat æternum. Ut autem plene valeamus agnoſcere,
quomodo apprehendi poſſit tam mira converſio, &
in puerilem gradum qua nobis imitatione redeun-
1. Cor. 14. dum ſit: doceat nos beatus Paulus, & dicat, *Noli-
Cap. v. Pueri ut effici debemus. te pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote*. Non
ergo ad lubrica infantiæ & imperfecta nobis primor-
dia redeundum eſt, ſed aliquid quod etiam graves
annos deceat, inde ſumendum eſt, velox ad com-
motionem tranſitus, citus ad pacem recurſus. Nul-
la ſit memoria offenſionis, nulla cupiditas dignitatis.
Amor ſociæ dilectionis, æqualitas naturalis. Ma-
gnum enim bonum eſt, nocere non noſſe, & ad ma-
ligna non ſapere: quia inferre ac referre injuriam,
mundi hujus prudentia eſt: nemini autem malum pro
malo reddere, Chriſtinæ eſt æquanimitatis infantia.
Ad hanc vos, dilectiſſimi, ſimilitudinem parvulo-
rum myſterium hodiernæ feſtivitatis invitat, & hanc
vobis humilitatis formam adoratus a Magis puer Sal-
vator inſinuat, qui ut imitatoribus ſuis quid gloriæ
pararet, oſtenderet, ortus ſui tempore editos mar-
tyrio conſecravit: ut in Bethleem, ubi Chriſtus na-
tus eſt geniti, per communionem ætatis conſortes
fierent paſſionis. Ametur igitur humilitas, & om-
nis a fidelibus vitetur elatio. Alter alterum ſibi præ-
ferat, & nemo quod ſuum eſt, quærat, ſed quod
alterius: ut cum in omnibus abundaverit affectus be-
nevolentiæ, in nullo virus inveniatur invidiæ: quo-
Luc. 14. niam *qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat,
Luc. 16. exaltabitur*: eodem ipſo teſtante Domino noſtro Je-
ſu Chriſto, Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit &
regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO VIII.

In eadem ſolemnitate.

*Non indigna æſtimanda de Chriſti majeſtate,
& quibus argumentis deprehendatur
Deum in nobis habitare.*

CAuſam, dilectiſſimi, & rationem ſolemnita- Cap. I.
tis hodiernæ ſæpe vobis & Evangelica narra-
tio, & obſervantiæ conſuetudo pateſecit, nec ne-
ceſſe eſt ita nunc, quæ inter Salvatoris noſtri hu- Myſtice quid ſtella tres Magi, Herodes trucidatio infantium.
mana primordia ſunt geſta, replicari, ut de ſplen-
dore novi ſideris, de Magis Magorumque mune-
ribus, de ſævitia Herodis, & de interfectione in-
fantium diſſeramus, cum ſicut noſtis, & in ſtellæ
fulgore Dei gratia, & in tribus viris vocatio gen-
tium, & in rege impio crudelitas paganorum, &
in occiſione infantium cunctorum Martyrum for-
ma præceſſerit. Sed quia in ſacratiſſimo die red-
dendum expectationi veſtræ eſt ſacerdotalis ſermo-
nis officium: nitamur, ut poſſumus, adjuvante
Spiritu Dei, eo per intelligentiæ ſemitas perveni-
re, ut cognoſcamus ſacramentum præſentis feſti
ad omnium fidelium tempora pertinere: nec ullo
modo habeatur inſolitum, quod in diſpenſatio-
num ordine adoratur antiquum.

Quamvis ergo omnis anima Chriſtiana nihil Cap. II.
indignum habeat de Filii Dei majeſtate ſentire,
& tranſcenſis incipientis fidei rudimentis opor-
teat unumquemque ad ſublimiora proficere, ne-
ceſſe eſt tamen infirmitatem mentis humanæ, dum
verum hominem accipit Chriſtum, de ipſa natu-
ræ noſtræ communione trepidare, & per initia,
vel incrementa corporea, ad agnitionem unius
cum patre deitatis difficulter accedere. Sed ubi in-
ter caligantes cogitationes radius ſupernæ lucis reful-
ſerit, cunctantes fidei moras ſplendor veritatis ab-
rumpat, ut cor liberum, & a viſibilibus abſolu-
tum, lumen intelligentiæ tanquam ducem ſtellam
ſequatur: quia ſicut Apoſtolus ait; *Dominus Jeſus* Philip. 2.
Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, quem ut venera-
batur in cunis humiliter jacentem, ipſum ſine diffi-
dentia adoret cum Patre regnantem. Hæc autem
manifeſtatio, dilectiſſimi, quæ hæſitantium nebu-
las diſſolvit animarum, & ita facit innoteſcere Dei
Filium, ut de hoc, quod idem eſt etiam hominis
filius, nihil patiantur obſtaculi, ad præſentis feſti
pertinet dignitatem, & vera eſt infantia Salvatoris,
declaratio deitatis, quando carnis ſenſus ab humanis
ad divina transfertur, ut quos deprimunt experi-
menta infirmitatum, erigant ſigna virtutum: Quia
tali auxilio & natura noſtra indigebat, & cauſa, vi
reparare humanum genus, nec ſine majeſtate poſſet
humilitas, nec ſine humilitate majeſtas. Jam vero
cum in ſingulorum fidelium profectibus divinorum
elucet cuſtodia mandatorum, impleturque quod
dictum eſt: *Sic luceat lumen veſtrum coram homini-* Math. 5.
*bus, ut videant opera veſtra bona, & magnificent
Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*: Quis illic non præ-
ſentem intelligat majeſtatem, ubi veram videt appa-
rere virtutem: quæ utique ſine Deo nulla eſt, nec
proprietatem obtinet dignitatis, niſi ſpiritu ſui ve-
getetur Authoris. Dicente enim Diſcipulis ſuis Do- Joan. 15.
mino, *Sine me nihil poteſtis facere*, dubium non eſt,
hominem bona agentem, a Deo habere & effectum Philip. 2.
operis, & initium voluntatis. Unde & Apoſto-
lus copioſiſſimus fidelium cohortator, *Cum timore
inquit, & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus
eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro*

Operum bonorum Deus author.

bona voluntate. Et hæc Sanctis cauſa eſt tremendi, atque metuendi: ne ipſis operibus pietatis elati, deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.

In hac vita nemo ſit ſecurus.

Qui autem experiri cupit, an in ipſo Deus habitet, de quo dicitur, *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*, ſincero examine cordis ſui interiora diſcutiat, & ſagaciter quærat, qua humilitate reſiſtat ſuperbiæ,

Experimenta inhabitationis divinæ.

qua benevolentia obluctetur invidiæ, quam non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis: an pro malo non cupiat malum reddere, malitque multas obliviſci injurias, quam imaginem & ſimilitudinem ſui conditoris amittere,

Matth. 5.

qui omnes ad cognitionem ſui generalibus incitans donis, pluit ſuper juſtos & injuſtos, & ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos & malos.

Charitas omnium virturum, mater.

Ac ne in multis laboret ſolitæ diſcretionis inſpectio, ipſam matrem virtutum omnium charitatem in ſecretis ſuæ mentis inquirat: & ſi in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intente repererit, ita ut etiam inimicis ſuis eadem velit tribui, quæ ſibi optat impendi,

1. Cor. 1. Lucæ 17.

quiſquis hujuſmodi eſt, Deum & rectorem & habitatorem ſui eſſe non dubitet. Quem tanto magnificentius recipit, quanto magis non in ſe, ſed in Domino gloriatur.

1. Joan. 4.

Quoniam quibus dicitur, *Regnum Dei intra vos eſt*: nihil non illius agunt ſpiritu, cujus reguntur imperio. Scientes igitur, dilectiſſimi, quoniam charitas Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus, ſectamini charitatem, ita ut in unum caſtæ dilectionis affectum univerſorum fidelium corda concurrant. Tranſeuntia nos & * vana non occupent: conſtanti deſiderio ad ea quæ ſunt ſemper manſura tendamus.

* *Ima*.

Sacramentum enim præſentis feſti oportet in nobis eſſe perpetuum. Quod utique ſine fine celebrabitur, ſi in omnibus actibus noſtris Dominus Jeſus Chriſtus appareat, Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO PRIMUS.

De Quadrageſima.

Jejunandum eſſe Hebræorum exemplo & Chriſti, ad victoriam obtinendam contra hoſtes inviſibiles, & de modo jejunandi.

Cap. I.

Hebræorum quondam populus, & omnes Iſraeliticæ tribus, cum propter peccatorum ſuorum offenſiones gravi Philiſtinorum dominatione premerentur, ut ſuperare hoſtes ſuos poſſent, ſicut ſacra manifeſtat hiſtoria, vires animi & corporis indicto ſibi reparavere jejunio. Intellexerant enim duram & miſeram illam ſubjectionem neglectu ſe mandatorum Dei & morum corruptione meruiſſe, fruſtraque ſe armis certare, niſi prius vitiis repugnaſſent. Abſtinentes ergo a cibo & potu, ſeveræ ſibi caſtigationis adhibuere cenſuram: & ut hoſtes ſuos vincerent, gulæ illecebram in ſe ipſa ante vicerunt. Factumque eſt hoc modo, ut ſævi adverſarii & graves domini eſurientibus cederent, quos ſibi ſaturos ſubjugarant. Et nos itaque, dilectiſſimi, inter multas adverſitates & prælia conſtituti, ſi ſimilibus remediis uti cupimus, ſimili obſervatione curemur. Eadem enim propemodum cauſa noſtra eſt, quæ illorum fuit: quoniam ſicut illi a carnalibus adverſariis, ita & nos a ſpiritualibus maxime impugnamur inimicis. Qui ſi donata nobis per Dei gratiam morum correctione vincantur, & corporeum nobis hoſtium fortitudo ſuccumbet, & emendatione noſtra infirmabuntur, quos graves nobis, non ipſorum merita, ſed noſtra delicta fecerunt.

Cap. II.

Quapropter, dilectiſſimi, ut omnes hoſtes noſtros ſuperare valeamus, per obſervantiam cæleſtium mandatorum divinum quæramus auxilium: ſcientes non aliter nos prævalere poſſe adverſariis noſtris, niſi prævaluerimus & nobis.

Galat. 5.

Sunt enim intra noſmetipſos multa certamina, & aliud caro adverſus ſpiritum, aliud adverſus carnem ſpiritus concupiſcit. In qua diſſenſione ſi cupiditates corporis fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem, & pernicioſum erit eum ſervire, quem docuerat imperare.

Vera hominis pax & libertas Rom. 8.

Si autem mens rectori ſuo ſubdita, & ſupernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit, & in ſuo mortali corpore regnare peccatum non ſinuerit, ordinatiſſimum tenebit ratio principatum, & munitiones ejus nulla ſpiritualium nequitiarum labefactabit illuſio: quia tunc eſt vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præſide gubernatur. Hæc autem præparatio, dilectiſſimi, licet omni tempore ſalubriter aſſumatur, ut pervigiles hoſtes inceſſabili ſuperentur induſtria, nunc tamen ſollicitius expetenda eſt, & ſtudioſius inſtruenda, quando & ipſi ſubtiliſſimi adverſarii acriori inſidiantur aſtutia. Scientes enim agere nos ſacratiſſimos Quadrageſimæ dies, in quorum obſervantia omnes præteritæ deſidiæ caſtigatur, omnes negligentiæ diluuntur: ad hoc totam vim ſuæ malignitatis intendunt, ut celebraturi ſanctum Paſcha Domini, in aliquo inveniamur indigni: & unde nobis obtinenda erat propitiatio, inde contrahatur offenſio.

Cap. III. Quadrageſimæ tempus.

Accedentes ergo, dilectiſſimi, ad Quadrageſimæ initium, id eſt, ad diligentiorem Domini ſervitutem, quia quaſi ad quendam agonem ſancti operis introimus, ad pugnas tentationum animos præparemus: & intelligamus, quanto ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus, tanto nos vehementius ad adverſariis impetendos. Sed fortior eſt quam qui adverſum nos eſt, per ipſum validi ſumus, in cujus virtute confidimus:

Tentari cur Chriſtus voluerit.

quia ob hoc Dominus ſe tentari a tentatore permiſit, ut cujus munimur auxilio, ejuſdem erudiremur exemplo. Vicit enim adverſarium, ut audiſtis, teſtimoniis legis, non poteſtate virtutis: ut hoc ipſo & hominem plus honoraret, & adverſarium plus puniret, cum hoſtis generis humani non ſolum quaſi a Deo, ſed etiam tanquam ab homine impugnaretur & vinceretur. Pugnavit ergo ille tunc, ut & nos poſtea pugnaremus: vicit ille, ut & nos ſimiliter vinceremus. Nulla ſunt enim, dilectiſſimi, ſine tentationum experimentis opera virtutis, nulla ſine perturbationibus fides, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſſione victoria. Vita hæc noſtra in medio inſidiatorum, in medio præliorum eſt. Si volumus non decipi, vigilandum eſt: ſi volumus ſuperare, pugnandum eſt.

Eccleſ. 2.

Et ideo ſapientiſſimus Salomon, *Fili*, inquit, *accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*. Vir enim ſapientia Dei plenus, ſciens ſtudium religionis laborem habere certaminis, cum prævideret pugnæ periculum, ante ad monuit pugnaturum: ne forte ſi ad ignorantem tentator accederet, imparatum citius vulneraret.

Cap. IV.

Nos itaque, dilectiſſimi, qui divinis inſtitutionibus eruditi, ad agonem præſentis certaminis ſcienter accedimus: audiamus dicentem Apoſtolum:

Epheſ. 6.

Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Et non ignoremus quod hi hoſtes noſtri contra ſe geri omnia ſentiunt, quæcumque nos pro noſtra ſalute agere tentamus, & hoc ipſo quod boni aliquid appetimus, adverſarios provocamus.

Diſſenſio inter nos & dæmones.

Hæc enim inter nos atque illos per diabo-

bolicæ invidiæ ſomitem inveterata diſſenſio eſt: ut
quia illi ab his bonis exciderunt, ad quæ nos Deo
auxiliante, provehimur, noſtris juſtificationibus tor-
queantur. Si ergo nos erigimus, illi corruunt: ſi nos
Epheſ. 6. convaleſcimus, illi infirmantur. Remedia noſtra pla-
gæ ipſorum ſunt, quia curatione noſtrorum vulne-
rum vulnerantur. State ergo, dilectiſſimi, ut Apoſto-
lus ait, ſuccincti lumbos mentis veſtræ in veritate, &
calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in
omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis
omnia tela maligni ignea extinguere, & galeam ſalu-
tis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt Verbum
Dei. Videte, dilectiſſimi quam potentibus nos telis,
quam inſuperabilibus munimentis dux multis in-
Arma Chri- ſignis triumphis, & invictus Chriſtianæ militiæ ma-
ſtianorum. giſter armaverit. Succinxit lumbos baltheo caſtita-
tis, calceavit pedes vinculis pacis: quia & diſcinctus
miles cito ab impudicitiæ incentore vincitur & non
calceatus facile a ſerpente mordetur. Scutum fidei ad
protectionem totius corporis dedit, capiti galeam ſa-
lutis impoſuit, dexteram gladio, id eſt, verbo veritatis
Cap. 155. inſtruxit, ut ſpiritalis præliator non ſolum ſit tutus a
Jejunan- vulnere, ſed & repugnantem valeat vulnerare. His igi-
dum quo- tur, dilectiſſimi, freti armis, impigre, atque intrepide
modo ſit. propoſitum nobis certamen ineamus: ut in iſto jeju-
niorum ſtadio, non eo tantum ſimus fine contenti, ut
ſolam ciborum abſtinentiam putemus eſſe ſectandam.
Parum enim eſt, ſi carnis ſubſtantia tenuatur, & ani-
mæ fortitudo non alitur. Afflictio paululum exteriore
homine, reficiatur interior, & ſubſtracta carni ſaturi-
tate corporea; ſpiritalibus mens deliciis roboretur.
Circumſpiciat ſe omnis anima Chriſtiana, & ſevero
examine cordis ſui interna diſcutiat; videat ne quid
ibi diſcordiæ inhæſerit, ne quid cupiditatis inſede-
Sapient. rit. Incontinentiam caſtitas procul pellat, mendacii
tenebras lux abigat veritatis. Quia os quod menti-
tur, animam mentientis interficit. Detumeſcat ſu-
perbia, humilitas aſſumatur, reſipiſcat iracundia,
comminuantur jacula noxarum, & obtrectatio lin-
guæ frænetur. Ceſſent vindictæ, & oblivioni man-
Matth. 15. dentur injuriæ. Omnis poſtremo plantatio: quam
non plantavit Pater cœleſtis, radicitus auferatur.
Tunc enim in nobis bene virtutum ſemina nutriun-
tur, quando ab agro cordis noſtri omne germen ex-
ternum evellitur. Si quis ergo in quempiam ita cu-
piditate ultionis exarſit ut eum aut carceri traderet,
aut vinculis illigaret, abſolutionem non ſolum in-
ſontis, ſed etiam ejus, qui pœna dignus videtur,
Matth. 6. accelleret? ut illa Dominicæ Orationis regula fiden-
ter utatur, dicens: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut
& nos dimittimus debitoribus noſtris*. Quam partem
petitionum ita Dominus ſpeciali inſinuatione com-
mendat, ut totius orationis effectus in hac conditio-
Matth. 18. ne conſiſtat. *Si enim*, inquit, *dimiſeritis hominibus
peccata eorum, dimittet & Pater veſter vobis, qui
in cœlis eſt. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec
Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Proinde, dilectiſſimi, memores infirmitatis no-
Cap. IV. ſtræ, quia facile in quælibet delicta prolabitur: hoc
potentiſſimum remedium, & iſtam efficaciſſimam
vulnerum noſtrorum curationem nullatenus negli-
gamus. Remittamus, ut remittatur nobis, demus ve-
niam, quam rogamus, & non ſtudeamus vindicari,
qui nobis precamur ignoſci. Pauperum gemitus
ſurdo non tranſeamus auditu, & miſericordiam in-
digentibus prompta benignitate præſtemus: ut mi-
ſericordiam in judicio mereamur invenire. Ad quam
perfectionem qui ſtudium ſuum gratia Dei adjutus
intendit, hic ſanctum jejunium fideliter peraget,
hic a fermento malitiæ veteris alienus, in azymis
1. Cor. 5. ſinceritatis & veritatis ad beatum Paſcha perve-
niet, & per novitatem vitæ digne lætabitur in ſacra-
mento reformationis humanæ. Per Chriſtum Domi-
num noſtrum, Qui cum Patre & Spiritu ſancto
vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO II.

De Quadrageſima.

*Vivendum eſt in Quadrageſima religioſius, quia
tunc diabolus adverſum nos acriore
ſævit invidia.*

LIcet nobis, dilectiſſimi, appropinquante fe- Cap. I.
ſtivitate Paſchali jejunium Quadrageſimæ ipſe
legitimi temporis recurſus indicat: cohortatio ta-
men etiam noſtri ſermonis adhibenda eſt, quæ au-
xiliante Domino, nec inutilis ſit pigris, nec one-
roſa devotis: Nam cum omnem obſervantiam no-
ſtram ratio iſtorum dierum poſcat augeri: nemo eſt
(ut confido) de vobis, qui ſe ad opus horum non Vera per-
gaudeat incitari. Natura enim noſtra, manente ad- fectorum
huc mortalitate, mutabilis, etiamſi ad ſumma quæ- juſtitia.
que virtutum ſtudia provehatur: ſemper tamen
ſicut poteſt habere quo recidit, ita poteſt habere,
quo creſcat. Et hæc eſt perfectorum vera juſtitia,
ut nunquam præſumant ſe eſſe perfectos: ne ab iti-
neris nondum finiti intentione ceſſantes, ibi inci-
dant in deficiendi periculum, ubi proficiendi depo-
ſuerint appetitum. Quia ergo nemo noſtrum, di-
lectiſſimi, tam perfectus & ſanctus eſt, ut perfe-
ctior, ſanctiorque eſſe non poſſit: omnes ſimul ſine
differentia graduum, ſine diſcretione meritorum,
ab iis in quæ pervenimus, in quæ nondum appre-
hendimus, pia aviditate curramus, & ad menſuram
conſuetudinis noſtræ neceſſariis aliquid addamus
augmenti. Parum enim religioſus alio tempore de-
monſtratur, qui in his diebus non religioſior inveni-
tur. Unde opportune auribus noſtris lectio Apoſto- Cap. II.
licæ prædicationis inſonuit, dicens: *Ecce nunc tem-
pus acceptum, ecce nunc dies ſalutis*. Quid enim 2. Cor. 16.
acceptius hoc tempore? quid ſalubrius his diebus?
in quibus vitiis bellum indicitur, & omnium virtu-
tum profectus augetur. Semper quidem tibi, o ani-
ma Chriſtiana, vigilandum contra ſalutis tuæ adver-
ſarium fuit, ne ullus pateret locus tentatoris inſi-
diis: ſed modo tibi major cautio & ſollicitior aſſu-
menda prudentia eſt, quando idem hoſtis tuus acrio-
ri ſævit invidia. Nunc enim in toto mundo poteſtas
ei antiquæ dominationis aufertur, & innumera il-
li captivitatis vaſa rapiuntur. Renunciatur atrociſ-
ſimo prædoni a populis omnium nationum, om-
niumque linguarum, & nullum jam genus homi-
num reperitur, quod non jam tyrannicis legibus
reluctetur, dum per omnes fines terræ regeneranda
in Chriſto multorum millium millia præparantur:
appropinquante novæ creaturæ ortu, ſpiritalis ne- Dæmones
quitia, ab iis quos poſſidebat, excluditur. Fremit calliditas.
ergo expoliati hoſtis impius furor: & novum quæ-
rit lucrum, quia jus perdidit antiquum. Captat in-
defeſſus & pervigil, ſi quas reperiat oves a ſacris
gregibus negligentius evagantes, quas per proclivia
voluptatum & per devexa luxuriæ in diverſoria
mortis inducat. Inflammat itaque iras, nutrit odia, Cap. III.
aut cupiditates, irridet continentiam, incitat gu-
lam. Quem enim tentare non audeat, qui nec ab ip- Matth. 4.
ſo Domino noſtro Jeſu Chriſto conatum ſuæ frau-
dis abſtinuit: Nam ſicut Evangelica patefacit hiſto-
ria: cum Salvator noſter, qui erat verus Deus,
ut verum ſe hominem etiam demonſtraret, & im-
pias opiniones totius erroris excluderet, poſt qua-

Digitized by Google

draginta dierum noctiumque jejunium infirmitatis noſtræ in ſe recepiſſet eſuriens, gaviſus diabolus ſignum ſe in eo paſſibilis atque mortalis inveniſſe naturæ, ut exploraret potentiam quam timebat,

Jo. 2.

Si Filius Dei, inquit, *es*, *dic ut lapides iſti panes fiant*. Poterat itaque iſtud omnipotens, & facile erat, ut ad creatoris imperium, in quam juberetur ſpeciem,

Natura,

cujuslibet generis * creatura tranſiret, ſicut cum voluit, in convivio nuptiali aquam mutavit in vinum; ſed hoc magis ſalutiferis diſpenſationibus congruebat, ut nequiſſimi hoſtia aſtutia, non potentia deitatis, ſed humilitatis myſterio vinceretur. Denique fugato diabolo, & omnibus artibus callidi tentatoris eliſis, acceſſerunt ad Dominum angeli, & miniſtrabant ei: ut veri hominis & veri Dei, & apud doloſas interrogationes, inviolata eſſe humanitas, & apud ſancta obſequia manifeſta divinitas.

Cap. iv.

Confundantur itaque filii diaboli atque diſcipuli, qui repleti inſpiratione viperea, ſimplices quoſque decipiunt, negantes in Chriſto utramque veram eſſe naturam, dum aut deitatem homine, aut hominem deitate ſpoliant, cum unius temporis gemino documento utraque falſitas ſit perempta: quia & per famem corporis perfecta humanitas, & per famulantes angelos

Manifeſta.

demonſtrata eſt * perfecta divinitas. Quia ergo, dilectiſſimi, ſicut Redemptoris noſtri magiſterio edo-

Matth. 4. Deut. 9.

cti ſumus, non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Dei, dignuſque eſt populus Chriſtianus in quantacumque abſtinentia conſtitutus, magis de-

Jejunium verum.

ſideret ſe Dei verbo, quam cibo ſatiare corporeo; prompta devotione & alacri fide ſuſcipiamus ſolemne jejunium, non in ſterili inedia, quam plerunque & imbecillitas corporis & avaritiæ morbus indicit, ſed in larga benevolentia celebrandum, ut ſcil-

Matth. 5.

ſimus de illis, de quibus ipſa veritas dicit: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*. Deliciæ igitur noſtræ ſint opera pietatis, & illis cibis, qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur. Lætemur in refectionibus pauperum, quos impendia noſtra ſatiaverint. Jucundemur in veſtitu eorum, quorum nuditatem indumentis neceſſariis texerimus. Sentiant humanitatem noſtram ægritudines decumbentium, imbecillitates debilium, labores exulum, deſtitutio pupillorum, & deſolatarum lamenta viduarum: in quibus juvandis nemo eſt, qui non aliquam poſſit exequi benevolentiæ portionem. Nulli enim parvus eſt cenſus, cui magnus eſt animus, nec de rei familiaris modo menſura miſerationis pendet aut pietatis. Nunquam merito caret, etiam in tenui facultate, bonæ voluntatis opu-

Voluntas bona remuneratur
Cap. v.

lentia, Majora quidem impendia ſunt divitum, & minora mediocrum: ſed non diſcrepat fructus operum, ubi idem eſt affectus operantium. In iſta autem, dilectiſſimi, exercendarum opportunitate virtutum, ſunt & aliarum inſignia opera coronatum, quæ nullo horreorum diſpendio, nulla diminutione pecuniæ capiantur: ſi pellatur laſcivia, ſi abdicetur ebrietas, & carnalis concupiſcentia, caſtitatis legibus edometur. Si odia tranſeant in dilectionem, ſi inimicitiæ convertantur in pacem, ſi tranquillitas extinguat iram, ſi manſuetudo remittat injuriam: ſi denique dominorum atque ſervorum tam ordinati ſint mores, ut & illorum poteſtas mitior, & iſtorum

Imperatores Romani quando legem ſuarum relaxent ſeveritatem.

ſit diſciplina devotior. Hac igitur obſervantia, dilectiſſimi, obtinebitur miſericordia Dei, & abolito peccatorum reatu, religioſe venerandum Paſcha celebrabitur. Quod & Romani orbis piiſſimi Imperatores ſancta antiquitus obſervatione cuſtodiunt, qui in honorem Dominicæ paſſionis, altitudinem ſuæ poteſtatis inclinant, & conſtitutionum ſuarum ſeveritate mollita, multarum culparum reos præcipiunt relaxari: ut in diebus, quibus mundus ſalvatur miſeratione divina, etiam ipſorum ſupernæ bonitatis imitatrix ſit æmulanda clementia. Imitentur igitur Chriſtiani populi Principes ſuos, & ad domeſticam indulgentiam regiis incitentur exemplis. Non enim privatas leges fas eſt auſteriores eſſe, quam publicas. Remittantur culpæ, vincula ſolvantur, deleantur offenſæ, pereant ultiones: ut ſacra feſtivitas per divinam atque humanam benignitatem, omnes lætantes, omnes habeat innocentes: Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO III.

De Quadrageſima.

Non præſumendum de non peccandi facilitatem, & de calliditate diabolicæ tentationis.

Cap. 1.
In Quadrageſima vivendum ſanctius.

SEmper quidem nos, dilectiſſimi, ſapienter & ſancte vivere docet, & in id voluntates noſtras actioneſque dirigere, quod divinæ novimus placere juſtitiæ; ſed cum ii appropinquant dies, quos illuſtriores nobis ſalutis noſtræ ſacramenta fecerunt, diligentiore ſollicitudine corda noſtra ſunt mundanda, & ſtudioſius exercenda eſt diſciplina virtutum; ut ſicut ipſa myſteria quadam ſui parte majora ſunt, ita & noſtra obſervantia ſuperet in aliquo conſuetudinem ſuam: & cui feſtivitas eſt celebranda ſublimior, ipſe quoque in ea reperiatur ornatior. Si enim rationabile & quodammodo religioſum videtur, per diem feſtum in veſtitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis oſtendere, ſi ipſam quoque Orationis domum propenſiore tunc cura & ampliore cultu, quantum poſſumus, adornamus: nonne dignum eſt, ut anima Chriſtiana, quæ verum vivumque Dei templum eſt, ſpeciem ſuam prudenter exornet,

Feſtivis diebus animus maxime purgandus.

& redemptionis ſuæ celebratura ſacramentum, omni circumſpectione præcaveat, ne ulla eam macula iniquitatis obfuſcet, aut duplicis cordis ruga dedecoret; Nam quid prodeſt honeſtatis formam præferens cultus exterior, ſi interiora hominis aliquorum ſordeant contaminatione vitiorum? Omnia igitur quę animi puritatem & ſpeculum mentis obnubilant, abſtergenda ſedulo, & quadam elimatione radenda ſunt. Scrutetur quiſque conſcientiam ſuam, ſeque ante ſe ſtatuat proprii cenſura judicii. Videat,

Conſcientia ut excutienda.
Joan. 14.

ſi in ſecreto cordis ſui illam, quam Chriſtus dat, invenit pacem, ſi deſiderium ſpiritus nulla concupiſcentia carnis impugnat, ſi humilia non ſpernit, ſi alta non appetit, ſi iniquo non delectatur lucro, ſi immoderato rerum ſuarum non gaudet augmento, ſi denique aliena felicitate non uritur, aut inimici miſeria non lætatur. Et cum harum perturbationum nihil in ſe forte repererit, ſincero diſquiras examine, qualium cogitationum ſpecie frequentetur; & utrum nullis vanitatum imaginibus acquieſcat, vel quam cito animum ab iis, quæ noxie blandiuntur, abducat. Nam nullis illecebris com-

Job. 7.

moveri, nullis cupiditatibus titillari, non eſt iſtius vitæ, quæ tota tentatio eſt, & qua nimirum vincitur, qui vinci ab eadem non veretur. Superbum eſt enim de non peccanti facilitate præſumere, cum hoc ipſum Præſumpſiſſe, peccatum ſit, dicente beato Joanne Apoſtolo: *Si dixerimus quia peccatum*

1. Joan. 2.

non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Nemo igitur ſe fallat, dilectiſſimi, nemo ſe decipiat. Neque ita quiſquam de cordis ſui puritate

Cap. 11.

con-

confidat, ut putet ſe nullis tentationum periculis
ſubjacere, eum pervigil ille tentator eos acriori-
bus pulſet inſidus, quos maxime videri abſtinere
a peccatis. Nam a quo dolos ſuos contineat, qui
ipſum quoque Dominum majeſtatis auſus eſt cal-
liditatis ſuæ fraudæ tentare? Viderat ſuperbiam
ſuam baptizati Domini Jeſu humilitare calcatam,
intellexerat quadraginta dierum jejunio omnem
cupiditatem carnis excluſam, & tamen non deſpe-
ravit de artibus ſuæ malitiæ ſpiritalis improbitas,
tantumque ſibi de naturæ noſtræ mutabilitate pro-
miſit, ut quem verum experiebatur hominem, præ-
ſumeret poſſe fieri peccatorem. Si argo ab ipſo Do-
mino & Salvatore noſtro deceptionum ſuarum dia-
bolus non revocavit inſidias: quanto magis fragi-
litatem noſtram impugnare præſumit, quos exinde
vehementiore odio & invidia ſæviore perſequitur
ex quo ei in baptiſmo renunciavimus, & ab illa
cui dominabatur, origine, in novam creaturam di-
vina regeneratione tranſivimus? Unde quia dum
mortali carni circuudamur, non deſinit nobis ho-
ſtis antiquus laqueos peccati ubique prætendere,
& tunc maxime adverſus Chriſti membra ſævire,
quando ab eis ſunt ſacratiora celebranda myſteria,
merito doctrina Spiritus ſancti hac eruditione im-
buit populum Chriſtianum, ut ad Paſchale feſtum
quadraginta dierum ſe continentia præpararet, cu-
jus purificationis ratio jam nos ad obſervantiam
ſuæ ſalubritatis invitat, & diligentiam nobis pro-
Cap. 121. poſitæ caſtigationis indicit. Quanto enim ſanctius
quiſque hos dies invenietur egiſſe, tanto probabi-
Galat. 6. tur Paſcha Domini religioſius honoraſſe. In die-
bus igitur ſanctorum jejuniorum pietatis opera,
quibus ſemper ſtudendum eſt, abundantius exe-
quamur; miſericordes ſimus ad omnes maxime
autem ad domeſticos fidei, ut in ipſis quoque elee-
Matth. 5. moſynarum diſtributionibus, bonitatem Patris cœ-
leſtis imitemur, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper
bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.
Quamvis ergo Fidelium præcipue ſit adjuvanda
paupertas, etiam illi tamen, qui nondum Evange-
lium receperunt, in ſuo labore miſerandi ſunt: quia
in omnibos hominibus naturæ eſt diligenda com-
munio, quæ nos etiam iis benignos debet efficere,
qui nobis quacunque ſunt conditione ſubjecti, ma-
xime ſi eadem gratia jam renati, & eodem ſangui-
nis Chriſti pretio ſunt redempti. Simul enim &
cum iſtis habemus, quod ad imaginem Dei conditi
ſumus, oec carnali origine a nobis, nec ſpiritali na-
tivitate diviſi ſunt. Eodem ſpiritu ſanctificamur, ea-
dem fide vivimus, ad eadem ſacramenta concur-
rimur. Non ſpernatur hæc unitas, nec vilis nobis
ſit tacita communio: ſed hoc ipſum nos per omnia
faciat mitiores, quod eorum utimur ſubjectione,
cum quibus uni Domino eadem ſubjieimur ſervi-
tute. Si qui ergo horum gravioribus dominos ſuos
offendere delictis, iodulgentiam nunc in diebus
reconciliationis accipiunt. Auferat miſeratio ſeve-
ritatem, & venia deleat oltionem. Nullum cuſto-
dia teneat, nullum carcer includat, quoniam Deus
noſter miſericordiam ſuam hac conditiooe pro-
miſit, ut remittenda ſibi is noſſet peccata propria,
Matth. 18. qui remiſiſſet aliena. Diſſenſionum materiæ, dile-
ctiſſimi, & inimicitiarum aculei conterantur. Ceſ-
ſent odia, deficiant ſimultates, in unitatem dilectio-
Matth. 5. nis omnia Chriſti membra conveniant. Beati enim
Rom. 8. pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur, nec ſolum
filii, ſed etiam heredes, cohæredes autem Chriſti?
Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO IV.

De Quadrageſima.

Abſtinendum in Quadrageſima ab omnibus vitiis, & miſericordiæ operibus incumbendum, atque de Manichæorum impietate.

PRædicaturus vobis, dilectiſſimi, ſacratiſſimum Cap. 1. Quadrageſimæ ſacratiſſimum jejunium.
maximumqoe jejunium, quo aptius utar exor-
dio, quam ut verbis Apoſtoli, in quo Chriſtus lo-
quebatur, incipiam: dicamque, quod lectum eſt,
Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis! 2. Cor. 6.
Quamvis enim nulla ſint tempora, quæ divinis
non ſint plena muneribus, & ſemper nobis ad miſe-
ricordiam Dei per ipſius gratiam præſtetur acceſ-
ſus: nunc tamen omnium mentes majori ſtudio ad
ſpiritales profectus moveri, & ampliori fiducia
oportet animari: quando ad univerſa pietatis offi-
cia, illius nos diei, in quo redempti ſumus, recurſus
invitat: ut excellens ſuper omnia Paſſionis Domi- Paſſio Domini ut celebranda.
nicæ ſacramentum purificatis & corporibus & ani-
mis celebremus. Debebatur quidem tantis my-
ſteriis ita inceſſabilis devotio, & continuata reve-
rentia: ut tales permaneremus in conſpectu Dei,
quales nos in ipſo Paſchali feſto dignum eſt inve-
niri. Sed quia hæc fortitudo paucorum eſt, & dum
carnis fragilitate auſterior obſervantia relaxatur,
dumque per varias actiones vitæ hujus ſollicitudo
diſtenditur, neceſſe eſt de mundano pulvere etiam
religioſa corda ſordeſcere: magna divinæ inſtitu-
tionis ſalubritate proviſum eſt, ut ad reparandom
mentium puritatem, Quadraginta nobis dierum
exercitatio mederetur; in quibus aliorum tempo-
rum culpas, & pia opera redimerent, & jejunia ca-
ſta decoquerent. Ingreſſuri igitur, dilectiſſimi, dies Cap. 11.
myſticos, & purificandis animis atque corporibus
ſacratius inſtitutos, præceptis Apoſtoli obedire cu-
remus: emundantes nos ab omni inquinamento 2. Cor. 7.
carnis ac ſpiritus, ut caſtigatis colluctationibus, quæ
ſunt inter utramque ſubſtantiam, animus quem
ſub Dei gubernaculis conſtitutum, corporis ſui de-
cet eſſe rectorem, dominationis ſuæ obtineat di-
gnitatem, ut nemini dantes ullam offenſionem,
vituperationibus obloquentium non ſimus obno-
xii. Digna enim ab infidelibus reprehenſione
carpemur, & noſtro vitio lioguæ impiæ in injuriam
ſe religionis armabunt, ſi jejunantium mores a
puritate perfectæ continentiæ diſcreparint. Non
enim in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma je-
junii, aut fructuoſe corpori eſca ſubtrahitur, niſi
mens ab iniquitate revocetur, & ab obtrectationi-
bus lingua cohibeatur. Sie ergo oobis edendi eſt
moderanda libertas, ut etiam aliæ cupiditates ea-
dem lege frenentur. Manſuetudinis & patientiæ,
pacis & tranquillitatis hoc tempus eſt: in quo ex-
cluſa omnium contaminatione vitiorum, perpe-
tuitas nobis eſt obtinenda virtutum. Nunc piarum 2. Cor. 6.
mentium fortitudo donare culpas, negligere con-
tumelias, & oblivisci aſſueſcat injurias. Nunc fide-
lis animus per arma juſtitiæ a dextris ſe exerceat &
ſiniſtris: ut per gloriam & ignobilitatem, per infa-
miam & bonam famam, ſecuram conſcientiam,
conantemque probitatem, nec laudes inflent, nec
opprobria defatigent. Religioſorum modeſtia non
ſit mœſta, ſed ſancta: nec inveniantur in eis ul-
larum murmura qoerelarum, quibus nunquam
deſunt ſanctorum ſolatia gaudiorum. Non timea-
tur inter opera miſericordiæ terrenarum diminu-
tio facultatum. Semper dives eſt Chriſtiana pau-
per-

pertas, quia plus eſt quod habet, quam qood
non habet. Nec pávet in iſto mundo indigen-
tia laborare, cui donatum eſt, in omnium re-
rum dominio omnia poſſidere. Operantibus ergo,
quæ bona ſunt, non eſt omnino metuendum ne
Luc. 21. eis deſit facultas operandi: cum & in duobus num-
Matth. 10. mis Evangelicæ illius viduæ ſit laudata devotio, &
pro calicæ aquæ frigidæ præmium habeat gratuita
largitio. Ex affectibus enim piorum benignitatis
menſura taxatur: & nunquam eum miſerendi ef-
ficacia deſerit, in quo miſericordia ipſa non defi-
3. Reg. 17. cit. Experta hoc eſt vidua illa de Sarepta, quæ bea-
to Heliæ in tempore famis, unius diei cibum, quem
ſolum habebat, appoſuit: & Prophetæ eſuriem
neceſſitati ſuæ præferens, exiguum farinæ & puſil-
lum olei incunctanter expendit. Sed non defuit
ei, quod fideliter erogavit, & in vaſis pia effuſione
vacuatis, fons novæ ubertatis exortus eſt, ut ſan-
ctis uſibus non minueretur ejus ſubſtantiæ pleni-
Cap. III. tudo, cujus non fuerat formidata defectio. His
autem ſtudiis, dilectiſſimi, ad quæ vos voluntario
confidimus præparatos, non ambigimus diabo-
lum, qui omnium virtutum eſt adverſarius, invide-
re, & ad hoc vim ſuæ malignitatis armare; ut pietati
laqueos de ipſa pietate prætendat: & quos non
potuerit dejicere per diffidentiam, conetur ſupe-
rare per gloriam. Vicinum eſt enim rectis actionibus
Superbia bonis operibus inſidiatur. ſuperbiæ malum, & de proximo ſemper virtuti-
bus inſidiatur elatio: Quia difficile eſt ut lauda-
biliter viventem laus non capiat humana, niſi,
2. Cor. 10. ut ſcriptum eſt, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*.
Cujus vero ille hoſtis nequiſſimus non audeat im-
pugnare propoſitum? cujus non appetat violare
jejunium? quando verſutias ſuas, ſicut Evangelica
lectione patefactum eſt, nec ab ipſo mundi Salva-
tore continuit? Expaveſcens enim in illo quadra-
ginta dierum noctiumque jejunium, explorare cal-
lide voluit, utrum hanc continentiam donatam ha-
beret, an propriam: ut non metueret deceptionum
ſuarum opera ſolvenda, ſi Chriſtus ejus eſſet con-
Tentationis Chriſtianæ a diabolo ordo explicatur. ditionis, cujus eſt corporis. Primo, itaque dolo ſcru-
tatus eſt, an ipſe eſſet ſubſtantiarum Creator, qui
rerum corporearum poſſet, in quæ vellet, mutare na-
turas. Secundo, an ſub humanæ carnis ſpecie divini-
tas obumbrata tegeretur, cui facile eſſe pervium
ſibi aerem facere, & terrena per vacuum membra
librare. Sed cum illi Dominus juſtitiam maluiſſet
opponere veri hominis, quam potentiam manifeſta-
re deitatis: ad hoc convertit tertiæ fraudis ingenium,
ut eum, in quo divinæ poteſtatis ſigna ceſſaverant,
dominandi cupiditate tentaret, & ad venerationem
ſui regna mundi pollicendo traduceret. Sed pru-
dentiam diaboli ſtultam fecit ſapientia Dei: ut ſu-
perbus hoſtis hominem videns, quem aliquando
ſuperaverat, non metueret eum perſequi, quem
pro omnibus oportebat occidi.

Cap. IV. Hujus igitur adverſarii dolos, non ſolum in ille-
cebris gulæ, ſed etiam in propoſito abſtinentiæ ca-
veamus. Qui enim ſcivit humano generi mortem
inſerre per cibum, novit & per ipſum nocere jeju-
nium: & ad contrariæ fraudis effectum, ſumulis
utendo Manichæis, ſicut per ſerpentem intulit in-
terdicta præſumi: ita per famem ſuadet conceſſa
vitari. Utilis quidem eſt abſtinentia, quæ parco aſ-
ſueta victui, deliciarum cohibet appetitum: ſed væ
illorum dogmati, apud quos etiam jejunando pec-
catur. Damnant enim creaturarum naturam in Crea-
toris injuriam, & contaminari edentes aſſerunt iis
quorum non Deum, ſed diabolum conditorem eſſe
definiunt: cum prorſus nulla ſit ſubſtantia mala,
nec ipſius mali ſit ulla natura. Omnia enim bona
bonus Auctor inſtituit, & unus eſt univerſarum re-
rum creator, *qui fecit cælum & terram, mare omnia
quæ in eis ſunt*. Ex quibus quicquid homini ad ci-
bum potumque conceſſum eſt, ſanctum & mundum
in ſui generis qualitate eſt. Quod ſi immoderata avi-
ditate ſumatur, nimietas edaces & bibaces dedecorat,
non cibi, neque poculi natura contaminat. *Omnia* Ad Tit. 1.
enim, ſicut Apoſtolus ait, *munda ſunt mundis*, Coin-
quinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum,
ſed conquinata ſunt eorum mens & conſcientia.

Vos autem, dilectiſſimi, Catholicæ matris ſancta Cap. V.
generatio, quos in ſchola veritatis Spiritus ſanctus
erudivit, libertatem veſtram congrua ratione mo-
deramini, ſcientes quoniam bonum eſt etiam a lici-
tis abſtinere, & cum caſtigatius vivendum eſt, ita
diſcernere cibos, ut uſus eorum ſemoveatur, non
natura damnetur. Nulla itaque vos contagionis
hujus aſpergat impietas, qui ſua maxime obſervan-
tia polluuntur, ſervientes creaturæ potius quam
creatori, & luminaribus cœli ſtultam abſtinentiam
devoventes, quos nemo ambigat eſſe Manichæos,
qui in honorem ſolis ac lunæ die Dominico & ſe-
cunda feria deprehenſi fuerint jejunare. Uno enim
perverſitatis ſuæ opere, bis impii, bis prophani ſunt,
qui jejunium ſuum, & ad ſiderum cultum, & ad
reſurrectionis Chriſti inſtituere contemptum. Ab-
dicant enim ſe ſacramento ſalutis humanæ, &
Chriſtum Dominum noſtrum, ſicut in veritate car-
nis noſtræ denegant natum: ita vere mortuum &
reſurrexiſſe non credunt. Et ob hoc, diem ſalutis
& lætitiæ noſtræ ſui jejunii mœrore condemnant,
Cumque ad tegendum infidelitatem ſuam noſtris
audeant intereſſe myſteriis, ita in ſacramentorum
communione ſe temperant, ut interdum tutius la-
teant: ore indigno Corpus Chriſti accipiunt, San-
guinem autem redemptionis noſtræ haurire om-
nino declinant. Quod ideo veſtram volumus ſcire
Sanctitatem, ut vobis hujuſcemodi homines, & his
manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fue-
rit ſacrilega ſimulatio, notati & prohibiti a Sancto-
rum ſocietate, ſacerdotali authoritate pellantur.
De talibus enim beatus Paulus Apoſtolus Eccleſiam Rom. 16.
Dei provide monet dicens: *Rogamus autem vos, fra-
tres, ut obſervetis eos qui diſſenſiones & offendicula
præter doctrinam quam didiciſtis, faciunt, & decli-
nate ab illis*. Hujuſcemodi enim Chriſto Domino
non ſerviunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermo-
nes & benedictiones ſeducunt corda innocen-
tium. His ergo, dilectiſſimi, admonitionibus no- Cap. VI.
ſtris, quas auribus veſtris contra execrabilem ſe-
ctam frequenter ingeſſimus, ſufficienter inſtructi,
ſanctos Quadrageſimæ dies pia devotione ſuſcipi-
te: & ad promerendam miſericordiam Dei per
opera vos miſericordiæ præparate. Iram extingui-
te, odia deponite, unanimitatem diligite: & ſin-
ceris vos humilitatis officiis invicem prævenite.
Servis, & his, qui vobis ſubjecti ſunt, cum æquita-
te dominamini. Nullus eorum aut clauſtris cru-
cietur, aut vinculis: ceſſent vindictæ, remittantur
offenſæ: ſeveritas lenitate, indignatio manſuetudi-
ne, diſcordia pace mutetur. Omnes nos modeſtos,
omnes placidos, omnes experiantur benignos: ut je-
junia noſtra accepta ſint Deo. Cui ita demum ſacri-
ficium veræ abſtinentiæ & veræ pietatis offerimus, ſi
nos ab omni malitia contineamus. Cum inimicis au-
tem Crucis Chriſti nulla conſenſione jungamur: ne
impiorum conſortio ſanctitas Fidelium polluatur.
Lux ſeparetur a tenebris, & fugiant filios diabo-
li filii veritatis: In templum enim Domini, quod eſt
Eccleſia Chriſti, nil contaminatum inferri, nil pro-
phanum oportet admitti: ut omni immunditia a pe-

ne-

netralibus cordis excluſa, ſanctificetur jejunium noſtrum, & ſimus æternum ſancti Spiritus habitaculum: qui nos a peccatorum ſordibus emundatos & poſſidere dignetur ſemper & regere. Secunda igitur & quarta & ſexta Feria jejunemus. Sabbato autem apud ,beatum Petrum Apoſtolum Vigilias celebremus, qui commendatt ſibi gregis curam habere non deſinens, cuſtodiam nobis de ſuis precibus obtinebit, auxiliante Deo nobis per omnia, cui cum Filio & Spiritu ſancto una eſt deitas, una majeſtas in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO V.

De Quadrageſima.

De multitudine periculorum hujus vitæ, & peccatis remittendis.

Cap. I. Epheſ. 4. Coloſ. 3. APoſtolica, dilectiſſimi, doctrina nos admonet, ut deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, de die in diem ſancta converſatione renovemur. Si enim templum Dei ſumus, & mentium noſtrarum Spiritus ſanctus habitator eſt, di-
1. Cor. 6. cente Apoſtolo, *Vos eſtis templum Dei vivi*: multa nobis vigilantia laborandum eſt, ut cordis noſtri receptaculum tanto hoſpite non ſit indignum. Et ſicut in domibus manufactis laudabili diligentia providetur, ut ſi quid aut infuſione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipſa fuerit antiquitate corruptum, in integrum cura reſtituat; ita jugi oportet ſollicitudine præcaveri, ne quid in noſtris animis incompoſitum, ne quid inveniatur immundum. Quamvis enim ædificium noſtrum ſine opere ſui non ſubſiſtat artificis, nec fabrica noſtra poſſit eſſe incolumis, niſi ei protectio præfuerit conditoris: tamen quia rationabiles lapides ſumus & viva materies, ſic nos auctoris noſtri extruit manus, ut cum opifice ſuo etiam is, qui reparatur, opere-
Cooperatores Dei ſumus. tur. Gratiæ igitur Dei obedientia ſe humana non ſubtrahat, nec ab illo bono, ſine quo non poteſt bona eſſe, deficiat. At ſi quid ſibi impoſſibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in ſe remaneat, ſed ad jubentem recurrat: qui ideo dat præceptum, ut excitet deſiderium, & præſtet
Pſal. 54. auxilium, dicente Propheta: *Jacta in Deum cogitatum tuum, & ipſe te enutriet*. An forte quiſquam ita inſolenter ſuperbit, ita ſe illæſum, ita immaculatum eſſe præſumit, ut nullius jam renovationis indigeat? Fallitur prorſus iſta perſuaſio, & nimia vanitate veteraſcit, quicunque inter tentationes hujus vitæ ab
Vita hæc plena periculis. omni ſe vulnere credit immunem. Plena omnia periculis, plena ſunt laqueis. Incitant cupiditates, inſidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ ſunt obloquentium linguæ, nec
Cap. II. ſemper veracia ſunt ora laudantium. Inde ſævit ocium, hinc decipit mendax officium: ut facilius ſit vitare diſcordem, quam declinare fallacem. In ipſius autem virtutibus obtinendis tam dubius modus, & tam incerta diſcretio, ut ſi quiſquam inter bonorum malorumque confinia, ſubtiliſſimi diſcriminis potuerit ſervare menſuras; difficile ſit, ut bene ſibi conſciam probitatem obtrectantium lingua non mordeat, & iniquorum evadat opprobria, cui eſt amica juſtitia. Jam cum ad ipſas rerum temporalium varietates cogitatio humana convertitur, quantæ ſe opponunt caligines, quanti pravarum opinorum oboriuntur errores, ut de objectu contrariorum ſumatur materia querelarum! Nam licet omnium fidelium corda non dubitent, nullis hujus mundi partibus, nulliſque temporibus providentiam abeſſe divinam, nec de ſtellarum poteſtate, quæ nulla eſt, ſæcularium negotiorum pendere proventus, ſed æquiſſimo & clementiſſimo ſummi Regis arbitrio cuncta diſponi, quoniam ſicut ſcriptum eſt; *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veri-* Pſal. 24.
tas: tamen cum quædam non ſecundum deſideria noſtra procedunt, & ſub humani judicii errore ſuperior eſt plerumque iniqui cauſa quam juſti: vicinum nimis atque contiguum eſt, ut etiam magnanimos iſta concutiant, & in aliquod illicitæ cauſationis murmur impellant. Siquidem iſtis varietatibus etiam excellentiſſimus Propheta David uſque ad periculum ſe turbatum profitetur, & dicit: *Mei autem pe-* Pſalm. 72.
ne moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Unde quia paucorum eſt tam ſolida fortitudo, ut nulla inæqualitatum perturbatione quatiantur, & multos fidelium non adverſa tantum, ſed etiam ſecunda corrumpant: ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſociatur, diligens eſt adhibenda curatio. Ideo enim de periculis, quibus mundus hic plenus eſt, quædam breviter percurri, ut dicente Scriptura, *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe* Prov. 20.
eſſe a peccato? omnes ſibi intelligant dilictorum indulgentiam, & reparationis neceſſariam eſſe medicinam. Quando autem opportunius, dilectiſſimi, Cap. III.
ad remedia divina recurremus, quam cum ipſa nobis Sacramenta redemptionis noſtræ temporum lege referuntur? quæ ut dignius celebremus, ſaluberrime nos quadraginta dierum jejunio præparemus. Non enim ii tantum, qui per mortis Chriſti reſurrectioniſque myſterium in novam vitam baptiſmo ſunt regenerante venturi, ſed etiam omnes populi renatorum utilis ſibi & neceſſariæ præſidium hujus ſanctificationis aſſumunt: illi, ut quæ nondum habent, accipiant: iſti, ut accepta cuſtodiant. Dicente namque Apoſtolo, *Qui ſtat, videat ne cadat*; nemo 1. Cor. 19
eſt tanta firmitate ſuſtultus, ut de ſtabilitate ſua debeat eſſe ſecurus. Utamur igitur, dilectiſſimi, ſaluberrimi temporis venerabilibus inſtitutis, & ſollicitiore cura cordis noſtri * piacula tergamus. *Peccata*.
Quantumlibet enim caſte & ſobrie mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ converſationis aſpergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum, non ita a fumo totius vanitatis alienus eſt, ut nulla poſſit ſorde fuſcari, & non ſemper indigeat expoliri. Quod ſi etiam cautiſſimis animis neceſſarium eſt, quanto illis amplius eſt expetendum, qui tota ſere anni ſpatia aut ſecurius, aut forte negligentius tranſierunt? Quos charitate debita commonemus, ut non ideo ſibimet blandiantur, quia nobis conſcientiæ ſingulorum patere non poſſunt: cum oculos Dei ſimul Hebr. 4.
univerſa cernentis, non abdita locorum, non parietum ſepta ſecludant, nec ſolum ei acta & cogitata, verum & agenda & cogitanda ſint cognita. Iſta ergo ſcientia ſummi Judicis, iſte eſt tremendus aſpectus, cui pervium eſt omne ſolidum, & apertum omne ſecretum: cui obſcura clarent, muta reſpondent, ſilentium confitetur, & ſine voce mens loquitur. Nemo patientiam bonitatis Dei Rom. 2.
de peccatorum ſuorum impunitate contemnat: nec ideo illum æſtimet non offenſum, quia necdum eſt expertus iratum. Non ſunt longæ vitæ mortalis induciæ, nec diuturna eſt licentia inſipientium voluptatum in æternarum dolorem tranſitura pœnarum: ſi dum juſtitiæ ſententia ſuſpenditur, pœnitentiæ medicina non quæritur. Confugiamus igitur ad præſentem ubique miſe- Cap. IV.
ricordiam Dei, & ut ſanctum Paſcha Domini digna obſervantia celebretur, cunctorum ſe fide-

lium

lium corda ſanctificent. Miteſcat ſævitia, manſue-
ſcat iracundia, remittant ſibi omnes culpas invicem
ſuas, nec exactor ſit vindictæ, qui petitor eſt ve-
Matth. 6. niæ. Dicentes enim, *Dimitte nobis debita noſtra,*
ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, duriſſi-
mis nos vinculis illigamus, niſi quod profitemur,
impleamus. Unde etſi orationis hujus ſacratiſſimum
pactum non tota ſui conditione ſervatum eſt: nunc
ſaltem conſcientiam ſuam unuſquiſque cognoſcet,
& alienis ignoſcendo delictis, abolitionem ſuorum
obtinea peccatorum. Dicente namque Domino.
Matth. 18. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet*
Matth. 6. *& vobis Pater veſter, qui in cælis eſt, delicta*
Luc. 6. *veſtra:* non longe eſt ab unoquoque quod poſcit,
cum de benignitate ſupplicis ſententia pendeat ju-
dicantis. Qui humanarum precum miſericors &
juſtus auditor, æquitati ſuæ de noſtra lenitate præ-
ſcripſit, ut non haberet in eo jus ſeveritatis, quos
non inveniſſet cupidos ultionis. Clementes autem
& mites animos etiam largitas decet. Nihil eſt enim
dignius, quam ut homo ſit ſui auctoris imitator: &
ſecundum modum propriæ facultatis, divini ſit
operis executor. Nam cum aluntur eſurientes, ve-
ſtiuntur nudi, foventur infirmi, nonne auxilium
Dei manus implet miniſtri, & benignitas ſervi mu-
nus eſt Domini? Qui cum ad effectus miſericordiæ
ſuæ adjutore non egeat, ita ſuam omnipotentiam
temperavit, ut laboribus hominum per homines
ſubveniret, & meritæ Deo gratiæ referrentur de
pietatis officiis, cujus opera viderentur in famulis.
Propter quod ipſe Dominus diſcipulis ſuis ait:
Matth. 5. *Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, ut viden-*
tes opera veſtra bona magnificent Patrem veſtrum,
qui eſt in cælis. Qui cum eodem Patre & Spiritu
ſancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum benedi-
ctus, Amen.

SERMO VI.

De Quadrageſima.

Quod jejunio corporis & animæ adjungenda ſunt opera miſericordiæ, quæ magis ex animi affectione, quam donorum magnitudine penſantur.

Cap. 1. Psalm. 23. SEmper quidem, dilectiſſimi, miſericordia Do-
mini plena eſt terra, unicuique fidelium ad
colendum Deum ipſa rerum natura doctrina eſt,
dum cœlum & terra, mare, & omnia quæ in eis
ſunt, bonitatem & omnipotentiam ſui proteſtan-
tur auctoris: & famulantium elementorum mira-
bilis pulchritudo juſtam ab intellectuali creatura
In Quadrageſima religioſius converſandum. gratiarum exigit actionem. Sed cum ad iſtos re-
currit dies, quos ſpecialius reparationis huma-
næ ſacramenta ſignarunt, & qui vicino ordine at-
que contiguo feſtum Paſchale præcedunt, diligen-
tius nobis præparatio religioſæ purificationis in-
dicitur. Quamvis enim in quolibet tempore inno-
cens via multorum: & plurimos Deo bonorum
actum conſuetudo commendat: non adeo tamen
de conſcientiæ integritate fidendum eſt, ut huma-
na fragilitate inter ſcandala tentationeſque degen-
te, nihil potuiſſe arbitremur, quod læderet eam, in-
Prov. 20. cidere, cum Propheta excellentiſſimus dicat, *Quis*
Pſalm. 18. *gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut mundum ſe eſſe*
a peccato? Et iterum, *Ab occultis meis munda*
me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. Si autem
quod experimentis probatur, talis conditio eſt eo-
rum, qui concupiſcentiis renituntur, qui iracundiæ
motibus reluctantur, & ipſarum quoque cogitatio-
num arcana caſtigant, ut & nunquam poſſint in cor-
dibus ſuis non invenire, quod reprobent, & ſæpe
aut fallaotur occultis, aut graventur alienis: quæ in
aliis vitia, quæ ægritudines, quantaque ſint vulne-
ra, quibus auſterior ſit adhibenda medicina, ut il-
lius ſacramenti, per quod ſolvuntur opera diaboli,
non inveniantur alieni. Paſchalis quippe feſtivita-
tis hoc propriom eſt, ut tota Eccleſia remiſſione
gaudeat peccatorum, quæ non in eis tantum fiat,
qui ſacro Baptiſmate renaſcuntur: ſed etiam in eis qui
dudum in adoptivorum ſorte numerantur. Quamvis
enim principaliter novos homines faciat regenera-
tionis ablutio, qua tamen ſemper neceſſaria eſt om-
nibus contra rubiginem mortalitatis quotidiana re-
novatio, & inter perfectum & imperfectum gra-
dus nullus eſt, qui non ſemper melior eſſe debeat:
generaliter adnitendum eſt, ut in die redemptionis
nemo inveniatur in vitiis vetuſtatis. Quod ergo, Cap. 11.
dilectiſſimi, in omni tempore unumquemque con-
venit facere Chriſtianum, id nunc ſollicitius eſt &
devotius exequendum; ut Apoſtolica inſtitutio
quadraginta dierum jejuniis impletur, non cibo-
rum tantummodo parcitate, ſed privatione maxi-
me vitiorum. Nam cum ad hoc caſtigatio iſta ſu-
matur, ut carnalium deſideriorum fomites ſub-
trahantur: nullum magis ſectandum eſt continentiæ
genus, quam ut ſemper ſimus ab injuſta voluntate
ſobrii, & ab inhoneſta actione jejuni. Quæ devo-
tio non omittit ægros, non ſecernit invalidos: quia
etiam in languido atque mutili corpore poteſt ani-
mi integritas reperiri, ſibi ubi fuit ſedes pravitatis,
ibi confirmentur fundamenta virtutis. Et ideo infir-
mæ carnis iſta ſufficit ægritudo, quæ ſæpe menſu-
ram voluntariæ afflictionis excedit, tantum, ut mens
officii ſui impleat partes, & quæ corporea epula-
tione non utitur, nulla iniquitate paſcatur. Ratio-
nabilibus autem ſanctiſque jejuniis nulla utilius,
quam eleemoſynarum opera copulantur, quæ uno
miſericordiæ nomine multa laudabiles pietatis con-
tinent actiones, ut omnium Fidelium pares ani-
mi eſſe poſſint etiam inter impares facultates. Di-
lectio enim, quæ ſimul Deo hominique debetur,
nullis unquam impeditur obſtaculis, ut non ei ſem-
per bene velle ſit liberum. Dicentibus quippe Ange- Lucæ 2.
lis, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*
bonæ voluntatis, non ſolum virtute benevolentiæ, ſed
etiam pacis bono beatus efficitur, quicunque aliis
quacunque miſeria laborantibus charitate compa-
titur. Latiſſima enim ſunt opera pietatis, quæ
ipſa ſui varietate id veris conferunt Chriſtianis, ut
in diſtributione eleemoſynarum non ſolum divites
& abundantes, ſed etiam mediocres & pauperes,
ſuas habeant portiones: & qui largitatis ſunt viri-
bus inæquales, mentis tamen affectione ſint ſimi-
les. Nam cum ſub oculis Domini multi in gazophy- Lucæ 2.
lacio ex opulentia ſua multa conferrent: vidua quæ-
dam duos intulit nummos, & tali Jeſu Chriſti teſti-
monio meruit coronari, ut in tam parvo muneris
modo, omnium fuerit collationi condigna præferri:
quia inter magna eorum dona, quibus multa reſi-
debant, illius quod fuit exiguum, fuit totum. Si vero
aliquis tantæ paupertatis coarctatur anguſtiis, ut
nec ad duo æra inopi impartienda ſufficiat, habet
in præceptis Domini, unde impleat bonæ volunta-
tis officium. Siquidem qui ſitienti pauperi calicem Matth. 10.
aquæ frigidæ miniſtrarit, mercedem eſt ſui operis
adepturus: tanta ſervis ſuis Domino ad obtinen-
dum regnum ſuum præparante compendia, ut etiam
præbitio aquæ, cujus uſus gratuitus atque commu-
nis eſt, præmio non careat. Quod ne ulla inter-
clu-

cluderet difficultas, de aqua frigida forma eſt propoſita pietatis: ne putaret ſe mercede cariturum, cui de calefactione potius lignorum impendium defuiſſet. De quo tamen calice non fruſtra admonet Dominus, ut in nomine ipſius præbeatur: quia hæc, quæ per ſe ſunt vilia, fides efficit pretioſa: & quæ ab infidelibus miniſtrantur, etſi fuerint ſumptu
Cap. 115. magna, omni tamen juſtificatione ſunt vacua. Celebraturi igitur Paſcha Domini, dilectiſſimi, ita vos ſanctis exercete jejuniis, ut ab omnibus perturbationibus liberi, ad feſta ſacratiſſima veniatis. Superbiæ ſpiritus, de quo ſunt omnia orta peccata, humilitatis amore pellatur: & qui elatione tumuerant, manſuetudine mitigentur. Quorum vero animos aliqua exaſperavit offenſio, reconciliatione ſibi-
Rom. 12. met in unitatem ſtudeant redire concordiæ. Nemini malum pro malo reddentes, & donantes invicem vobis, ſicut Chriſtus donavit nobis, humanas inimicitias pace delete: & ſi qui ſe ſubditis veſtris, aut clauſtra cuſtodiæ, aut vincula meruerunt, miſericorditer relaxentur: ut qui quotidianæ indulgentiæ remediis indigemus, non difficulter peccatis ignoſcamus alienis: Dicentes enim ad Dominum Patrem noſtrum, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, certiſſimum eſt quod cum aliorum delictis veniam tribuimus, nobis divinam clementiam præparemus, Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

SERMO VII.

De Quadrageſima.

De via Domini paranda, deque fide, charitate, & miſericordia.

Cap. 1. Virtus fidei chiſtianæ, charitas.

Virtus, dilectiſſimi, & ſapientia fidei Chriſtianæ, amor Dei eſt, & amor proximi: neque ullo caret pietatis officio, cui ſtudium eſt colere Dominum, & juvare conſervum. Harum autem affectionum duplex unitas omni quidem eſt tempore exercenda, & proficienter augenda; ſed nunc incrementis amplioribus dilatanda; ut quadraginta dierum jejunium, quod feſti Paſchalis eſt prævium, interiorem cordis auditum illius vocis inſtar moveat, qua verbis Eſajæ Prophetæ Joannes Baptiſta dicebat:
Eſaj. 40. *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*. Sive enim illam patrem populi cogitemus, quæ dudum certamina Evangelici agonis ingreſſa, per ſpiritalis ſtadii curſum indeſinenter tendit ad palmam, ſive illam, quæ lethalium conſcia peccatorum, per reconciliationis auxilium feſtinat ad veniam: ſive illam, quæ ſancti Spiritus regeneranda baptiſmate, vetuſtate Adam exui, & Chriſti cupit novitate veſtiri, apte & utiliter omnibus dicitur: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*. Quæ autem viæ Domini, quæve ſint ſemitæ, ejuſdem prædicatoris cohortatione diſcamus: qui divinæ gratiæ opera & dona promittens futurarum commutationum reſerabat affectus, addens ſententiam prophetici ſermonis, & dicens: *Omnis vallis implebitur, & omnis collis & mons humiliabitur: & erunt parva in directa, & aſpera in vias planas*. Vallis itaque manſuetudinem humilium, mons & collis elationem indicat ſuperbo-
Lucæ 14. & 18. rum. Sed quia, ſicut Veritas dicit, *Qui ſe humiliat, exaltabitur: & qui ſe exaltat, humiliabitur:* merito & vallibus adimpletio, & montibus eſt annunciata depreſſio: ut & plana nihil offenſionis, & directa nihil
Matth. 7. habeant pravitatis. Quamvis enim anguſta & ardua ſit via, quæ ducit ad vitam, non tamen difficulter incedit, quem veritas confirmat & pietas: nec caret delectatione gradiendi, cujus iter efficit virtutum petra ſolidum, non vitiorum arena ſucciduum. Verum ut plenius novarimus, per cujuſ- Cap. 51.
modi vias nobis ſit ad Dei promiſſa tendendum, audiamus David Prophetam, quid doceat, *univer-* Pſal. 24.
ſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Forma igitur converſationis fidelium ab exemplo venit operum divinorum: & merito Deus imitationem ſui ab eis exigit, quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit. Forma vivendi unde petenda. Cujus utique gloriæ dignitate non aliter potiemur, quam ſi in nobis & miſericordia inveniatur & veritas. Per quæ enim ad ſalvandos Salvator adveniat, & per hæc ad ſalvantem debent properare ſalvati: ut & nos miſericordia Dei miſericordes, & veritas faciat eſſe veraces. Sicut itaque per viam veritatis mens juſta, ita per viam miſericordiæ ambulat mens benigna. Nec tamen unquam itinera iſta diverſa ſunt, quaſi horum bonorum ſingula diverſis tramitibus expetantur, & aliud ſit miſericordia creſcere, & aliud veritate proficere. Non eſt miſericors veritatis alienus: nec juſtitiæ capax eſt veritatis extraneus: nec utraque virtute utitur, qui non utraque ditatur. Charitas robur fidei, fides fortitudo eſt charitatis. Et tunc verum nomen ac verus eſt fructus ambarum, cum inſolubilis utriuſque manet connexio.
Ubi enim non ſimul fuerint, ſimul deſunt: quia invicem ſibi & juvamen & lumen ſunt, donec deſiderium credulitatis impleat remuneratio viſionis: & incommutabiliter videatur, & ametur, quod nunc & ſine fide non diligitur, & ſine dilectione non creditur. Fides ſine charitate, non prodeſt. Quia ergo, ſicut Apoſto- Galat. 5.
lus ait: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides qua per dilectionem operatur*: ſimul atque conjunctim & charitati ſtudeamus & fidei. Hic eſt enim quidam efficaciſſimus geminatum alarum volatus, quod ad promerendum & videndum Deum puritas mentis attollitur: ne onere curarum carnalium deprimatur.
Nam qui ait: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: Heb. 11.
idem dicit, *Si habuero omnem fidem, ita ut montes* 1. Cor. 13.
transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Unde ſacramentorum paſchalium divina myſteria digno ſuſcipiantur officio, & duo hæc, in quibus omnium præceptorum doctrina concurrit, ſtudioſius appetantur: quibus ſinguli quique Fidelium, & ſacrificium Deo efficiantur, & templum. Inſtet fides ſperare quod credit: inſtet charitas propitiare quod diligit, utrumque amantis eſt, utrumque credentis. Et cui intelligentiæ conceſſione ſubjicimur, eidem pietati imitatione jungamur. Vox Dei eſt, *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*. Et vox Domini eſt, *Eſtote miſericordes, ſicut* Cap. 111.
& Pater veſter miſericors eſt. Ac ne dubitemus Deo Levit. 19. & 20.
tribui, quod impenditur indigenti, diſpenſatores Luc. 6.
eleemoſynarum, quæ commercia ineat, audiamus, Domino dicente, quæ futura ſit judicii ſui forma, cum dicet ad dexteram collocandis:
Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vo- Matth. 25.
bis regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare. Sitivi, & dediſtis mihi bibere. Peregrinus eram, & collegiſtis me. Nudus eram, & cooperuiſtis me. Infirmus eram, & viſitaſtis me. In carcere eram, & veniſtis ad me. Quærentibus autem juſtis, quando & qualiter potuerint iſta deprehendere, reſpondens Rex dicet illis: *Amen, amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex minimis fratribus meis, mihi feciſtis*. Quid hoc opere fructuoſius, quid hac humanitate facilius? Quæ utique laude ſua fraudanda non eſſet, ſi propter ipſam na-

naturæ communionem juvando homini ab homi-
ne præberetur. Sed quia quod oon ex fidei proce-
dit fonte, ad præmia æterna non pervenit, alia eſt
conditio operum cœleſtium, alia terrenorum. Mun-
dana benevolentia in iis quos adjuvat, habet finem:
Chriſtiana pietas in ſuum tranſit auctorem, dum in
ipſum dicamur benigni, quem in nobis fatemus
Matth. 5. operari, dicente Domino, *Sic luceat lumen veſtrum
coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, &
magnificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*.

Cap. IV. Gaude igitur mens fidelium: & gloriam tuam in
ejus gloria, qui in te operatur, agnoſcens, de ipſa Pa-
ſchali feſtivitate ferveſce. Debiti enim tui eſt, ut ei,
qui pro omnibus paſſus eſt, paratus ſis compati:
quoniam pia vita Sanctorum nunquam aliena eſt
Crucis Chriſti, dum continentiæ clavis deſideria
carnis configit, & corporis cupiditates virtute Spi-
ritus in ſe habitantis interfecit. Difficile eſt quem-
quam in ſe non habere, quod perimat. Extinguen-
da eſt iracundia, mortificanda eſt ſuperbia, deſtruen-
Quibus ſtudiis vacandum in Quadrageſima. da luxuria. Radix quoque avaritiæ altius perſe-
quenda eſt: ut omnium malorum germen excidi va-
leat, ſi eorum potuerit fomes evelli. Cum autem
hac diligentia indeſinenter ſit animus excolendus,
& utendum ita ſit corpore, ut rectori ſuo neceſſa-
rium præbeat natura inferior famulatum: nunc
maxime frenis continentiæ caro moderanda eſt, &
quicquid ſublimibus deſideriis obviat, amputan-
dum. Dum enim congruis purificationibus ad cele-
brandum Paſcha Domini utraque ſubſtantia præpa-
ratur, profutura omni tempore conſuetudo nutri-
tur, ſevera in ſubditos imperia detumeſcant, ceſſet
vindicta peccati: & rei criminum ad hos dies per-
veniſſe ſe gaudeant, in quibus a ſanctis piiſque
principibus etiam publicarum auſteritas remittitur
ultionum. Aboleantur odia, deficiant ſimultates,
pacis & benevolentiæ multiplicetur affectus: & qui
potuit malitia pollui, ſtudeat benignitate purgari.
Quoniam judicium Dei ſicut immitibus vehemens,
Matth. 25. ita erit miſericordibus clemens: & detruſis in ignem
gehennæ propter inhumanitatem ſiniſtris, dextros
eleemoſynarum pietate laudatos, æterna cœleſtis
regni beatitudo ſuſcipiet. Per Dominum noſtrum
Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto
vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO VIII

De Quadrageſima.

De vera utriuſque naturæ in Chriſto ſubſtantia & quibus argumentis utramque naturam probaverit, ac de hæreticis vitandis.

Cap. I. DEvotionis quidem veſtræ, dilectiſſimi, novi-
mus hunc eſſe fervorem ut jejuniis, quæ Do-
mini Paſcha præcurrunt, multi noſtros prævenia-
tis hortatus. Sed quia utilitas abſtinentiæ non ſo-
lum carnis caſtigationi, verum etiam mentis ne-
ceſſaria eſt puritati, obſervantiam veſtram ſic cu-
pimus eſſe perfectam, ut ſicut deſiderii carnis re-
ſcinditis voluptates, ita ab animi ſenſibus excluda-
Errores vitandi. tis errores. Nam Paſchali feſto, in quod omnia re-
ligionis noſtræ ſacramenta concurrunt, is vera &
rationabili purificatione ſe præparat, cujus cor nul-
Rom. 14. la infidelitate polluitur. Dicente enim Apoſtolo,
Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt: inutilia erunt
Joan. 6. & vana eorum jejunia, quos illuſionibus ſuis deci-
pit mendacii pater, & vera Chriſti caro non paſcit.
Sicut ergo divinis mandatis ſanæque doctrinæ to-
to corde famulandum eſt; ita omni prudentia ab Sanctum & ſpiritale jejunium.
impiis eſt ſenſibus abſtinendum. Tunc enim mens
ſanctum agit atque ſpiritale jejunium, cum erro-
ris cibos atque venena abiicit falſitatis: quæ dolo-
ſus ac verſutus inimicus, nunc inſidioſius inge-
rit, quando ipſo venerandæ feſtivitatis recurſu
omnis Eccleſia ad intelligenda ſalutis ſuæ myſteria
generaliter commovetur. Is enim reſurrectionis
Chriſti verus confeſſor & cultor eſt, qui & de paſ-
ſione ejus non confunditur, & de corporea nati-
vitate non fallitur. Nam quidam erubeſcentes
Evangelium Crucis Chriſti, ut audentius evacua-
rent ſuſceptum pro mundi redemptione ſuppli-
cium, ipſam veræ carnis in Deo negavere naturam:
non intelligentes impaſſibilem Dei Verbi, atque
incommutabilem Deitatem, ita ſe inclinantem ad
humanam naturam & ad ejus ſalutem, ut & po-
tenter propria non amitteret, & miſericorditer
noſtra ſuſciperet. Duplicis itaque in Chriſto for- Chriſti vera divinitas & humanitas.
mæ una perſona eſt, & Filius Dei, idemque filius
hominis unus eſt Dominus, conditionem ſervilem
conſilio pietatis recipiens, nec legem neceſſitatis
incurrens: quia poteſtate factus eſt humilis, po-
teſtate paſſibilis, poteſtate mortalis, ut ad deſtruen-
dum peccati mortiſque dominatum, & pœnæ ca-
pax eſſet ſubſtantia infirmitatis, & nihil gloriæ
ſuæ perderet natura virtutis. Cum itaque, dile- Cap. II.
ctiſsimi, legentes vel audientes Evangelium, quæ-
dam in Domino noſtro Jeſu Chriſto cognoſcitis
ſubjecta injuriis, quædam illuſtrata miraculis: ita
ut in eodem nunc humana appareant, nunc divi-
na reſplendeant: nolite quicquam horum adſcri-
bere falſitati, tanquam in Chriſto aut ſola ſit hu-
manitas, aut ſola divinitas, ſed utrumque fideliter
credite, utrumque humiliter adorate: ut io uni-
tate Verbi & carnis non ſit ulla diviſio: nec quia
manifeſta fuerunt in Jeſu ſigna divina, falſa vi-
deantur documenta corporea. Vera & copioſa ſunt
in Chriſto utriuſque teſtimonia naturæ, ad hoc
ex divini conſilii altitudini concurrentia, ut Ver-
bo inviolabili oon ſeparato a carne paſſibili, par-
ticeps per omnia intelligatur & Deitas carnis, &
caro Deitatis. Mens igitur Chriſtiana fugax men-
dacii, diſcipula veritatis, utere fidenter Evange-
lica hiſtoria, & quæ fideliter & viſibiliter ſunt
geſta per Dominum, tanquam ipſa aggregata cum
Apoſtolis, nunc ſpirituali intellectu, nunc corporeo
diſcerne conſpectu. Da homini, quod de muliere
puer naſcitur: da Deo, quod nec conceptu lædi-
tur virginitas materna, nec partu. Formam ſervi
obvolutam pannis, jacentem in præſepio cogno-
ſce, ſed annunciatam ab Angelis, declaratam Joan. 2.
ab elementis, adoratam a Magis: formam Domini
confitere. Humanum intellige, quod non decli-
navit nuptiale convivium: divinum approba, Joan. 2.
quod aquam convertit in vinum. Noſtra tibi in-
noteſcat affectio, cum mortuo amico fletus im-
penditur: divina potentia ſentiatur, cum idem
poſt quatriduanam jam fœtidus ſepulturam, ſolo Joan. 9.
vocis imperio vivificatus erigitur. Lutum de ſpu-
to & terra fieri, corporei fuit operis: ſed illinc ſu-
perlitos cœci oculos illuminari, non dubium eſt
illius fuiſſe virtutis, quæ quod principi naturæ Matth. 4.
non dederat, ad manifeſtationem ſuæ gloriæ reſer-
varat. Veri eſt hominis, fatigationem corpoream
ſomni quiete relevare, ſed veri Dei eſt, vim ſævien- Joan. 6.
tium procellarum præcepti increpatione compe-
ſcere. Cibos eſurientibus apponere, humanæ be-
nignitatis eſt, & ſocialis eſt animi: ſed quinque pa-
nibus & duobus piſcibus quinque millia virorum,
exceptis mulieribus & parvulis, ſatiare, quis ne-
gare

garo audeat opus eſſe deitatis? Quæ, cooperantibus ſecum veræ carnis officiis, & ſe homini & hominem ſibi ineſſe monſtrabant: quia non aliter in humana natura ſanari poterant originalis vulnera vetuſtatis, niſi de utero Virginis carnem ſibi aſſumente Dei Verbo, in una eademque perſona

Cap. III.

ſimul & caro naſceretur & Verbum. Hanc, dilectiſſimi, incarnationis Dominicæ fidem, per quam tota Eccleſia corpus eſt Chriſti, inconcuſſo corde ſervantes, ab omnibus hæreticorum jejunate mendaciis: & ita vobis miſericordiæ opera eredite profutura, ita fructuoſe habendam continentiæ puritatem, ſi mentes veſtræ nulla pravarum opinionum contaminatione ſorduerint. Abjicite exoſa Domino mundanæ argumenta ſcientiæ, per quam nemo ad cognitionem veritatis potuit pervenire: & hoc fixum habete in animo, quod dicitis in Symbolo. Credite conſempiternum Patri Filium Dei, per quem facta ſunt omnia, & ſine quo

Joan. 1.

factum eſt nihil: ſecundum carnem quoque in fine temporum generatum. Credite hunc corporaliter crucifixum, mortuum, ſuſcitatum, & ſuper altitudines cœleſtium dominationum elevatum, in Patris dextra conſtitutum, ad judicandum vivos & mortuos in eadem carne, qua aſcendit, venturum. Hoc

Coloſſ. 3.

enim univerſis fidelibus Apoſtolus prædicat, dicens: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram; mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Habentes

Cap. IV.

ergo, dilectiſſimi, tantæ promiſſionis fiduciam, eſtote non ſolum ſpe, ſed etiam converſione cœleſtes. Et quamvis omni tempore ſtudendum ſit ſanctificationi & mentis & corporis: nunc tamen in iſtis quadraginta dierum jejuniis ſollicitioribus vos pietatis operibus expolite, non ſolum in diſtribuendis eleemoſynis, quæ magnum habent emendationis effectum: ſed etiam in remittendis offenſionibus, & peccatorum reatibus relaxandis: ut conditio, quam inter ſe & hominem Deus poſuit, non reſiſtat orantibus. Dicentes enim ſecundum

In Quadrageſima major danda operæ pietati.

Matth. 6.

doctrinam Domini, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: debemus toto corde implere quod dicimus. Tunc enim fiet omnino quod in conſequentibus poſtulamus, ut & in tentationem non inducamur, & a malis omnibus liberemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO IX.

De Quadrageſima.

De perſecutione & cruce Chriſti ferenda, atque de impietate Manichæi, & Apollinaris.

Cap. I.

IN omnibus, dilectiſſimi, ſolemnitatibus Chriſtianis, non ignoramus Paſchale ſacramentum eſſe præcipuum. Cui condigne & congrue ſuſcipiendo totius quidem nos temporis inſtituta reformant: ſed devotionem noſtram præſentes vel maxime dies exigunt, quos ſublimiſſimo divinæ miſericordiæ ſacramento ſcimus eſſe contiguos. In quibus merito a ſanctis Apoſtolis per doctrinam Spiritus ſancti majora ſunt ordinata jejunia: ut per commune conſortium crucis Chriſti etiam nos aliquid in eo, quod propter nos geſſit, agere-

mus, ſicut Apoſtolus ait: *Si compatimur, & conglorificabimur.* Rom. 8.

Certa atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ paſſionis. Nemo eſt, dilectiſſimi, cui per conditionem temporis ſocietas hujus gloriæ denegetur: tanquam tranquillitas pacis vacua ſit occaſione virtutis. Apoſtolus enim prædicat, dicens: *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur.* 2. Tim. 3.

& ideo nunquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi nunquam deſit obſervantia pietatis. Dominus enim in exhortationibus ſuis dicit? *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Matt. 10.

Nec dubitare debemus hanc vocem non ſolum ad diſcipulos Chriſti, ſed ad cunctos Fideles, totamque Eccleſiam pertinere, quæ ſalutare ſuum in his, qui aderant, univerſaliter audiebat. Sicut ergo totius eſt corporis pie vivere, ita totius eſt temporis crucem ferre: quæ merito ferri unicuique ſuadetur, quia propriis modis atque menſuris ab unoquoque toleratur. Unum nomen eſt perſecutionis, ſed non una eſt cauſa certaminis: & plus plerumque periculi eſt in inſidiatore occulto, quam in hoſte manifeſto. Beatus Job alternantibus bonis ac malis mundi hujus eruditus pie veraciterque dicebat: *Nonne tentatio eſt vita hominis ſuper terram?*

Perſecutionis Chriſtianorum non una cauſa. Job. 7.

Quoniam non ſolis doloribus corporis atque ſuppliciis anima fidelis impetitur, verum etiam ſalva incolumitate membrorum, gravi morbo urgetur, ſi carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſum carnem, præſidio crucis Chriſti mens rationalis inſtruitur: nec cupiditatibus noxiis illecta conſentit, quoniam continentiæ clavis & Dei timore traſfigitur. Galat. 5.

In bono ergo propoſito conſtitutis, inimicitiæ diſſimilium diabolo inſtigante non deſunt, & facile in odia prorumpunt, quorum improbi mores deteſtabiliores fiunt comparatione rectorum. Iniquitas cum juſtitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falſitatis nulla eſt cum veritate concordia: non amat ſuperbia manſuetudinem, petulantia verecundiam, avaritia largitatem: & tam pertinaces habet diverſitas iſta conflictus, ut etiamſi exterius conquieſcat, ipſa tamen piorum cordium penetralia inquietare non deſinat, ut verum ſit quod qui voluerint in Chriſto pie vivere, perſecutionem patientur: & verum ſit quod omnis hæc vita tentatio eſt. Ipſis experimentis ſuis unuſquiſque Fidelis edoctus, Chriſti cruce armetur, ut Chriſto dignior habeatur.

Mali cur oderint bonos.

2. Tim. 3. Job. 7.

Cap. II.

Per iſtum vero agonem, dilectiſſimi, ad præmia æterna tendentibus in eo maxime diaboli inſidiatur aſtutia, ut quorum pervertere non poteſt probitatem, ſubruat fidem. In aliam enim transfertur viam, quiſque a confeſſione veritatis abducitur, totuſque ejus curſus abſceſſio eſt: & tanto erit morti vicinior, quanto fuerit a Catholica fide longinquior.

Piis maxime inſidiatus diabolus.

Quod etiam in diebus noſtris per ſuam patiuntur incuriam, qui de ſpiritu olim deſtructi erroris olimque damnati veterem inſaniam conceperunt, qui geminam in Chriſto audeant negare naturam: aut non ſuſcepta carnis ſcilicet veritate: aut in carnem deitate converſa, ut aut ſecundum Manichæum nulla ejus ſit reſurrectio, cujus nulla eſt paſſio; aut ſecundum Apollinarem ipſa deitas Verbi mutabilis, ipſa ſit facta paſſibilis.

Manichæus, Apollinaris.

Hoc autem ſentire, hoc auribus Chriſtianæ plebis ingerere, quid aliud quam ipſa religionis noſtræ fundamenta convellere, & quod verus filius Dei, verus ſit filius hominis, denegare? In quo ſolo & humani generis reſtitutio teſtificata per legem, promiſſa per Prophetas, & omnibus veteris Teſtamenti ſignificationibus nunciata, ut ma-

gnum illud & ſæculis omnibus profuturum divinæ miſericordiæ ſacramentum, quod ſæpe & diu fuerat ſignificatum, in præſtituto tempore non dubitaretur impletum. Unde licet, ex quo Verbum caro factum eſt, ita in Chriſto Dei atque hominis una perſona ſit, ut in nullis actionibus fiat naturæ utriuſque diviſio, ſtudet tamen Evangelica veritas ipſum quem Dei Filium prædicat, ſæpiſſime filium hominis confiteri: ut quamvis ea quæ diſſeruntur, alia ſunt humilitatis, alia deitatis; ſub nomine tamen filii hominis, utraque memorentur, ne fides Dominum Jeſum Chriſtum natum ex Maria virgine, Deum ſimul atque hominem credita, cunctetur fateri, aut in Deo humanitatem, aut in homine deitatem, ut & in Verbo ſuſcepti hominis vera ſit humanitas, & in carne ſuſcipientis Dei vera majeſtas. Hæc, dilectiſſimi, per occaſionem feſti Paſchalis, cui puritatem cordium præparare debemus, de incarnatione Verbi perſtrinxiſſe ſufficit: quoniam aliquoties hic inſtructos vos eſſe meminiſtis. Nunc devotionem veſtram de eo quod tempus poſcit, admoneo: ut ſanctum ac ſalubre jejunium operibus pietatis ornetis. Et quia pro indulgentia maxime laborandum eſt dilectorum, indubitabilem vobis divinam miſericordiam promittatis: ſi ipſi quoque circa ſubditos veſtros omnem offenſam tranſtuleritis ad veniam. Placidos enim atque concordes ad tantam feſtivitatem decet Dei populos convenire: ut ſeveritas ultionem, quæ nunc etiam in publicis judiciis relaxatur, multo magis in Chriſtianorum cordibus mitigetur. Quia ad hoc potius intenta debet eſſe cura Sanctorum: ne ullus algeat, ne ullus eſuriat, ne quis inopia deficiat, ne quis mœrore tabeſcat, ne aliquem vincula adſtrictum, ne aliquem habeat carcer incluſum. Quantælibet enim exiſtant cauſæ offenſionis, ab homine tamen in hominem, non tam dilecti magnitudo, quam naturæ eſt cogitanda communio ut de judicio, quo alterum judicat, miſericordiam Dei judicantis obtineat. *Beati enim miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus*, Qui vivit & regnat in ſæcula ſeculurum, Amen.

Joan. 1.

Cap. III.

Matth. 5.

SERMO X.

De Quadrageſima.

De laude charitatis, & de offenſis remittendis.

Cap. I.

Paſchalis ſolemnitas exteris excellentior.

INter omnes, dilectiſſimi, dies quos multis modis honorabiles habet Chriſtiana devotio, nullus eſt excellentior feſtivitate paſchali: per quam in Eccleſiam Dei univerſarum ſolemnitatum dignitas conſecratur. Si quidem etiam ipſi Domini ex matre generatio huic fuit impenſa ſacramento: nec alia fuit Dei Filio cauſa naſcendi, quam ut Cruci poſſet affigi. In utero enim virginis ſuſcepta eſt caro mortalis, in carne mortali completa eſt diſpoſitio paſſionis: effectumque eſt ineffabili conſilio miſericordiæ Dei, ut eſſet nobis ſacrificium redemptionis, abolitio peccati, & ad æternam vitam initium reſurgendi. Conſiderantes autem, quid per Crucem Domini adepta eſt univerſitas mundi: cognoſcimus ad celebrandum Paſchæ diem, merito nos quadraginta dierum jejunio præparari: ut digni poſſimus divinis intereſſe myſteriis. Non enim ſummos tantum Antiſtites, aut ſecundi ordinis Sacerdotes, nec ſolum ſacramentorum miniſtros, ſed omne corpus Eccleſiæ, univerſumque Fidelium numerum, ab omnibus contaminationibus oportet eſſe purgatum: ut templum Dei, cui fundamentum eſt ipſe fundator, in omnibus lapidibus * ſpecioſum, & in tota ſui patre ſit lucidum. Nam ſi Regum ædes, & ſublimiorem prætoria poteſtatum, omni ornatu rationabiliter excoluntur, ut excellentiora ſint eorum domicilia, quorum ampliora ſunt merita: quantopere ædificandum, quanto eſt honore decorandum, Deitatis ipſius habitaculum: Quod licet inchoari & perfici ſine ſuo authore non poſſit, habet tamen ab ædificante donatum, ut etiam labore proprio quærat augmentum. Viva enim rationabiliſque materies ad extructionem templi ipſis aſſumitur, & per ſpiritum gratiæ ut voluntarie in unam compagem congruat, incitatur. Quæ ideo dilecta, ideo quæſita eſt, ut & ipſa ex non quærente quærens, & ex non diligente ſit diligens, dicente beato Joanne Apoſtolo: *Nos ergo diligamus invicem, quia Deus prior dilexit nos*. Cum igitur & omnes ſimul, & ſinguli quippe Fidelium, unum idemque Dei templum ſint, ſicut perfectum hoc in univerſis, ita perfectum debet eſſe in ſingulis: quia etſi non eadem eſt membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium, meritorum poteſt eſſe parilitas: communionem tamen obtinet decoris, connexio charitatis. In ſancto enim amore conſortes, etiamſi non iiſdem utuntur gratiæ beneficiis, gaudent tamen invicem bonis ſuis: & potest ab eis extraneum eſſe, quod diligunt, quia incremento diteſcunt proprio, qui profectu lætantur alieno. In hac, dilectiſſimi, unitate Sanctorum, ubi idem amatur, idem diligetur, idemque ſentitur, nec ſuperbis locus eſt, nec invidis, nec avaris: & quicquid eſt illud, quo aut vanitas gloriatur, aut ira ſævit, aut luxuria laſcivit, non in Chriſti fœdere, ſed in diaboli parte cenſetur, longeque a ſedibus pietatis excluditur. Fremit itaque innocentiæ adverſarius, & pacis inimicus, & quia ipſe in veritate non ſtetit, totamque naturæ ſuæ gloriam dum ſuperbit, amiſit, dolet hominem Dei miſericordia reparari, & in ea bona, quæ ipſe perdidit, introduci. Nec mirum ſi peccati auctor probitate recte agentium cruciatur, & eorum quos dejicere non poteſt, ſtabilitate torquetur: quandoquidem etiam inter homines reperiuntur, qui opera hujus malignitatis imitentur. Multi enim, quod dolendum eſt, profectibus uruntur alienis: & qui ſe virtutibus vacuos deſpici noverunt, armantur in eorum odium, quorum non ſequuntur exemplum. Servi autem Dei & diſcipuli veritatis, etiam diſſimiles ſui diligunt, & bellum vitiis potius quam hominibus indicunt, nulli malum pro malo reddentes, ſed correctionem peccantium ſemper optantes. Pulchrum enim valde eſt, & divinæ benevolentiæ comparandum, ſui quemque in altero meminiſſe, & amare propriam etiam in hoſte naturam. Siquidem plurimos novimus, in optimos mores tranſiſſe de peſſimis, ex ebrioſis ſobrios, ex crudelibus miſericordes, ex rapacibus largos, ex incontinentibus caſtos, ex ferocibus factos eſſe tranquillos. Dicente autem Domino, *non veni vocare juſtos, ſed peccatores*, nulli Chriſtiano quemquam odiſſe permittitur, quia nemo niſi in remiſſione peccatorum ſalvatur: & quos viles fecit carnalis ſapientia, neſcimus quam pretioſos ſpiritalis ſit factura gratia. Sit ergo ſanctus Dei populus, ſit benignus: ſanctus, ut declinet prohibita, benignus, ut faciat imperata. Quamvis enim magnum ſit habere fidem rectam, ſanamque doctrinam, & multa laude digna ſit circumciſio gulæ, lenitas manſuetudinis, puritas caſtitatis: nudæ ſunt tamen omnes ſine charitate

Quadrageſimæ jejunium cui Paſcha præcedat.

*precioſum.

1. Joan. 5.

Charitas facit omnia communia.

Cap. II.

Joan. 8.

Rom. 12.

Matt. 9.

Cap. III. Sine charitate nihil proſunt cæteræ virtutes.

Digitized by Google

tate virtutes, nec poteſt dici in qualibet morum excellentia fructuoſum, quod non dilectionis partus ediderit. Unde in Joannis Evangelio Dominus dicit:
Joan. 13. *In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis: ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Et in ejuſdem
Joan. 4. Apoſtoli apiſtola legitur: *Cariſſimi, diligamus invicem, quoniam charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum: & qui non diligit non novit Deum, quoniam Deus charitas eſt.* Diſcutiant ergo ſe fidelium mentes, & intimos ſui cordis affectus vera examinatione dijudicent: ac ſi repoſitum aliquid in conſcientiis ſuis de fructibus charitatis invenerint, Deum ſibi ineſſe non dubitent: & ut magis magiſque tanti hoſpitis ſunt capaces, fiant perſeverantis miſericordiæ operibus ampliores. Si enim dilectio Deus eſt, nullum habere debet terminum charitas, quia nullo poteſt claudi fine divinitas.
Cap. iv. Ad exercendum igitur, dilectiſſimi, charitatis bonum, quamvis tempus omnes ſit congruum, præſentes tamen dies ſpecialius cohortantur: ut qui Paſcha Domini cupiunt cum animi & corporis ſanctificatione ſuſcipere, hanc maxime gratiam conentur acquirere: qua & omnium continetur ſumma virtutum, & multitudo tegitur peccatorum. Et ideo celebraturi illud eminens ſuper omnia ſacramentum, quo iniquitates noſtras Jeſu Chriſti ſanguis abolevit, miſericordiæ primitus hoſtias præparemus: & quod nobis bonitas Dei contulit, nos quoque eis qui in nos peccavere, præſtemus. In oblivionem mittantur injuriæ, ſupplicium jam neſciant culpæ, & a vindictæ metu omnes ſubditorum abſolvantur offenſæ. Meminem teneant clauſtra pœnalia, nec in euſtodiis tenebroſis triſtes reorum gemitus perſeverent. Si quiſquam tales pro aliquo delicto obnoxios tenet, peccatorem ſe eſſe non dubitet: & ut indulgentiam ipſe accipiat, gaudeat ſe inveniſſe, cui parcat, ut cum ſecundum doctrinam Dei dici-
Matth. 6. mus, *Dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, non ambigamus per noſtræ orationis formam, divinam nos obtinere clemen-
Cap. v. Miſericordiæ in pauperes quam gratæ Deo. tiam, In pauperes quoque & diverſis debilitatibus impeditos benignior nunc largitas exeratur: ut gratiæ Deo multorum voce referantur, & jejuniis noſtris egentium refectio ſuffragetur. Nulla enim devotione fidelium magis Dominus delectatur, quam iſta, quæ pauperibus ejus impenditur; & ubi curam miſericordiæ invenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit. Non timeatur in iis expenſis defectio facultatum, quoniam ipſa benignitas, magna ſubſtantia eſt: nec poteſt largitatis deeſſe materies, ubi Chriſtus paſcit & paſcitur. In omni hoc opere illa intervenit manus, quæ panem fragendo auget, & erogando multiplicat. Securus & hilaris ſit eleemoſynæ diſtributor, quia tunc maximum lucrum habebit, quando ſibi minimum reſervaverit, dicente
2. Cor. 9. beato Apoſtolo Paulo. *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & pacem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ*, in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO XI.

De Quadrageſima.

De tentationibus vitæ humanæ, & diabolica impugnatione, ac remiſſione injuriarum.

Cap. 1. IN omnibus quidem, dilectiſſimi, diebus atque temporibus quædam nobis divinæ bonitatis ſigna præfixa ſunt, & nulla pars anni a ſacris eſt aliena myſteriis: ut dum nobis ubique præſidia noſtræ ſalutis occurrunt, invitantem nos ſemper miſericordiam Dei avidius expectemus. Sed quicquid illud eſt; quod in diverſis gratiæ operibus & donis reparationi humanarum confertur animarum, totum id nobis nunc evidentius & copioſius præſentatur: quando non particulatim quædam agenda, ſed ſimul ſunt omnia celebranda. Appropinquante autem feſtivitate Paſchali, adeſt maximum ſacratiſſimumque jejunium, quod obſervantiam ſui univerſis Fidelibus ſine exceptione denunciat: quia nemo tam ſanctus eſt, ut non ſanctior, nemo tam devotus, ut non debeat eſſe devotior, Quis enim in hujus vitæ conſtitutus incerto, aut immunis a tentatione, aut liber inveniatur a culpa! (Quadrageſimæ maximum ſacratiſſimumque jejunium ab omnibus obſervandum. Tentationum pericula.) Quis eſt, qui nihil virtutis ſibi adjiei, aut qui nihil vitii ſibi optet auferri, cum & adverſa noceant, & ſecunda corrumpant, nec minoris ſit periculi carere deſideratis, quam abundare conceſſis? Inſidiæ ſunt in divitiarum amplitudine, inſidiæ in paupertatis anguſtiis. Illæ elevant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat ſanitas, tentat infirmitas: dum & illa materia eſt negligentiæ, & hæc cauſa triſtitiæ. (Innocens nemo præ vitæ difficultate.) Laqueus eſt in ſecuritate: laqueus eſt in timore, nec intereſt utrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis, Matth. 7. cum par morbus ſit vel ſub vana delectatione languere, vel ſub anxia ſollicitudine laborare. Impletur itaque per omnia ſententia veritatis, qua diſcimus anguſtam eſſe & arduam viam, quæ ducit ad vitam, & cum latitudo itineris ad mortem trahentis, multis frequentetur agminibus: in ſalutis ſemitis paucorum intrantium ſunt rara veſtigia. Unde autem populoſior eſt via læva quam dextera: niſi quia ad mundana gaudia & corporalia bona, multitudo perclivis eſt? Et quamvis caducum incertumque ſit, quod cupitur: libentius tamen ſuſcipitur labor pro deſiderio voluptatis, quam pro amore virtutis. Ita cum innumeri ſint, qui viſibilia concupiſcant, vix inveniuntur qui temporalibus 1. Cor. 4. æterna præponant. Et ideo dicente beato Apoſtolo Paulo, Quæ videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt: latet quodammodo & Rom. 8. in abſcondito eſt virtutum via, quoniam ſpe ſalvi facti ſumus, & fides vera id ſuper omnia diligit, quod nullo ſenſu carnis attingit.

Magni eſt ergo operis & laboris, mobilitatem Cap. 11. cordis ab omnibus continere peccatis, & cum undiquæ innumeræ voluptatum illecebræ blandian- *Vanitatem.* tur, ad nulla contagia vigorem animi relaxare. Quis picem tangit, & non inquinatur ab es? Quis Eccl. 15. non infirmatur in carne: quis non ſordeſcit in pulvere? Quis poſtremo eſt tantæ puritatis, ut iis 1. Cor. 7. non pollutatur, ſine quibus vita non ducitur? Jubet enim per Apoſtolum doctrinam divina, ut qui habent uxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura mundi hujus. Beata igitur mens, quæ peregrinationis ſuæ tempora, caſta ſobrietate tranſcurrit: & in iis, per quæ neceſſe eſt eam ambulare, non remanet, ut hoſpita magis quam domina terrenorum, nec affectibus ſit innixa humanis, nec promiſſionibus deſit divinis. (Beata mens quæ ſit.) Hanc autem fortitudinem, dilectiſſimi, nulli magis quam præſentes & exigunt & conferunt dies: quibus dum obſervantia ſpiritalis impenditur, Cap. 111. conſuetudo, in qua perſeveretur, acquiritur. Notum enim vobis eſt hoc eſſe tempus, quo per to-

tum

tum mundum ſæviente diabolo, acies debet Chriſtiana confligere: & ſi quos aut deſidia tepidos, aut ſollicitudo habuit occupatos, nunc oportet armis ſpiritalibus inſtrui, & cœleſti tuba ad ineundom certamen accendi: quoniam ille, cujus invidia Sapient. 1. mors introivit in orbem terrarum, modo præcipuo livore uritur, modo maximo dolore cruciatur. Videt enim de omnium hominum genere in adoptionem filiorum Dei novos populos introduci: & per virginem Eccleſiæ fœcunditatem, partus regenerationis augeri. In Baptiſmo gratis confertur juſtificatio. Videt ſe dominationis ſuæ jure privatum, e cordibus eorum, quos poſſidebat, expelli: eripit ſibi in utroque ſexu millia ſenum, millia juvenum, millia parvulorum: nec obeſſe cuiquam vel proprium, vel originale peccatum, ubi juſtificatio non meritis retribuitur, ſed ſola gratiæ largitate donatur: lapſos quoque & inſidiarum Lapſi per pœnitentiam inſtaurantur. ſuarum fraude deceptos, pœnitentiæ lacrymis ablui, & portas miſericordiæ Apoſtolica clave reſerante, ad remedia reconciliationis admitti. Sentit inſuper diem Dominicæ paſſionis inſtare, & ſe illius crucis poteſtate conteri, quæ in Chriſto ab omni debito mortis alieno, redemptio fuit mundi, non pœna peccati. Ut itaqne malignitas fre-Cap. IV. mentis inimici nullos habeat ſui livoris affectus, ad exequenda Domini mandata diligentior eſt aſſumenda devotio: ut tempus, in quo omnia divinæ miſericordiæ ſacramenta concurrunt, cum præparatione & animorum ſuſcipiamus & corporum, implorantes regimen & miſericordiam & adjutorium Dei, ut ſine quo nihil poſſumus facere, per ipſum omnia valeamus implere. Ideo enim datur præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium. Nec ſe quiſquam per occaſionem infirmitatis excuſet, quia qui præſtitit velle, donabit & poſſe, dicente beato Apoſtolo Jocobo: *Si quis ve-*Jacob. 1. *ſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Quis fidelium neſciat, quibus virtutibus ſtudere, & quibus vitiis debeat repugnare? Quis conſcientiæ ſuæ aut tam gratioſus, aut tam imperitus eſt arbiter, qui ignoret quid a ſe auferri, aut quid in ſe oporteat augeri? Nemo quippe ita rationis eſt alienus, qui aut converſationis ſuæ non intelligat qualitatem, aut cordis ſui ſecreta non noverit. Non ergo per omnia ſibi placeat, nec ſe ſecundum carnis oblectamenta dijudicet: ſed omnem conſuetudinem ſuam in divinorum præceptorum lance conſtituat, ubi cum alia interdicantur, ne fiant, alia jubeantur, ut fiant, juſto ſe trutinabit examine, qui vitæ ſuæ mores ex utriuſque ponde-Præcepta Dei, ſpeculum humanæ mentis. ris comparatione penſaverit. Artifex enim miſericordia Dei, ſplendidiſſimum in mandatis ſuis condidit ſpeculum, in quo homo faciem ſuæ mentis inſpiceret, & quam conformis imaginis Dei, aut quam diſſimilis eſſet, agnoſceret: præcipue ut rejectis paululum carnalibus curis & occupationibus inquietis, ſaltem in diebus redemptionis & reparationis noſtræ, a terrenis nos ad cœleſtia conferamus.

Cap. V. Jacob. 3. Quia vero, ſicut ſcriptum eſt, *in multis offendimus omnes*, miſericordiæ primus concipiatur affectus, & aliorum in nos delictorum fiat oblivio, ut illud piiſſimum pactum, cui nos in Dominica oratione devinximus, nullo vindictæ amore violemus. Et Matth. 6. Injuriæ remiſſio neceſſaria. dicentes, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, non ſimus in remiſſione difficiles: quia ad nos recurrit ſive cupiditas ultionis, ſive indulgentia lenitatis, magiſque optandum eſt homini, tentationum periculis ſemper expoſito, ut ſuas culpas habeat punitas, quam ut plectat alienas. Quid autem convenientius fidei Chriſtianæ, quam ut non ſolum in Eccleſia, ſed etiam in omnium domibus fiat remiſſio peccatorum? Deponantur minæ, vincula relaxentur: quibus ſe multo pernicioſius, qui ea non ſolverit, religabit. Quod enim quiſque in alterum ſtatuit, hoc Matth. 5. in ſemetipſo ſua lege decernit. Beati vero miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus, qui in judicii ſuis & juſtus eſt & benignus, ad hoc quoſdam ſub aliorum eſſe poteſtate permittens, ut ſub æqua moderatione ſervetur & utilitas diſciplinæ, & manſuetudo clementiæ: & nemo audeat alterius delictis veniam denegare, quam pro ſuis optat accipere. Dicente autem Domino, *Beati pacifici,* Cap. VI. Ibidem. *quoniam filii Dei vocabuntur*: deponantur omnium diſcordiarum odiorumque certamina: nec putet ſe quiſquam in Paſchali feſto habiturum eſſe conſortium, qui fraternam pacem redintegrare neglexerit. Apud enim ſummum Patrem, qui non fuerit in charitate fratrum, non habebitur in numero filiorum. In diſtributione quoque eleemoſynarum, & pauperum cura, pingueſcant Chriſtiana jejunia: & quod ſuis quiſque deliciis ſubtrahit, debilibus impendat & egenis. Detur opera, ut omnes Deo uno ore benedicant, & qui aliquam dat portionem ſubſtantiæ ſuæ, intelligat ſe miniſtrum eſſe miſericordiæ divinæ, quæ partem pauperis in manu poſuit largientis: ut peccata, quæ Baptiſmi aquis, aut Pœnitentiæ lacrymis abluuntur, etiam eleemoſyni deleantur, dicente Scriptura: *Sicut aqua* Eccleſ. 3. *extinguit ignem, ita eleemoſynam extinguit peccatum.* Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO VII.

De Quadrageſima.

De laude continentiæ, & quod patientia Dei non ſit abutendum.

Cap. I. APpropinquante, dilectiſſimi, ſolemnitate Paſchali, ſic eſt præcurrenda conſuetudo jejunii, ut nos quadraginta dierum numerus ad ſanctificationem corporis & mentis exerceat. Suſcepturi enim feſtorum omnium maximum feſtum, ea nos debemus obſervantia præparare, ut in cujus ſumus reſurrectione conreſuſcitati, in ipſius inveniamur paſſione commortui, dicente beato Paulo Apoſtolo: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcon-* Coloſſ. 3. Cum Chriſto reſurgendum. *dita eſt cum Chriſto in Deo.* Cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Quæ vero nobis eſt cum Chriſto participatio, niſi ut deſinamus eſſe quod fuimus? aut quæ ſimilitudo reſurrectionis, niſi depoſitio vetuſtatis? Unde qui ſacramentum ſuæ reparationis intelligit, carnis ſe vitiis debet exuere, & omnes ſordes abjicere peccatorum: ut intraturus nuptiale convivium, ſplendeat veſte virtutum. Quamvis Matth. 22. Miſericordia Dei non abutendum. enim benignitas Sponſi cunctos ad communionem regiarum invitet epularum; ſtudendum eſt tamen univerſis vocatis, ut ſacrorum ciborum munere non inveniantur indigni. Abutuntur autem quidam patientia Dei, & qui non ſunt in conſcientia liberi, fiunt de longa impunitate ſecuri, cum ideo differatur ultio, ut tempus poſſit habere correctio. Mi- Ezech. 18. & 33. ſericordiam igitur Dei noſtri, quæ non vult mortem peccatoris, ſed tantum ut convertatur & vivat, non ideo quiſquam tardet amplecti, quia quod meruit,

non

non recepit. Neque enim quicquid differtur, auſertur, aut condemnationem evaſit, qui indulgentiam non quæſivit. Cujus quidem implorandæ non una omnibus cauſa eſt: quia multis modis, multiſque menſuris & peccatum a peccato, & crimen diſtat a crimine. Sed quia univerſitas Fidelium ad perfectam innocentiam, & ad plenam debet tendere puritatem, ut eorum conſortio mereatur adſeri-

Matth. 5. bi, de quibus dicitur, *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt*, omni inſtantia & virtute nitendum eſt ut quicquid ſecretum conſcientiæ maculat, quicquid aciem mentis obſcurat, diligentiſſimis emundationibus deleatur. Quamvis enim ſcriptum

Prov. 20. ſit: *Quis glorıabitur caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe eſſe a peccato*: non tamen deſperanda eſt apprehenſio puritatis, quæ dum ſemper appetitur, nec ſemper accipitur, nec remanet judicio condem-

Cap. II. nandum, quod fuerit confeſſione purgatum. Hoc illud eſt, dilectiſſimi, quod orantes omnes Filii

Matth. 6. Eccleſiæ ex doctrina Domini uniformiter dicunt: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: quia nemo tam ſanctus, nemo tam juſtus eſt, qui in tempore hujus vitæ, quæ tota tentatio eſt, cujuſcumque peccati remiſſione non

Job. 7. egeat. Circumſtant undique pericula innumerabilium delictorum, & per illicitos uſus ad immoderatos tranſitur exceſſus, dum per curam ſalutis irrepit delectatio voluptatis: & non ſufficit concupiſcentiæ, quod poteſt ſatis eſſe naturæ. Hinc habendi amor nunquam ſatiandus exoritur, hinc cupiditas eminendi, quæ vel ſtirpi ſuæ innexa, vel ſoboli, nunc prolem habet ſuperbiam, nunc parentem.

Contioentiæ laus. His autem & aliis tentationibus, quarum multiplex eſt & infinita connexio, quæ rectius virtus, quam continentia opponitur, quæ nutriendis atque ſervandis animi & corporis bonis, & incrementa prebet & roborat? Uunde in cœleſtibus Eccleſiæ diſciplinis, multum utilitatis adſerunt divinitus inſtituta jejunia: ut dum continentiæ legibus, carnalis ſubjicitur appetitus, motus quoque interior temperetur, ac ſicut corpus a cibis, ita mens ab iniquita-

Matth. 5. te jejunet. Dominus enim dicit, *Beati qui eſuriunt,*

Deliciæ Chriſtianorum. *& ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur*. Habet ergo populus Dei ſpiritales epulas caſtaſque delicias, quas ſalubriter expetit, & laudabiliter concupiſcit, quoniam laudante & dicente Propheta,

Pſal. 33. *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*: quiſquis dulcedinem juſtitiæ & miſericordiæ Dei, quibus omnibus providentia ejus diſpenſatur, guſtu cordis attigerit & nullo unquam minuenda faſtidio experimenta ſupernorum hauſerit gaudiorum, corruptibilia & temporalia bona æternorum admiratione deſpiciet: & in illo igne, quem Dei accendit charitas, concaleſcet: ut algore in fervorem converſo, & in lucem nocte mutata, uno opere in animis Fidelium Spiritu ſanctus & tenebras abigat, &

Cap. III. Continentia mater virtutum. peccata conſumat. Unde quia tales fructus mater virtutum continentia parit, & jejunantes a vitiis, ad ineffabilia oblectamenta perducit, ſtudioſiori nunc opere, dilectiſſimi, exequamur præcepta cœleſtia, & quia totum Paſchale ſacramentum in remiſſionem eſt conditum peccatorum, quod celebrare optamus, imitemur. Miſericors enim & juſtus Dominus ita promittit indulgentiam ſuam, ut eam etiam, in iis quibus, parcit, indaget. Exponens enim, qua regula Deo Patri nos voluerit ſup-

Matth. 6. plicare, *Si dimiſeritis*, inquit, *hominibus peccata eorum, dimittet vobis & Pater veſter, qui in cælis eſt, peccata veſtra. Si autem non remiſeritis hominibus, nec Pater veſter remittet vobis peccata veſtra.* Juſta prorſus & benigna conditio, qua divinæ potentiæ ſit particeps homo, ut ſententiam Dei ex ſuo libret arbitrio, & eo ſibi judicio obſtringat Dominum, quo judicaverit ipſe conſervum. Sive utique circa ſubjectos, ſive circa æquales, naturæ parilitas diligatur. Et quia nemo non peccat, nemo non parcat: non difficulter præſtemus, quod gratulanter accepimus: ut ſive largitate eleemoſynarum, ſive indulgentia peccatorum, quanto magis fuerimus miſericordes, tanto ſimus perfectius innocentes. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO PRIMUS.

De Paſſione Domini.

De neceſſitate incarnationis Filii Dei, de ſcelere & infidelitate Judæ, ac inutili ejus pœnitentia, atque Chriſti potentia.

SAcratiſſimum, dilectiſſimi, Dominicæ paſſio- Cap. I. nis diem, quam Dominus Jeſus Dei Filius pro humani generis ſalute ſuſcepit, & ſicut promiſit, omnia ad ſe exaltatus attraxit, tam plane ac lucide Evangelicus ſermo reſeravit, ut religioſis & piis cordibus non aliud ſit audiſſe quæ lecta ſunt, quam vidiſſe quæ geſta ſunt. Unde cum indubitabilem ob- Joan. 12. tineat auctoritatem ſacra narratio, annitendum nobis eſt, auxiliante Domino, ut perſpicuum habeat intelligentia, quod notum fecit hiſtoria. Poſt illam Rom. 5. namque humanæ prævaricationis primam & univerſalem ruinam, ex qua per unum hominem peccatum introivit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt; nemo dominationem diaboli, nemo vincula diræ captivitatis evaderet, nec cuiquam aut Incarnationis filii Dei neceſſitas. reconciliatio ad veniam, aut reditus pateret ad vitam, niſi coæternus & coæqualis Patri Deo Filius Dei, etiam hominis filius eſſe dignaretur: veniens Luc. 19. quærere, & ſalvare quod perierat, ut ſicut per Adam 1. Cor. 15. mors, ita per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſet reſurrectio mortuorum. Non enim quia ſecundum inſcrutabile propoſitum ſapientiæ Dei, noviſſimis diebus Verbum caro factum eſt, ideo Joan. 1. ſalutiferæ virginis partus, extremi tantum tempo- Salus nemini unquam contigit niſi per Chriſtum. ris generationibus profuit, & non ſe etiam in præteritas refudit ætates. Omnis prorſus antiquitas colentium Deum verum, omnis numerus apud ſæcula priora Sanctorum, ſacra fide vixit, & placuit, & neque Patriarchis, neque Prophetis, neque cuiquam omnino Sanctorum, niſi in redemptione Domini noſtri Jeſu Chriſti ſalus & juſtificatio fuit, quæ ſicut expectabatur, multi Prophetarum oraculis ſigniſque promiſſa, ita eſt etiam ipſo munere atque opere præſentata.

Unde nunc, dilectiſſimi, in toto ordine Domi- Cap. II. nicæ paſſionis, non ita infirmitatem conſideremus humanam, ut arbitremur illic potentiam defuiſſe divinam: neque illam ita coæternam, & æqualem Patri formam unigeniti cogitemus, ut putemus non fuiſſe vera, quæ Deo videtur indigna. Prorſus utraque natura unus Chriſtus; nec Verbum ibi ab homine diſiunctum, nec homo eſt diſſociatus a Verbo. Non eſt faſtidita humilitas, quia nec imminuta majeſtas: nihil nocuit naturæ inviolabili, quod paſſibili oportebat inferri. Totumque illud ſacramentum, quod ſimul & humanitas conſummavit & deitas, diſpenſatio fuit miſericordiæ &

actio

actio pietatis. Talibus enim vinculis tenebamur conſtricti, ut niſi per hanc opem, non poſſemus abſolvi. Humilitas igitur divinitatis noſtra provectio eſt. Nos tanto redimimur pretio, nos tanto curamur impendio. Quis enim ab impietate ad juſtitiam, a miſeria ad beatitudinem eſſet recurſus: niſi & juſtus ad impios, & beatus inclinaretur ad miſe-
Cap. III. ros? Non ergo, dilectiſſimi, erubeſcenda Crux Chriſti, quæ de virtute eſt divini conſilii, non de conditione peccati. Quamvis enim ex infirmitate noſtra vere paſſus Dominus Jeſus, velſque ſit mortuus; non tamen ita ſe abſtinuit gloria ſua, ut inter contumelias paſſionis nihil divinæ operationis
Judæ ſcelus. exerceret. Nam cum impius Judas non jam ovina pelle velatus, ſed lupino furore manifeſtus vim ſceleris per ſpeciem pacis incipiens, ſignum traditionis ſæviore omnibus teli oſculo præbuiſſet, & multitudo furibunda, quæ ad comprehendendum Dominum cum armata militum cohorte confluxerat, inter faces & laternas, lumen verum, tenebris obcæ-
Joan. 18. cata ſuis, non cerneret, Dominus qui expectare potius turbas, quam declinare delegerat, ſicut Joannes
Chriſti potentia & manſuetudo. Evangeliſta teſtatur, quem quærant, nec dum inventus, interrogat, illiſque dicentibus, quod Jeſum quærerent: *Ego ſum*, inquit. Quod verbum illam manum ita ex ferociſſimis congregatam, quaſi quodam fulmineo ictu ſtravit atque perculit: ut omnes illi atroces, minaces, atque terribiles, retroacti corruerent. Ubi fuit ſævitiæ conſpiratio? ubi ardor irarum? ubi inſtructus armorum? Dominus dicit, *Ego ſum*: & ad vocem ejus turba proſternitur impio-
Cap. IV. rum. Quid jam poterit majeſtas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda? Veruntamen Dominus ſciens, quid magis myſterio ſuſcepto conveniret, in hac poteſtate non perſtitit: ſed perſecutores ſuos in facultatem diſpoſiti ſceleris redire permiſit. Nam, ſi teneri nollet, non utique teneretur, Sed quis hominum poſſet ſalvari, ſi ille non ſe fine-
Matth. 26. ret comprehendi? Nam & beatus Petrus, qui ani-
Marc. 14. moſiore conſtantia Domino cohærebat, & contra
Lucæ 22. violentorum impetus fervore ſanctæ charitatis
Joan. 18. exarſerat; in ſervum Principis ſacerdotum uſus eſt gladio, & aurem viri ferocius inſtantis abſcidit. Sed hunc zelantis Apoſtoli pium motum progredi Dominus ultra non patitur, recondi gladium jubet, nec ſinit ſe adverſus impios manu, ferroque defendi. Contra ſacramentum enim erat redemptionis noſtræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet: ne dilato glorioſæ Crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret longior, & captivitas humana
Chriſtus in paſſione ſua ſe Deum oſtendit. diuturnior. Dat ergo in ſe furentibus licentiam ſæviendi, nec tamen etiam talibus dedignatur ſe indicare divinitas. Aurem ſervi jam ipſa ſectione demortuam, & a compage viventis corporis alienam, in ſedem dehoneſtati capitis revocat manus Chriſti, reformat quod ipſe formaverat: nec tarde caro ſequitur ejus imperium, cujus erat ipſa figmentum:
Cap. V. Habent ergo divinam hæc opera virtutem. Sed quod Dominus majeſtatis ſuæ potentiam comprimit, & vim ſe perſecutoris admittit, ex illa eſt
Apoc. 1. voluntate qua dilexit nos, & tradidit ſemetipſum
Epheſ. 5. pro nobis, cooperante in hoc ipſo Patre, qui Filio
Rom. 1. proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Una eſt enim Patris & Filii voluntas,
Act. 4. ut eſt una divinitas: de cujus diſpoſitionis effectu, nihil vobis gratiæ, Judæi, nihil tibi, Juda, debemus. Salvationi quidem noſtræ, non hoc vobis volentibus, impietas veſtra ſervit, & per vos factum eſt, quicquid manus mei & conſilium decreverunt fieri.
Act. 4. Mors igitur Chriſti nos liberat, vos accuſat. Merito ſoli non habetis, quod omnibus perire voluiſtis. Et tamen tanta eſt bonitas noſtri Redemptoris, ut etiam vos poſſitis conſequi veniam, ſi Chriſtum Dei Filium confitendo, illa parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in Cruce Luc. 23.
fruſtra oravit dicens, *Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt*. Quod remedium, nec te, Juda, tranſiret; ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes, quæ te revocaret ad Chriſtum, non quæ inſtigaret ad laqueum: Pœnitentia Judæ infructuoſa. Matt. 27.
dicendo enim, peccavi tradens ſanguinem juſtum, in impietatis tuæ perfidia perſtitiſti: quia Jeſum non Deum Dei Filium, ſed noſtræ tantummodo conditionis hominem inter extremum mortis tuæ periculum credidiſti, cujus flexiſſes miſericordiam, ſi ejus non negaſſes omnipotentiam. Judas non credidit Chriſtum Deum.
Hæc hodie, dilectiſſimi, piis auribus veſtris inſinuata ſufficiant, ne faſtidium de prolixitate ſubrepat. Quæ autem deſunt plenitudini, quarta Feria, auxiliante Domino, reddenda promittimus: quoniam qui dedit quod locuti ſumus, dabit, ſicut credimus, quod loquamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO II.

De Paſſione Domini habitus Feria quarta.

De converſione latronis, & ſignis factis in morte Chriſti ad confuſionem Judæorum.

Exiget fides, dilectiſſimi, ut partem ſermonis, Cap. I.
quam de Domini Paſſione promiſimus, eodem nobis auxiliante reddamus: in quo nos orationibus veſtris non ambigimus adjuvari. Ad commune enim pertinet lucrum, ſi potueritis me habere devotum: quia veſtræ impenditur ædificationi, quidquid noſtræ tribuitur facultati. Poſt illud ergo impium Judæ deteſtandumque commercium, quo ab eo, Judæis perſequentibus, mundi Redemptor eſt traditus, poſt illas ſacrilegas illuſiones, inter quas uſque ad locum pœnæ, ejus manſuetudo perducta eſt, crucifixi ſunt cum eo, ſtatis utrinque patibulis, latrones duo, quorum unus ad id uſque temporis, par, ſimiliſque conſorti inſidiator viarum, & ſaluti hominum ſemper infeſtus, uſque ad crucem reus, fit Chriſti repente confeſſor: & inter illos acerrimos corporis animique cruciatus, quos ſimul & inſtantia & difficultas mortis augebat, mira converſione mutatus, *Memento*, inquit, *mei Domine, dum veneris in regnum tuum*. Luc. 23. Latronis in cruce converſio.
Quæ iſtam fidem exortatio perſuaſit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula, ceſſaverat tunc languentium curatio: cæcorum illuminatio: vivificatio mortuorum: ea ipſa quæ mox erant gerenda, non aderant: & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt ſupplicii ſui eſſe conſortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipſa reſponſum: Ait enim ei Jeſus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo*. Luc. 23.
Excedit humanam conditionem iſta promiſſio: nec tam de ligno Crucis, quam de throno editur poteſtatis. Ab illa altitudine præmium fidei datur, in qua chirographum humanæ tranſgreſſionis aboletur, quia ſe a forma ſervi Dei forma non dirimit: dum etiam inter ipſa ſupplicia proprietatem unitatemque ſuam ſervavit, & Deitas inviolabilis, & natura paſſibilis. Cap. II. Signa facta in morte Chriſti.
Adiicitur ad conformationem ſpei noſtræ totius atteſtatio creaturæ. Emittente

ſpi-

ſpiritum Chriſto omnia elementa tremuerunt. Denſis tenebris ſplendor ſolis obductus extraordinariæ nocti ſubdidit diem: ſtabilitatem ſuam terra profundis concuſſionibus labefacta non tenuit: & petrarum firmitas confracta ſoliditate diſſiluit. Velum templi, quo priorum myſteria ulterius non erant obumbranda, diſciſſum eſt: & multorum Sanctorum corporibus excitatis, ad præmuniendam reſurrectionis fidem monumenta patuerunt. In vos ergo, Judæi, cœlum & terra ſententiam tulit, vobis ſol virtutem ſuam diemque ſubtraxit, vobis famulatum ſuum elementorum ordines denegaverunt: & recedente a legibus ſuis miniſterio creaturæ, veſtra obcæcatio, veſtra eſt ſignificata confuſio. Vo-
Matth. 7. bis enim dicentibus, *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*: merito hoc retributum eſt, ut quod veſtri generis impia perdidit portio, aſſequa-
Cap. 151. tur hoc fidelis gentium plenitudo. Nos ergo, di-
2. Cor. 1. lectiſſimi, quibus Dominus noſter Jeſus Chriſtus crucifixus, non ſcandalum, neque ſtultitia, ſed Dei virtus, Deique ſapientia eſt: nos, inquam, ſpiritale ſemen Abrahæ, non in prole ſervitutis geniti, ſed in familia libertatis renati, pro quibus in manu forti & brachio excelſo de oppreſſione Ægyptiæ domina-
1. Cor. 5. tionis eductis, verus & immaculatus agnus immolatus eſt Chriſtus: amplectamur ſalutaris Paſchæ mirabile ſacramentum, & ad ejus imaginem, qui deformitati noſtræ conformis factus eſt, reformemur. Erigamur ad eum, qui pulverem abjectionis noſtræ, corpus fecit gloriæ ſuæ: & ut reſurrectionis ejus mereamur eſſe conſortes, humilitatis & patientiæ ipſius per omnia congruamus. Magni nominis militiam, magnæ profeſſionis ſuſcepimus diſciplinam. Sectatores Chriſti diſcedere a regia non
1. Cor. 6. licet via, ſed dignum eſt temporalibus non occupari, ad æterna tendentes. Et quia pretioſo Sanguine Chriſti redempti ſumus, glorificemus & portemus Deum in corpore noſtro: ut ad ea, quæ Fidelibus præparata ſunt, pervenire mereamur. Per Chriſtum Domioum noſtrum, &c. Amen.

SERMO III.

De Paſſione Domini, habitus Dominico die.

De geminus Chriſti natura; Judæ deſperatione, Petri trepidatione, & converſione, ac Judæorum ſcelere ac punitione.

Cap. 1. INter omnia, dilectiſſimi, opera miſericordiæ Dei, quæ ab initio ſaluti ſunt impenſa mortalium, nihil eſt mirabilius, nihilque ſublimius, quam quod pro mundo crucifixus eſt Chriſtus. Huic enim ſacramento univerſa præcedentium ſæculorum myſteria ſervierunt, & quicquid hoſtiarum differentiis in propheticis ſignis & legalibus inſtitutis, ſacra diſpenſatione variatum eſt, hoc prænuntiavit diſpoſitum, hoc promiſit implendum: ut nunc imaginibus figuriſque ceſſantibus, hoc proſit credere jam effectum, quod antea profuit crediſiſſe faciendum. In omnibus igitur, dilectiſſimi, quæ ad Domini noſtri Jeſu Chriſti pertinent paſſionem, hoc Catholica fides tradit, hoc exigit, ut in Redemptorem noſtrum duas noverimus conveniſſe naturas, & manentibus proprietatibus ſuis, tantam factam unitatem utriuſque ſubſtantiæ, ut ab illo tempore, quo ſicut humani generis cauſa poſcebat, in beatæ Virginis utero Verbum caro factum eſt, nec
Joan. 1. Deum illum ſine hoc quod homo eſt, nec hominem ſine hoc liceat cogitare, quod Deus eſt. Exprimit quidem ſub diſtinctis actionibus veritatem ſuam utraque natura, ſed neutra ſe ab alterius connexione diſiungit. Nihil ibi iovicem vacat, tota eſt in msjeſtate humilitas, tota in humilitate majeſtas, nec infert unitas confuſionem, nec dirimit proprietas unitatem. Aliud eſt paſſibile, aliud inviolabile: & tamen ejuſdem eſt contumelia, cujus & gloria. Ipſe eſt in infirmitate, qui & in virtute: idem mortis capax, & idem victor eſt mortis. Suſcepit ergo totum hominem Deus, & ita ſe illi, atque illum ſibi miſericocdiæ & poteſtatis ratione conſeruit, ut utraque alteri natura ineſſet, & neutra in alteram a ſua
proprietate tranſiret. Sed quia diſpenſatio ſacra- Cap. 15.
menti ad reparationem noſtram ante ſæcula æterna diſpoſiti, nec ſine humana infirmitate, nec ſine divina erat conſummanda virtute; agit utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt: Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt, & carne exequente, quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis. Aliud ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit, hoc naturam noſtri generis non relinquit. Veruntamen etiam ipſa receptio paſſionum non ita eſt noſtræ affectioni humilitatis expoſita, ut a potentia ſit divioitatis abjuncta. Quicquid Domino illuſionis & contumeliæ, quicquid vexationis & pœnæ intulit ſuror impiorum: non de neceſſitate toleratum, ſed de voluntate ſuſceptum eſt. Venit enim filius homi-
nis quærere & ſalvare quod perierat. Et ſic ad om- Lucæ 19.
nium redemptionem utebatur malitia perſequentium, ut in mortis ejus reſurrectioniſque ſacramento etiam imerfectores ſui poſſent ſalvi eſſe, ſi crede-
rent. Unde ſceleſtior omnibus, Juda, & infelicior Cap. 112. Judæ de-
extitiſti: quem non pœnitentia revocavit ad Domi- ſperatio.
num, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Expectaſſes conſummationem criminis tui, & donec ſanguis Chriſti pro omnibus ſunderetur peccatoribus, inſormis lethi ſuſpendium diſtuliſſes. Cumque conſcientiam ruam tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa ſaltem te a præcipitio tuo ſacramenta revocaſſent, quæ in Paſchali cœna, jam de perfidia tuo ſigno divinæ ſcientiæ detectus, acceperas.
Cur de ejus bonitate diffidis, qui te a Corporis & Joan. 18.
Sanguinis ſui communionem non repulit? qui tibi ad Matth. 26.
comprehendendum ſe cum turbis & armato cum cohorte venienti pacis oſculum non negavit? Sed
homo corruptibilis, ſpirirus vadens & non rever- Pſal. 77.
tens cordis tui ſecutus es rabiem, & ſtante diabo- Pſal. 108.
lo a dextris tuis, iniquitatem, quam in Sanctorum omnium armaveras caput, in tuum verticem retorſiſti: ut quia ſacinus tuum omnem menſuram ultionis exceſſerat, te haberet impietas tua judicem, te
pateretur tua pœna carnificem. Cum igitur eſſet Cap. 1v.
Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi, & crea- 2. Co. 5.
turam ad Creatoris ſui imaginem reformandam Creatoc ipſe geſtaret, peractis miraculis operum di-
vinorum, quæ propheticus olim ſpiritus gerenda Eſai. 35.
prædixerat: Tunc aperientur ocnli cæcorum, & aures ſurdorum audient, tunc ſaliet claudus ut cervus & plana erit lingua mutorum: ſciens Jeſus adeſſe
jam tempus glorioſe Paſſionis implendæ, *Triſtis eſt*, Luc. 22.
inquit, *anima mea uſque ad mortem.* Et iterum: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte*. Quibus verbis quandam formidinem profitentibus, noſtræ infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum ſubeundo, pellebat. In nobis ergo Dominus noſtro pavore trepidabat, ut ſuſceptionem noſtræ infirmitatis indueret, & noſtram inconſtantiam ſuæ virtutis ſoliditate veſtiret. Venerat enim in hunc mundum dives atque miſericors negotiator cœli, & commutationi mirabili inierat commercium ſalutare

Matth. 28. noſtra accipiens, & ſua tribuens, pro contumeliis
honorem, pro doloribus ſalutem, pro morte dans
vitam, & cui ad exterminationem perſequentium
Cap. v. poterant pluſquam duodecim millia angelicarum
ſervire legionum, malebat noſtram recipere formi-
Ibidem. dinem, quam ſuam exercere poteſtatem. Quan-
tum autem univerſis fidelibus hac humilitate col-
latum ſit, primus beatiſſimus Apoſtolus Petrus ex-
pertus eſt: qui cum illum inſtantis ſævitiæ vehemen-
tior procella turbaſſet, ad reparationem vigoris
celeri mutatione converſus eſt: ſumens de exemplo
Matth. 50. remedium, ut tremefactum repente membrum re-
Joan. 15. diret ad ſui capitis firmitatem. Non enim poſſet
Domino ſervus, & magiſtro major eſſe diſcipulus:
Matth. 26. Petri converſio. qui humanæ fragilitatis trepidationem non vince-
ret, niſi victor mortis ante timuiſſet. Reſpexit
ergo Dominus Petrum, & inter calumnias ſacer-
dotum, inter falſitates teſtium, inter cædentium
& conſpuentium injurias conſtitutus, illis turba-
tum diſcipulum convenit oculis, quibus eum præ-
viderat eſſe turbandum: & in illum converſa eſt
veritatis inſpectio, ubi erat cordis ſacienda corre-
ctio, quaſi quædam illi vox Domini inſonaret, ac
diceret: Quid habes Petre? quid in tuam conſcien-
tiam recedis? ad me convertere, in me confide,
me ſequere, meæ paſſionis hoc tempus eſt, non-
dum tui venit hora ſupplicii. Quid metuis, quod
Cap. iv. etiam ipſe ſuperabis? Non te confundat infirmitas,
Matth. 27. quam recepi. Ego de tuo fui trepidus, tu de meo
eſto ſecurus. *Mane autem facto, conſilium inierunt*
Judæorum punitio. *omnes principes ſacerdotum & ſeniores populi adver-*
ſum Jeſum, ut eum morti traderent. Hoc mane,
Judæi, non ortus vobis lucis contigit, ſed occaſus,
nec veſtris oculis ſolitus dies prodiit, ſed impiis men-
tibus nox tetræ cæcitatis incubuit. Hoc mane vobis
templum & altaria diruit, legem & Prophetas ade-
mit, omnia feſta convertit. Iniſtis enim inſanum
cruentumque conſilium, tauri pingues, vituli multi,
frementes beſtiæ, canes rabidi, ut morti auctorem
vitæ & Dominum gloriæ traderetis: & tanquam ex-
tenuanda eſſet furoris veſtri immanitas, ſi ejus ſen-
tentia, qui provinciæ veſtræ præſidebat, uteremini,
Matth. 27. vinctum Jeſum ad Pilati judicium deduxiſtis: ut cla-
moribus improbis, trepido cognitore ſuperato, in-
terfectorem hominem eligeretis ad veniam, & Sal-
vatorem mundi peteretis ad pœnam. Poſt hanc
damnationem Chriſti, quam excuſata eſt Pilati præ-
ſidis ignavia magis quam poteſtas, qui lotis mani-
bus & ore pollutio iiſdem labiis Jeſum miſit ad cru-
cem, quibus eum pronunciaverat innocentem: mul-
tas illuſiones Domino, ſacerdotalibus ſerviens oculis,
licentia popularis ingeſſit: & in manſuetudinem
ejus, qui hæc ſponte tolerabat, furens turba ſæ-
vivit. Sed quia multum eſt, dilectiſſimi, ut omnia
hodiernus ſermo percurrat: in quartam Feriam,
qua lectio Dominicæ paſſionis iterabitur, reſidua
differantur. Præſtabit enim Dominus, orantibus vo-
bis, ut ipſius dono, quod promittimus, implea-
mus: Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui
vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO IV.

De Paſſione Domini, Feria quarta.

De ſignificatione latronum & crucis myſterio prædicto.

Cap. i. EXpectationi veſtræ, dilectiſſimi, quod debe-
tur, Domino largiente, reddendum eſt, pro-
merentibus orationibus veſtris, ut nos ad ſolven-
dum faciat idoneos, qui vos ad exigendum fecit in-
tentos. Loquentes enim proxime de Domini paſſio-
ne, uſque ad Evangelicæ hiſtoriæ venimus locum,
in quo Pilatus impiis Judæorum clamoribus, ut Je-
ſus crucifigeretur, ceſſiſſe narratur. Peractis itaque Latronum in cruce ſignificatio.
omnibus, quæ divinitas fieri carnis velamine tem-
perata permiſit, Jeſus Chriſtus Filius Dei cruci,
quam etiam ipſe geſtarat, affixus eſt, duobus latro-
nibus, uno ad dexteram ipſius, alio ad ſiniſtram,
ſimiliter crucifixis: ut etiam in ipſa patibuli ſpecie,
monſtraretur illa, quæ in judicio ipſius omnium ho-
minum eſt facienda diſcretio: cum & ſalvandorum
figuram fides credentis latronis exprimeret, & dam-
nandorum formam blaſphemantis impietas præno-
taret. Paſſio igitur Chriſti, ſalutis noſtræ continet
ſacramentum, & de inſtrumento, quod iniquitas
Judæorum paravit ad pœnam, potentia Redempto-
ris gradum nobis fecit ad gloriam. Quam Dominus
Jeſus ita ad omnium hominum ſuſcepit ſalutem, ut
inter clavos, quibus ligno tenebatur affixus pro in-
terfectoribus ſuis paternæ clementiæ ſupplicaret, Lucæ 23.
& diceret: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid* Cap. ii.
faciunt. Principes autem ſacerdotum, quibus in-
dulgentiam Salvator petebat, ſupplicium Crucis ir-
riſionum aculeis aſperabant, & in quem manibus am-
plius ſævire non poterant, linguarum tela jacie-
bant, dicentes: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non po-* Matth. 17.
teſt ſalvum facere? Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc
de cruce, & credimus ei. De quo erroris fonte, Ju-
dæi, de quo invidiæ lacu, talium blaſphemiarum ve-
nena potaſtis? Quis vobis magiſter tradidit, quæ do-
ctrina perſuaſit, quod illum Regem Iſrael, illum Dei
Filium credere deberetis, qui ſe crucifigi non ſine-
ret, aut a confixione clavorum liberum excuteret?
Non hoc vobis legis myſteria, non paſchalis obſer-
vantiæ ſacramenta, nec ulla unquam Prophetarum
ora cecinerunt. Sed illud vere abundeque legiſtis,
quod ad deteſtabilem veſtri ſceleris impietatem, &
ad voluntariam Domini pertinet paſſionem. Ipſo Eſai. 53.
enim per Eſajam loquitur: *Dorſum meum dedi ad*
flagella, & maxillas meas ad palmas, faciem autem Pſal. 67.
meam non averti a confuſione ſputorum. Ipſe per Pſal. 21.
David: *Dederunt*, inquit, *in eſcam meam fel, &*
in ſiti mea potaverunt me aceto. Et iterum: *Circum-*
dederunt me canes multi, conſilium malignantium ob-
ſedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinu-
meraverunt omnia oſſa mea. Ipſi vero conſideraverunt, Joan. 2.
& inſpexerunt me, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, &
ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Et ne ſceleris
tantum veſtri videatur ordo prædictus, nulla autem
potentia prænunciata crucifixi, non quidem legiſtis,
Dominus deſcendit de cruce, ſed legiſtis, *Dominus* Pſal. 95.
regnavit a ligno. Crux ergo Chriſti ſacramentum Cap. iii.
veri & prænunciati habet altari, ubi per hoſtiam Crux Chriſti cujus rei ſacramentum.
ſalutarem naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi
ſanguinis immaculati agni antiquæ prævaricationis
pacta delebat: ibi tota diabolicæ dominationis con-
terebatur adverſitas, & de elatione ſuperbiæ vi-
ctrix humilitas triumphabat: cum tam velox eſ-
ſet fidei effectus, ut de crucifixis cum Chriſto la-
tronibus, qui in Chriſtum Filium Dei credidit, pa-
radiſum juſtificatus intraverit. Quis tanti muneris
explicet ſacramentum? Quis potentiam tam miræ
commutationis enarret? Exiguo temporis puncto,
longorum ſcelerum reatus aboletur, inter luctantia
animæ dura tormenta, hærens patibulo tranſit ad
Chriſtum, & cui propria impietas intulit pœnam,
Chriſti gratia dat coronam. Hanc jam deguſtato
aceto Dominus, quam illa dabat vinea, quæ ab auto- Cap. iv.
ris ſui plantatione degenerans, converſa fuerat in Amos 6. Matth. 21.
ama-

Joan. 16. amaritudinem vitis alienæ, *Conſummatum eſt*, ait, hoc eſt completæ ſunt Scripturæ: non eſt amplius quod inſaniam populi furentis expectem, nihil minus pertuli, quam me paſſurum eſſe prædixi. Peracta ſunt myſteria infirmitatis, promantur documenta virtutis. Inclinato itaque capite emiſit ſpiritum, & in corpus die tertio ſuſcitandum, quietem placidi ſoporis admiſit. Cui ſacramento cum ſe vitæ auctor impenderet, & ad tantam divinæ majeſtatis inclinationem, totius mundi compago quateretur, cum facinus impium omnis ſui confuſione creatura damnaret, & manifeſtam in reos ſententiam ipſa elementa proferrent: qui vobis animus Judæi, quæ conſcientia fuit, quando & vos judicium univerſitatis urgebat, & revocari ad ſe, conſummato ſce-
Cap. v. lere, impietas veſtra non poterat? Qualis confuſio vos operuit? quæ cor veſtrum pœna ſuſcepit? Cum igitur, dilectiſſimi, tanta ſit miſericordia Dei, ut etiam de tali populo multos per fidem juſtificare dignatus ſit, noſque ſub veteris quondam ignorantiæ profunda nocte pereuntes, in Patriarcharum ſocietatem, & in ſortem electi generis adoptarit: ad altitudinem ſpei noſtræ non ſegniter, neque cum torpore *curramus, ſed prudenter ac fideliter cogitantes, de quali captivitate, & quam miſera ſervitute, quo pretio redempti, & quo brachio ſumus educti, glorificemus Deum in corpore noſtro: ut habitare cum in nobis, ex ipſa converſationis noſtræ probitate monſtremus. Et quia nihil eſt in omnium virtutum dignitate præſtantius quam pietas miſericordiæ, & puritas caſtitatis: his nos præſidiis ſpecialius inſtruamus, ut charitatis opere, ac nitore pudicitiæ, tanquam duabus levati alis, de terrenis mereamur eſſe cœleſtes. Quo deſiderio quiſquis gratia Dei adiutus impletur, & de profectu ſuo non in ſe, ſed in Domino gloriatur, hic legitime honoret Paſchale ſacramentum, hujus limina vaſtator Angelus ſanguine agni & ſigno Crucis prænotata non intrat. Is plagas Ægyptias non paveſcit, & iiſdem aquis hoſtes relinquit extinctos, quibus eſt ipſe ſalva-
1. Cor. 5. tus. Amplectamur itaque, dilectiſſimi, purificatis mentibus atque corporibus, ſalutis noſtræ mirabile ſacramentum: & ab omni fermento malitiæ veteris emundati, Paſcha Domini cum digna obſervatione celebremus, ut regente nos Spiritu ſancto, a charitate Chriſti nullis tentationibus ſeparemur, qui in ſanguine ſuo pacificans omnia, & in altitudinem paternæ gloriæ ſe recepit, & humilitatem ſibi ſervientium non reliquit, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO V.

De Paſſione Domini, die Dominico.

Quod neceſſe fuerit Chriſtum eſſe Deum & hominem, & de pœnitentia Judæ.

Cap. 1. CReator & Dominus omnium rerum Chriſtus poſt inuſitatum ſacræ virginis partum, poſt adorata Magorum confeſſione cunabula, & poſt multiplicem doctrinam cœleſtis eloquii, & variarum curationum medelas, imperio verbi potentis effectas, diſpenſationem omnium ſacramentorum omniumque virtutum, ſalutifera paſſione conſummat. Chriſtianæ igitur ſpei, dilectiſſimi, vera ratio
Crux Chriſti unica ſpes noſtra. 1. Cor. 2. & principalis cauſa Crux Chriſti eſt, quæ licet Judæis ſit ſcandalum, gentibus autem ſtultitia: nobis tamen Dei virtus eſt, Deique ſapientia. Unde ſummum hoc & potentiſſimum divinæ miſericordiæ ſacramentum ſemper quidem in cordibus noſtris cum tota ſui dignitate retinendum eſt: ſed nunc vivaciorem animi ſenſum, & puriorem exigit mentis intuitum, quando non ſolum recurſu temporis, ſed etiam textu Evangelicæ lectionis, omne opus noſtræ ſalutis ingeritur. Nihil ergo apud nos loci cogitationes habeant impiorum, nec integritatem ſanæ intelligentiæ aut Judaica offenſio, aut gentilis corrumpat irriſio: ut quod non ſolum pro nobis humiliter, ſed etiam ſublimiter geſtum eſt, aut ſecundum hominem impoſſibile, aut ſecundum Deum videatur indignum. Utrumque autem recipi, utrumque convenit credi: quia nemo hominum poteſt, niſi in utroque ſalvari. Juſtus enim & miſericors Deus, non ſic injuria ſuæ voluntatis eſt uſus, ut ad reparationem noſtram, ſolam potentiam benignitatis exereret: ſed quia conſequens fuerat ut ho- Joan. 8.
mo faciens peccatum, ſervus eſſet peccati: ſic medicina ægris, ſic reconciliatio reis, ſic redemptio eſt impenſa captivis, ut condemnationis juſtæ ſententia juſto liberatoris opere ſolveretur. Nam ſi pro peccatoribus ſola ſe opponeret deitas, non tam ratio diabolum vinceret, quam poteſtas. Et rurſum, ſi cauſam lapſorum ſola ageret natura mortalium, non eruerunt a conditione, quæ libera non eſſet a genere. Unde oportuit in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & divinam & humanam convenire ſubſtantiam, ut immortalitati noſtræ per Verbum carnem factum & origo novi hominis ſubveniret & paſſio. Cum igitur in Chriſto Cap. 11.
Jeſu Judæorum duritia, quæ ſunt divina, gentilium cæcitatis, quæ ſunt humana, contemnat: illis adverſus gloriam Domini calumniantibus, iſtis contra humilitatem ſuperbientibus, nos Dei Filium & in ſuis virtutibus, & in noſtris infirmitatibus adoramus. Nec erubeſcimus Crucem Chriſti & inter contradicentium linguas, nec de morte ipſius, nec de reſurrectione dubitamus. Quoniam quod ſuperbos ad infidelitatem trahit, hoc nos ad fidem dirigit, & quod apud illos eſt materia confuſionis, hoc Matth. 26.
apud nos eſt cauſa pietatis. Admonitis igitur diſcipulis Dominus, ut contra vim tentationis inſtantis vigilanti oratione certarent, ipſe Patri ſupplicans, ait: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Prima petitio infirmitatis eſt, ſecunda virtutis. Illud optavit ex noſtro, hoc eligit in proprio: Nec enim æqualis Patri Filius omnia eſſe poſſibilia Deo neſciebat, aut ad ſuſcipiendam Crucem ſine ſua in hunc mundum deſcenderat voluntate, ut hanc diverſarum affectionum compugnantiam perturbata quodammodo ratione pateretur. Sed ut ſuſcipientis ſuſceptæque naturæ eſſet manifeſta diſtinctio, quod erat hominis, divinam deſideravit potentiam; quod erat Dei, ad cauſam reſpexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas ceſſit inferior, & cito demonſtratum eſt quid poſſit a trepidante orari, & quid non debeat a medente concedi. Quia Rom. 8.
enim nos quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, & utile nobis eſt, ne fiat plerumque quod volumus. Deus juſtus & bonus, quando ea quæ nocitura ſunt petuntur, negando miſeretur. Voluntatis ergo noſtræ correctionem Dominus cum trina oratione firmaſſet, gravatis adhuc mœrore diſcipulis, *Dormite jam*, inquit, *& requieſcite.* Lucæ 22.
Ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce ap- Cap. 111
propinquavit, qui me tradet. Inter ipſa autem verba Domini, qui prædicti fuerant, irruerunt, & cum gladiis & fuſtibus comprehenſura Chriſtum

turba confluxit, ducem ſequens Judam Iſcariot, qui privilegio perfidiæ obtinuerat in facinore principatum. Huic ne criminis cauſam aliqua præberet offenſio, nulla eſt negata dignatio. Sed illius ſpiritu inflammatus exarſit, cui miniſterium præbuit, & qualem habuit mentem, talem invenit & præſidem. Pſ. 108. Pœnitentia Judæ. Merito ſicut & propheta prædixerat: Oratio ejus facta eſt in peccatum, quoniam conſumato ſcelere, tam perverſa impii converſio fuit, ut etiam pœnitudo peccaret. Admittit ergo in ſe Filius Dei impias manus, & quod ſævientium furore agitur, patienti poteſtate complevit. Hoc enim erat illud magnæ pietatis ſacramentum, quod Chriſtus conſectabatur injuriis: quas ſi aperta potentia & manifeſta virtute propelleret, divina tantum exerceret, non humana curaret. In omnibus autem, quæ illa popularis & ſacerdotalis inſania contumelioſe & procaciter inſerebat, noſtræ diluebantur maculæ, noſtræ expiabantur offenſæ: quia natura, quæ in nobis victa ſemper fuerat atque captiva, in illo innocens patiebatur & libera, ut ad auferendum peccatum mundi, illa agnus ſe hoſtiam offerret, quem omnibus corporalis ſubſtantia jungeret, & ab omnibus ſpiritalis origo diſcerneret. Hæc hodie, dilectiſſimi, auribus veſtris inſinuata ſufficiant. Cætera in quartam Feriam differantur, auxiliante Domino orationibus veſtris, qui præſtare dignabitur, ut quod promittimus, impleamus, Amen.

SERMO VI.

De Paſſione Domini, Feria quarta.

Quomodo Chriſtus ductus ſit ad Caipham, & de diruptione veſtimentorum ejus, & quomodo Chriſtus ad ſe omnia traxerit.

Cap. I. SPonſionis noſtræ memores, dilectiſſimi, ſanctitati veſtræ reddimus, quod debemus: ad futuram ſperantes gratiam Dei, ut inde nobis proveniat devotio, unde eſt incitata promiſſio. Comprehenſus Chriſtus Dominus a turbis, quas principes ſacerdotum & doctores legis armaverant, ut impleret diſpenſationem, cohibet poteſtatem, & beatum Apoſtolum Petrum humana adverſum irruentes animoſitate commotum, gladio abſtinere præcepit. Superfluum enim erat, ut qui nolebat præſidio angelicarum legionum juvari, vellet ſe Matth. 26. unius diſcipuli oppoſitione defendi. Perpetraverit licet ferox turba quod voluit, & de ſceleris ſui exultarit affectu; major tamen comprehenſi virtus, quam comprehendentium fuit. Judæorum enim cæcitas nihil obtinuit, niſi ut ſua impietate ſe perderet: Chriſti vero patientia hoc egit, ut omnes ſua paſſione ſalvaret. Perducto autem Jeſu ad Caipham principem ſacerdotum, quo ſcribæ & omnis ſacerdotalis ordo convenerat, falſa adverſum Dominum teſtimonia quærebantur: ſed inter inconditas & diſſonas voces hoc Jeſus mirabiliter elegerat, ut taceret. Caiphæ furor. Caiphæ tamen dicenti, *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei*: ita veraci ac provida auctoritate reſpondit, ut iiſdem verbis, & infidelium conſcientias cæderet, & credentium corda firmaret, & ad omnem interrogationem ejus referens, *tu dixiſti*, addenſque quod ſequitur: *Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem a dextris Dei, & venientem in nubibus cœli*. Caiphas autem ad exaggerandam auditi ſermonis invidiam, *ſcidit veſtimenta ſua*: & neſciens quid hæc ſignificaret inſania, ſacerdotali ſe honore privavit. Ubi eſt, Caipha, rationale pectoris tui? ubi continentiæ cingulum? ubi ſuperhumerale virtutum? Myſtico illo ſacratoque amictu ipſe te ſpolias, & propriis manibus pontificalia indumenta diſcerpis, oblitus præcepti illius, quod legeras de principe ſacerdotum, *De capite ſuo cidarim non deponet, & veſtimenta ſua non diſrumpet*. Lev. 25. Tu vero, a quo jam alienabatur hæc dignitas, ipſe tibi es executor opprobrii, & ad manifeſtandum finem veteris inſtituti, pertinet eadem diruptio ſacerdotii. Hinc jam dilectiſſimi, inter multiplicatas illuſiones nocte tranſacta, Cap. III. vinctum Jeſum Pilato præſidi tradiderunt, Principes enim ſacerdotum & ſeniores populi hoc conſilio rem gerebant, ut ab actione ſceleris viderentur immunes, ſubtrahentes opera manuum, & exercentes tela linguarum, nolentes interficere, & clamantes, *Crucifige, crucifige*. Quid hac ſpecie religionis injuſtius? Quid hac clementiæ ſimulatione crudelius? Qua lege, Judæi, quod vobis non licet facere licet velle? Qua ratione, quod corpora Matth. 27. polluit, corda non lædit? Contaminari occiſione ejus metuitis, cujus ſuper vos & ſuper filios veſtros fundi ſanguinem poſtulatis. Si non totum facinus veſtra impietas peragit, permittite Præſidem judicare quod ſentit. Sed vos etiam in ipſum graves atque violenti in id eum declinare non ſinitis, a quo ipſi mendaciter abſtinetis. Peccaverit Pilatus faciendo quod noluit, Matt. 27. in veſtram tamen conſcientiam confluit, quicquid furor veſter extorſit. Talis etiam illic veſter obſervantia fuit, ubi pretium, quod vobis Chriſti venditor reportavit, mitti in gazophilacium noluiſtis, caventes ſcilicet ne ſacros loculos pecunia cruenta pollueret. Cujus cordis eſt iſta ſimulatio? Sacerdotum conſcientia capit, quod templi arca non recepit. Refutatur illius ſanguinis taxatio, cujus non timetur effuſio. Quantiſlibet ita vos fallaciæ circumtegatis umbraculis, initium eſt cum traditore commercium, quo juſtum ſanguinem, ſicut non licuit comparari, ita debuit non infundi. Seditioſis igitur clamoribus Judæo- Cap. IV. rum ſedente Pilato in loco, cui nomen eſt Golgo- Ibidem. ta, crucifigitur Chriſtus. Per lignum erigitur lapſus in ligno, & guſtu fellis & aceti diluitur eſca peccati. Merito priuſquam traderetur, dixerat Dominus, *Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham*; Joan. 12. Traxit ad ſe omnia Chriſtus in cruce. id eſt, totam cauſam humani generis agam, & olim perditam in integrum revocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga ſanabitur. Exaltatum autem Jeſum ad ſe traxiſſe omnia, non ſolum noſtræ ſubſtantiæ paſſione, ſed etiam totius mundi commutatione monſtratum eſt. Pendente enim in patibulo creatore, univerſa creatura congemuit, & crucis clavos omnia ſimul elementa ſenſerunt. Nihil ab illo ſupplicio liberum fuit. Hoc in communionem ſui & terram traxit & cœlum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reſeravit, & denſarum horrore tenebrarum radios ſolis abſcondit. Debebat hoc teſtimonium ſuo mundus auctori, ut in occaſu conditoris ſui vellent univerſa finiri. Sed patientia Dei ſervat rebus atque temporibus ordinem ſuum, noſque in illum potius vocat affectum, ut eorum ſalutem petamus, quorum crimen horremus.

Cap. V. Tanto igitur pretio, tanto ſacramento eruti de poteſtate tenebrarum, & ab antiquæ captivitatis vinculis abſoluti, date operam, dilectiſſimi, ut integritatem mentium veſtrarum nulla diabolus arte corrumpat. Quicquid nobis contra Chriſtianam fidem ingeritur, quicquid contra mandata Dei ſuadetur,

de

de illius deceptionibus venit, qui nos innumeris dolis ab æterna vita conatur avertere, captando quaſdam occaſiones infirmitatis humanæ, per quas incautas negligenteſque animas in laqueos iterum ſuæ mortis inducat. Omnes ergo per aquam & Spiritum ſanctum renati, recolant cui renunciaverint, & qua profeſſione jugum a ſe tyrannicæ dominationis excuſſerint: nec in ſecundis quiſquam, nec in adverſis ad mortiferum diaboli currat auxilium.

Joan. 8.

Ille enim mendax eſt ab initio, & in ſola viget arte fallendi: ut humanam ignorantiam falſæ ſcientiæ oſtentatione decipiat, ſitque eorum nunc malignus impulſor, quorum poſt futurus eſt improbus accuſator.

Contra Mathematicos.

Anni vitæ noſtræ & actionum temporalium qualitates, nec in natura elementorum, nec in ſtellarum effectibus, ſed in ſummi & veri Dei poteſtate conſiſtunt: cujus auxilium & miſericordiam, in omnibus quæ obtinere cupimus, implorare debemus.

Rom. 8.

Sicut enim illo, quod abſit, offenſo, nihil eſt, quod nobis valeat ſuffragari; ita eodem propitio, nulla nobis nocebit adverſitas. Quoniam ſi Deus pro nobis, quis contra nos? qui Filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Qui & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO VII.

De Paſſione Domini, habitus die Dominico.

Cur Chriſtus mori voluerit in feſto Paſchæ, & de traditione Judæ, & oratione Chriſti.

Cap. I.

SCio quidem, dilectiſſimi, Paſchale feſtum tam ſublimis eſſe myſterii, ut non ſolum humilitatis meæ tenuiſſimum ſenſum, ſed etiam magnorum ingeniorum ſuperet facultatem. Sed non ita mihi divini operis conſideranda eſt magnitudo, ut vel diffidam, vel erubeſcam de ſervitute quam debeo: cum ſacramentum ſalutis humanæ non liceat tacere, etiamſi nequeat explicari. Auxiliantibus autem orationibus veſtris, ad futuram redimus gratiam Dei, quæ inſpirationis ſuæ rore ſterilitatem noſtri cordis abſtergat: ut linguæ paſtoralis officio, quæ ſanctis gregis auribus ſint utilia, proferantur. Dicente enim Domino bonorum omnium largitore,

Pſal. 80.

Aperi os tuum, & ego adimplebo illud, Audemus eidem verbis propheticis dicere, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*.

Pſal. 50.

Chriſti Paſſio cur facta ſit in feſto Paſchali.

Incipientes igitur, dilectiſſimi, Evangelicam de Paſſione Domini hiſtoriam retractare, divino intelligimus diſpoſitum fuiſſe conſilio ut ſacrilegi Judæorum principes, & impii ſacerdotes, qui ſæviendi in Chriſtum occaſiones ſæpe quæſiverant, non niſi in ſolemnitate Paſchali, exercendi furoris ſui acciperent poteſtatem. Oportebat enim ut manifeſto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promiſſa myſterio: ut ovem ſignificativam ovis vera removeret, & ut uno expleretur Sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa, quæ de immolatione agni divinitus per Moſem fuerant præſtituta, Chriſtum prophetarant, & Chriſti occiſionem proprie nunciarant. Ut ergo umbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſervantia novo tollitur Sacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguinem ſanguis excludit, & legalis feſtivitas dum mutatur, impletur.

Cap. II.

Unde cum ſcribas & ſeniores populi ad impium concilium Pontifices congregarent, omniumque animos ſacerdotum, cura admittendi in Jeſum ſceleris occupaſſet, ipſi ſe doctores legis lege privarunt, & ſpontaneo defectu ritus ſibi patrios abſtulerunt. Incipiente enim feſtivitate Paſchali, qui ornare templum, mundare vaſa, victimas providere & legitimis purificationibus ſacrariorum diligentiam adhibere debuerant, parricidalis odii furore concepto, ad unum opus vacant, & in unum facinus ſimili crudelitate conjurant. Quid aſſecuturi ſupplicio innocentiæ, condemnatione juſtitiæ, niſi ut & nova myſteria non apprehenderent, & antiqua violarent? Providentibus ergo principibus ne in die feſto tumultus oriretur, non devotioni, ſed facinori ſtudebatur, nec religioni ſerviebat hæc cura, ſed crimini. Diligentes enim Pontifices & ſollicitati ſacerdotes, ſeditiones turbarum fieri in præcipua ſolemnitate metuebant: non ut populus non peccaret, ſed ne Chriſtus evaderet.

Cap. III.

At Jeſus conſilii ſui certus, & in opere paternæ diſpoſitionis intrepidus, vetus Teſtamentum conſummabat, & novum Paſcha condebat. Diſcumbentibus enim Diſcipulis ad edendam myſticam cœnam, cum in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Chriſtus poſſet occidi; ille Corporis & Sanguinis ſui ordinans Sacramentum, docebat qualis Deo hoſtia deberet offerri: nec ab hoc quidem myſterio traditore ſubmoto, ut oſtenderetur nulla injuria exaſperatus, qui in voluntaria erat impietate * perſtiturus. Ipſe enim ſibi fuit materia ruinæ & cauſa perfidiæ, ſequens diabolum ducem, & nolens Chriſtum habere rectorem.

præſcius.

Matth. 27.

Dicens itaque Dominus, *Amen dico vobis, quod unus veſtrum me traditurus eſt*, notam ſibi traditoris ac proditoris conſcientiam demonſtravit: non aſpera, nec aperta impium increpatione confundens, ſed leni ac tacita admonitione conveniens: ut facilius corrigeret pœnitudo, quem nulla deformaſſet abjectio. Cur, infelix Juda, tanta benignitate non uteris? Ecce parcit auſibus tuis Dominus, nulli te, niſi tibi indicat Chriſtus: nec nomen tuum, nec perſona detegitur, ſed veritatis & miſericordiæ verbo, cordis tantum tui arcana tanguntur. Non Apoſtolici ordinis honor, non ſacramentorum tibi communio denegatur. Redi in integrum, & depoſito furore reſipiſce. Clementia invitat, ſalus pulſat, ad vitam vita te revocat. Ecce immaculati & innocentes condiſcipuli tui ad ſignificationem facinoris expaveſcunt, & omnes ſibi, non edito impietatis autore, formidant. Contriſtati enim ſunt, non de conſcientiæ reatu, ſed de humanæ mutabilitatis incerto: timentes ne minus verum eſſet, quod in ſe quiſque noverat, quam quod ipſa veritas prævidebat. Tu autem in hac trepidatione Sanctorum abuteris Domini patientia, & abſcondi te tua credis audacia. Addis impudentiam ſceleri, nec ſigno evidentiore terreris. Cumque ſe a cibo alii, in quo judicium Dominus poſuerat, continerent; tu manum non retrahis a paropſide, quia animam non avertis a crimine.

Ibidem.

Cap. IV.

Secutum eſt itaque, dilectiſſimi, ſicut Joannes Evangeliſta narravit, ut cum traditori ſuo Dominus manifeſtius deſignando panem porrexiſſet intinctum, totum Judam diabolus occuparet: & quem malignis cogitationibus obligarat, jam ipſo impietatis opere poſſideret. Corpore enim tantum cum cœnantibus recumbebat; mente autem ſacerdotum invidiam, teſtium falſitatem, furorem imperitæ plebis armabat. Denique videns Dominus, cui flagitio Judas eſſet intentus, *Quod facis*, inquit, *fac citius*. Vox hæc, non jubentis eſt, ſed ſinentis, nec trepidi, ſed parati: qui habens omnium temporum poteſtatem, oſtendit ſe moram non facere

Ibidem.

tra-

traditori, & ſic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem: ut facinus, quod a perſequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret. Poſtquam igitur Judas perſuaſus a diabolo, diſceſſit a Chriſto, ſeque a corpore Apoſtolicæ unitatis abſcidit, nullo Dominus pavore turbatus, ſed de ſola re-Joan. 17. dimendorum ſalute ſollicitus, omne temporis ſpatium, quod a perſequentium vocabat incurſu, myſticis ſermonibus ſacratæque doctrinæ, ſicut Joannis Evangelio declaratur, impendit: elevans ad cœlum oculos, & pro univerſa Eccleſia ſupplicans Patri, ut omnes quos dediſſet, daturuſque eſſet Filio Pater, unum fierent, & in gloria redemptoris individui permanerent, adjiciens poſtremo illam orationem Matth. 27. qua ait: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte*. Ubi non exiſtimandum eſt quod Dominus Jeſus paſſionem & mortem, cujus jam diſcipulis ſacramenta tradiderat, voluerit declinare, cum ipſe beatum Apoſtolum Petrum, devota fide & charitate ferventem uti adverſum perſecutores gladio vetet, dicens: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Certumque ſit quod & Dominus teſtatus eſt ipſe dicens: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigentum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat; ſed habeat vitam æternam*. Et Coloſſ. 1. quod de ipſo ait Apoſtolus Paulus, *Chriſtus nos dilexit, & tradidit ſemetipſum pro nobis hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. In ſalvandis enim hominibus per crucem Chriſti communis voluntas erat Patris & Filii, communeque conſilium, nec ulla poterat ratione turbari, quod ante æterna ſæcula, & miſericorditer erat diſpoſitum, & commutabiliter præfinitum. Qui ergo verum totumque hominem aſſumpſit, veros & corporis ſenſus, & animi ſuſcepit affectus. Nec quia omnia in illo plena erant ſacramentis, plena miraculis: ideo aut falſis lacrymis flevit, aut mendaci eſurie ſumpſit cibum, aut ſimulato ſopore dormivit. In noſtra humanitate contemptus, in noſtra mœſtitudine contriſtatus, in noſtro eſt dolore crucifixus. Paſſionem enim mortalitatis noſtræ ob hoc miſericordia ſubiit, ut ſanaret: ob hoc virtus recepit, ut vinceret. Quod Eſaias apertiſſime Eſai. 53. prophetavit, dicens: *Hic peccata noſtra portat, & pro nobis dolet: & nos putavimus illum eſſe in dolore & plaga & vexatione. Ipſe autem vulneratus eſt propter peccata noſtra, & infirmatus eſt propter facinora noſtra, & livore ejus ſanati ſumus*.

Cap. 11. Cum itaque, dilectiſſimi, Dei Filius dicit, *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte*, noſtræ utitur voce naturæ, & cauſam fragilitatis & trepidationis agit humanæ: ut in iis quæ toleranda ſunt, & patientia roboretur, & formido pellatur. Denique ceſſans hoc ipſum petere, excuſato quodammodo noſtræ infirmitatis metu, in quo nobis remanere non expedit, in alium affectum tranſit, & dicit: *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et iterum: *Si non poteſt*, inquit, *calix iſte tranſire a me, niſi bibam illum, fiat voluntas tua*. Hæc vox capitis, ſalus eſt totius corporis: hæc vox omnes Fideles inſtruxit, omnes Confeſſores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis poſſet peſecutorum ſuperare terrores? niſi Chriſtus in omnibus & pro omnibus patiens. Patri diceret, *Fiat voluntas tua*. Diſcant igitur hanc vocem omnes Eccleſiæ filii magno pretio redempti, gratis juſtificati: & cum adverſitas violentæ alicujus tentationis incubuerit, præſidio potentiſſimæ rationis utatur: ut ſuperato tremore formidinis, accipiant tolerantiam paſſionis. Hinc jam, dilectiſſimi, ad perſtringendum ordinem Dominicæ Paſſionis ſermo eſt dirigendus, quem, ne vos cumulo prolixitatis oneremus, in quartam Sabbati diviſo labore differamus. Aderit precantibus vobis gratia Dei, quæ mihi ſolvendi debiti tribuat facultatem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO VIII.

De Paſſione Domini Feria quarta.

De peccato Pilati ac Judæorum, de myſterio quoque & gloria crucis, & de Simone Cyrenæo.

DEcurſis, dilectiſſimi, ſermone proximo iis quæ Cap. 1. comprehenſionem Domini præceſſerunt: ſupereſt nunc, ut auxiliante Dei gratia, de ipſo jam Paſſionis ordine, ſicut promiſimus, diſſeramus. Nam cum verbis ſacræ orationis ſuæ Dominus declaraſſet, veriſſime ſibi atque pleniſſime & humanam & divinam ineſſe naturam, oſtendens unde eſſet quod pati nollet, & unde quod vellet, depulſa trepidatione infirmitatis, & confirmata magnanimitate virtutis, rediit in ſententiam ſuæ diſpoſitionis æternæ, & ſævienti diabolo per miniſteria Judæorum, formam ſervi nihil peccati habentis objecit: ut per eum ageretur omnium cauſa, in quo ſolo erat omnium natura ſine culpa. Irruerunt ergo in lumen verum filii tenebrarum, & utentes faculis atque laternis, non evaſerunt infidelitatis ſuæ noctem, quia non intellexerunt lucis authorem. Occupant paratum teneri, & trahunt volentem trahi, qui ſi vellet obniti, nihil quidem in injuriam ejus impiæ manus poſſent: ſed mundi redemptio differretur, & nullum ſalvaret illæſus, qui pro omnium ſalute erat moriturus. Sinens igitur inferri ſibi quicquid ſacerdotum inſtinctu furor popularis audebat, ad Annam Caiphæ ſocerum, ac denique ad Caipham ex Annæ tranſmiſſione perducitur: & poſt inſanas calumniantium voces, poſt commentitias ſubornatorum teſtium falſitates, ad examen pilati Pontificum delegatione transfertur: Qui divino jure neglecto, clamantes *ſe regem non habere niſi Cæſarem*, cum tanquam Matt. 28. Romanis devoti legibus, omne judicium poteſtati * Præſidis reſervaſſent, expetierunt executorem ma- Cæſaris. gis ſævitiæ, quam arbitrium cauſas. Offerebant enim Jeſum duris noxibus vinctum, colaphis & alapis frequentibus cæſum, ſputis oblitum, clamoribus prædamnatum: ut inter tot præjudicia quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus abſolvere. Denique nec in accuſato eum reperiſſe culpam, nec in ſententia ſua tenuiſſe conſtantiam, docet ipſa cognitio: in qua judex quem innocentem pronunciat, damnat, addicens iniquo populo ſanguinem juſti, a quo abſtinendum ſibi & intellectu proprio ſenſe- Pilati ſcelus & judicium. rat, & ſomno uxoris noverat. Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aſperſis aqua digitis expiatur quod famulante impia mente committitur. Exceſſit quidem Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum nomine Cæſaris territum, & invidioſis vocibus increpatum, ad effectum ſui ſceleris impulerunt. Sed nec ipſe evaſit reatum, qui cooperatus ſeditioſis, reliquit judicium proprium, & in crimen tranſivit alienum. Quod ergo Pilatus, Cap. 111. dilectiſſimi, implacabilis populi victus inſania, multis Jeſum dehoneſtari ludibriis, & immodicis vexari permiſit injuriis; quodque eum flagellis cæſum, ſpinis coronatum, & amictu irriſoriæ veſtis inductum perſequentium oſtentavit aſpectui: mitigandos procul dubio inimicorum animos exiſtimavit, ut exſaturatis invidiæ odiis, non ultra jam

cre-

crederent perſequendum, quem tot modis intue-
bantur afflictum. Sed cum inardeſceret ira claman-
tium, ut Barrabam indulgentia relaxaret, & Jeſum
crucis pœna ſuſciperet, cum conſono fremitu dice-
Matth. 27. retur a turbis: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios*
noſtros: obtinuerunt, inquit, in damnationem ſuam,
quod pertinaciter exigebant: quorum dentes, ſicut
Pſal. 59. Propheta atteſtatus eſt, arma erant & ſagittæ, & lin-
gua eorum gladius acutus. Fruſtra enim a crucifigen-
do majeſtatis Domino manus proprias continebant,
in quem lethalia vocum ſpicula, & venenata verbo-
rum tela jacebant. Vobis, vobis, falſi Judæi & ſacri-
legi principes populi, totum facinoris iſtius pondus
Judæorum ſcelus. incumbit: & licet immanitas ſceleris & præſidem
obligarit, & milites, omnis tamen facti ſumma vos
arguit. Et quicquid in ſupplicio Chriſti, vel Pilati
peccavit judicium, vel cohortis obſequium, hoc vos
facit humani generis odio digniores: quia veſtri fu-
roris impulſu, nec illis innocentes eſſe licuit, quibus
Cap. iv. iniquitas veſtra non placuit. Traditus itaque Domi-
nus ſævientium voluntati, ad irriſionem regiæ digni-
tatis, ſupplicii ſui juſſus eſt eſſe geſtator, ut imple-
Eſai. 9. retur quod Eſaias Propheta præviderat, dicens: *Ec-*
ce natus eſt puer, & datus eſt nobis filius, cujus impe-
Crucis myſterium. *rium ſuper humeros ejus*. Cum ergo Dominus lignum
portaret crucis, quod in ſceptrum ſibi converteret
poteſtatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos
grande ludibrium, ſed manifeſtabatur Fidelibus gran-
de myſterium; quia glorioſiſſimus diaboli victor, &
inimicarum virtutum potentiſſimus debellator, pul-
chra ſpecie, triumphi ſui portabat trophæum, & in-
victæ patientiæ humeris ſignum ſalutis, adorandum
regnis omnibus inſerebat: tanquam & tunc ipſa ope-
ris ſui imagine omnes imitatores ſuos confirmaret,
Matth. 20. & diceret: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur*
Matth. 27. *me, non eſt me dignus*. Euntibus autem cum Jeſu tur-
Cap. v. bis ad locum pœnæ, Simon quidam Cyrenæus in-
Simonis Cyrenæi myſterium. ventus eſt, in quem lignum crucis transferretur a
Domino: ut etiam tali facto præſignaretur gentium
fides, quibus Crux Chriſti non confuſio erat futura,
ſed gloria. Non ergo fortuitum, ſed figuratum &
myſticum fuit, ut Judæis in Chriſtum ſævientibus
ad compatiendum ei peregrinus occurreret, dicente
Rom. 8. Apoſtolo. *Si compatimur, & conregnabimus*: ut ſa-
cratiſſimo Salvatoris opprobrio, non Hebræus quiſ-
quam, nec Iſraelita, ſed alienigena ſubderetur. Per
hanc enim translationem, a circumciſione ad præpu-
tium, a filiis carnalibus ad filios ſpiritales, immacu-
lati agni propitiatio, & omnium ſacramentorum ple-
1. Cor. 5. nitudo tranſibat: Siquidem: *Paſcha noſtrum*, ut ait
Apoſtolus, *immolatus eſt Chriſtus*: qui ſe novum &
verum reconciliationis ſacrificium offerens Patri,
non in templo, cujus jam erat finita reverentia, nec
intra ſepta civitatis, ob meritum ſui ſceleris diruen-
Hebr. 13. dæ; ſed foris & extra caſtra crucifixus eſt: ut veterum
victimarum ceſſante myſterio, nova hoſtia novo
imponeretur altari, & Crux Chriſti, non templi
Cap. vi. eſſet ara, ſed mundi. Exaltato igitur, dilectiſſimi,
per Crucem Chriſto, non illa tantum ſpecies aſpectui
mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, qui-
Deut. 28. bus per Moſem dictum eſt: *Et erit pendens vita tua*
ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes
vitæ tuæ. Iſti enim nihil in crucifixo Domino præter
facinus ſuum cogitare potuerunt, habentes timorem,
non quo fides vera juſtificatur, ſed quo conſcientia
iniqua torquetur. Noſter vero intellectus, quem
ſpiritus veritatis illuminat, gloriam Crucis cœlo ter-
raque radiantem puro ac libero corde ſuſcipiat, &
Joan. 17. interiore acie videat, quale ſit, quod Dominus cum
Joan. 12. de paſſionis ſuæ loqueretur inſtantia dixit: *Venit ho-*
ra, ut clarificetur filius hominis. Et infra: *Nunc*, in-
quit, *turbata eſt anima mea. Et quid dicam? Pa-*
ter, ſalva me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc
horam. Pater, clarifica filium tuum. Et cum vox
Patris veniſſet e cœlo dicens, *Et clarificavi, & ite-*
rum clarificabo: Reſpondens Jeſus circumſtantibus
dixit: *Non propter me vox hæc facta eſt, ſed propter*
vos. Nunc judicium mundi eſt, nunc princeps hujus
mundi ejicietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero a terra,
omnia traham ad meipſum. O admirabilis potentia
Crucis! o ineffabilis gloria paſſionis! in qua & tribunal Cap. vii. Chriſtus Crucifixus ut omnia ad ſe traxerit.
Domini, & judicium mundi, & poteſtas eſt crucifi-
xi. Traxiſti enim Domine omnia ad te, & cum ex-
pandiſſes tota die manus tuas ad populum non cre-
dentem & contradicentem tibi, confitendæ majeſta- Eſai. 65.
tis tuæ ſenſum totus mundus accipit. Traxiſti Domi- Rom. 10.
ne omnia ad te, cum in execrationem Judaici ſceleris,
unam protulerunt omnia elementa ſententiam, cum
obſcuratis luminaribus cœli, & converſo in noctem
die, terra quoque motibus quateretur inſolitis, uni-
verſaque creatura impiorum uſui ſe negaret. Traxiſti
Domine omnia ad te, quoniam ſciſſo templi velo,
Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus receſſe-
runt: ut figura in veritatem, prophetia in manife-
ſtationem, & lex in Evangelium verteretur. Tra-
xiſti Domine omnia ad te, ut quod in uno Judææ tem-
plo obumbratis ſignificationibus tegebatur, pleno
apertoque ſacramento, univerſarum ubique natio-
num devotio celebraret. Nunc etenim & ordo clarior
Levitarum, & dignitas amplior Seniorum, & ſacra-
tior eſt unctio Sacerdotum: quia Crux tua omnium Crux Chriſti quantæ efficaciæ.
fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum:
per quam credentibus datur virtus de infirmitate,
gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam car-
nalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes diffe-
rentias hoſtiarum, una Corporis & Sanguinis tui im- Joan. 1.
plet oblatio: quoniam tu es verus agnus Dei, qui tol-
lis peccata mundi, & ita in te univerſa perficis my-
ſteria, ut ſicut unum eſt pro omni victima ſacrifi- Cap. viii.
cium, ita unum de omni gente ſit regnum. Confitea-
mur igitur, dilectiſſimi, quod beatus magiſter Gen-
tium Paulus Apoſtolus glorioſa voce confeſſus eſt,
dicens: *Fidelis ſermo omni acceptione dignus, quia* 1. Tim. 1.
Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos
facere. Hinc enim mirabilior eſt erga nos miſericordia
Dei, quod non pro juſtis neque pro ſanctis, ſed pro
iniquis & impiis Chriſtus eſt mortuus: & cum mor- Rom. 5.
tis aculeum recipere non poſſet natura deitatis, ſuſce-
pit tamen naſcendo ex nobis, quod poſſet offerre pro
nobis. Olim enim morti noſtræ mortis ſuæ potentiam
minabatur dicens per Oſeam Prophetam: *O mors,* Oſeæ. 13.
ero mors tua, & ero morſus tuus, inferne. Leges enim
inferni moriendo ſubiit, ſed reſurgendo diſſolvit: &
ita perpetuitatem mortis incidit, ut eam de æterna fa-
ceret temporalem. *Sicut enim in Adam omnes moriun-* 1. Cor. 15.
tur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Fiat itaque,
dilectiſſimi, quod Apoſtolus Paulus ait, *ut qui vi-*
vunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro omnibus mor- 2. Cor. 5.
tuus eſt, & reſurrexit. Et quia vetera tranſierunt,
& facta ſunt omnia nova, nemo in carnalis vitæ vetu-
ſtate remaneat, ſed omnes de die in diem proficiendo,
per pietatis augmenta renovemur. Quantumlibet
enim quiſque juſtificatus ſit, habet tamen, dum in
hac vita eſt, quo probatior eſſe poſſit & melior. Qui Qui non proficit, deficit.
autem non proficit, deficit: & qui nihil acquirit,
nonnihil perdit. Currendum ergo nobis eſt fidei greſ-
ſibus, miſericordiæ operibus, amore juſtitiæ: ut diem
redemptionis noſtræ ſpiritualiter celebrantes, non in
fermento veteris malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis 1. Cor. 5.
ſynceritatis & veritatis, reſurrectionis Chriſti merea-
mur eſſe participes. Qui cum Patre & Spiritu ſancto
vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO XI.

De Paſſione Domini.

Paſſio Chriſti variis Prophetarum oraculis & figuris prædicta, & de diaboli ruina, ac avaritiæ morbo, Petrique negatione.

Cap. 1. SAcramentum, Dilectiſſimi, Dominicæ Paſſionis in ſalutem humani generis, ante tempora æterna diſpoſitum, & per multas ſignificationes omnibus retro ſæculis nunciatum, non adhuc expectamus manifeſtandum, ſed jam adoramus impletum: concurrentibus ad eruditionem noſtram & novis teſtimoniis, & antiquis, dum quod prophetica cecinit tuba, Evangelica pandit hiſtoria, & ſicut
Matt. 41. ſcriptum eſt, *Abyſſus Abyſſum invocat, in voce cataractarum tuarum*, quoniam ad enarrandum gloriam gratiæ Dei, paribus ſibi vocibus utriuſque Teſtamenti altitudo reſpondet: & quod erat ſub velamina figurarum profundum, ſit revelata luce perſpicuum. Si tamen inter illa miracula Salvatoris, quæ ſub populorum gerebantur aſpectu, pauci veritatis præſentiam ſentiebant, ipſique Diſcipuli voluntaria Domini Paſſione turbati, non evaſerunt ſcandalum crucis ſine tentatione formidinis; Unde fides noſtra intelligentiam ſumeret, unde conſtantia robur acciperet, niſi quæ facta cogno-
Cap. 11. ſcimus, prædicta legeremus? Peracto igitur, dilectiſſimi, Salvatoris triumpho, & conſummatis diſpenſationibus, quas omnia veteris Teſtamenti eloquia nunciarunt, lugeat carnalis Judæus, ſed ſpiritalis gaudeat Chriſtianus: feſtivitas quæ illis converſa eſt in noctem, nobis coruſcet in lucem, quoniam Crux Chriſti eadem eſt & credentium gloria, & non credentium pœna. Quamvis enim perſequentium furor nihil aliud in Dominum majeſtatis operatus ſit, quam atrocem crudelitatem
Pavor diſcipulorum excuſabilis. & immite ſupplicium; redemptis tamen, hac Domini paſſione, verior juſtiorque lætandi eſt ratio, quam dolendi. Fuerit tunc diſcipulorum excuſabilis pavor, nec diffidentiæ culpam Apoſtolicus mœror inciderit, quando concurrentibus ad unum ſcelus Judæis Judæorumque principibus, ſuperbus taurorum pinguium tumor, & proterva vitulorum petulantia ſæviebat: quando ſub oculis ovium paſtoris juſti ſanguinem frementium beſtiarum rabies expetebat, quando denique etiam ipſe qui pati venerat, de noſtræ naturæ communione di-
Matth. 26. cebat: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Nunc autem poſtquam ſuſceptione infirmitatis potentia eſt clarificata virtutis, nulla fidelium mœſtitudine paſchalis eſt obſcuranda ſolemnitas: nec cum triſtitia nobis geſtorum ordo recolendus eſt, cum ita Dominus uſus ſit malitia Judæorum, ut de intentione facinoris voluntas ſit impleta miſerentis. Si autem in exitu Iſrael de Ægypto, agni ſanguis fuit reſtitutio libertatis, & ſacratiſſima eſt facta feſtivitas, quæ per hoſtiam pecudis iram avertere vaſtatoris: quanta populis Chriſtianis conci-
Rom. 8. pienda ſunt gaudia, pro quibus omnipotens Pater Filio ſuo unigenito non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ut in occiſione Chriſti Pa-
Figuræ Paſſionis Chriſti. Cap. 111. Geneſ. 4. ſcha eſſet verum & ſingulare ſacrificium: quo non ex dominatione Pharaonis unius populus, ſed ex diaboli captivitate totus mundus eruitur? Hoc igitur illud eſt, dilectiſſimi, ſacramentum, cui ab initio omnia ſunt famulata myſteria. Nunc ſanguis juſti Abel mortem ſummi paſtoris eloquitur, & in parricidio Judæorum Cain interfector fratris agno-
Geneſ. 6. & 7. ſcitur. Nunc diluvium & Noe arca manifeſtat quid ſit revocationis in Baptiſmo, & quid ſalutis in
Geneſ. 22. Rom. 8. ligno. Nunc Abraham gentium pater promiſſos acquirit hæredes, & in ſemine ejus, non germen carnis, ſed fidei propago benedicitur. Nunc ad prænunciatum feſtis omnibus feſtum ſacer novorum menſis enituit, ut in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Chriſtiana creatura principium. Quamvis igitur furentes Judæi fecerunt in Dominum Jeſum quæcunque voluerunt, & ſuſcepti hominis veritatem nullis eorum auſibus poteſtas divina ſubtraxerit; patientia tamen Domini conſilii ſui munus implevit, & pertinacia ſacrilegæ crudelitatis profecit operi Salvatoris, quod non Scribæ, non Phariſæi, nec ſummi intellexere Pon-
1. Cor. 2. tifices. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Nec ipſe itaque diabolus intellexit,
Diabolus captus in morte Chriſti. quod ſæviendo in Chriſtum, ſuum deſtrueret principatum: qui antiquæ fraudis jura non perderet, ſi ſe a Domini Jeſu ſanguine contineret. Sed malitia nocendi avidus, dum irruit, ruit; dum capit, captus eſt; dum perſequitur mortalem, incidit in Salvatorem. Invenit ſane in illo mollimine imprudenti audaciæ dignum cooperatorem, dignumque conſortem: cum impius Judas maluit miniſter eſſe diaboli, quam Apoſtolus Chriſti, quem non timoris perturbatione deſeruit, ſed pecuniæ cupiditate diſtraxit. Videte, dilectiſſimi, & prudentes
Cap. IV. Avaritia quam perniciosa. 1. Tim. inſpicite, quæ germina, & quales fructus de avaritiæ ſtirpe naſcantur, quam merito Apoſtolus radicem omnium malorum eſſe definivit; quia nullum peccatum ſine cupiditate committitur, & omnis illicitus appetitus, iſtius aviditatis eſt morbus. Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio, & anima lucris cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque eſt in illo corde juſtitiæ veſtigium, in quo ſibi avaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum ſitit lucrum, pervenit ad laqueum: & tam ſtulte impius fuit, ut triginta argentis & Dominum venderet & Magiſtrum. Cum autem ſe ad excipiendum iniquitatis judicium, Dei
Petri negatio. Filius præbuiſſet, beatus Apoſtolus Petrus, cujus fides ea devotione fervebat, ut & Domino compati paratus eſſet, & commori, ancilla ſacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit: ob hoc, ſicut apparet, hæſitare permiſſus, ut in Eccleſiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur: & nemo auderet de ſua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum, nec B. Petrus potuiſſet evadere. Dominus autem Jeſus, qui intra pontificale conſilium ſolo corpore tenebatur, trepidationem Diſcipuli foris poſiti divino vidit intuitu: & paventis animum, mox ut reſpexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitavit. Felices, ſancte Apoſtole, lacrimæ tuæ! quæ ad diluendam culpam negationis virtutem ſacri habuere baptiſmatis. Adfuit enim dextera Domini Jeſu Chriſti, quæ labentem te, priuſquam dejicereris, exciperet, & firmitatem ſtandi in ipſo cadendi periculo recepiſti. Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem adverſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus, & fons charitatis lavit verba formidinis: nec tardatum eſt remedium abolitionis, ubi non fuit judicium voluntatis. Cito itaque in ſoliditatem ſuam rediit petra: tantam recipiens fortitudinem, ut quod tunc in Chriſti expaverat paſſione, in ſuo poſt ſupplicio non timeret.

SER-

SERMO X.

De Paſſione Domini.

Quod Chriſtus falſo ſit accuſatus, quod ſe regem feceri, & de compaſſione mulierum, ac ruina diaboli.

Cap. I. CUm multis modis, dilectiſſimi, Judaica impietas laboraret, ut occaſionem aliquam perpetrandi in Dominum Jeſum ſceleris inveniret: & mendacia, quæ falſi teſtes injuſtis ſacerdotibus famulando protulerant, nihil quod morte dignum eſſet adferrent, hoc quaſi inſuperabile repererunt, ut Dominum mundi affectati regni invidia perurgerent. Cumque Pilatus Jeſum, quem fruſtra videbat argui, vellet
Joan. 13. abſolvi, calumnioſe & minaciter conclamarunt: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.* Stultam inſimulationem imprudenter, Pilate, timuiſti. Sed formidabile fuerit nomen regium, ut pro imperio Cæſaris opprimi debuerit novæ molitio poteſtatis: ſi dominandi conſilium tyrannicus tibi prodidit apparatus, ſi proviſio armorum, ſi congregatio divitiarum, ſi
Lucæ 2. præſidia detecta ſunt militum. Quid cum gravari
Matth. 17. ſinis de affectata potentia, cujus ſpecialis ſui de hu-
Matth. 22. militate doctrina? Romanis legibus non contradixit, cenſum ſubiit, didrachma ſolvit, vectigalia non inhibuit, quæ Dei ſunt Deo, & quæ ſunt Cæſaris
Cap. II. Cæſari reddenda conſtituit. Paupertatem elegit, obedientiam ſuaſit, manſuetudinem prædicavit, hoc eſt vere non impugnare Cæſarem, ſed juvare. Veruntamen ne in totum inanis videatur Judæorum objectio, diſcute diligentius, Præſes, quid de Domini Jeſu operibus notum ſit, quid de poteſtate
Matth. 8. compertum. Cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis donavit eloquium: febres abegit, dolores reſolvit, dæmonia ejecit, mortuos vivificavit, mari & ventis ut quieſcerent imperavit. Magnum prorſus regem iſta demonſtrant, qui non humana excellit potentia, ſed virtute divina. Hanc ergo Judæi objicient poteſtatem, commutent actionem ſuam, & hoc proferant ore, quod tenent corde. Quare de terrenis calumniantur, qui cæleſtia perſequuntur? Quamvis ergo Pilatus oneroſum ſibi, inſidioſumque ſentiret, quod cum Judæi de neglectu amicitiæ Cæſaris impetebant, aliquandiu tamen furorem ipſorum mitigare conatus eſt: & ideo Dominum Jeſum diverſis contumeliis affici aut permit, aut juſſit, ut ſatiata iniquitas de innocentis injuriis, ulterius non ſæviret. Sed pertinax malitia propriis creſcebat augmentis, & in quem obtinuerat jus illuſionis, exigebat & mortis. Unde cum & ſummi ſacerdotes & principes Judæorum, omniſque multitudo crebris vocibus acclamarent, *Crucifige, Crucifige*, tradidit Jeſum perſequentium voluntati, Barraba illis latrone dimiſſo, ut qui in die feſto authorem interficiebant vitæ, impunitas eis præſta-
Cap. III. retur homicidæ. Eunte itaque, dilectiſſimi, ad locum clarificationis ſuæ Domino, & miſericordia ab impiorum tabernaculis exeunte, ut adimpleretur quod
Pſal. 118. ſcriptum eſt: *Longe eſt a peccatoribus ſalus*, ſequeba-
Luc. 23. tur eum multitudo populi, & mulierum plangen-
Mulieres Chriſto compaſſæ. tium & lamentantium eum. Solet enim ſexus infirmior, etiam pro iis qui morte ſunt digni, lachrymis commoveri, & damnatorum exitus pro naturæ communis conſideratione miſereri. Sed iſtum ſibi planctum Dominus Jeſus dedignatur impendi, quia

non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam. Denique converſus ad eas: *Filiæ*, inquit, *Hieru-* Chriſtus cur noluerit ſe plangi a mulieribus.
ſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſmetipſas, & ſuper filios veſtro flete. Quia venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles & ventres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Ubi eſt triſtitia crucifigendi? ubi formido morituri? Non terret paſſuri animum hora ſupplicii, & docens nullam pro ſe flendi eſſe rationem, indicit pœnitentiam, denunciando vindictam. Non eſt, inquit, quod dolore in me Hieruſalem filiæ debeatis, pro vobis plangite, & pro veſtris filiis ejulate. Super illos fundatur iſti ploratus, quos tales viſcera veſtra pepererunt. Lugendum plane vobis eſt, non de ſalute credentium, ſed de impietate & temeritate pereuntium. Ego crucem volens patior, & mortem in me, quam ſum perempturus, admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem in majeſtate Patris videbitis judicantem. Exaltatus au- Cap. IV.
tem Chriſtus Jeſus in ligno, retorſit mortem in mortis authorem, & omnes principatus adverſaſq; virtutes per objectionem paſſibilis carnis eliſit, admittens in ſe antiqui hoſtis audaciam, qui in obnoxiam ſibi ſæviendo naturam, etiam ibi exactor auſus eſt eſſe debiti, ubi nullum potuit veſtigium invenire peccati. Evacuatum eſt igitur illud generale venditionis no- Diabolus in cruce victus.
ſtræ, & lethale chirographum, & pactum captivitatis in jus tranſiit Redemptoris. Clavi illi, qui manus Domini pedeſque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, & ſanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio poteſtatum: ſic ſuam Chriſto conſummante victoriam, ut in ipſo & cum ipſo omnes qui in eum crederent, triumpharent.

Cum ergo Dominus crucifixi corporis elevatio- Cap. V.
ne ſublimis, reconciliationem mundi exequeretur in quadam arce ſupplici, latronemque converſum ad paradiſi vocarer habitaculum, vos principes Judæorum, legiſque doctores, nec conſcientiæ impietate compuncti, nec affectu ſceleris mitigati, fixuris clavorum addebatis tela linguarum, dicen-
tes: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum* Matth. 27.
facere: ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat de cruce, & credimus ei. Si his vocibus veſtris ſtultis atque blaſphemis reddunt omnia elementa reſponſum, & unam in vos ſententiam ferunt, cœlum, terra, ſol, ſideraque, indignos vos ſuo miniſterio proteſtantes terribili motu, inſolitoque defectu, tenebras mundo veſtræ cæcitatis oſtendunt. Quod ſi ad ar- Ibidem
guendum vos nec cœleſtia, nec inferna ſufficiunt, Velum
& crucem Chriſti magis potuerunt petræ atque templi
monumenta quam corda veſtra ſentire, ſaltem quod ſciſſum
in templo actum eſt, ſcienter advertite. Velum, cujus quid ſignificet.
objectu includebantur Sancta Sanctorum, a ſummo uſque ad ima diruptum eſt, & ſacrum illud myſticumque ſecretum, quod ſolus ſummus Pontifex juſſus fuerat intrare, reſeratum eſt, ut nihil jam eſſet diſcretionis, ubi nihil reſederat ſanctitatis. Repudiatos itaque vos debuiſtis agnoſcere, & omne jus ſacerdotii perdidiſſe, quia verum erat, quod Veritas
vobis dixerat. *Si crederetis Moſi, crederetis & mihi.* Joan. 5.
Merito ergo vos Teſtamentum utrumque condemnat, & gratia vacuatos & lege privatos, qui ideo reſiſtit novis, quia non credidiſtis antiquis. Nos autem, dilectiſſimi, ab ignorantiæ tenebris liberati, fidei lumen accepimus, & in novi Teſtamenti hæreditatem per electionem adoptionis intravimus: in fe-
ſtivitate, quam carnalis Iſrael perdidit, gaudeamus, 1. Cor. 5.
quoniam Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, per cujus ineffabilem gratiam, omnium chariſmatum benedictione ditamur, & ita in novitatem a vetuſtate transferimur, ut non ſolum paradiſi reſtituamur habitaculo, ſed etiam regni cœleſtis gloriæ

præparemur, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto. Qui cum Patre & ſancto Spiritu vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO XI.

De Paſſione Domini, Dominico die habitus.

De confeſſione Petri, & de gemina Chriſti natura, deque occultato Dæmonibus incarnationis myſterio, atque Judæ deſperatione.

Cap. I.

DEſiderata nobis, dilectiſſimi, & univerſo optabili mundo adeſt feſtivitas Dominicæ paſſionis, quæ nos inter exultationes ſpiritalium gaudiorum ſilere non patitur: quia etſi difficile eſt de eadem ſolemnitate ſæpius digne apteque diſſerere, non eſt tamen liberum ſacerdoti, in tanto divinæ miſericordiæ ſacramento, fidelibus populis ſubtrahere ſermonis officium: cum ipſa materia, ex eo quod eſt ineffabilis, fandi tribuat facultatem, nec poſſit deficere quod dicatur, dum nunquam poteſt ſatis eſſe quod dicitur. Succumbat ergo humana infirmitas gloriæ Dei, & in explicandis operibus miſericordiæ ejus, imparem ſe ſemper inveniat. Laboremus ſenſu, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio: bonum eſt ut nobis parum ſit, quod etiam recte de Domini majeſtate ſentimus.

Pſal. 104.

Dicente enim Propheta: *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper*: nemini præſumendum eſt quod totum quod quærit invenerit, ne deſinat propinquare, qui ceſſarit accedere.

Paſſionis Chriſti contemplatio quid præſtet.

Quid autem inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis noſtræ & oblectat & ſuperat, ſicut paſſio Salvatoris? De cujus omnipotentia, quæ ei cum Patre unus & æqualis eſſentiæ, eſt, quoties, ut poſſumus, cogitamus, mirabilior nobis fit in Deo humilitas, quam poteſtas: & difficilius capitur divinæ majeſtatis exinanitio, quam ſervilis formæ in ſumma provectio. Sed multum nos ad intellectum juvat, quod licet aliud ſit creator, aliud creatura, aliud deitas inviolabilis, aliud caro paſſibilis: in unam tamen perſonam concurrat proprietas utriuſque ſubſtantiæ, ut ſive in infirmitatibus, ſive in virtutibus, ejuſdem ſit contumelia, cujus & gloria.

Cap. II. Symbolum.

Hæc fidei regula, dilectiſſimi, quam in ipſo exordio Symboli per auctoritatem Apoſtolicæ inſtitutionis accepimus, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quem Filium Dei Patris omnipotentis unicum dicimus, eundem quoque de Spiritu ſancto natum ex Maria virgine confitemur. Nec ab ejuſdem majeſtate diſcedimus, cum ipſum crucifixum & mortuum & die tertia credimus ſuſcitatum. Omnia enim quæ Dei ſunt, & quæ hominis, ſimul & humanitas & Deitas explevit, ut dum paſſibili impaſſibilis ineſt, nec virtus infirmate affici, nec infirmitas poſſit virtute ſuperari. Merito beatus Petrus Apoſtolus in hujus unitatis confeſſione laudatus eſt: qui, cum Dominus quid de ipſo intelligerent diſcipuli, ſcrutaretur, omnium celerrime ora præveniens. *Tu es*, inquit, *Chriſtus Filius Dei vivi*. Quod utique non revelante vidit carne, nec ſanguine, quorum objectu interiores oculi poterant impediri: ſed in ipſo Spiritu Patris in corde operante credentis, ut ad regimen totius Eccleſiæ præparatus, primum diſceret, quod doceret, & pro ſoliditate fidei,

Matth. 16.

quam erat prædicaturus, audiret: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Chriſtianæ igitur Fidei fortitudo, quæ portas mortis ſuper inexpugnabilem petram ædificata non metuit, unum Dominum Jeſum Chriſtum, & verum Deum, & verum hominem confitetur: eundem credens filium Virginis, qui author eſt matris; eundem natum in fine ſæculorum, qui creator eſt temporum; eundem Dominum omnium virtutum, & unum de ſtirpe mortalium: eundem peccati neſcium, & in ſimilitudinem carnis peccati, pro peccatoribus immolatum.

Cap. III. Incarnationis myſterium diabolo occultatum.

Qui ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis abſolveret, & ſævienti diabolo potentiam ſuæ majeſtatis occuluit, & infirmitatem noſtræ humilitatis objecit. Si enim crudelis & ſuperbus inimicus conſilium miſericordiæ Dei noſſe potuiſſet, Judæorum animos manſuetudine potius temperare, quam injuſtis odiis ſtuduiſſet accendere: ne omnium captivorum amitteret ſervitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem. Fefellit ergo illum malignitas ſua: intulit ſupplicio Filium Dei, qui cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit ſanguinem juſtum, qui reconciliando mundo & pretium eſſet & poculum. Suſcepit Dominus, quod ſecundum propoſitum ſuæ voluntatis elegit. Admiſit in ſe impias manus furentium: quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt redemptori. Cujus etiam circa interfectores ſuos tanta erat pietatis affectio, ut de cruce ſupplicans Patri, non ſe vindicari, ſed illis poſtularet ignoſci, dicens: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. (Luc. 23.) De cujus utique orationis potentia fuit, ut prædicatio Petri Apoſtoli ex iis qui dixerunt, *Sanguis illius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*, (Matth. 27.) multorum ad pœnitentiam corda converteret, & uno die baptizarentur tria fere millia Judæorum: (Act. 2.) fieretque omnium cor unum & anima una, (Act. 4.) paratorum jam pro eo mori, quem popoſcerant crucifigi.

Cap. IV. Judæ deſperatio.

Ad hanc indulgentiam traditor Judas pervenire non potuit: quoniam perditionis filius, cui diabolus ſtabat a dextris, (Pſal. 108.) prius in deſperationem tranſiit, quam ſacramentum Chriſtus generalis redemptionis impleret. Nam mortuo pro omnibus impiis Domino, potuiſſet etiam forte hic conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum. Sed maligno cordi, nunc furtis fraudum dedito, nunc parricidalibus commerciis occupato, nihil unquam documentorum miſericordiæ Salvatoris inſederat, nec piis acceptaverat auribus Domini verba dicentis: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores*. (Matth. 9.) *Et filius hominis venit quærere & ſalvare quod perierat*. (Lucæ 19.) Non intellexerat clementiam Chriſti, qui non ſolum corporeis infirmitatibus medebatur, ſed etiam vulnera debilium curabat animarum, dicens paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*. (Matth. 9.) Dicens & oblatæ ſibi adulteræ: *Nec ego te condemnabo, vade, & amplius noli peccare*: (Joan. 8.) ut per omnia opera ſua oſtenderet, in illo adventu ſuo, Salvatorem mundi ſe veniſſe, non judicem. A quo intellectu alienatus impius traditor, inſurrexit in ſemetipſum, non judicio pœnitentis, ſed furore pereuntis, ut qui vitæ authorem interfectoribus vendidiſſet, in augmentum damnationis ſuæ etiam moriendo peccaret. Quod ergo falſi teſtes, quod cruenti principes, quod impii ſacerdotes, in Domini Jeſu Chriſti myſterio, ignavia Præſidis & famulatu imperitæ cohortis egerunt, & deteſtandum univerſis ſæculis, & amplectendum fuit. Crux enim Domini ſicut in Judæorum erat mente crudelis, ita eſt in crucifixi virtute mirabilis. Furit in unum populus, & miſeretur omnium Chriſtus.

Cap. V.

Quod ſævitia infertur, poteſtate ſuſcipitur: ut licentia facinoris, æternæ onus impleat voluntatis. Unde omnis ordo rerum geſtarum, quem pleniſſime Evangelica narratio percurrit, ita Fidelium eſt accipiendus auditu,

diu, ut ſalva fides actionum, quæ tempore Dominicæ paſſionis impletæ ſunt, intelligamus non ſolum remiſſionem peccatorum in Chriſto completam, ſed etiam formam juſtitiæ eſſe propoſitam. Verum ut hoc diligentius juvante Domino diſſeratur, hæc ſermonis portio in quartam Sabbati ſervetur. Aderit, ut ſperamus, gratia Dei, quæ nos orantibus vobis faciat promiſſa complere: Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO XII.

De Paſſione Domini, Feria quarta.

De virtute ac neceſſitate mortis Chriſti, & de ejus vera divinitate & humanitate, contra Manichæos, & cur ſolus Filius incarnatus ſit.

Cap. I. OMnia quidem tempora, dilectiſſimi, Chriſtianorum animos ſacramento Dominicæ paſſionis & reſurrectionis exercent, neque ullum noſtræ religionis officium eſt, quo non tam mundi reconciliatio, quam humanæ in Chriſto naturæ aſſumptio celebretur. Sed nunc univerſam Eccleſiam majori intelligentia inſtrui, & ſpe ferventiore oportet accendi, quando ipſa rerum dignitas, ita ſacratorum dierum recurſu, & paginis Evangelicæ veritatis exprimitur, ut Paſcha Domini non tam præteritum recoli, quam præſens debeat honorari. In nullo igitur ab iis, quæ ad Crucem Jeſu Chriſti pertinent, fidei noſtræ peregrinetur intuitus, & nihil eorum, quæ narratione Evangelii retexuntur, otioſo capiamus auditu: ut quia non deſuerunt, nec adhuc deſunt, qui veritatem Dominicæ incarnationis impugnet, & quod in utero virginis matris Mariæ *Verbum caro factum eſt*, quod infans editus per incrementa corporea ad perfectæ utilitatis profecit ætatem, quoque crucifixus, mortuus, ac ſepultus, die tertia reſurrexit, in noſtræ quidem imaginis forma, ſed non in noſtræ carnis aſſerant geſtum eſſe natura:
1. Joan. 4. nos ab Evangelicis & Apoſtolicis teſtimoniis nullatenus recedentes, eorum intelligentia roboremur, quorum nos certiſſima experimenta docuerunt: ut pie atque conſtanter poſſimus dicere, quoniam in illis & nos eruditi ſumus; & quod viderunt, vidimus, & quod didicerunt, didicimus, & quod contrectaverunt, palpavimus. Et ideo in paſſione Domini non conturbamur, quia in generatione non fallimur.
Cap. II. Scimus etenim, dilectiſſimi, & toto corde profitemur, Patris & Filii & Spiritus ſancti unam eſſe deitatem, & conſubſtantialem ſempiternæ Trinitatis eſſentiam, in nullo a ſe diviſam, in nullo eſſe diverſam, quia ſimul eſt intemporalis, ſimul eſt incommutabilis, ſimul quod eſt eſſe non deſinens.
Filii perſona cur incarnata ſit. In hac autem ineffabili unitate Trinitatis, cuius in omnibus communia ſunt opera atque judicia, reparationem humani generis proprie Filii perſona ſuſcepit: ut quoniam ipſe eſt, *per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil*, quique plaſmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animavit,
Joan. 1. idem naturam noſtram ab æternitatis arce dejectam, amicæ reſtitueret dignitati, & cujus erat conditor, eſſet etiam reformator, ſic conſilium ſuum dirigens in effectum, ut ad dominationem diaboli deſtruendam magis uteretur juſtitia rationis, quam poteſtate virtutis. Quia ergo primi hominis univerſa poſteritas uno ſimul vulnere ſauciata corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere: venit e cœlo medicus ſingularis, multis ſæpe ſignificationibus nunciatur, & prophetica diu pollicitatione promiſſus: quia manens in forma Dei, & nihil propriæ majeſtatis amittens, in carnis noſtræ animæque natura, ſine contagione antiquæ prævaricationis oriretur. Solus enim beatæ Virginis natus eſt Filius abſque delicto, non extraneus ab hominum genere, ſed alienus a crimine, in quo illius ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditi & perfecta eſſet innocentia, & vera natura, cum de Adæ propagine unus exiſteret, in quo diabolus quod ſuum diceret non haberet; Qui dum in eum ſævit, quem ſub peccati lege non tenuit, jus impiæ dominationis amiſit.

Cap. III. Sanguinis Chriſti virtus. Effuſio enim pro injuſtis ſanguinis juſti tam potens fuis ad privilegium, tam dives ad pretium, ut ſi univerſitas captivorum in Redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent:
Rom. 5. *Quoniam*, ſicut Apoſtulus ait, *ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia*. Et cum ſub peccati præjudicio nati poteſtatem acceperint ad juſtitiam renaſcendi, validius donum factum eſt libertatis, quam debitum ſervitutis. Quam itaque ſibi in hujus ſacramenti præſidio ſpem relinquunt, qui in Salvatoris noſtri corpore negant humanæ ſubſtantiæ veritatem? Dicant, quo ſacrificio reconciliati? quo ſanguine ſint redempti? Quis eſt, *qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis?* Ephes. 5. Aut quod unquam ſacrificium ſacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari Crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit? Quamvis Pſal. 115. enim in conſpectu Domini multorum Sancturum pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas: & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo funere ſolvit: cum inter filios hominum ſolus Dominus noſter Jeſus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſint ſuſcitati. De quibus ipſe dicebat, *Cum axaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum*. Joan. 12. Fides enim vera juſtificans impios & creans juſtos ad naturæ ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſe invenit innocentem. Et 1. Tim. 2. quia unus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, per communionem ſui generis, ad pacem pervenit deitatis, liberum habens de ejus potentia gloriari, qui contra hoſtem ſuperbum, in carnis noſtræ infirmitate congreſſus, iis victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphavit.

Cap. IV. Cum ergo in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto vero Dei atque hominis Filio confitemur divinam de patre naturam, humanam de matre ſubſtantiam, licet Dei Verbi & carnis una perſona ſit, non una ſubſtantia, & utraque eſſentia communes habeat actiones: intelligendæ tamen ſunt ipſorum operum qualitates, & ſinceræ fidei contemplatione cernendum eſt, ad quæ provehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis, quid ſit, quod caro ſine Verbo non agit, & quid ſit, quod Verbum ſine carne non efficit. Sine Verbi Matth. 2. enim potentia, nec conciperet virgo, nec pareret: & ſine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret. Sine Verbi potentia, non adorarent Magi Matth. 3. puerum novo ſydere declaratum: & ſine veritate carnis, non juberetur puer in Ægyptum transferri, quem Herodes cupiebat occidere. Sine Verbi Luc. 12. potentia non diceret vox Patris miſſa de cœlo, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Et ſine veritate carnis, non proteſtaretur

Joannes, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & vivificatio mortuorum, & ſine veritate carnis, nec cibus jejunio, nec ſomnus eſſet neceſſarius ſatigato Poſtremo ſine Verbi potentia non ſe Joan. 20. Dominus Patri confiteretur æqualem: & ſine veritate carnis non idem diceret, Patrem ſe eſſe majo- Joan. 14. rem, cum Catholica fides utrumque ſuſcipiat, utrumque defendat, quæ ſecundum proprietatem divinæ humanæque ſubſtantiæ, unum Dei Filium & hominem credit & Verbum. Multa ſunt, dilectiſſimi, quæ ad expoſitionem hujus, quam prædicamus, fidei de toto Scripturarum corpore poſſimus aſſumere, quia nihil ſæpius divinis commendatur eloquiis, quam Dei Filius ſecundum deitatem ſempiternus ex Patre, & idem ſecundum carnem temporalis ex matre. Sed ne charitatis veſtræ fatigetur auditus, hodierno ſermoni adhibendus eſt modus; ut quarta ſabbati, quæ ſunt adiicienda, ſervemus, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO XIII.

De Paſſione Domini, Feria quarta.

De reparatione hominis ac legalibus ſacramentis per Chriſtum completis, de ſpiritalibus Iſraelitis, & vera Chriſti humanitate.

Cap. I. EVangelica lectio, dilectiſſimi, quæ ſacratiſſimam Dominicæ paſſionis reſeravit hiſtoriam, ita univerſæ Eccleſiæ nota eſt de communi frequenter auditu, ut rerum geſtarum ordinem, tanquam ſub veſtris habitum oculis, ſinguli quique recolatis. Nec parum æſtimandi ſunt profeciſſe, qui de iis quæ audiunt, non dubitant, ut etiamſi nondum liquide aliquod valeant Scripturarum capere ſacramentum, firmiſſime tamen credant, in divinis libris nullum eſſe mendacium. Quia ergo ſinceræ fidei promiſſa eſt intelligentiæ plenitudo, erigat ſe ad promerendam ſancti Spiritus eruditionem illuminatarum mentium vigor; & non contentus ſit facti ordinem noſſe, niſi etiam ipſa rationem impenſæ ſibi pietatis inſpiciat: ut authorem ſuum humana natura, ſciendo quantum ab eo ſit dilecta, Reparatio hominis major quam creatio. plus diligat. Miſerendi enim noſtri cauſam Deus niſi in ſua bonitate non habuit. Et mirabilior eſt ſecunda hominum generatio, quam prima conditio, quia plus eſt in noviſſimis ſæculis reparaſſe Deum quod perierat, quam a principio feciſſe quod non erat. Libertatem itaque innocentiæ naturalis, quam primorum parentum prævaricatione perdidimus, nulla per ſe Sanctorum præcedentium merita receperunt: quia lata in tranſgreſſores ſententia, omnem progeniem captivæ poteſtatis obſtrinxit, & nemo extitit exors a damnatione, quia nullus fuit liber a crimine. Sed redemptio Salvatoris deſtruens opus diaboli, & rumpens vincula peccati, ita magnæ pietatis ſuæ diſpoſuit ſacramentum: ut uſque ad conſummationem quidem mundi, præfinita generationum * plenitudo decurreret; ſed renovatio originis, per juſtificationem indiſcretæ fidei ad omnia retro ſæcula pertineret. Incarnatio quippe Verbi, & occiſio ac reſurrectio Chriſti univerſorum Fidelium ſalus facta eſt: & ſanguis unius juſti, quem nobis Pater donavit, quia cum pro reconciliatione mundi credimus fuſum, hoc contulit patribus qui ſimiliter credidere fundendum. Nihil Cap. II. Fides eadem noſtra & antiquorum. ergo, dilectiſſimi, ab antiquis ſignificationibus in Chriſtiana religione diverſum eſt, nec unquam a præcedentibus juſtis, niſi in Domino Jeſu Chriſto ſalvatio ſperata eſt, diſpenſationibus pro divinæ voluntatis ratione variatis; ſed in idipſum coruſcantibus & legis teſtimoniis, & prophetiæ oraculis, & oblationibus hoſtiarum, quia ſic congruebat illos populos erudiri, ut quæ revelata non caperent, obumbrata ſuſciperent: & major Evangelii eſſet authoritas, cui tot ſignis totque miraculis atque myſteriis, veteris Teſtamenti paginæ deſervuiſſent. De Matth. 5. quibus Dominus profitebatur, quod non venerat legem ſolvere, ſed adimplere. Non æſtimet ſibi prodeſſe Judæus, quod in literæ carnaliter ſuperficie demoratur, & iis Scripturis convincitur repugnare, quæ apud nos veram ſui obtinent dignitatem: dum & erudimus prædictis, & ditamur impletis. Dicente Joan. 12. enim Domino: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me*, nihil legalium * inſtructionum, nihil prophe- *inſtitutionum.* ticarum reſedit figurarum, quod non totum in Chriſti ſacramenta tranſierit. Nobiſcum eſt ſignaculum circumciſionis, ſanctiſicatio chariſmatum, conſecratio ſacerdotum. Nobiſcum puritas Sacrificii, Baptiſmi veritas, honor templi: ut merito ceſſarint nuncii, poſtquam nunciata venerunt. Nec vacuatur Rom. 15. reverentia promiſſionum, quia plenitudo manifeſtata eſt gratiarum. Verum, ſicut ait Apoſtolus, Rom. 9. *Cæcitas ex parte in Iſrael facta eſt, nec qui filii carnis, ii filii ſunt promiſſionis*. Ineffabilis miſericordia Dei Iſraeliticum ſibi populum de omnibus natio- Matth. 3. nibus fecit, & ſaxeo illo gentilium cordium rigore Rom. 11. mollito, veros Abrahæ filios de lapidibus excitavit; ut concluſis omnibus ſub peccato, qui carne nati ſunt, ſpiritu renaſcantur; nec interſit, quo patre ſit quiſque genitus, cum per indiſcretam hujus fidei confeſſionem, & fons baptiſmatis faciat innocentes, & electio adoptionis confirmet hæredes. Quid Cap. III. enim aliud egit crux Chriſti, quam ut deſtructis inimicitiis, & reconcilietur mundus Deo, & per Sacrificium immaculati agni veram in pacem cuncta revocentur? Non autem concordat Deo, qui ab Vita Chriſtianorum reſpondere debet ipſorum profeſſioni. ea, quam in regeneratione ſua edidit, profeſſione diſſentit: & divini immemor pacti, inhærere oſtenditur renunciatis, dum reſilire invenitur a creditis. Fruſtra enim Chriſtianum ſibi nomen uſurpat, & nequaquam æſtimet ſe Paſcha Domini celebrare, qui Jeſum Chriſtum in ea, qua natus eſt, & paſſus, & mortuus, ac ſepultus carne, reſurrexiſſe non credit, & noſtræ in illo naturæ reſuſcitatas primitia non fatetur. Verus itaque venerator Dominicæ Paſſionis ſic crucifixum Jeſum oculis cordis aſpiciat, ut illius carnem ſuam eſſe cognoſcat. Contremiſcat in Redemptoris ſui ſupplicio terrena ſubſtantia, rumpantur infidelium mentium petræ, & qui mortalitatis gravabantur ſepulchris, diſcuſſa obſtaculorum mole proſiliant. Appareant nunc quoque in civitate ſancta, id eſt in Eccleſia Dei, futuræ reſurrectionis judicia: & quod gerendum eſt in corporibus, fiat in cordibus. Nulli infirmorum crucis eſt negata victoria: nec quiſquam eſt, cui non Chriſti auxilietur oratio. Quæ ſi multis in ipſum ſævientibus profuit, quanto magis eos, qui ad ipſum convertuntur, adjuvit? Sublata eſt ignorantia, temperata eſt difficultas, & igneam illam, qua vitæ regio erat incluſa, romphæam, ſacer Chriſti ſanguis extinxit. Veræ luci antiquæ noctis ceſſit obſcuritas. Invitatur ad paradiſi divitias populus Chriſtianus, & cunctis regeneratis ad amiſſam patriam patefactus eſt reditus: ſi nemo ſibi illam

viam

viam faciat claudi, quæ fide latronis potuit aperiri,
Cap. iv. Celebrantes igitur, dilectiſſimi, Paſchalis feſti ineffabile ſacramentum, agnoſcamus, docente ſpiritu Dei, ad cujus gloriæ participationem vocati, & ad quam ſpem ſimus ingreſſi. Nec ita nos nunc anxie, nunc ſuperbe præſentis vitæ occupent actiones, ut nos toto cordis affectu conformari Redemptori no-
Joan. 1. ſtro per illius exemplum nitamur. Nihil enim non ad noſtram ſalutem aut egit aut pertulit: ut virtus quæ inerat capiti, ineſſet etiam & corpori. Nam primum ipſa illa ſubſtantiæ noſtræ in deitate ſuſceptio, qua Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, quem hominum miſericordiæ ſuæ, niſi infidelem, reliquit exortem? Et quis non communis naturæ cum Chriſto eſt, ſi ad ſumentem reſpicit, & eo ſpiritu eſt regeneratus, quo ille progenitus? Deinde quis in illo ſuas non agnoſcat infirmitates? Quis perceptionem cibi, requietionem ſomni, ſollicitudinem mœſtitudinis, lachrymas pietatis non videat formæ fuiſſe ſervilis? Quæ quoniam ab antiquis ſananda vulneribus, & a colluvione erat purganda peccati: ita unigenitus Dei etiam hominis factus eſt filius, ut & omni humanitatis veritate, & divinitatis plenitudine non careret. Sicut itaque noſtrum eſt, quod cum unitione deitatis peperit materna virginitas; ita noſtrum eſt, quod Judaica crucifixit impietas. Noſtrum eſt, quod exanime jacuit, & quod die tertia reſurrexit, quodque ſuper omnes altitudines cœlorum ad dexteram paternæ majeſtatis aſcendit: ut ſi per viam mandatorum ejus incedimus, & ſi quæ in humilitate corporea noſtræ impendit ſalutı, non erubeſcimus confiteri: nos quoque in gloriæ ejus conſortium provehamur, quoniam manifeſte, quod denunciavit, implebitur: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt*. Huic autem cohortationi noſtræ adeſt, atque auxiliatur gratia Dei, quæ incarnationis Chriſti & mortis ac reſurrectionis ejus inimicos, revelata per omnes Eccleſias veritate, deſtruxit: ut totius mundi Fideles, cum Apoſtolicæ fidei authoritate concordes una nobiſcum exultatione gauderent, dicente beato Paulo Apoſtolo: An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in
Rom. 6. morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum ipſo per baptiſmum in mortem, ut quomodo ſurrexit Chriſtus a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes quia verus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul etiam vivemus cum illo. Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO XIV.

De Paſſione Domini.

De modo redemptionis generis humani, atque fidei Eccleſiæque unitate & imitatione Chriſti.

Cap. I. Gloria, dilectiſſimi, Dominicæ paſſionis, de qua nos etiam hodie locuturos eſſe promiſimus, humilitatis maxime eſt miranda myſterio: quæ omnes nos & redemit & docuit: ut unde datum eſt pretium, inde & juſtitia ſumeretur. Omni potentia enim Filii Dei, qua per eandem eſſentiam æqualis eſt Patri, potuiſſet humanum genus a dominatu diaboli ſolo imperio ſuæ voluntatis eruere: niſi divinis operibus maxime congruiſſet, ut nequitiæ hoſtilis adverſitas, de eo quod vicerat, vinceretur, & per ipſam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captivitas. Dicente autem Evangeliſta, *Verbum caro factum eſt, &* Joan. 1.
habitavit in nobis, & dicente Apoſtolo, quod *Deus* 2. Cor. 5.
erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi oſtenſum eſt, quia Unigenitus ſummi Patris tale iniit cum humana humilitate conſortium, ut ſuſcepta noſtræ carnis animæque ſubſtantia, unus atque idem Dei Filius permaneret, noſtra augendo, non propria, quia infirmitas erat provehenda, non virtus: ut cum ſuo Creatori creatura eſſet unitas, nihil aſſumpto divinum, nihil aſſumanti deeſſet humanum. Hoc conſi- Cap. II.
lium miſericordiæ & juſtitiæ Dei, licet in præteritis ſæculis, quibuſdam velaminibus fuerit obumbratum, non tamen ita objectum eſt, ut Sanctorum, qui ab initio uſque ad adventum Domini laudabiles extiterunt, intellectui negaretur: cum & propheticis verbis, & rerum geſtarum ſignificationibus, ſalus quæ in Chriſto erat ventura, promiſſa ſit, quam non ſolum qui prædicabant adepti ſunt; ſed omnes 1. Tit. 2.
etiam, qui prædicantibus crediderunt. Una enim fides juſtificat univerſorum temporum Sanctos, & ad eandem ſpem Fidelium pertinet, quicquid per Rom. 2.
mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum, vel 1. Cor. 7.
nos confitemur factum, vel patres noſtri adoptavere faciendum. Nec inter Judæos atque Gentiles ulla eſt diſtinctio. Siquidem ſicut ait Apoſtolus, *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei*, quæ ſi cum integritate fidei ſerventur, veros Abrahæ filios, id eſt perfectos faciunt Chriſtianos, dicente eodem Apoſtolo: *Quicumque enim in Chriſto Jeſu baptizati* Galat. 3.
eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus neque Græcus; non eſt ſervus neque liber; non eſt maſculus neque fæmina. Omnes enim unum eſtis in Chriſto. Si autem vos Chriſti, ergo Abrahæ ſemen eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes. Non ergo eſt du- Cap. III.
bium, dilectiſſimi, naturam humanam in tantam connexionem a Filio Dei eſſe ſuſceptam, ut non ſolum in illo homine, qui eſt primogenitus totius Coloſſ. 1.
creaturæ; ſed etiam in omnibus Sanctis ſuis unus idemque ſit Chriſtus: & ſicut a membris caput, ita a capite membra dividi non poſſunt. Quamvis 1. Cor. 15.
enim non iſtius vitæ ſit, ſed æternæ, ut ſit Deus omnia in omnibus: tamen etiam modo templi ſui, quod eſt Eccleſia, indiviſus habitator eſt, ſecundum quod ipſe promiſit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum* Matth. 18.
omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Qui- Coloſſ. 1.
bus Apoſtolus conſonans ait: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare, & per eum reconciliari omnia in ipſo*. His au- Cap. IV.
tem & aliis pluribus exemplis & teſtimoniis quid inſinuatur cordibus noſtris: niſi ut per omnia ad imaginem ejus renovemur, qui permanens in forma Dei, carnis peccati forma fieri dignatus eſt? Philip. 2.
Omnes enim infirmitates noſtras, quæ veniunt de peccato, abſque peccati communione ſuſcepit, ut & famis, ſitis, & ſomni, & laſſitudinis, mœroris, ac fletus affectionibus non careret, doloreſque ſæviſſimos uſque ad mortis extrema pateretur: quia nemo poſſet laqueis mortalitatis abſolvi, niſi ille, in quo ſolo innocens erat natura omnium, ſineret ſe interfici manibus im-

plo-

Digitized by Google

piorum. Unde Salvator noſter Dei Filius univerſis in ſe credentibus & ſacramentum condidit, & exemplum: ut unum apprehenderent renaſcendo, alterum ſequerentur imitando. Hoc enim docet beatus Petrus 1. Petr. 2. Apoſtolus, dicens: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, Qui cum malediceretur, non maledicebat: & cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem judicanti ſe injuſte. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo* Cap. v. *ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus.* Sicut ergo nemo eſt credentium, dilectiſſimi, cui dona neganda ſint gratiæ: ita nemo eſt, qui non ſit Chriſtianæ debitor diſciplinæ: quia etſi remota eſt juſtitiæ legis aſperitas, voluntariæ tamen obſervantiæ crevit Joan. 1. utilitas, dicente Evangeliſta Joanne: *Quia lex per Moſem data eſt, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Omnia enim quæ ſecundum legem, ſive in circumciſione carnis, ſive in adverſitatibus hoſtiarum, ſive in ſabbati obſervantia præceſſerunt, Chriſtum teſtificata, Chriſti ſunt gratiam præ- Rom. 10. Præcepta moralia veteris legis per Chriſtum abrogata non ſunt. locuta. Et ipſe eſt finis legis, non evacuando ſignificationes ipſius, ſed implendo. Qui licet idem ſit author veterum, qui novorum; figuratarum tamen promiſſionum ſacramenta mutavit: quia promiſſa perfecit, & denunciationibus ceſſationem impoſuit, quoniam denunciatus advenit. In præceptis autem moralibus nulla prioris Teſtamenti decreta reprobata, ſed Evangelico magiſterio multa ſunt aucta: ut perfectiora & lucidiora eſſent dantia ſalutem, quam promittentia Salvatorem. Omnia igitur, quæ Dei Filius ad reconciliationem mundi & fecit & docuit, non in hiſtoria tantum præteritarum actionum novimus; ſed etiam in præſentium operum virtute ſentimus. Ipſe eſt, qui de Spiritu ſancto ex matre editus virgine, incontaminatam Eccleſiam ſuam eadem inſpiratione fœcundat: ut per baptiſmatis partum, innumerabilis filiorum Dei multitudo gigna- Joan. 1. tur, de quibus dicitur: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex* Gen. 22. *Deo nati ſunt.* Ipſe eſt in quo ſemen Abrahæ totius mundi adoptione benedicetur: & fit Patriarcha gentium pater, dum promiſſionis filiis fide, non carne, Joan. 10. naſcuntur. Ipſe eſt, qui nullius gentis exceptionem faciens, de omni natione, quæ ſub cœlo eſt, unum ſanctarum ovium efficit gregem, & quotidie implet, Joan. 21. quod promiſerat, dicens: *Habeo & alias oves quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & erit unus grex, & unus paſtor.* Quamvis enim beato Petro principaliter dicat, *Paſce oves meas*: ab uno tamen Domino ipſa omnium regitur cura paſtorum, & venientes ad petram tam lætis tamque irriguis paſcuis alit, ut innumeræ oves dilectionis pinguedine roboratæ, ſicut bonus paſtor dignatus eſt pro ovibus ſuis animam ponere, ita & ipſæ non dubitent pro nomine paſtoris occumbere. Ipſe eſt enim, cui non ſolum glorioſa Martyrum fortitudo, ſed etiam omnium renaſcentium fides in ipſa regeneratione compatitur. Dum enim renunciatur diabolo, & creditur Deo, dum in novitatem a vetuſtate tranſitur, dum terreni hominis imago deponitur, & cœleſtis forma ſuſcipitur; quædam ſpecies mortis & quædam ſimilitudo reſurrectionis intervenit, ut ſuſceptus a Chriſto, Chriſtumque ſuſcipiens, non idem ſit poſt lavacrum, qui ante baptiſmum fuit, ſed corpus regenerati fiat caro crucifixi.

Hæc commutatio, dilectiſſimi, dexteræ eſt Excelſi, qui operatur omnia in omnibus, ut ſingulis fidelibus per bonæ converſationis qualitatem, ipſum piorum operum intelligamus authorem, gratias agentes miſericordiæ Dei, qui innumeris chariſmatum donis ita univerſum Eccleſiæ corpus exornat, ut per multos unius luminis radios idem ubique ſplendor appareat, nec poſſit niſi gloria eſſe Chriſti, cujuslibet meritum Chriſtiani. Hoc eſt illud verum Coloſſ. 1. lumen, quod omnem hominem juſtificat & illuſtrat. Hoc eſt illud, quod eruit de poteſtate tenebrarum, & transfert in regnum Filii Dei. Hoc eſt, quod 1. Cor. 5. per novitatem vitæ deſideria animi provehit, & concupiſcentias carnis extinguit. Hoc eſt, quod Paſcha Domini in azymis ſinceritatis & veritatis Corporis & Sanguinis Domini perceptio quid efficiat. legitime celebratur: dum fermento veteris malitiæ abjecto, nova creatura de ipſo Domino inebriatur & paſcitur. Non enim aliud agit participatio Corporis & Sanguinis Chriſti, quam ut in id quod ſumimus, tranſeamus: & in quo mortui & conſepulti Coloſſ. 3. & conreſuſcitati ſumus, ipſum per omnia & ſpiritu & carne geſtemus, dicente Apoſtolo: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Qui cum Patre & ſancto Spiritu vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO XV.

De Paſſione Domini.

De vera Chriſti humanitate, patientia in morte, obcæcatione Judæorum, & Manichæorum perfidia.

SErmonem, dilectiſſimi, de glorioſa Domini noſtri Jeſu Chriſti paſſione promiſſum ita expectationi veſtræ intelligo eſſe reddendum, ut officium diſſerendi & feſto Paſchali conveniat, & auſibus impii erroris occurrat. (Cap. 1.) Qui enim Dei Filium veram noſtræ carnis negant ſuſcepiſſe naturam, inimici ſunt fidei Chriſtianæ, & Evangelicam prædicationem nimis impudenter impugnant: ut ſecundum ipſos Crux Chriſti aut ſimulatio fuerit phantaſmatis, aut ſupplicium deitatis. Quod a cordibus piorum longe eſt repellendum: quia Catholica integritas nec maculam perfidiæ; nec rugam poteſt habere mendacii, quæ unum Chriſtum, ſicut Deum, ſic hominem confitetur: ut nec falſum hominem, nec Deum dicat fuiſſe paſſibilem. Quamvis ergo ab illo Joan. 1. initio, quo in utero Virginis Verbum caro factum eſt, nihil unquam inter divinam humanamque ſubſtantiam diviſionis extiterit, & per omnia incrementa corporea unius perſonæ fuerint totius temporis actiones; ea ipſa tamen quæ inſeparabiliter facta ſunt, nulla permixtione confundimus. Sed quid cujus naturæ ſit, ex operum qualitate ſentimus: nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis, cum ita in idipſum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas aſſumatur, nec perſona geminetur. Cap. 11. Tranſcurſis igitur iis, quæ paſſionem Domini præceſſerunt, quid documentorum habeat ſacramentum Paſchale, tractemus: Nam exardeſcente ad effectum ſui ſceleris ſævitia Judæorum, cum Deus eſſet in Chriſto mundum reconcillians ſibi, nulla vis templo corporis ejus, niſi ipſe permitteret, potuiſſet inferri. Siquidem terribilis militum cohors illa, Joan. 18. Potentiam ſuam non ſemper in Paſſione Chriſtus voluit oſtendere. & a principibus & Phariſæis miſſa cum gladiis & fuſtibus multitudo, ita una Domini voce percuſſa eſt, ut cum turbæ dixiſſent Jeſum ſe quærere Nazarenum, & ipſe reſpondiſſet, *Ego ſum*, nemo eorum ſubſiſteret; ſed omnes ſimul amiſſo membrorum officio, retrorſum acti eliſique corruerent. In

quo

quo utique divinæ erat poteſtatis indicium: quæ impiorum conatus, non armis contrariis, neque ullius creaturæ potentis auxilio, ſed ſola verbi virtute proſterneret. Quia vero ſalvando humano generi alterius operis ratio congruebat, nec poſſet ſanguis Chriſti pretium credentium fieri, ſi redemptor ſe non ſineret comprehendi: admiſit in ſe impias manus, & cohibita eſt potentia deitatis, ut perveniret ad gloriam paſſionis. Cujus unque inanis fuiſſet ſpecies, & nulli profutura imago tolerantiæ, niſi vera divinitas, veris ſe humanæ carnis ſenſibus induiſſet: ut unus Dei atque hominis Filius, aliunde intemerabilis, aliunde paſſibilis, mortale noſtrum per ſuum immortale renovaret. Et ideo mœſtitudine, ideo formidine non carebat, ut ad evincendas hujus mundi perturbationes non ſolum nos ſacramento ſuſceptionis, ſed etiam exemplo fortitudinis roboraret. Nam injuſta videretur ejus ad patientiam cohortatio, cui nulla eſſet in noſtra infirmitate
Cap. III. communio. Veras autem Domini paſſiones Eſaias
Eſai. 50. Propheta ipſius voce pronunciat, dicens: *Dorſum meum dedit in flagella, & maxillas meas in palmas, vultum autem meum non averti a confuſione ſputorum.* Quod itaque Verbum caro patiebatur, non Verbi pœna erat, ſed carnis: cujus injuriæ atque ſupplicia etiam ad impaſſibilem redundabant, ut merito ei dicantur illata, quæ in ipſius ſunt corpus admiſſa,
1. Cor. 2. dicente Apoſtolo: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Obcæcati enim Judæi malitia ſua, in quod prorupiſſent facinus neſciebant. Unde miſericors Dominus Jeſus, qui etiam interfectores ſuos vellet ſua morte ſalvare, pro ignorantia ſævientium, de Crucis altitudine ſupplicabat:
Luc. 23. dicens, *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Nec enim intellectu cordis, nec auditu auris, nec oculorum intuitu ſentiebant, quam falſis teſtimoniis appetiſſent, quem affigi patibulo coegiſſent: dum in corpore hominis non agnoſcunt ſubſtan-
Cap. IV. tiam deitatis. Viderunt humilem, & non adoraverunt univerſitatis authorem, nec intellexerunt poteſtatem judicaturi, deſpiciente manſuetudinem ju-
Joan. 20. dicati: ut perſequutores veri Dei, & negatores veri
Luc. 24. hominis una impietas ſociaret: dum ſervi formam in Chriſto, & Judæi æſtimant ſolam, & hæretici aſſerunt falſam. Dicant ergo iſti phantaſtici Chriſtiani, quæ ſubſtantia Salvatoris affixa ſit ligno, quæ jacuerit in ſepulchro, & revoluto monumenti lapide quæ tertia die caro reſurrexit, vel quale corpus Jeſus diſcipulorum viſui clauſis ad eos oſtiis ingreſſus intulerit, cum ad abigendum cernentium diffidentiam, inſpici oculis, digitiſque tractari, patentes adhuc fixuras clavorum, & recens compuncti lateris vulnus exegerit. At ſi tanta in luce veritatis tenebras ſuas hæretica obduratio non relinquit, oſtendant, unde ſibi ſpem vitæ polliceantur æternæ, unde reſurrectionis Chriſti ſe credant eſſe conſortes. Non enim poſſunt cum Apoſtolo dicere,
1. Cor. 15. *Chriſtus reſurrexit a mortuis, primitiæ dormientium*: quia non ſunt primitiæ hominum, ſi non ſunt de humanæ ſtirpe naturæ. Qui enim primus hominum reſurrexit, ejus plenitudinis eſt portio, quæ præceſſit: & piæ creditur hoc quod eſt in capite inchoa-
Ibidem. tum, in membris quoque eſſe complendum. Quia
1. Cor. 11. ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Amplectentes igitur, dile-
Cap. V. *fides.* ctiſſimi, Chriſtianæ * ſpei unicum pignus, non divel-
Coloſſ. 2. lamur a compage corpori Chriſti, *in quo habitat,* ſicut Apoſtolus ait, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter:* Et eſtis in illo repleti. Nam cum incorporea ſit ſubſtantia Dei, quomodo corporaliter in Chriſto habitat, niſi quia caro noſtri generis, facta eſt caro deitatis, & in illo ſumus Deo repleti, in quo crucifixi, in quo ſepulti, in quo ſumus etiam ſuſcitati, ut poſſimus cum Apoſtolo dicere, *Noſtra autem conver-* Philip. 3.
ſatio in cælis eſt? Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ conforme fieri corpori gloriæ ſuæ, vivens & regnans cum Patre & cum Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO XVI.

De Paſſione Domini, die Dominico.

De Paſſione Chriſti per Prophetas pronunciata, Judæorum inexcuſabilitate, Judæ ſcelere, & Chriſti querela in cruce.

SEmper quidem, dilectiſſimi, fidelium mentes in Cap. I.
divinorum operum decet admirationes verſari: & rationales animos iis maxime cogitationibus inhærere, per quas incrementum fidei conſequantur. Cum enim impia cordis intentio, vel ad generalia beneficia, vel ad ſpecialia ipſius gratiæ dona dirigitur, multas a ſe vanitates abigit, & a corporalibus curis in quoddam ſecretum ſpiritale ſecedit. Sed hoc in tempore Dominicæ Paſſionis, multo avidius excellentiuſque faciendum eſt: ut ea quæ ſacris ſunt lectionibus recenſita, ſanæ intelligentiæ ſuſcipiantur auditu, & quæ magna ſunt verbis, appareant majora myſteriis. Prima namque erigendi ſurſum noſtri cordis eſt ratio, quod ea quæ etiam Evangelica veritas enarravit, voces Propheticæ non tanquam gerenda, ſed tanquam geſta cecinerunt. Et Prophetæ locuti ſunt futura ut præterita.
quod humanæ aures nondum cognoverant faciendum, jam Spiritus prædicabat impletum. Nam rex David, cujus ſecundum hominem ſemen eſt Chri- Rom. 1.
ſtus, diem crucis Domini mille & plus quam centum Matth. 1.
annorum ætate præceſſit, & nihil eorum ſuppliciorum, quæ ſibi memorat illata, perpeſſus eſt. Sed quia per os ejus ille loquebatur, qui carnem paſſibilem ex ipſius ſtirpe erat ſumpturus, merito ſub ipſius perſona præmittitur hiſtoria crucis, qui in ſe gerebat corpoream originem Salvatoris. Vere enim David in Chriſto eſt paſſus, quia vere Jeſus in David eſt carne crucifixus. Cum ergo omnia, quæ in Cap. II.
Chriſtum Judaica admiſit impietas, tanto ante prædicta ſunt, ut non tam de futuris quam de præſentibus propheticus ſit ſermo contextus; quid aliud nobis quam ſempiternarum diſpoſitionum Dei incommutabilis ordo reſeratur, apud quem, & diſcernenda jam dijudicata, & futura jam facta ſunt? Cum enim & qualitates actionum noſtrarum, & effectus omnium voluntatum, ſcientia divina præveniat; quanto magis nota Deo ſunt opera ſua? Et recte placuit, quaſi facta recoli, quæ non poterant omnino non fieri. Unde & Apoſtoli ſpiritu Dei pleni, cum inimicorum Chriſti minas ſævitiamque paterentur, concordi ad Deum voce dixerunt: *Convenerunt enim* Act. 4.
vere in civitate iſta adverſus puerum tuum Jeſum Judæi inexcuſabilis
quem unxiſti Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus in paſſione
& populis Iſrael facere, quæ manus tua & conſilium Chriſti.
tuum decreverunt fieri. Nunquid iniquitas perſequentium Chriſtum ex Dei eſt orta conſilio? & illud faci- Cap. III.
nus, quod omni majus eſt crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc plane de ſumma juſtitia ſentiendum eſt: quia multum diverſum multumque contrarium id eſt, quod in malignitate Judæorum eſt præcognitum, & quod in Chriſti eſt paſſione diſpoſitum. Non inde proceſſit voluntas interficiendi, unde moriendi: nec de uno extitit ſpiritu atro-

Digitized by Google

eitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim
impias furentium manus immiſit in ſe Dominus,
ſed admiſit, nec præſciendo quod faciendum eſſet
coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem ſuſcepiſ-
ſet, ut fieret. Denique inter crucifixum & crucifi-
gentes tam diſpares cauſæ ſunt: ut quod a Chriſto
ſuſceptum eſt, non poſſit reſolvi, quod ab illis com-
Matth. 9. miſſum, poſſit aboleri. Qui enim venit peccatores
ſalvos facere, nec ipſis quidem interfectoribus ſuis
miſericordiam denegavit, ſed impiorum malum in
bonum credentium commutavit: ut mirabilior fieret
gratia Dei, non ſecundum merita hominum, ſed
ſecundum multitudinem divitiarum ſapientiæ &
ſcientiæ Dei miſericorditer præparata: quando &
ipſos, qui fuderant ſanguinem Salvatoris, reciperet
unda baptiſmatis. Nam ſicut Scriptura, quæ Apoſto-
lorum Actus continet, loquitur: Cum prædicatio
beati Petri Apoſtoli Judæorum corda compungeret,
Act. 2. & agnita impietate ſui ſceleris dicerent, *Quid fa-
ciemus viri fratres?* Idem Apoſtolus ait: *Pœnitentiam
agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine
Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, &
accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis eſt enim facta
repromiſſio & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt,
quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.* Mox-
Ibidem. que addidit Scriptura, & dixit: *Qui ergo receperunt
ſermonem ejus, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in illo
die animæ circiter trium millia.* Quod itaque Domi-
nus Jeſus Chriſtus furorem frementium pati voluit,
in nullo author eorum criminum fuit. Nec egit, ut
hæc vellent; ſed ceſſit, ut poſſent: & ſic uſus eſt ob-
cæcatæ plebis inſania, quomodo & perfidia tradi-
toris, quem ab immanitate concepti ſceleris & be-
neficiis revocare dignatus eſt & verbis, aſſumendo in
diſcipulum, provehendo in Apoſtolum, monendo
ſignis, conſecrando myſteriis, ut ei nihil benevo-
lentiæ deeſſe ad correctionem, nihil occaſionis ſu-
pereſſet ad crimen.

Cap. IV. Sed tu, impiiſſime homo, ſemen Chanaam & non
Daniel. 13. Juda, nec jam vas electionis, ſed filius perditionis &
mortis, utiliora tibi diaboli incitamenta credebas:
ut facibus inflammatus avaritiæ, ad triginta argenteo-
rum lucrum inardeſceres, & quid divitiarum amit-
teres, non videres. Nam etſi putabas credendum eſſe
promiſſis, quæ fuit ratio, ut tantillus pecuniæ mo-
dus præponeretur acceptis? Imperabas dæmoniis,
& medebaris infirmis, honorabaris cum Apoſtolis, &
ut finem tuæ cupiditatis expleres, patebant tibi fur-
ta de loculis. Sed animum interdictorum admonitum,
quod minus licuit, amplius incitavit, nec tam pla-
cuit quantitas pretii, quam magnitudo peccati.
Unde facinus commercii tui non ideo deteſtandum
eſt, quia Dominum viliter æſtimaſti; ſed quia Re-
demptorem etiam tuum, ne tibi parceret, vendidiſti.
Et merito tibi tua pœna commiſſa eſt: quia in ſup-
plicium tuum nemo te ſævior potuit inveniri.
Cap. V. Quod igitur in tempore præſtituto, ſecundum pro-
poſitum voluntatis ſuæ Jeſus Chriſtus crucifixus &
mortuus & ſepultus eſt; non propriæ conditionis
neceſſitas, ſed noſtræ captivitatis redemptio fuit.
Ideo enim Verbum caro factum eſt, ut de utero Vir-
ginis ſumeretur natura paſſibilis, & quod in Filium
Dei non potuit perpetrari, in filium hominis poſſet
admitti. Nam licet in ipſo ortu coruſcarent in eo
ſigna deitatis & omnia incrementa corporalium
proventuum divinis eſſent plena miraculis, infir-
mitatum tamen noſtrarum ſuſceperat veritatem, &
excepta communione peccati, nihil a ſe humanæ
infirmitatis excluſerat, ut & ſua nobis insereret, &
in ſe noſtra curaret. Ab omnipotenti enim medico
duplex nobis miſeris remedium præparatum eſt,
cujus aliud eſt in ſacramento, aliud in exemplo, ut
per unum conferantur divina, per aliud eriganiur
humana. Quia ſicut Deus juſtificationis eſt author,
ita homo devotionis eſt debitor.

Per hanc ergo, dilectiſſimi, ſalutis noſtræ ineffa- Cap. VI.
bilem reparationem, nec ſuperbiæ nobis, nec deſi-
diæ locus relinquitur: quia nihil habemus niſi quod
accepimus, & jugiter admonemur ut dona gratiæ
Dei non negligenter habeamus. Juſte enim nobis 1. Cor. 4.
inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio: & benigne
incitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam. Unde Joan. 14.
merito Dominus ipſe nobis factus eſt via, quia niſi
per Chriſtum non itur ad Chriſtum. Per ipſum au-
tem ad ipſum tendit, qui per ſemitam patientiæ &
humilitatis ejus incedit; in quo plane itinere, nec
æſtus deeſt laboris, nec nubes triſtitiæ, nec procella
formidinis: ibi ſunt inſidiæ iniquorum, perſecutio-
nes infidelium, minæ potentium, contumeliæ ſuper-
borum: quæ Dominus virtutum & rex gloriæ ideo Pſalm. 23.
omnia in infirmitatis noſtræ forma, & in carnis pec- Rom. 8.
cati ſimilitudine percurrit, ut inter præſentis vitæ
pericula, non jam optandum ſit nobis declinando
iſta effugere, quam tolerando ſuperare. Inde eſt quod Cap. VII.
caput noſtrum Dominus Jeſus Chriſtus, omnia in
ſe corporis ſui membra transformans, quod olim in
Pſalmo eructaverat, id in ſupplicio crucis ſub re- Pſalm. 21.
demptorum ſuorum voce clamabat: *Deus Deus meus,
reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Vox iſta, dilecti-
ſimi, doctrina eſt, non querela. Nam cum in Chriſto
Dei & hominis una perſona ſit, nec ab eo potuerit
relinqui, a quo non poterat ſeparari, pro nobis trepi-
dis & infirmis interrogat, cur caro pati metuens ex-
audita non fuerit. Inſtante enim paſſione, ad ſanan-
dum & corrigendum noſtræ fragilitatis metum di-
xerat: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat calix iſte a me.* Ve-
runtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et iterum: Matth. 26.
*Pater, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum,
fiat voluntas tua.* Quia ergo trepidatione carnis evi-
cta, jam ad paternam tranſierat voluntatem, & toto
mortis terrore calcato, opus ſuæ conſtitutionis im-
plebat: cur in ipſo tantæ victoriæ exaltatus trium-
pho cauſam & rationem qua ſit relictus, id eſt non
exauditus, inquirit: niſi ut oſtendat alium eſſe illum
affectum, quem ad humanæ formidinis excuſatio-
nem recepit, alium illum, quem externo placito
patris pro mundi reconciliatione prælegit? Unde
ipſa vox non exauditi, magni eſt expoſitio ſacra-
menti, quod nihil humano generi conferret Redem-
ptoris poteſtas, ſi quod petebat, noſtra obtineret im-
pietas. Hæc hodie, dilectiſſimi, ne vos prolixitate
ſermonis oneremus, dicta ſufficiant. Cætera in quar-
tam ſabbati differamus. Aderit Dominus orantibus
vobis, ut quæ ſolvenda promiſimus, ipſo largiente
reddamus. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum,
Amen.

SERMO XVII.

De Paſſione Domini, Feria quarta.

*De vera Chriſti divinitate ac humanitate & cla-
more ejus in cruce, fideque Centurionis.*

SErmo proximus, dilectiſſimi, cujus vobis pro- Cap. I.
miſſam reſtituere cupimus portionem in diſſe-
rendi ratione proceſſerat, ut de illa clamantis ad
Patrem crucifixi Domini voce loqueremur: ne
ſimplex & incurioſus auditor ita acciperes verba
dicentis, *Deus meus, Deus meus, quare me dereli-
quiſti?* tanquam fixo Jeſu in Crucis ligno, paternæ Pſalm. 21.
ab

ab eo deitatis omnipotentia receſſiſſet, cum in tantam unitatem Dei & hominis natura convenerit, ut nec ſupplicio potuerit dirimi, nec morte diſiungi. Manente enim in ſua proprietate utraque ſubſtantia, nec Deus relinquit ſui corporis paſſionem, nec Deum fecit caro paſſibilem: quia divinitas, quæ erat in dolente, non erat in dolore. Unde ſecundum Verbi hominiſque perſonam, idem eſt, qui factus eſt inter omnia, & per quem facta ſunt omnia. Idem eſt qui impiorum manibus comprehenditur, & qui nullo fine concluditur. Idem eſt, qui clavis configitur, & qui nullo dolore ſauciatur. Idem poſtremo eſt, qui mortem ſubiit, & ſempiternus eſſe non deſiit: ut utrumque ſignis non dubiis manifeſtetur, quod vera ſit in Chriſto humilitas, & vera majeſtas: quia ideo ſe humanæ infirmitati virtus divina conſeruit, ut dum Deus ſua facit eſſe quæ noſtra ſunt, noſtra faceret eſſe quæ ſua ſunt. Non ergo aberat a Patre Filius, nec a Filio Pater: & illa deitas incommutabilis & inſeparabilis Trinitas, nihil ſui poterat a ſe habere diſcretum. Quamvis enim ſusceptæ incarnationis diſpenſatio ad unigenitum Dei Filium proprie pertineret, ſic tamen Pater non abjungebatur a Filio, quemadmodum caro non dividebatur a Verbo. Ideo ergo Jeſus voce magna clamabat, di-

Cap. II. Cur Chriſtus clamavit in Cruce. cens: *Quare me dereliquiſti?* ut notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, ſed ſævientium manibus derelinqui, hoc eſt Salvatorem mundi fieri: & omnium hominum Redem-

Matth. 27. ptorem non per miſeriam, ſed per miſericordiam, nec amiſſione auxilii, ſed definitione moriendi.

Rom. 8. Ephes. 5. Quæ vero illic vitæ interceſſio ſentienda eſt, ubi anima & poteſtate eſt emiſſa, & poteſtate revocata? Dicit enim beatus Apoſtolus quod *Pater Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum*. Et iterum dicit: *Quoniam Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret*. Unde tradi Dominum paſſioni, tam fuit paternæ quam ipſius voluntatis, ut eum non ſolum pater relinqueret, ſed etiam ipſe ſe quadam ratione deſereret, non trepida diſceſſione, ſed voluntaria ceſſione. Continuit enim ſe ab impiis crucifixi poteſtas: & ut diſpoſitione uteretur occulta, uti noluit virtute manifeſta. Nam qui mortem & mortis authorem ſua venerat paſſione deſtruere, quomodo peccatores ſalvos faceret, ſi perſecutoribus repugnaret? Judæorum igitur hoc fuerat, dilectiſſimi, ut Jeſum crederent a Deo relictum, in quem tanto ſcelere ſævire potuiſſent, qui ſacramentum mirabilis patientiæ ne-

Matth. 27. ſcientes, ſacrilega illuſione dicebant: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei*. Non veſtræ cæcitatis arbitrio, ſtulti ſcribæ & impii ſacerdotes, oſtendenda erat potentia Salvatoris, nec ſecundum preces blaſphemantium linguarum humani generis redemptio debebat omitti: cum ſi deitatem filii voluiſſetis agnoſcere, innumera opera ejus videretis, quæ vos ad eam, quam fallaciter promittitis fidem, confirmare debuerint. Si autem, ut ipſi profitemini, verum eſt, quod alios ſalvos fecit: cur illa tot & tanta miracula, quæ publico facta ſunt conſpectu, in nullo cordis veſtri duritiam mollierunt: niſi quia ita ſemper Sancto Spiritui reſtitiſtis, ut omnia vobis beneficia Dei in perniciem verteretis? Nam etiamſi deſcenderet Chriſtus de cruce, vos tamen

Cap. III. hæretis in crimine. Spreta ergo ſunt vanæ inſultationis opprobria, & miſericordiam Domini perdita & collapſa reparantem, nullæ contumeliæ, nulla convitia a ſui via propoſiti removerunt. Offerebatur enim Deo pro ſalute mundi hoſtia ſingularis, & occiſio Chriſti veri agni, per tot ſæcula prædicata,

promiſſionis filios in libertatem fidei transferebat. Confirmabatur quoque Teſtamentum novum, & Hebr. 9.
Chriſti ſanguine æterni regni ſcribebantur hæredes. Ingrediebatur ſummus Pontifex Sancta Sanctorum, & ad exorandum Deum immaculatus ſacerdos per velum ſuæ carnis intrabat. Denique adeo tunc a lege Velum templi myſticum.
ad Evangelium, a ſynagoga ad Eccleſiam, a multis ſacrificiis ad unam hoſtiam, quæ Deus eſt, evidens eſt facta tranſlatio: ut emittente ſpiritum Domino, velum illud myſticum, quod templi penetralia ſanctumque ſecretum ſuo intercludebat objectu, a ſummo uſque ad imum ut ſubdita ſcinderetur. Quoniam figuras veritas auferebat, & ſuperflui erant Matth. 27.
nuntii ſub præſentia nunciati. Adjiciebatur iis elementorum omnium tremenda commotio, & autoribus crucis Chriſti ipſa ſe naturæ officia ſubſtrahebant. Cumque cuſtos ſupplicii Centurio territus Centurionis fides. Judæorum duritia.
iis quæ viderat, diceret: *Vere Filius Dei erat homo iſte*, impietatem tamen Judaicam, monumentis & petris omnibus duriorem, nulla proditur mitigaſſe compunctio, ut appareat paratiores ad intelligendum Filium Dei tunc fuiſſe Romanos milites, quam Iſraeliticos ſacerdotes. Quia ergo Judæi omnium Cap. IV.
ſacramentorum ſanctificatione privati, lucem ſibi in tenebras, & in luctum feſta verterunt; nos, dilectiſſimi, effuſam ſuper omnes gentes gratiam Dei proclivibus corporibus atque animis adoremus, obſecrantes miſericordem Patrem & divitem Redemptorem, ut de die in diem auxilio ejus adjuti, omnia vitæ hujus pericula poſſimus effugere. Adeſt enim callidus ubique tentator, & nihil vacuum a ſuis relinquit inſidiis. Cui, auxiliante miſericordia Dei, quæ nobis inter omnia adverſa prætenditur, fideli ſemper eſt conſtantia reſiſtendum, ut quamvis impugnare non deſinat, neminem tamen, quem expugnet, inveniat. Proſint omnibus, dilectiſſimi, religioſe celebrata jejunia, & continentiæ utilitas, quam & animis & corporibus probavimus congruentem, nullis corrumpatur exceſſibus. Quæ enim ad ſobrietatem & parſimoniam pertinent, ideo diligentius in iis ſunt celebrata diebus, ut de brevi ſtudio in longam conſuetudinem mitteretur: & ſive in operibus miſericordiæ, ſive in ſtudio parſimoniæ nullum a Fidelibus vacuum tempus habeatur, quoniam utique in acceſſu dierum & curſu temporum lucra debemus facere operum, non damna meritorum. Piis autem ſtudiis & religioſis animis aderit miſericordia Dei, ut quod fecit concupiſci, faciat obtineri: Qui vivit & regnat cum Domino noſtro Jeſu Chriſto, Filio ſuo, & cum Sancto Spiritu in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO XVIII.

De Paſſione Domini.

De figuris veteris Teſtamenti in paſſione Domini reſeratis, & Sacramento Redemptionis humani generis diabolo & Judæis abſcondito, ac de vitandis hæreticorum colloquiis.

MAgnitudo quidem, dilectiſſimi, ineffabilis ſacramenti, ita humanæ intelligentiæ altitudi- Cap. I.
nem, & totius vincit eloquii facultatem, ut & excellentiſsimis ingeniis, & facundiſsimis linguis, ſublimior ſit triumphus Dominicæ Paſsionis. Sed gaudendum nobis potius quam erubeſcendum eſt, quod tantæ ſuperamur materiæ dignitate: de qua nemo humilius ſenſit, quam qui putavit non ſuffeciſſe quæ dixit. Non ergo ſuperflua prædicamus, nec de rebus divinis

1. Cor. 5. Philip. 2. 1. Tim. 2. *adſumpſiſſet.* 1. Cor. 15.

ſolemniter agit: qui non in fermento veteris malitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis operatur. Nec jam in Adam primo, ſed in Adam vivit ſecundo, membrum ſcilicet factus corporis Chriſti, qui cum eſſet in forma Dei, in forma ſervi dignatus eſt fieri, ut in uno mediatore Dei & hominum homine Jeſu Chriſto & plenitudo majeſtatis divinæ, & veritas naturæ eſſet humanæ. Quam niſi Verbi divinitas in ſuæ perſonæ * reciperet unitatem: nec regeneratio eſſet in aqua baptiſmatis, nec redemptio in ſanguine Paſſionis. Sed quia in ſacramento incarnationis Chriſti nihil falſum, nihil accepimus figuratum, non fruſtra nos & cum moriente mortuos, & cum reſurgente credimus ſuſcitatos, manente ipſo in nobis, qui operatur in omnia in omnibus, vivens & regnans cum Patre & Spiritu ſancto, Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO XIX.

De Paſſione Domini.

De incomprehenſibili humani generis ſacramento, de diaboli inſidiis ac poteſtate, & de Chriſti cruce ferenda.

Cap. 1.

Veræ fidei potentia.

SAcram, dilectiſſimi, Dominicæ paſſionis hiſtoriam, Evangelica, ut moris eſt, narratione decurſam, ita omnium veſtrum arbitror inhæſiſſe pectoribus, ut unicuique audientium, ipſa lectio, quædam facta ſit viſio. Habet enim hanc potentiam fides vera, ut ab iis mente non deſit, quibus corporalis præſentia intereſſe non potuit, & ſive in præteritum redeat, ſive in futurum ſe cor credentis extendat, nullas ſentiat moras temporis cognitio veritatis. Adeſt ergo ſenſibus noſtris imago rerum pro noſtra ſalute geſtarum, & quicquid nunc diſcipulorum perſtrinxit animos, noſtros quoque tangit affectus: non quod aut triſtitia deprimamur, aut ſævitia furentium Judæorum terreamur, cum etiam eos, quos illius tempeſtatis magnitudo concuſſit, ad invictam conſtantiam Reſurrectio Domini Aſcenſioque provexerit; ſed quia cum in cogitationem venit, quales tunc Hieruſalem populi, & quales fuerunt ſacerdotes, magno accipiamus cum tremore mentium tantum facinus impiorum. Quamvis enim ad ſalutem humani generis pertineret Paſſio Salvatoris, & æternæ mortis vincula temporali ſint Domini morte dirupta; aliud tamen crucifixi patientia, aliud crucifigentium egit inſania, nec ad eoſdem rerum exitus miſericordia, & ira tendebat: cum per ejuſdem ſanguinis effuſionem Chriſtus ſolveret mundi captivitatem, Judæi interficerent omnium redemptorem. Obduravit enim carnalem Iſrael malignitas ſua, & nihil ei legis teſtificatio, nihil myſteriorum imagines, nihil prophetarum oracula profuerunt: cum paſcha Domini tot ſæculis celebratum, in eo Joannes doceret impletum, de quo publica proteſtatione dicebat:

Joan. 1.

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Repugnat iniquitas juſtitiæ, cæcitas luci, mendacium veritati; ſed de ſævitia obluctantium, de ſcelere crudelium, obtinuit Jeſus æternæ diſpoſitionis effectum, & ita humano generi ſua morte conſuluit, ut ſacramentum ſalutis, etiam ipſis perſecutoribus non negaret. Qui enim venerat univerſis credentibus omnia peccata dimittere, a generali indulgentia nec Judaicum voluit crimen excludere. Quorum itaque perfidiam deteſtamur, eorumdem fidem, ſi convertantur, amplectimur: & imitantes miſericordiam Domini qui pro eis, a quibus erat crucifixus, orabat, nos quoque cum beato Paulo Apoſtolo noſtras jungimus preces, & ut ille popolus miſericordiam conſequamur optamus, ob cujus offenſionem, gratiam reconciliationis accepimus. Quoniam ſicut ait magiſter gentium: *Concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur.* Quid autem illod Rom. 11.
fuit, quod & Judæis intellectum abſtulit, & ſapientium mundi corda turbavit, niſi Crux Filii Dei quæ & philoſophiam evaneſcere prudentium, & Iſraeliticam fecit caligare doctrinam? Omnem namque ſenſum humanæ mentis exceſſit divini altitudo conſilii: complacuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, ut mirabilior fieret conſtantia fidei ex difficultate credendi. Inconſequens enim & irrationabile videbatur, recipere animo, quod creatorem omnium naturarum, in ſubſtantia veri hominis, Virgo intemerata peperiſſet; quod æqualis Patri Filius Dei, qui impleret omnia, & contineret univerſa, furentium manibus comprehendi, iniquorum judicio condemnari, & poſt * dedecus illuſionum, cruci ſe permiſiſſet affigi. Sed in iis omnibus ſimul ſunt & humilitas hominis, & celſitudo deitatis, nec miſericordiæ ratio majeſtatem miſerentis obſcurat; quia de ineffabili potentia factum eſt, ut cum homo verus eſt in Deo inviolabili, & Deus verus eſt in carne paſſibili, conferetur homini gloria per contumeliam, incorruptio per ſupplicium, vita per mortem. Niſi enim Verbum caro fieret, & tam ſolida conſiſteret unitas in utraque natura, ut a ſuſcipiente ſuſceptam, nec ipſum breve mortis tempus abjungeret, nunquam valeret ad æternitatem redire mortalitas. Sed adfuit nobis in Chriſto ſingulare præſidium, ut in natura paſſibili mortis conditio non maneret, quam impaſſibilis eſſentia recepiſſet, & per id quod non poterat mori, poſſet id quod mortuum erat ſuſcitari. Huic ſacramento, dilectiſſimi, ut inſeparabiliter congruamus, magna nobis & animi, & corporis intentionem nitendum eſt, ut cum graviſſimi ſit piaculi feſtum Paſchale negligere, periculoſius ſit Eccleſiaſticis quidem conventibus jungi, ſed in Dominicæ paſſionis conſortio non haberi. Nam dicente Domino: *Quis non accipit crucem ſuam & ſequitur me,* Matth. 10. Rom. 8.
non eſt me dignus; Et dicente Apoſtolo: *Si compatimur, & conregnabimus*; Quis vere Chriſtum paſſum, mortuum, & reſuſcitatum colit, niſi qui cum ipſo patitur, & moritur, & reſurgit? Et hæc quidem in omnibus Eccleſiæ filiis ipſo jam regenerationis ſunt inchoata myſterio: ubi peccati interitus vita eſt renaſcentis, & triduanam Domini mortem imitatur trina demerſio, ut dimoto quodam aggere ſepulturæ, quos veteres ſuſcipit ſinus fontis, eoſdem novos edat unda baptiſmatis. Sed implendum eſt nihilominus opere, quod celebratum eſt ſacramento, & natis de Spiritu ſancto quantumcumque ſupereſt mundani temporis, non ſine Crucis ſuſceptione ducendum eſt. Quamvis enim forti, & crudeli tyranno per potentiam Crucis Chriſti vaſa antiquæ Lucæ 11.
deprædationis erepta ſint, & dominatio principis mundi a redemptorum ſit ejecta corporibus; inſidiari tamen etiam juſtificatis eadem malignitas perſeverat, & multis modis eos, in quibus non regnat, impugnat, ut ſi quas animas negligentes imprudenteſque repererit, ſævioribus eas laqueis rurſum innectat, & a paradiſo Eccleſiæ raptas in conſortium ſuæ damnationis judicat. Unde cum quiſpiam obſervantiæ Chriſtianæ ſe limitem ſentit excedere, & in id cupiditates ſuas tendere, quod eum a recto itinere faciat declinare; recurrat ad crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis adfigat, ac

1. Cor. 1. — * *dedecora.*

Pſal. 118. voce prophetica ad Dominum clamet, & dicat:
*Confige clavis timoris tui carnes meas, a judiciis enim
tuis timui*. Quid autem eſt clavis timoris Dei carnes
habere confixas, niſi corporeos ſenſus ab illecebra
illiciti deſiderii ſub metu divini continere judicii,
ut qui reſiſtit peccato, & concupiſcentias ſuas, ne
quid morte dignum operetur, interficit, audeat cum
Galat. 6. Apoſtolo dicere: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in
Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mun-
di crucifixus eſt, & ego mundo*. Ibi ergo ſe conſtituat
Chriſtianus, quo eum ſecum ſuſtulit Chriſtus, &
ad id dirigat omnem viam ſuam, ubi ſcit humanam
ſalvatam eſſe naturam. Paſſio enim Domini uſque ad
finem producitur mundi, & ſicut in Sanctis ſui ipſe
honoratur, ipſe diligitur, & in pauperibus ipſe pa-
ſcitur, ipſe veſtitur: ita in omnibus, qui pro juſti-
tia adverſa tolerant, ipſe compatitur, niſi forte æſti-
mandum eſt multiplicata per orbem fide, & rare-
ſcente impiorum numero, omnes perſecutiones, &
omnia, quæ adverſus beatos Martyres ſævierunt,
finita eſſe certamina, tanquam ſuſcipiendæ crucis
illis tantum neceſſitas incubuerit, quibus ad expu-
gnanda Chriſti dilectionem atrociſſima ſunt illata
ſupplicia. Sed aliud ſævientium Dei pietas expe-
2. Tim. 3. ritur, aliud etiam Apoſtoli prædicatio poteſtatur
qui dicit: *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu
perſequutionem patiuntur*. Qua ſententia nimis tre-
2. Cor. 6. pidus, & ſegnis oſtenditur, qui nulla perſequutio-
ne pulſatur. Pacem enim cum hoc mundo niſi ama-
tores mundi habere non poſſunt, & nulla unquam
iniquitati cum æquitate communio, nulla mendacio
cum veritate concordia, nullus eſt tenebris cum lu-
ce conſenſus. Quia etiamſi pietas bonorum cupiat
malos corrigi, converſionemque multorum per
gratiam Dei miſerentis obtineat: malignorum ta-
men ſpirituum adverſus ſanctos inſidiæ non quie-
ſcunt, & ſive occulto dolo, ſive aperto prælio,
in omnibus Fidelibus propoſitum bonæ voluntatis
infeſtant. Inimicum autem illis eſt omne quod
rectum, omne quod caſtum eſt. Et cum eis nihil in
quemquam amplius liceat, quam juſtitia divina per-
miſerit, quæ dignatur ſuos aut corrigere diſciplina,
aut exercere patientia, agunt tamen verſutiſſima ar-
te fallaciæ, ut ex arbitrio propriæ poteſtatis aut læ-
dere videantur, aut parcere: & multis, quod dolen-
dum eſt, ita per nequitiam ſimulationis illudunt, ut
quidem illos & timeant pati infenſos, & velint ha-
bere placatos, cum beneficia dæmonum omnibus
ſint nocentiora vulneribus, quia tutius eſt homini,
inimicitiam diaboli meruiſſe quam pacem. Sapientes
itaque animi, qui unum timere, unum diligere, &
in unum ſperare didicerunt, mortificatis cupiditati-
bus, & crucifixis corporis ſenſibus, ad nullum
hoſtium metum, ad nullum inclinantur obſequium.
Voluntatem enim Dei etiam ſibi præferunt: & tanto
amplius ſe amant, quanto amplius pro Dei amore ſe
Eccleſ. 18. non amant: Cumque audiunt ſibi divinitus dici, *Poſt
concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua
avertere*, dividant affectus ſuos, & legem mentis
a corporis lege diſcindant, ut ex quadam ſe parte ſi-
bi denegent, perdentes ſe in iis, quæ carnaliter cu-
piunt, & invenientes ſe in iis, quæ ſpiritaliter con-
Cpa. 11. cupiſcunt. Sanctum igitur paſcha, dilectiſſimi, in
talibus membris corporis Chriſti legitime celebra-
tur, & nihil illis deeſt triumphis, quos paſſio Sal-
2. Cor. 9. vatoris obtinuit. Quoniam in iis, qui Apoſtolico e-
xemplo caſtigant corpus ſuum, & ſervituti ſubji-
ciunt, iidem hoſtes eadem fortitudine conteruntur.
Etenim nunc a Chriſto vincitur mundus, cum a ſer-
vis ſuis quorumcunque vitiorum incentiva ſuperan-
tur, ipſius virtus eſt, ipſiuſque victoria. Hæc, di-
lectiſſimi, quæ ad participationem Crucis pertinent,
ſufficienter, ut arbitror, veſtris ſunt hodie auribus
intimata: ut Paſchale ſacramentum etiam in mem-
bris corporis Chriſti legitime celebretur. Soper-
eſt, ut de obtinendo reſurrectionis conſortio diſ-
ſeramus. Quod ne continuato ſermone, & mihi
& vobis fiat oneroſum, in diem ſabbati promiſ-
ſa differemus. Aderit, ut credimus, gratia Dei,
ut debitum noſtrum ipſius auxilio compleatur.
Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto
in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO PRIMUS.

De Reſurrectione Domini.

*De duplici vita ac morte, de Reſurrectionis
Dominicæ documentis, & immorta-
litate Chriſti.*

SErmone proximo, dilectiſſimi, non incongrue Cap. I.
vobis, quantum arbitror, participationem Cru-
cis Chriſti inſinuavimus: ut Paſchale ſacramentum
ipſa in ſe habeat vita credentium, & quod feſto
honoratur, moribus celebretur. Quam autem hoc
utile ſit, ipſi probaſtis, & ex veſtra devotione di-
diciſtis, quantum proſint animis atque corporibus
prolixiora jejunia, frequentiores preces, & elee-
moſynæ largiores. Nemo enim fere eſt, qui non
hac exercitatione profecerit: & in abdito con-
ſcientiæ ſuæ aliquid, quo recte poſſit gaudere,
condiderit. Sed hæc lucra perſeveranti ſunt ſer-
vanda cuſtodia: ne in deſidiam reſolutio labore,
quod donavit Dei gratia, diaboli furetur invidia.
Cum igitur quadraginta dierum obſervantia hoc
voluerimus operari, ut aliquid ſentiremus Crucis
in tempore Dominicæ paſſionis, adnitendum no-
bis eſt, ut etiam Reſurrectionis Chriſti invenia-
mur eſſe conſortes, & de morte ad vitam, dum
in iſto corpore ſumus, tranſeamus. Unicuique
enim homini, qui ex alio in aliud aliqua con-
verſione mutatur, finis eſt, non eſſe quod fuit:
& ortus, eſſe quod non fuit. Sed intereſt, cui
quis aut moriatur, aut vivat; quia eſt mors, quæ
cauſa eſt vivendi, & eſt vita, quæ cauſa eſt mo-
riendi. Nec alibi quam in hoc tranſitorio ſæculo, Mors & vita duplex.
utrumque conquiritur: ut ex qualitate tempora-
lium actionum differentia retributionum pendeat
æternarum. Moriendum ergo eſt diabolo, & vi-
vendum Deo: deficiendum iniquitati, ut juſtitiæ
reſurgatur. Occumbant vetera, ut oriantur nova.
Et quoniam, ſicut ait Veritas: *Nemo poteſt duobus* Cap. II.
dominis ſervire, Dominus ſit non ille qui ſtantes Matth. 6.
impulit in ruinam; ſed ille qui dejectos erexit in Luc. 16.
gloriam. Dicente ergo Apoſtolo, *Primus homo de
terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis*. Qua-
lis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, 1. Cor. 15.
tales & cæleſtes. Sicut portavimus imaginem ter-
reni, portemus & imaginem ejus qui eſt de cælo.
Multum nobis de hac commutatione gaudendum
eſt, qua de ignobilitate terrena, ad cæleſtem trans-
ferimur dignitatem per illius ineffabilem miſericor-
diam, qui ut nos in ſua proveheret, in noſtra de-
ſcendit, ut non ſolum ſubſtantiam, ſed etiam con-
ditionem naturæ peccatricis aſſumeret, & ea ſibi pa-
teretur inferri divina impaſſibilitas, quæ miſerrime
experitur humana mortalitas. Unde ne turbatos
Diſcipulorum animos longa mæſtitudo cruciaret,
denunciatam tribui moram tam mira celeritate
breviavit, ut dum ad integrum ſecundum diem

pars

pars primi noviſſima, & pats tertia prima concurrit, & aliquantum temporis ſpatio decideret, & nihil dierum numero deperiret. Reſurrectio igitur Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morata eſt in ſepulchro: & tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi eſſet ſoporis ſimilitudo, quam mortis: quoniam deitas, quæ ab utraque ſuſcepti hominis ſubſtantia non receſſit, [Cap. III. Reſurrectionis documenta.] quod poteſtate diviſit, poteſtate conjunxit. Subſequuta ſunt itaque multa documenta, quibus prædicandæ per univerſum mundum fidei authoritas conderetur. Et licet revulutio lapidis, evacuatio monumenti, depnſitio linteorum, & totius facti Angeli narratores copioſe veritatem Dominicæ Reſurrectionis abſtruerent, & mulierum tamen viſui, & Apoſtolorum frequenter oculis manifeſtus appa- [Act. 1.] ruit: non ſolum loquens cum eis, ſed habitans atque conveſcens, & pertractari ſe diligenti curioſoque contactu ab eis, quos dubitatio perſtringebat, ad- [Joan. 20. Lucæ 24.] mittens. Ideo enim & clauſis ad diſcipulos oſtiis introibat, & flatu ſuo dabat Spiritum ſanctum, & dato intelligentiæ lumine, ſanctarum Scripturarum oc- [Joan. 20.] culta pandebat, & rurſus idem vulnus lateris, fixuras clavorum, & omnia recentiſſimæ paſſionis ſigna monſtrabat, ut agnoſceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere, & ita ſciremus Verbum non hoc eſſe, quod carnem ut unum Dei Filium, & Verbum confiteremur & car- [Cap. IV. 2. Cor. 5.] nem. Non diſſonat, dilectiſſimi, ab hac fide magiſter gentium Apoſtolus Paulus, cum dicit: *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*. Reſurrectio enim Domini non finis carnis, ſed commutatio fuit, nec virtutis augmento conſumpta ſubſtantia eſt. Qualitas tranſiit, non natura defecit, & factum eſt corpus impaſſibile, quod potuit crucifigi; factum eſt immortale, quod potuit occidi; factum eſt incorruptibile, quod potuit vulnerari. Et merito dicitur caro Chriſti in eo ſtatu, quo fuerit nota, neſciri? quia nihil in ea paſſibile, nihil remanſit in ea infirmum, ut ipſa ſit per eſſentiam, & non ſit ipſa per gloriam. Quid autem mirum, ſi hoc de corpore Chriſti profitetur, qui [Ibidem.] de omnibus Chriſtianis ſpiritalibus dicit: *Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundum carnem?* Ex hoc, inquit, initium nobis factum eſt reſurrectionis in Chriſto, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus eſt, totius ſpei noſtræ formam præceſſit. Nun hæſitamus diffidentia, nec incerta expectatione ſuſpendimur, ſed accepto promiſſionis exordio, fidei ocu- [Cap. V.] lis, quæ ſunt futura, jam cernimus: & naturæ provectione gaudentes, quod credimus, jam tenemus. Non ergo nos rerum temporalium occupent ſpecies, nec ad ſe contemplationem noſtram a cœleſtibus ad terrena deflectant. Pro tranſactis habeantur, quæ ex maxima parte jam non ſunt: & mens intenta manſuris, ibi deſiderium ſuum figat, ubi quod offertur, æternum eſt. Quamvis enim ſpe ſalvi facti ſimus, & corruptibilem adhuc carnem mortalemque geſtemus; recte tamen dicimur in carne non eſſe, ſi carnales non dominentur affectus: & merito ejus rei deponimus nuncupationem, cujus non ſequimur; voluntatem. Cum itaque Apoſtolus dicat, *Carnis* [Rom. 13.] *curam ne feceritis in deſideriis*: non ea nobis interdicta intelligemus, quæ ſaluti congruunt, & quæ humana poſſit ioſirmitas. Sed quia non omnibus deſideriis ſerviendum, nec quicquid caro concupiſcit, implendum eſt, de adhibendo temperantiæ modo admonitos nos eſſe cognoſcimus: ut carni, quæ ſub animi eſt conſtituta judicio, nec ſuperflua concedamus, nec neceſſaria denegemus. Unde idem [Epheſ. 5.] Apoſtolus alibi ait: *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*, cum utique non ad vitia, non ad luxuriam; ſed ad debitum ſit alenda & fovenda famulatum, ut teneat ordinem ſuum renovata natura, nec perverſe ac turpiter ſuperioribus inferiora prævaleant, aut inferioribus ſuperiora ſuccumbant, & vitii animum ſuperantibus, ibi fiat ſervitus, ubi debet eſſe dominatus. Agnoſcat igitur populus Dei, novam ſe eſſe in [Cap. VI.] Chriſto creaturam, & a quo ſuſcepta ſit, quem ut ſuſceperit, vigilanter intelligat. Quæ nova facta ſunt, non redeant ad inſtabilem vetuſtatem, & non omittat opus ſuum, qui manum miſit ad aratrum, ſed ad hoc attendat, quod ſerit: non ad id reſpiciat quod reliquit. Nemo in id recipiat, unde ſur- [Luc. 9.] rexit: ſed etiamſi pro infirmitate corporea in aliquibus adhuc languoribus jacet, ſanari inſtanter deſideret ac levari. Hæc eſt enim ſalutis via, & cœptæ in Chriſto reſurrectionis imitatio: ut quia in lubrico iſtius vitæ diverſi caſus lapſuſque non deſunt, veſtigia gradientium a fluidis a ſolida tranſferantur: quoniam ſicut ſcriptum eſt; *A Domino* [Pſal. 36.] *diriguntur greſſus hominis, & viam ejus volet. Quum ceciderit juſtus, non collidetur, quia Dominus ſupponet manum ſuam*. Hæc meditatio, dilectiſſimi, non pro ſolemnitate Paſchali, ſed pro totius vitæ ſanctificatione retinenda eſt, & ab hoc præſens exercitatio debet intendi: ut quæ animum fideli experimento brevis obſervantiæ delectarunt, io conſuetudinem tranſeant, intemerata permaneant, ac ſi aliquid delicti irrepſerit, celeri pœnitudine deleatur. Et quia antiquorum morborum difficilis & tarda curatio eſt, tanto velocius adhibeantur remedia, quanto recentiora ſunt vulnera: ut ſemper ab omnibus offenſionibus in integrum reſurgentes, ad illam incorruptibilem glorificandæ carnis reſurrectionem pervenire mereamur in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO II.

De Reſurrectione Domini.

Quod Crux Chriſti ſit ſalvandis ſacramentum & exemplum, & de myſterio Incarnationis.

[Cap. I. Turon.] NOtum * quidem, dilectiſſimi, Paſchale ſacramentum Evangelica nobis narratio præſentavit, & ita per aurem carnis penetratus eſt mentis auditus, ut nemini noſtrum rerum geſtarum imago defuerit: cum divinitus inſpiratus textus hiſtoriæ evidenter oſtenderit, qua Dominus Jeſus Chriſtus impietate traditus, quo judicio addictus, qua ſævitia crucifixus, & qua ſit gloria ſuſcitatus. Sed adjiciendum eſt etiam noſtri ſermonis officium, ut ſicut pia expectatione depoſcere vos conſuetudinis debitum ſentio; ita ſolemnitati ſacratiſſimæ lectionis ſubjungatur exhortatio ſacerdotis. Quia igitur apud fideles aures ignorantiæ locus non eſt, ſemen Verbi, quod eſt in prædicatione Evangelii, debet in terra veſtri cordis augeri, ut remotis ſuffocationibus ſpinarum ac tribulorum, libera in fructus ſuos exeant plantaria piorum ſenſum, & rectarum germina voluntatum. Crux enim Chriſti, quæ ſalvandis eſt impenſa [Luc. 1.] mortalibus, & ſacramentum eſt, & exemplum Sacramentum, quo virtus impletur divina, exemplum quo devotio incitatur humana: quoniam captivitatis jugo erutis etiam hoc præſtat redemptio,

ptio, ut eam ſequi poſſit imitatio. Nam ſi munda-
na ſapientia ita in ſuis gloriatur erroribus, ut quem
ſibi quiſque ducem elegerit, ejus opiniones & mo-
res atque omnia inſtituta ſectetur: quæ nobis erit
communio nominis Chriſti, niſi ut ei inſeparabi-
Joan. 14. liter uniamur, qui eſt, ut ipſe inſinuavit, *Via, &*
Veritas, & Vita? Via ſcilicet converſationis ſanctæ,
Cap. II. Veritas doctrinæ divinæ, & Vita beatitudinis ſem-
piternæ. Colapſa enim in parentibus primi humani
generis plenitudine, ita miſericors Deus creaturæ
ad imaginem ſuam factæ per unigenitum ſuum Je-
ſum Chriſtum voluit ſubvenire: ut nec extra na-
turam eſſet reparatio naturæ, & ultra propriæ origi-
nis dignitatem proficeret ſecunda conditio. Felix, ſi
ab eo non decideret, quod Deus fecit! felicior, ſi in
eo maneret, quod recepit! Multum fuit a Chriſto re-
cepiſſe formam, ſed plus eſt, in Chriſto habere ſub-
ſtantiam. Suſcepit enim nos in ſuam * proprietatem
poteſtatem. illa natura, quæ nec noſtris ſua, nec ſuis noſtra con-
ſumeret: quæ ita unam in ſe fecit deitatis humanita-
tiſque perſonam, ut ſub diſpenſatione infirmitatum
atque virtutum, nec caro per divinitatem inviolabi-
lis, nec divinitas per carnem poſſet eſſe paſſibilis.
Suſcepit nos illa natura, quæ & propaginem noſtri
generis a communi tramite non abrumperet, & con-
tagium peccati in omnes homines tranſeuntis exclu-
deret. Infirmitas ſane atque mortalitas, quæ non
peccatum erant, ſed pœna peccati, a Redemptore
mundi recepta ſunt ad ſupplicium, ut impenderetur
ad pretium. Quod ergo in omnibus hominibus
transfuſio fuit damnationis, hoc in Chriſto ſacra-
mentum eſt pietatis. Præbuit enim ſe crudeliſſimo
exactori liber a debito, & miniſtras diaboli Judai-
cas manus in cruciatum immaculatæ carnis admiſit.
Quam ideo uſque ad celeberrimam Reſurrectionem
voluit eſſe mortalem, ut credentibus in eum, nec
perſequutio inſuperabilis, nec mors poſſet eſſe terri-
bilis: cum ita dubitandum non erat de conſortio glo-
Cap. III. riæ, ſicut dubitandum non eſſet de communione natu-
ræ. Si incunctanter itaque, dilectiſſimi, corde credi-
mus, quod ore profitemur: nos in Chriſto crucifixi,
nos ſumus mortui, nos ſepulti, nos etiam in ipſo die
Coloſſ. 3. tertio ſuſcitati. Unde Apoſtolus dicit: *Si conſurre-*
xiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi
Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt
ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis,
& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.
Quum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc &
vos apparebitis cum ipſo in gloria. Ut autem noverint
corda Fidelium habere ſe, unde ad ſupernam ſapien-
tiam, ſpretis mundi cupiditatibus, valeant elevari,
ſpondet nobis Dominus præſentiam ſuam, dicens:
Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad con-*
ſummationem ſæculi. Non enim fruſtra per Eſaiam
Eſai. 7. dixerat Spiritus ſanctus: *Ecce Virgo in utero concipiet,*
& pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel,
quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus. Implet er-
go Jeſus proprietatem nominis ſui: & qui aſcendit
in cœlos, non deſerit adoptatos: qui ſedet ad dexte-
ram Patris, idem totius habitator eſt corporis: &
ipſe deorſum conſortat ad patientiam, qui ſurſum
Cap. IV. invitat ad gloriam. Nec inter vana igitur nobis de-
ſipiendum eſt, nec inter adverſa trepidandum. Ibi
quidem blandiuntur deceptiones, & hic graveſcunt
labores. Sed quia miſericordia Domini plena eſt ter-
ra, adeſt nobis utique Chriſti victoria, ut impleatur,
Joan. 14. quod ait: *Nolite timere, quia ego vici mundum.* Sive
ergo contra ambitionem ſæculi, ſive contra concupi-
ſcentias carnis, ſive contra hæreticorum jacula dimi-
cemus, Dominica Cruce ſemper armemur. Nec
enim unquam a Paſchali feſto recedimus, ſi a fer-
mento malitiæ veteris, veritatis ſinceritate abſtine-
mus. Inter omnes namque vitæ hujus varietates, quæ
diverſarum plenæ ſunt paſſionum, Apoſtolicæ ex-
hortationis meminiſſe debemus, qua nos inſtruit
dicens: *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu:* Pl
qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus
eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit,
formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum fa-
ctus & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemet-
ipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem au-
tem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum,
& donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut
in nomine Jeſu omne genuflectatur, cæleſtium, terre-
ſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur,
quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.
Si magnæ, inquit, pietatis ſacramentum intelligitis,
& quod pro ſalute humani generis unigenitus Dei Fi-
lius geſſit, advertitis, hoc ſentite in vobis, quod &
in Chriſto Jeſu, cujus humilitas nulli aſpernanda
divitum, nulli eſt erubeſcenda nobilium. Nec enim
in tantum provehi poteſt quælibet felicitas humana
faſtigium, ut æſtimet ſibi pudendum, quod manens
Deus in forma Dei Deus, non eſt arbitratus indignum. Cap. V.

Imitamini quod operatus eſt, diligite quod dile-
xit, & invenietis in vobis Dei gratiam. Veſtram in
illo redamate naturam, quoniam ſicut ille pauper-
tate divitias non amiſit, gloriam humilitate non mi-
nuit, æternitatem morte non perdidit: ita & vos
eiſdem gradibus, eiſdem veſtigiis, ut cœleſtia ap-
prehendatis, terrena deſpicite. Suſceptio enim Cru-
cis eſt interfectio cupiditatum, occiſio vitiorum, de-
clinatio vanitatis, & abdicatio omnis erroris. Nam
cum Paſcha Domini non impudicus, non luxurioſus,
non ſuperbus celebret, non avarus: nulli tamen ab
hac feſtivitate longius quam hæretici ſeparantur,
maximeque illi, qui de Verbi incarnatione male ſen-
tiunt, aut minuendo quod eſt deitatis, aut evacuan-
do quod eſt carnis. Verus enim Deus eſt Filius Dei,
totum habens ex Patre, quod Pater eſt, nullo exordio
temporalis, nulla varietate mutabilis, nec ab uno di-
viſus, nec ab omnipotenti diverſus. Sempiterni geni-
toris unigenitus ſempiternus, ut mens fidelis credens
in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, in eamdem
unius deitatis eſſentiam, nec unitatem gradibus divi-
dat, nec Trinitatem ſingularitate confundat. Non au-
tem ſufficit Dei Filium in ſola Patris noſſe natura: ni-
ſi eum non recedentem a propriis, agnoſcamus in no-
ſtris. Exinanitio enim illa, quam reparationi impen-
dit humanæ, diſpenſatio fuit miſerationis, non pri-
vatio poteſtatis. Nam cum & ex æterno conſilio Dei, Act. 4.
non eſſet aliud nomen ſub cœlo datum hominibus,
in quo oporteat ſalvos fieri, inviſibilis viſibilem, in-
temporalis temporalem, impaſſibilis paſſibilem ſub-
ſtantiam ſuam fecit: non ut virtus deficeret in infir-
mitate, ſed ut infirmitas in incorruptibilem poſſet
tranſire virtutem. Propter quod ipſa feſtivitas, quæ
a nobis Paſcha nominatur, apud Hebræos phaſe, id
eſt tranſitus dicitur, atteſtante Evangeliſta atque
dicente: *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus, quia* Cap. VI.
venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.
Cujus autem naturæ futurus erat tranſitus iſte, niſi Joan. 13.
noſtræ, cum inſeparabiliter & Pater in Filio, & Fi-
lius eſſet in Patre? Sed quia Verbum & caro una per-
ſona eſt, non dividitur a ſuſcipiente ſuſceptor, &
honor provehendi provehentis nominatur augmen-
tum, dicente Apoſtolo, quod jam commemoravi- Philip. 2.
mus: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & de-*
dit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. In quo
utique aſſumpti hominis exaltatio commendatur,
ut in cujus paſſionibus manet deitas indiviſibilis,
idem coæternus ſit in gloria deitatis. Ad hanc par-
ti-

ticipationem ineffabilis muneris, beatum tranſitum Fidelibus ſuis ipſe Dominus præparabat: cum inſtanti jam proximus Paſſioni, non ſolum pro Apoſtolis ſuis atque Diſcipulis, ſed etiam pro univerſa Eccleſia ſupplicaret, & diceret: *Non pro his autem rogo tantum, ſed pro iis etiam, qui credituri ſunt per verbum ipſorum in me: ut omnes unum ſint, ſicut & tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Cujus unitatis nullum poterunt habere conſortium, qui in Dei Filio Deo vero humanam negant manere naturam, impugnatores ſalutiferi ſacramenti & paſchalis exules feſti. Quod quia ab Evangelio diſſentiunt, & Symbolo contradicunt, nobiſcum celebrare non poſſunt, quia etſi audent ſibi Chriſtianum nomen aſſumere, ab omni tamen creatura, cui Chriſtus caput eſt, repelluntur: vobis in hac ſolemnitate merito exultantibus, pieque gaudentibus, qui nullum recipientes in veritate mendacium, nec de nativitate Chriſti ſecundum carnem, nec de paſſione ac morte, nec de corporali reſurrectione ejus ambigitis: quoniam ſine illa ſeparatione deitatis, verum Chriſtum ab utero virginis, verum in ligno crucis, verum in ſepulcro carnis, verum in gloria reſurrectionis, verum in dextera paternæ majeſtatis agnoſcitis. Unde etiam, ſicut Apoſtolus ait, *Expectamus Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus noſtræ humilitatis, conforme fieri corpori gloriæ ſuæ.* Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Joan. 17. — Cap. v. — Philip. 3.

SERMO PRIMUS.

De Aſcenſione Domini.

Cur Diſcipuli permiſſi ſint dubitare de Reſurrectione Chriſti, & quid egerit Chriſtus inter Aſcenſionem, & Reſurrectionem ſuam, & de Petri prærogativa, atque cicatricibus Chriſti.

Cap. I.

POſt beatam & glorioſam Reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qua verum Dei templum Judaica impietate reſolutum divina in triduo potentia ſuſcitavit, quadragenarius hodie, dilectiſſimi, ſanctorum dierum expletus eſt numerus, ſacratiſſima ordinatione diſpoſitus: & ad utilitatem noſtræ eruditionis impenſus: ut dum a Domino in hoc ſpatio mora præſentiæ corporalis extenditur, fides reſurrectionis documentis neceſſariis muniretur. Mors enim Chriſti multum diſcipulorum corda turbaverat, & de ſupplicio crucis, de emiſſione ſpiritus, de exanimati corporis ſepultura, gravatis mœſtitudine mentibus, quidam diffidentiæ torpor obrepſerat. Nam cum ſanctæ mulieres, ſicut Evangelica pandit hiſtoria, revolutum a monumento lapidem, & ſepulchrum corpore vacuum, & viventis Domini teſtes Angelos nunciarent, verba eorum Apoſtolis aliiſque diſcipulis deliramentis ſimilia videbantur. Quam utique hæſitationem humana infirmitate nutantem, nequaquam permiſiſſet Spiritus veritatis prædicatorum ſuorum ineſſe pectoribus, niſi illa trepida ſollicitudo & curioſa cunctatio noſtræ fidei fundamenta jeciſſet: noſtris igitur perturbationibus, noſtris periculis in Apoſtolis conſulebatur: nos in illis viris contra calumnias impiorum, & contra terrenæ argumenta ſapientiæ docebamur. Nos illorum inſtruxit aſpectus, nos erudivit auditus, nos confirmavit attactus. Gratias agamus divinæ diſpenſationi, & ſanctorum Patrum neceſſariæ tarditati. Dubitatum eſt ab illis, ne dubitaretur a nobis.

Hæſitatio diſcipulorum de reſurrectioni ne Domini cur permiſſa ſit. — Matth. 16. — Lucæ 24.

Cap. II. Chriſtus quid egerit inter Aſcenſionem & Reſurrectionem.

Non ergo ii dies, dilectiſſimi, qui inter reſurrectionem Domini aſcenſionemque fluxerunt, otioſo tranſiere decurſu: ſed magna in eis confirmata ſacramenta, magna ſunt revelata myſteria. In iis metus diræ mortis aufertur, & non ſolum animæ, ſed etiam carnis immortalitas declaratur. In iis per inſufflationem Domini infunditur Apoſtolis omnibus Spiritus ſanctus: & beato Apoſtolo Petro, ſupra cæteros, poſt regni claves, ovilis Domini cura mandatur. In iis diebus, duobus diſcipulis tertius in via Dominus comes jungitur, & ad omnem noſtræ ambiguitatis caliginem detergendam, paventium ac trepidantium tarditas increpatur. Flammam fidei illuminata corda concipiunt: & quæ erant trepida, referante Scripturas Domino, efficiuntur ardentia. In fractione quoque panis, conveſcentium aperiuntur obtutus: multo felicius eorum oculis pateſactis, quibus naturæ ſuæ manifeſtata eſt glorificatio, quam illorum generis noſtri Principum, quibus prævaricationis ſuæ eſt ingeſta confuſio.

Joan. 20. — Petri prærogativa. — Luc. 24.

Cap. III. Ibidem.

Inter hæc autem aliaque miracula, cum diſcipuli trepidi cogitationibus æſtuarent, & apparuiſſet in medio eorum Dominus, dixiſſetque: *Pax vobis*, ne hoc remaneret in eorum opinionibus, quod volvebatur in cordibus (putabant enim ſe ſpiritum videre, non carnem) redarguit cogitationes a veritate diſcordes, ingerit dubitantium oculis manentia in manibus ſuis & pedibus crucis ſigna, & ut diligentius pertractetur, invitat: quia ad ſananda infidelium cordium vulnera, clavorum, & lanceæ erant ſervata veſtigia, ut non dubia fide, ſed conſtantiſſima ſcientia teneretur, eam naturam in Dei Patris conſeſſuram throno, quæ jacuerat in ſepulchro.

Joan. 20. — Cicatrices cur Chriſtus ſervaverit.

Cap. IV.

Per omne ergo tempus, dilectiſſimi, quod inter reſurrectionem & aſcenſionem Domini, exactum eſt, hoc providentia Dei curavit, hoc docuit, hoc ſuorum & oculis inſinuavit & cordibus: ut Dominus Jeſus vere agnoſceretur reſuſcitatus, qui vere erat natus, & paſſus, & mortuus. Unde beatiſſimi Apoſtoli, omneſque diſcipuli, qui & de exitu crucis fuerant trepidi, & de fide reſurrectionis ambigui, ita ſunt veritate perſpicua roborati, ut Domino in cœlorum eunte ſublimia, non ſolum nulla afficerentur triſtitia, ſed etiam magno gaudio replerentur. Et revera magna & ineffabilis erat cauſa gaudendi: cum in conſpectu ſanctæ multitudinis ſuper omnium creaturarum cœleſtium dignitatem humani generis natura conſcenderet, & ſupergreſſura Angelicos Ordines, & ultra Archangelorum altitudines elevanda, nec ullis ſublimitatibus modum ſuæ provectionis habitura, niſi æterni Patris recepta conſeſſu, illius gloriæ ſociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in filio. Quia igitur Chriſti Aſcenſio, noſtra provectio eſt, & quo præceſſit gloria capitis, eo ſpes vocatur & corporis: dignis, dilectiſſimi, exultemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non ſolum Paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cœlorum in Chriſto ſuperna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Chriſti gratiam, quam per diaboli amiſeramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos ſibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit: Cum quo vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus: Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Luc. 24. — Plus nobis Chriſtus contulit, quam diabolus abſtulit.

Sermo II.

De Aſcenſione Domini.

De exaltatione humanæ naturæ per Chriſtum, de virtute fidei, & Chriſti divinitate.

Cap. I.

SAcramentum, dilectiſſimi, ſalutis noſtræ, quam prætio ſanguinis ſui univerſitatis conditor æſtimavit, a die corporalis ortus uſque ad exitum Paſſionis, per diſpenſationem humilitatis impletum eſt. Et licet multa etiam in forma ſervi divinitatis ſigna radiaverint, proprie tamen illius temporis actio ad demonſtrandam ſuſcepti hominis pertinuit veritatem. Poſt paſſionem vero, ruptis mortis vinculis, quæ vim ſuam in eum, qui peccati erat neſcius, incidendo perdiderat: infirmitas in virtutem,

Act. 1.

mortalitas in immortalitatem, contumelia tranſivit in gloriam: quam Dominus Jeſus Chriſtus in multis manifeſtiſque documentis, multorum declaravit aſpectibus, donec triumphum victoriæ, quem reportarat a mortuis, inferret & cœlis. Sicut ergo

In Aſcenſione Chriſti lætandum.

in ſolemnitate Paſchali Reſurrectio Domini fuit nobis cauſa lætandi; ita Aſcenſio ejus in cœlos, præſentium nobis eſt materia gaudiorum, recolentibus illum diem & rite venerantibus, quo naturæ noſtræ humilitas in Chriſto ſuper omnem cœli militiam, ſupra omnes ordines Angelorum, & ultra omnium altitudinem poteſtatum, ad Dei Patris eſt provecta conſeſſum. Quo ordine operum divinorum nos fundati, nos ædificati ſumus, ut mirabilior fieret gratia Dei, cum remotis a conſpectu hominum, quo merito reverentiam ſui ſentiebatur indicere, fides non deficeret, ſpes non fluctuaret, charitas non reperet. Magnarum hic vigor eſt mentium, & valde fidelium lumen eſt animarum incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere deſiderium, quo nequeas inſerre conſpectum. Hæc autem pietas unde in noſtris cordibus naſceretur, aut quomodo quiſquam juſtificaretur per fidem, ſi in iis tantum ſalus noſtra conſiſteret, quæ obtutibus ſubjacerent? Unde & illi viro, qui de reſurrectione Chriſti videbatur ambigere, niſi in ipſius carne veſtigia paſſionis & viſu exploraſſet & tactu? *quia vidiſti me*, inquit Dominus, *credidiſti: beati qui*

Joan. 20.

non viderunt, & crediderunt. Ut igitur hujus bea-

Cap. II.

titudinis, dilectiſſimi, capaces eſſe poſſemus, expletis omnibus quæ Evangelicæ prædicationi & novi Teſtamenti myſteriis congruebant, Domi-

Lucæ 24.
Marc. 16.

nus noſter Jeſus Chriſtus, quadrageſimo poſt reſurrectionem die, coram Diſcipulis elevatus in cœlum corporalis præſentiæ modum fecit manſurus in Patris dexteris, donec tempora multiplicandis Eccleſiæ filiis divinitus præſtituta peragantur, & ad judicandos vivos & mortuos in eadem carne, in qua aſcendit, adveniat. Quod itaque Redemptoris noſtri conſpicuum fuit, in ſacramenta tranſivit, & ut fides excellentior eſſet ac firmior, viſionis doctrina ſucceſſit, cujus authoritatem ſupernis illuminata radiis credentium corda ſequerentur. Hanc fidem Aſcenſione Domini auctam, & Spiritus S. munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis,

Cap. III.

non laniatus ferarum, nec exquiſita perſequentium crudelitatis ſupplicia terruerunt. Pro hac fide per univerſum mundum, non ſolum viri, ſed etiam fœminæ, nec tantum impubes pueri, ſed etiam teneræ virgines, uſque ad effuſionem ſui ſanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia ejecit: egritudines depulit, mortuos ſuſcitavit, unde & ipſi beati Apoſtoli, qui tot miraculis confirmati, tot ſermonibus eruditi, atrocitatem tamen Dominicæ Paſſionis expaverant, & veritatem reſurrectionis ejus non ſine hæſitatione ſuſceperant; tantum de aſcenſione Domini profecerunt, ut quicquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium.

Aſcenſio Domini quantum Apoſtolos confirmarit.

Totam enim contemplationem animi in divinitatem ad Patris dexteram conſedentis erexerant, nec jam corporeæ viſionis tardabantur objectu, quominus in id aciem mentis intenderent, quod nec a Patre deſcendendo abfuerat, nec a Diſcipulis aſcendendo deceſſerat. Tunc igitur, dilectiſſimi, filius

Cap. IV.

hominis Dei filius, excellentius ſacratiuſque innotuit, cum in paternæ majeſtatis gloriam ſe recepit, & ineffabili modo cæpit eſſe divinitate præſentior, qui factus eſt humanitate longinquior. Tunc ad

Joan. 14.

æqualem Patri Filium eruditior fides ingreſſu mentis cæpit accedere, & contrectatione in Chriſto corporeæ ſubſtantiæ, qua patre minor eſt, non egere: quoniam glorificati corporis manente natura, eo fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, ſed ſpiritali intellectu, par Genitori Unigenitus tangeretur. Hinc illud eſt, quod poſt reſurrectionem ſuam Dominus Matiæ Magdalenæ perſonam Eccleſiæ gerenti, cum ad contactum ipſius properaret accedere, dicit: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum:* hoc eſt, no-

Joan. 20.

lo ut ad me corporaliter venias, nec ut me ſenſu carnis agnoſcas. Ad ſublimiora te differo, majora tibi præparo: cum ad Patrem aſcendero, tunc me perfectius veriuſque palpabis, apprehenſura quod non tangis, & creditura quod non cernis. Cum autem aſcendentem ad cœlos Dominum ſequaces Diſcipulorum oculi intenta admiratione ſuſpicerent, adſtiterunt ipſis Angeli duo mirabili veſtium candore fulgentes, qui & dixerunt: *Viri Galilæi, quid*

Act. 10.

ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Jeſus qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Quibus verbis omnes Ec-

Chriſto quomodo Angeli ſervierint.

cleſiæ filii docebantur, ut Jeſus Chriſtus in eadem, qua aſcenderat, carne venturus viſibilis crederetur, nec poſſet ambigi omnia illi eſſe ſubjecta, cui ab ipſo corporeæ nativitatis exordio, famulatus ſerviſſet angelicus. Sicut enim concipiendum Chriſtum de Spiritu ſancto beatæ Virgini Angelus nunciavit; ſic & editum de Virgine vox cœleſtium, paſtoribus

Luc. 2.

cecinit. Sicut reſurrexiſſe a mortuis ſupernorum nunciorum prima teſtimonia docuerunt; ſic ad judicandum mundum in ipſa carne venturum Angelorum officia prædicarunt, ut intelligeremus, quantæ poteſtates ſint adfuturæ cum judicaturo, cui tantæ miniſtraverunt etiam judicando. Exultemus itaque, dilectiſſimi, gaudio ſpiritali, & digna apud Deum gratiarum actione lætantes, liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Chriſtus eſt, erigamus. Surſum vocatos animos deſideria terrena non deprimant, ad æterna prælectos, peritura non occupent, viam veritatis ingreſſos, fallaces illecebræ non retardent: & ita fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari ſe in hac mundi valle cognoſcant, in qua etiam ſi quædam commoda blandiantur; non amplectanda nequiter, ſed tranſcunda ſunt fortiter. Ad hanc enim nos devotionem beatiſſimus Apoſtolus Petrus incitat, & ſecundum illam dilectionem, quam paſcendis Chriſti ovibus trina Dominici amoris preſſione concepit, obſecrans dicit: *Chariſſimi, obſecro vos tanquam advenas*

Joan. 21.
1. Petr. 2.

& peregrinos, abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam. Cui autem, niſi diabolo

car-

carnales militant voluptates, qui animas ad ſuperna tendeutes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, & ab illis ſedibus, de quibus ipſe excidit, gaudet abducere? Contra cujus inſidias ſapienter debet Fidelis quiſque vigilare, ut inimicum ſuum, de eo quod tentatur, poſſit elidere.

Charitate & miſericordia nihil contra diabolum afficacius.

Nihil autem eſt validius, dilectiſſimi, contra diaboli dolos, quam benignitas miſericordiæ & largitas charitatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut vincitur. Sed hujus virtutis ſublimitas non prius apprehenditur, quam illud, quod ei adverſarium eſt, ſubruatur. Quid autem tam inimicum miſericordiæ & operibus charitatis, quam avaritis, de cujus radice omnium malorum germen emergit? Quæ niſi in ſuis fomitibus enecetur, neceſſe eſſe ut in agro cordis illius, in quo hujus mali planta convaluit, ſpinæ potius tribuliquæ vitiorum, quam ullum

2. Cor. 15.

veræ virtutis ſemen oriatur. Reſiſtamus ergo, dilectiſſimi, huic tam peſtifero malo, & charitatem, ſine qua nulla virius poteſt nitere, ſectemur: ut per hanc, qua ad nos Chriſtus deſcendit, dilectionis viam, etiam nos ad ipſum poſſimus aſcendere, cui eſt cum Deo Patre & Spiritu ſancto honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO PRIMUS.

De Pentecoſte.

De virtute ac miſſione Spiritus ſancti in linguis igneis, & de peccato in Spiritum ſanctum.

Cap. I.

HOdiernam ſolemnitatem, dilectiſſimi, in præcipuis feſtis eſſe venerandam, omnium Catholicorum corda cognoſcunt. Nec dubium eſt, quanta huic diei reverentia debeatur, quem Spiritus ſanctus excellentiſſimo ſui muneris miraculo conſecravit. Nam ab illo die, quo Dominus ſuper omnem cœlorum altitudinem ad dexteram Dei Patris conſeſſurus aſcendit, decimus iſte eſt, qui ab ejuſdem Reſurrectione quinquageſimus nobis in eo, a quo cœpit, illuxit, magna myſteria in ſe continens & veterum ſacramentorum & novorum: quibus manifeſtiſſime declaratur, & gratiam prænunciatam fuiſſe per legem, & legem imple-

Exod. 19.

tam eſſe per gratiam. Sicut enim Hebræo quondam populo ab Ægyptiis liberato, quinquageſimo die poſt immolationem agni, lex data eſt in monte Sina: ita poſt paſſionem Chriſti, qua verus Dei agnus occiſus eſt, quinquageſimo a reſurrectione ipſius die, in Apoſtolos plebemque

Act. 2.

credentium Spiritus ſanctus illapſus eſt: ut facile diligens Chriſtianus agnoſcat initia veteris Teſtamenti Evangelicis miniſtraſſe principiis, & ab eodem Spiritu conditum fœdus ſecundum, a quo primum fuerat inſtitutum. Nam ſicut Apoſtolica teſtatur hiſtoria: *Dum complerentur dies Pentecoſtes, eſſentque omnes diſcipuli pariter in eodem loco, factus eſt repente de cælo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* O quam velox eſt ſermo ſapientiæ, & ubi Deus magiſter eſt, quam cito diſcitur quod docetur!

Joan. 3.

Non eſt adhibita interpretatio ad audiendum, non conſuetudo ad uſum, non tempus ad ſtudium; ſed ſpirante ubi voluit ſpiritu veritatis, propriæ ſingularum gentium voces, factæ ſunt in Eccleſiæ ore communes.

Cap. II.

Ab hoc igitur de tuba Evangelicæ prædicationis introivit, ab hoc die imbres chariſmatum, flumina benedictionum, omne deſertum, & univerſam aridam rigaverunt: quoniam ad renovandam faciem terræ Spiritus Dei ferebatur ſuper

Gen. 1.

aquas, & ad veteres tenebras abigendas, novæ lucis fulgura coruſcabant, cum micantium ſplendore linguarum & verbum Domini inditum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum conſumendumque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis ineſſet urendi.

Cap. III.

Quamvis autem, dilectiſſimi, valde fuerit ipſa rei geſtæ forma mirabili, nec dubium ſit, in illo omnium humanarum vocum exultante *conſenſu majeſtatem Spiritus S. fuiſſe præſentem; nemo tamen exiſtimet in iis, quæ corporeis viſa ſuut oculis, divinam ejus apparuiſſe ſubſtantiam. Natura enim inviſibilis, & Patri Filioque communis, qualitatem muneris atque operis ſui qua voluit ſignificatione monſtravit. Proprietatem vero eſſentiæ ſuæ in ſua deitate continuit: quia ſicut nec Patrem, nec Filium, ita nec Spiritum S. humanus poteſt viſus attingere. In Trinitate enim divina nihil diſſimile, nihil impar eſt: & omnia quæ de illa poſſunt ſubſtantia cogitari, nec virtute, uec gloria, nec æternitate diſcreta ſunt. Cumque in perſonarum proprietatibus alius ſit Pater, alius ſit Filius, alius Spiritus ſanctus: non tamen alias deitas, nec diverſa natura eſt. Si quidem eum & de Patre ſit Filius unigenitus, & Spiritus S. Patris Filiique ſit Spiritus, non ſicut quæcunque creatura, quæ Patris & Filii eſt, ſed ſicut cum utroque vivens & potens, & ſempiternus, & ex eo quod eſt Pater Filiuſque ſubſiſtens. Unde cum Dominus ante Paſſionis ſuæ diem Diſcipulis ſuis ſancti Spiritus ſponderet adventum. *Adhuc*, inquit, *multa habeo* Joan. 10.
vobis dicere; ſed non poteſtis illa modo portare. Cum autem ille venerit Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquitur a ſemetipſo; ſed quæcunq; audiet, loquetur, & futura annunciabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Non ergo alia ſunt Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti: ſed omnia quæcuuque habet Pater, habet & Filius, habet & Spiritus S. nec unquam in illa Trinitate deſuit iſta communio: quia hoc eſt ibi omnia habere, quod ſemper exiſtere, nulla ibi tempora, nulli gradus, nullæ differentiæ cogitentur, & ſi nemo de Deo poteſt explicare quod eſt, nemo audeat affirmare quod non eſt. Excuſabilius enim eſt de natura ineffabili non

In ſancta Trinitate nulla diverſitas.

eloqui digna, quam definire contraria. Quicquid itaque de ſempiterna & incommutabili gloria Patris pia poſſunt corda concipere, hoc ſimul & de Filio, & de Spiritu ſancto, inſeparabiliter atque indifferenter intelligant. Ideo enim hanc beatam Trinitatem unum confitemur Deum, quia in his tribus perſonis nec ſubſtantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis eſt ulla diverſitas. Sicut ergo de-

Gal. 4. Arriani. Macedoniani.

teſtamur Arrianos, qui inter Patrem & Filium aliquam volunt eſſe diſtantiam, ita etiam Macedonianos pariter deteſtamur qui licet Patri & Filio tribuant æqualitatem, Spiritum tamen ſanctum inferioris putant eſſe naturæ, non conſiderantes in eam blaſphemiam ſe incidere, quæ neque in præſenti ſæculo, neq; in futuro ſit remittenda judicio, dicente

Matth. 12.

Domino: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Permanens itaque in hac impietate ſine venia eſt, quia excluſit eum a ſe, per quem poterat confiteri: nec unquam pervenit ad indulgentiæ remedium, qui patrocinantem ſibi non habet advocatum.

Ab ipſo enim eſt invocatio Patria, ab ipſo ſunt lachrymæ pœnitentium, ab ipſo ſunt gemitus ſupplicantium. Et nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, (1. Cor. 12.) niſi in Spiritu ſancto. Cujus æqualem cum Patre & Filio omnipotentiam unamque deitatem evidentiſſime prædicat Apoſtolus dicens (Ibidem.): *Diviſiones autem gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* His, dilectiſſimi, aliiſque documentis, quibus innumerabiliter divinorum eloquiorum coruſcat authoritas, ad veneratione Pentecoſtes unanimiter incitemur, exultantes in honorem ſancti Spiritus, per quem omnis Eccleſia Catholica ſanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur. Qui inſpirator fidei, Doctor ſcientiæ, fons dilectionis, ſignaculum caſtitatis, & totius eſt cauſa virtutis. Gaudeant fidelium mentes, quod in toto mundo uous Deus, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, omnium linguarum confeſſione laudatur, quodque illa ſignificatio, quæ in ſpecie ignis apparuit, opere perſeverat, & munere. Ipſe enim ſpiritus veritatis, facit domum gloriæ ſuæ luminis ſui nitore ſulgere, & in templo ſuo nec tenebroſum aliquid vult eſſe, nec tepidum; de qua ope, atque doctrina etiam jejuniorum nobis, atque eleemoſynarum eſt collata purgatio. Nam hunc (Jejunia e Spiritu ſancto manarunt.) venerabilem diem ſequitur ſaluberrimæ obſervantiæ conſuetudo, quam utiliſſimam ſibi omnes Sancti ſemper experti ſunt, & ad quam ſedulo celebrandam paſtorali vos ſollicitudine cohortamur: ut ſi quid macularum proximis diebus negligentia incauta contraxit, id & jejunii cenſura caſtiget, & devotio pietatis emendet. Quarta igitur & ſexta Feria jejunemus. Sabbato autem in idipſum conſueta devotione vigilias celebremus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

SERMO II.

De Pentecoſte.

De myſterio Trinitatis, & de miſſione Spiritus ſancti, & Manichæorum impietate.

Cap. I. PLeniſſimi quidem nobis, dilectiſſimi, cauſam atque rationem ſolemnitatis hodiernæ divinorum eloquiorum textus oſtendit, quo ſanctum Spiritum quinquageſimo poſt Domini Reſurrectionem die, quia ab Aſcenſione ejus eſt decimus, infuſum Chriſti Diſcipulis, ſicut promiſſus ſperabatur, agnovimus. Sed ad novos Eccleſiæ filios inſtruendos addendum eſt etiam noſtri ſermonis obſequium. Non enim timemus, ut ſpiritales & eruditi nota faſtidiant, ad quorum fructum pertinet ut quam pluximis inſinuari velint, quod ipſi cum magna ſui utilitate didicerunt. Fiat ergo per corda omnium diſpenſatio munerum divinorum, & ſervitutem oris noſtri docti indoctique non ſpernant. Illi ut probent ſe amare quod norunt: iſti ut oſtendant ſe deſiderare quod neſciunt. Huic enim præparationi noſtræ aderit ipſius largitas, de cujus loqui majeſtate geſtimus: ut ad profectum totius Eccleſiæ, & vos capaces, & nos faciant abundantes. (Cap. II.) Cum igitur ad intelligendum dignitatem Spiritus ſancti aciem mentis intendimus, nihil diverſum ab excellentia Patri & Filii cogitemus: quia in nullo ab unitate ſua diſcrepat divinitatis eſſentia. Sempiternum eſt Patri, conſempiterni ſibi Filii ſui eſſe genitorem: (Quid de Spiritu ſancto ſentiendum.) Sempiternum eſt Filio, intemporaliter eſſe a Patre progenitum: Sempiternum quoque eſt Spiritui ſancto, Spiritum eſſe Patris & Filii: ut nunquam Pater ſine Filio, nunquam Filius ſine Patre, nunquam Pater & Filius fuerint ſine Spiritu ſancto, & omnibus exiſtentiæ gradibus excluſis, nulla ibi perſona ſit anterior, nulla poſterior. Hujus enim beatæ Trinitatis, & incommutabilis deitatis una eſt ſubſtantia, indiviſa in opere, concors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. De qua cum ſancta Scriptura ſic loquitur, ut aut in factis, aut in verbis aliquid aſſignet, quod ſingulis videatur conveniſſe perſonis, non perturbatur fides Catholica, ſed docetur: ut per proprietatem aut vocis aut operis, inſinuetur nobis veritas Trinitatis, & non dividat intellectus, quod diſtinguit auditus. Ob hoc enim (Cap. III.) quædam ſive ſub Patris, ſive ſub Filii, ſive ſub Spiritus ſancti appellatione promuntur: ut confeſſio credentium in Trinitate oon erret. Quæ cum ſit inſeparabilis, nunquam intelligeretur eſſe Trioitas, ſi ſemper inſeparabiliter diceretur. Bene ergo ipſa difficultas loquendi cor noſtrum ad intelligentiam trahit, & per infirmitatem noſtram cœleſtis doctrina nos adjuvat: ut quia in deitate Patris, & Filii, & Spiritus S. nec ſingularitas eſt, nec diverſitas cogitanda, vera unitas & vera Trinitas poſſit quidem aliquatenus mente ſentiri, ſed non poſſit ſimul ore (Fides ſanctæ Trinitatis.) proferri. Fundata igitur, dilectiſſimi, in cordibus noſtris fide, qua ſalubriter credimus, quod ſimul tota Trinitas una virtus eſt, una majeſtas, una ſubſtantia, indiſcreta opere, inſerparabilis dilectione, indifferens poteſtate, ſimul implens omnia, ſimul continens univerſa. Quod enim Pater eſt, hoc eſt & Filius, hoc eſt Spiritus ſanctus, & vera Deitas in nullo eſſe aut minor aut major poteſt: quæ ſic in tribus confitenda eſt perſonis, ut & ſolitudinem non recipiat Trinitas, & unitatem ſervet æqualitas. Hac, inquam, dilectiſſimi, fide firmiter apprehenſa, (Spiritus ſanctus etiam ante Pentecoſten datus.) non ambigamus, quod cum in die Pentecoſtes diſcipulos Domini Spiritus ſanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, ſed abjectio largitatis: quoniam & Patriarchæ & Prophetæ & Sacerdotes, omneſque Sancti, qui prioribus fuere temporibus, ejuſdem ſunt Spiritus ſancti ſanctificatione vegetati: & ſine hanc gratia nulla unquam inſtitutia ſacramenta, nulla ſunt celebrata myſteria: ut eadem ſemper fuerit virtus chariſmatum, quamvis non eadem fuerit menſura donorum. Ipſi quoque beati Apoſtoli ante paſ- (Cap. IV.) ſionem Domini ſancto Spiritu non carebant, nec potentia hujus virtutis aberat ab operibus Salvatoris. Et cum diſcipulis daret infirmitatum curatio- (Lucæ 11.) nem, & ejiciendorum dæmonum poteſtatem, ejus utique ſpiritus largiebatur effectum, in quo ipſum immundis ſpiritibus imparantem Judæorum negabat impietas, & divina beneficia diabolo deputabat. Unde taliter blaſphemantes merito illam Domini excepere ſententiam, qua ait (Matth. 12.): *Omne peccatum & blaſpemia remittetur hominibus: Spiritus autem blaſpemia non remittetur hominibus.* Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Unde manifeſtum eſt, peccatorum remiſſionem ſine Spiritus ſancti * advocatione (* *invocatione*) non fieri, nec quemquam ſine illo, ſicut expedit, ingemiſcere, aut ſicut oportet, orare, dicente Apoſtolo (Rom. 8.): *Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et nemo* (1. Cor. 12.) *poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu ſancto:* quo vacuari nimis exitiabile eſt, nimiſque mortiferum, quia nunquam veniam meretur, qui ab interceſſore deſeritur. Omnes igitur, dilectiſ- (Cap. V.) ſimi, quia in Dominum Jeſum crediderant, infuſum ſibi habebant Spiritum ſanctum, & remit-

ten-

Digitized by Google

tendorum peccatorum jam tunc Apoſtoli acceperant poteſtatem, quando poſt reſurrectionem ſuam Joan. 20. Dominus inſufflavit, & dixit: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retinebuntur.* Sed illi perfectioni, quæ erat Diſcipulis conferenda, major gratia & abundantior inſpiratio ſervabatur: per quam & quæ nondum acceperant, ſumerent, & excellentius poſſent habere, quæ ſumpſerant. Propter quod Domi- Joan. 16. nus docebat: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis illa portare modo. Cum autem venerit Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a ſemetipſo; ſed quæ audierit, loquetur, & futura annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

Cap. VI. Quid ergo eſt, quod Dominus promittens Diſcipulis Spiritum ſanctum, qui jam dixerat: *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis; Adhuc,* inquit, *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: Quum autem venerit ſpiritus ille veritatis, ille vos diriget in omnem veritatem?* Nunquid ſe ſe Dominus inferioris ſcientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid quam Spiritum S. a Patre didiciſſe? cum ipſe ſit Veritas, & nihil Pater dicere, nihil poſſit docere ſine Verbo, ideoque dictum ſit: *de meo accipiet,* quoniam quod accipit Spiritus, Patre dante, dat Filius? Non itaque alia inſinuanda erat veritas, nec alia prædicanda doctrina: ſed oportebat capacitatem eorum, qui docebantur, augeri, & multiplicari conſtantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem foras mitteret, & furorem perſequentium non timeret. Quod utique Apoſtoli, poſteaquam Spiritus ſancti nova abundantia ſunt repleti, ardentius velle & efficacius poſſe cœperunt, * proficientes a præceptorum ſcientia ad tolerantiam paſſionum; ut ſub nulla jam tempeſtare trepidantes, fluctus ſæculi & elationes mundi fide ſupergrediente calcarent, & morte contempta, omnibus gentibus Evangelium veritatis inſerrent. Quod vero addidit Dominus dicens: *Quæcumque audierit loquetur, & futura annunciabit vobis,* non ſegni intellectu, dilectiſſimi, nec tranſitorio accipiamus auditu. Præter alias enim veritatis locutiones, quibus Manichæorum confutatur impietas, hac apertiſſime ſententia totum ſacrilegæ falſitatis dogma proſternitur. Nam ut magnum quemdam atque ſublimem viderentur ſequi authorem, in magiſtro ſuo Manichæo apparuiſſe Spiritum ſanctum crediderunt, promiſſumque a Domino Paracletum non prius veniſſe, quam hic infelicium deceptor oriretur, in quo ita Spiritus S. manſerit, ut non aliud fuerit Manichæus ipſe, quam ſpiritus, qui per miniſterium corporeæ vocis & linguæ diſcipulos ſuos in omnem induceret veritatem, & nunquam cognita præteritorum ſecreta ſæculorum reſeraret. Quod quam ſit ridiculum quamque vanum, tæderet oſtendere, niſi adhuc quoſdam non puderet hoc credere. Manichæus ergo magiſter falſitatis diabolicæ, & conditor ſuperſtitionis obſcœnæ, eo tempore damnandus innotuit, quo poſt reſurrectionem Domini ducenteſimus & ſexageſimus annus impletus eſt, Probo Imperatore, Paulinoque Conſule, cum octava jam in Chriſtianos perſecutio ebulliret, & innumera Martyrum millia ipſis ſuis victoriis probaviſſent impletum eſſe Matth. 16. quod Dominus promiſerat, dicens: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Non ergo potuit promiſſio Domini tanta per ætatum intervalla differri, nec ille Spiritus veritatis, quem mundus non accepit impiorum, ita ſeptiformem illam donorum ſuorum continuit largitatem, ut tot Eccleſiæ generationes, ſapientia, & intellectu, conſilio & fortitudine, ſcientia & pietate, atque ipſo Dei timore fraudaret, donec prodigioſus turpium mendaciorum ſignifer naſceretur, cui nec hoc quidem tribui poteſt, quod vel exiguam divinæ inſpirationis acceperit portionem: quoniam & hic de illa mundi extitit parte, quæ non poteſt ſpiritum veritatis accipere. Repletus enim ſpiritu diaboli, Spiritui reſiſtit Chriſti: & cum Sanctis Dei hoc Paracleti doctrina contulerit, ut futura prædicerent, hic ne falſitatis ejus ipſe rerum proceſſus argueret, ridendarum impudentiam fabularum in præteritas retorſit ætates. Et quaſi nos nihil de ſempiternitate creatoris, nihil de ordine creaturæ in univerſum mundum bene lex ſancta & divinitus inſpirata prophetia docuiſſet, in contumeliam Dei, & in omnium injuriam naturarum, inexplicabilium mendaciorum monſtra contexuit. Quibus tandem ſua inſinuaturus inſanias, niſi multum inceſtis & nimium a lumine veritatis averſis, qui ſive per ignorantiæ cæcitatem, ſive per turpitudinis appetitum, ad illa non ſacra, ſed execramenta perveniunt? Quæ propter communem verecundiam non ſunt noſtro ſermone promenda: cum jam abundantiſſime ipſorum ſint confectione patefacta. Nulli ergo veſtrum, dilectiſſimi, ſuadeatur, quod tantæ impietatis authorem Spiritus ſanctus aliqua ex parte dignatus ſit. Nihil ad iſtum prorſus de illa virtute pervenit, quam Eccleſiæ ſuæ Chriſtus & promiſit, & miſit. Dicente enim Joanne, *Spiritus nondum erat datus, quia Jeſus nondum fuerat clarificatus,* Domini aſcenſio dandi Spiritus fuit ratio, quem ille neceſſe eſt ut neget datum, qui ad conſeſſum paternæ dexteræ verum in Chriſto hominem negat eſſe provectum. Nos autem, dilectiſſimi, ad beatam æternitatem & animæ & carnis per regenerationem ſancti Spiritus adoptati, ſacratiſſimi iſtius feſti diem, rationabili obſequio, & caſta lætitia celebremus, confitentes cum beato Paulo Apoſtolo, quod Dominus Jeſus Chriſtus aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus: ut evangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicetur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Ad præſentem autem ſolemnitatem etiam iſta nobis eſt aſſumenda devotio, ut jejunium, quod ex Apoſtolica traditione ſubſequitur, ſancta obſervantia celebremus, quia & hoc inter maxima ſancti Spiritus dona numerandum eſt, quod nobis adverſum illecebras carnis & inſidias diaboli, & jejuniorum ſunt collata præſidia: quibus omnes tentationes, Deo adjuvante, vincamus. Quarta igitur & ſexta feria jejunemus, Sabbato autem apud beatum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, patrocinante eodem orationibus noſtris: ut in omnibus miſericordiam Dei obtinere mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum viventem & regnantem cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Marginal notes: * proficientes — Manicheorum impietas. — Manicheus quo tempore extiterit. — Spiritus ſancti dona ſeptem. — Cap. VII. — Joan. 7. — Pſal. 67. Epheſ. 4. Philip. 2. — Cap. VIII. Jejunium Apoſtolicæ eſt traditionis per Spiritum ſanctum. — Sanctorum patrocinium.

SERMO III.

De Pentecoſte.

Quod opera Trinitatis ſint indiviſa, & de cauſa incarnationis, & qualitate perſonarum.

Cap. I. Hodiernam, dilectiſſimi, feſtivitatem toto terrarum orbe venerabilem ille ſancti Spiritus conſecravit adventus, qui poſt Reſurrectionem Do-

Act. 2. Luc. 24. Act. 1.

Domini quinquageſimo die in Apoſtolos populumque credentium, ſicut ſperabatur, influxit. Sperabatur autem, quia illum Dominus Jeſus promiſerat adfuturum, non ut tunc primatum eſſe ſanctorum habitator inciperet, ſed ut ſacrata ſibi pectora & ferventius accenderet, & copioſius inundare; cumulans ſua dona, non inchoans; nec ideo

Divina Trinitatis opera indiviſa.

novus opere, quia ditior largitate. Nunquam enim ab omnipotentia Patris, & Filii, & Spiritus ſancti eſt diſcreta majeſtas: & quicquid in diſpoſitione omnium rerum agit divina moderatio, ex totius venit providentia Trinitatis. Una eſt ibi benignitas mi-

Cap. II.

ſericordiæ, una cenſura juſtitiæ; nec aliquid eſt in actione diviſum, ubi nihil eſt in voluntate diverſum. Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus ſanctus. Cumque alia ſit perſona miſſi, alia mittentis, alia promittentis, ſimul nobis & unitas manifeſtatur & Trinitas: ut eſſentia habens æqualitatem, & non recipiens ſolitudinem, & ejuſdem ſubſtantiæ, & non ajuſdem intelligatur eſſe perſonæ. Quod ergo ſalva cooperatione inſeparabilis Deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam proprie Spiritus ſanctus exequitur: noſtræ

Gal. 1.

diſpoſitio redemptionis, noſtræ ſalutis eſt ratio. Si enim homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, in ſuæ honore naturæ manſiſſet, nec diaboli fraude deceptus a lege ſibi poſita per concupiſcentiam deviaſſet, creator mundi creatura non fieret: neque aut ſempiternus temporalitatem ſubiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus, formam ſervi & ſi-

Sapien. 2.

militudinem carnis peccati aſſumeret. Sed quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, & aliter ſolvi captivitas humana non potuit, niſi cauſam noſtram ipſe ſuſciperet, qui ſine majeſtatis ſuæ damno & verus homo fieret, & ſolus peccati contagium non haberet: diviſit ſibi opus noſtræ reparatinois miſericordia Trinitatis: ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus ſanctus igniret. Oportebat enim ut aliquid etiam ſalvandi pro ſe agerent, & converſis ad Redemptorem cordibus, ab inimici dominatione deſciſcerent. Quoniam,

Gal. 4.

ſicut Apoſtolus ait: *Miſit Deus ſpiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem: Abba Pater.* Ubi autem Spi-

2. Cor. 3. 1. Cor. 11. Cap. III.

ritus Domini, ibi libertas. Et nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu ſancto. Si ergo duce gratia, dilectiſſimi, fideliter ſapienterque noſcamus, quid Patri, quid Filio, quid Spiritui ſancto in reparatione noſtra proprium quidve commune ſit; eaque pro nobis humiliter & corporaliter geſta ſunt, ita proculdubio ſuſcipiemus, ut nihil indignum de una atque eadem Trinitatis gloria ſentiamus. Quamvis enim nulla mens ad cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua ſufficiat, tamen quantumcumque illud eſt, quod humano intellectu de eſſentia paternæ deitatis attingitur, niſi unum atque idem eſt, cum vel de unigenito ejus, vel de Spiritu ſancto cogitatur, non pie ſapitur, ſed nimis carnaliter caligatur, & ipſum quod de Patre congruenter ſentiri videbatur, amittitur: quia a tota Trinitate receditur, ſi in ea unitas non tenetur. Nulla autem ratione vere eſt unum, quod aliqua

Cap. IV. De S. Trinitate quid ſit cogitandum.

eſt inæqualitate diverſum. Quum igitur ad conſitendum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum aciem mentis intendimus: procul ab animo formas viſibilium rerum & ætates temporalium naturarum, procul corporea locorum, & loca corporum repellamus. Diſcedat a corde, quod ſpatio extenditur, quod fine concluditur, & quicquid nec ſemper ubique, nec totum eſt. Cogitatio de deitate Trinitatis concepta, nihil per diſtantiam intelligat, nihil per gradus quærat. At ſi quid dignum de Deo ſenſerit, nulli hoc ibi audeat negare perſonæ, tanquam honorificentius Patri adſcribat, quod Filio Spirituique non tribuat. Non eſt pietas unigenito præferre genitorem. Filii contumelia, Patris eſt injuria: quod uni demitur, utrique detrahitur. Nam cum illis & ſempiternitas ſit communis & deitas, nec omnipotens Pater, nec incommutabilis æſtimatur, ſi aut minorem ſe genuit, aut quem non habuit, habendo profecit. Dicit quidem Dominus Jeſus Diſcipulis Cap. V.

ſuis, ſicut Evangelica lectione recitatum eſt: *Si di-* Joan. 14.

ligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, quia Pater major me eſt. Sed hoc illæ aures, quæ ſæpius audierunt: *Ego & Pater unum ſumus*, &, *Qui* Joan. 10.

me videt, videt & Patrem, ſine deitatis accipiunt dif- Joan. 14.

ferentia, nec hoc de illa eſſentia intelligunt, quam ſempiternam cum Patre & ejuſdem naturæ noverunt eſſe firma ratione. Commendatur ergo etiam ſanctis Apoſtolis incarnatione Verbi Dominici humana provectio, & qui denunciato ſibi Domini turbabantur abſceſſu, ad æterna gaudia honoris ſui in- Ibidem.

citantur augmento. Si diligeretis me, inquit, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, hoc eſt, ſi perfecta ſcientia videretis, quid vobis gloriæ confertur per hoc, quod ex Deo Patre genitus, etiam ex homine matre ſum natus, quod Dominus æternorum, unus volui eſſe mortalium, quod viſibilem me inviſibilis præbui, quod formam ſervi in forma Dei ſempiternus accepi: gauderetis, quia vado ad Patrem. Vobis enim præſtatur hæc aſcenſio, & ſuper omnes cœlos ad Patris dexteram collocanda veſtra in me humilitas elevatur. Ego autem qui hoc ſum cum Patre, quod Pater eſt individuus; cum genitore permaneo, & ſic ab illo, ad vos veniens, non recedo, quemadmodum & vos ad illum rediens non relinquo. Gaudete ergo quia vado ad Patrem, qui Pater major me eſt. Univi enim vos mihi, & factus ſum filius hominis: ut vos Filii Dei eſſe poſſitis. Unde licet unus in utroque ſim, tamen quo vobis conformor, Patre ſum minor. Quo autem a Patre non dividor, etiam me ipſo ſum major. Natura itaque, quæ minor eſt Patre, vadit ad Patrem, ut ibi ſit caro, ubi ſemper eſt Verbum: & una Eccleſiæ Catholicæ fides quem ſecundum humanitatem non diffitetur minorem, ſecundum deitatem credat æqualem.

Contemnatur igitur, dilectiſſimi, vana & cæca Cap. VI.

verſutia hæreticæ impietatis, quæ ſibi hujus * ſcien- * *ſententiæ*.

tiæ ſæva interpretatione blanditur, ac dicente Domino: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*, non intelli- Joan. 15.

git ſe Patri demere, quicquid Filio audet negare. Et ita in his, quæ humana ſunt, deſipit, ut putet quod ideo unigenito paterna defuerint, quia noſtra ſuſcepit. Non minuit in Deo miſericordia poteſtatem, nec delata reconciliatio creaturæ, ſempiternæ defectus eſt gloriæ. Quæ habet Pater, habet Filius, & quæ habet Pater Filius, habet & Spiritus ſanctus: quia tota ſimul Trinitas eſt unus Deus. Hanc autem fidem terrena ſapientia non reperit, nec opinio humana perſuaſit, ſed ipſe unigenitus Filius docuit, ipſe Spiritus ſanctus inſtituit, de quo nihil eſt aliter, quam de Patre & Filio ſentiendum. Quia licet non ſit Pater, non ſit Filius, non tamen eſt a Patre Filioque diviſus, & ſicut propriam habet in Trinitate perſonam, ita unam habet in Patris & Filii deitate ſubſtantiam, omnia implentem, omnia continentem, & cum Patre & Filio univerſa moderantem, per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

SER-

SERMO PRIMUS.

De Jejunio Pentecoſtes.

De abſtinentia ac carnis afflictione, & neminem in hac vita eſſe ſecurum.

Cap. I. HOdiernam, dilectiſſimi, feſtivitatem deſcenſione ſancti Spiritos conſecratam ſequitur, ut noſtis, ſolemne jejunium, quod enimis corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutum, devota nobis eſt obſervantia celebrandum. Repletis namque Apoſtolis virtute promiſſa, & in corde eorum Spiritu veritatis ingreſſo, non ambigimus inter cætera cæleſtis ſacramenta doctrinæ, hanc ſpiritalis continentiæ diſciplinam de Paracleti magiſterio primitus fuiſſe conceptam: ut ſanctificatæ jejunio mentes conferendis ſibi chariſmatibus fierent aptiores. Aderat quippe Chriſti diſcipulis protectio omnipotentis euxilii, & principibus naſcentis Eccleſiæ tota Patris Filiique divinitas in præſentia ſancti Spiritus præſidebat. Sed contra inſtantes impetus perſequentium, contra minaces fremitus impiorum, non corporis fortitudine, nec carnis erat ſaturitate certandum: cum hoc maxime hominis interiora corrumpat, quod exteriora delectat; & tanto fiat rationalis anima purgatior, quanto fuerit ſubſtantia carnis afflictior.

Eccleſiæ jejunie auctore Spiritui ſancto inſtitutæ.

Cap. II. Hi itaque doctores, qui exemplis & traditionibus ſuis omnes Eccleſiæ filios imbuerunt, tyrocinium militiæ Chriſtienæ ſanctis jejuniis inchoarunt; ut contra ſpiritales nequitias pugnaturi, ebſtinentiæ arma raperent, quibus vitiorum incentiva truncarent. Inviſibile enim edverſarii, & incorporales hoſtes non erunt contra nos validi: ſi nullis carnalibus deſideriis fuerimus immerſi. Cupiditas quidem nocendi in tentetore perpetua eſt, ſed inermis atque inefficax erit, ſi nihil in nobis unde contra nos pugnet, invenerit. Quis autem hac fragili carne circumdatus, & in iſto mortis corpore conſtitutus, etiam qui multum valideque profecerit, ita jam de ſua ſalute ſecurus ſit, ut eb omni ſe illecebrarum periculo credat alienum? Donet licet Sanctis ſuis quotidianam gratie divina victoriam: non aufert tamen dimicandi materiam. Quia & hoc ipſum de miſericordia protegentis eſt, qui naturæ mutabili, ne de confecto prælio ſuperbiret, ſemper voluit ſupereſſe quod vinceret. Igitur poſt ſanctæ dies lætitiæ, quos in honorem Domini a mortuis reſurgentis, ac deinde in cœlos aſcendentis, exegimus, poſtque perceptum ſancti Spiritus donum, ſalubriter & neceſſarie conſuetudo eſt ordinata jejunii: ut ſi quod forte inter ipſa feſtivitatum gaudia, negligens libertas & licentia inordinata præſumpſit, hoc religioſæ abſtinentiæ cenſura caſtiget. Quæ ob hoc quoque ſtudioſius exequenda eſt, ut illa in nobis, quæ hac die Eccleſiæ divinitus ſunt collata, permaneant. Templum enim facti Spiritus ſancti, & majore quam unquam copia divini fluminis irrigati, nullis debemus concupiſcentiis vinci, nullis vitiis poſſideri, ut virtutis habitaculum nulla ſit contaminatione pollutum.

Cap. III. Jejunia ſalubriter inſtituta.

Cap. IV. Quod utique regente atque adjuvante Domino omnibus obtinere poſſibile eſt: ſi per jejunii purificationem, ac per miſericordiæ largitatem ſtudeamus & peccatorum ſordibus liberari, & charitatis fructibus eſſe fœcundi. Quicquid enim in cibos pauperum, in curationes debilium, in pretia captivorum, in quælibet opera pietatis impenditur, non minuitur, ſed augetur: nec unquam apud Deum perire poterit, quod fidelis benignitas erogavit, dum quodcunque tribuit ad ſubſidium, id ſibi recondit ad præmium. Beati enim miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus: neque delictorum memoria erit, ubi teſtimonium pietatis adfuerit. Quarta igitur & ſexta Feria jejunemus: Sabbato autem apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum vigilias celebremos: cujus nos orationibus, & a ſpiritalibus ioimicis & a corporeis hoſtibus confidimus liberari. Per Domioum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Matt. 5.

SERMO II.

De Jejunio Pentecoſtes.

De Jejunio Chriſtianorum, Judaorum, Hæreticorum, & Paganorum.

Cap. I. DUbitandum non eſt, dilectiſſimi, omnem obſervantiam Chriſtianam, eruditionis eſſe divinæ & quicquid ab Eccleſia io conſuetudinem eſt devotionis receptum, de traditione Apoſtolica, & de ſancti Spiritus prodire doctrina: qui ounc quoque cordibus fidelium ſuis præſidet inſtitutis, ot ea omnes & obedienter cuſtodiant, & ſapienter intelligant. Nam cum in die Pentecoſtes, quem a Paſcha Domini quinquageſimum celebramus, promiſſus a Domino Spiritus ſanctus expectantium mentes majori quam unquam copia & clariore præſentia ſuæ majeſtatis impleverit: manifeſtiſſime Pater inter cætera Dei munera, jejuniorum quoque gratiam, quæ hodiernam feſtivitatem indiviſa ſubſequitur, tunc fuiſſe donatam: ut ſicut fuit concupiſcentia initium peccatorum, ita ſit continentia origo virtutum.

Traditionis Apoſtolicæ authoritas.

Jejunia Deo authore inſtitute.

Cap. II. In exercendo eutem hoc Dei munere, non ideo ſegniores eſſe debemus, quia & Judæi & hæretici ſæpe eb edendi libertate ſe continent, & apud ipſos paganos ſunt quædam vana jejunia. Aliud enim egit ſub veritate ratio, aliud ſub falſitate deceptio. Apud nos fides etiam ſanctificat manducentem, apud illos infidelitas polluit jejunantem. Unde quia extra Eccleſiam Catholicam nihil eſt integrum, nihil caſtum, dicente Apoſtolo, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: cum diviſis ab unitate corporis Chriſti nulla ſimilitudine comparamur, nulla communione miſcemur, quod utique nobis ſaluberrimum meximumque jejunium eſt. Ad virtutem enim continentiæ oihil prius pertinet, quam ab erroribus abſtinere: quia tunc demum bene ambulatur, cum per viam veritatis inceditur. Nam quia anguſta & ardua declinantes, proclivia & lata ſectando, cito in perditionem deveniunt, melior eſt gradus lentior per iter rectum, quam velocitas feſtina per devium.

Joan. 14.

Cap. III. Agnoſcat ergo Catholicus Chriſtianus ſanctitatem jejunii ſui, quod etiam inter maximas largitates ſteriliſſimum erit, niſi de ſancti Spiritus rigatione proceſſerit. Cum enim dicat Apoſtolus, nullas ſibi virtutes ſine charitate prodeſſe, idemque dicat, charitatem Dei diffuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: cavendum eſt ne bona quæ facere ſine bonitate non poſſumus, elatione perdamus. Nam omni ſe merito laude diſpoliat, qui de ſtudiis induſtriæ ſuæ in ſe magis quam in Domino gloriatur: cum beatus David doceat in Sanctorum operibus Deum eſſe laudandum dicens; *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſua*. Et iterum: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine*

1. Cor. 13. Rom. 5.

1. Cor. 1. 1. Cor. 10. Hier. 9. Pſal. 67. Pſalm. 89.

ne tuo exultabunt tota die, & in juſtitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es. Et ideo, dilectiſſimi, ſecundum eruditionem Spiritus ſancti, per quem Eccleſiæ Dei omnium virtutum collata ſunt dona, ſuſcipiamus alacri fide ſolemne jejunium: & in mandatis, quæ poterimus efficere, contineamus nos ab inflatione jactantiæ, ad Dei gloriam cuncta referentes, qui & bonarum eſt inſpirator voluntatum, & bonarum eſt author actionum, dicente Domino: *Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & magnificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Qui vivit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Cap. IV. — Matt. 5.

SERMO III.

De Jejunio Pentecoſtes.

De utilitate Jejunii & Eleemoſynarum.

Cap. I.

SAnctarum ſolemnitatum, dilectiſſimi, ordine celebrato, & ſpiritalis lætitiæ devotione completa, oportet nos ad ſalubritatem recurrere parcitatis, remediumque jejunii & exercendis mentibus & caſtigandis adhibere corporibus; ut quia nos ſatis de hoc & divina monita & propria experimenta docuerunt, primum per ſacratiſſimorum dierum recurſum divinæ pietati gratias referamus, cum ſanctas continentiæ delicias apparantes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia ſubtrahamus, ita proficiat eleemoſynis, quod non impenditur menſis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina jejunii: cum abſtinentia jejunantis eſuriem reficit indigentis. Quia ergo ſcimus apud miſericordem Deum jejuniis præcellere eleemoſynæ largitatem, dicente ipſo Domino: *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis*: ſi animas noſtras a peccatorum ſordibus cupimus emundari, eleemoſynam pauperibus non negemus, ut in die retributionis ad promerendam Dei miſericordiam, miſericordiæ operibus adjuvemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Eleemoſynæ præſtant jejunio. — Luc. 11.

SERMO IV.

De Jejunio Pentecoſtes.

De laude abſtinentiæ & carnis caſtigatione.

Cap. I.

INter omnia, dilectiſſimi, Apoſtolicæ inſtituta doctrinæ, quæ ex divinæ inſtitutionis ſonte manarunt, dubium non eſt, influente in Eccleſiæ principes Spiritu ſancto, hanc primum ab eis obſervantiam fuiſſe conceptam, ut ſancti obſervatione jejunii, omnium virtutum regulas inchoarent; quia multum ad præcepta Dei exequenda prodeſt, ſi Chriſtiana militia contra incentiva omnia vitiorum, continentiæ ſe ſanctificatione muniret. Cum enim per illecebram cibi irrepſerit prima cauſa peccati: quo ſalubriore Dei munere utitur redempta libertas, quam ut noverit abſtinere a conceſſis, quæ frænare ſe neſcivit a vetitis? Omnis quidem creatura Dei bona eſt, & nihil eſt abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sed non ad hoc creati ſumus, ut fœda & impudenti aviditate omnes mundi copias expetamus, tanquam quod licet ſumi, oon liceat prætermitti. Laudetur Deus, qui hominum uſui tam multa donavit; ſed agnoſcat rationalis animus majores delicias menti datas eſſe, quam carni. Et cum audit ſibi per Spiritum ſanctum dici, *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere*, intelligat ſibi contra omnia, quæ ſenſibus corporeis blandiuntur, temperantiæ ſectandam eſſe virtutem, per quam dum exterioris hominis voluptas minuitur, ſapientia interioris augetur. Non enim idem vigor cordis eſt ſub onere cibi qui ſub levitate jejunii, nec eundem ſenſum poteſt ſatietas generare, quem parcitas. Quia cum caro concupiſcens adverſus ſpiritum, ſpiritali cupiditate ſuperatur, libera obtinetur ſanitas, & ſana libertas, ut & caro mentis judicio, & mens Dei regatur auxilio. Ad hanc ergo utilitatem nos, dilectiſſimi, præſens tempus invitat; ut a reſurrectione Domini uſque ad adventum Spiritus ſancti quinquaginta diebus emenſis, quos in lætitia præcipuæ feſtivitatis exegimus, ad jejuniorum remedia recurramus: ne forte per occaſionem licentiæ blandioris, aliquas negligentiæ culpas delectabilium uſus indiderit. Terra enim carnis noſtræ niſi aſſiduis fuerit ſubacta culturis, cito de ſegni otio ſpinas tribuloſque producit, & partu degeneri dabit fructum non horreis inferendum, ſed ignibus concremandum, dicente Domino: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Cuſtodienda igitur nobis omnium germinum ſeminumque generoſitas, quam ex ſummi agricolæ plantatione concepimus, & vigili ſollicitudine providendum, ne Dei munera aliqua invidentis inimici fraude violentur, & in paradiſo virtutum conſcerat ſilva vitiorum. Ad declinandum autem hoc malum, nihil eſt potentius eleemoſynis atque jejuniis; dum & carnales cupiditates continentia necat, & deſideriorum ſpiritalium fructus miſericordiæ cura multiplicat. Unde charitatem veſtram ſolemniter admonemus, ut per caſtigationem corporis & per opera pietatis, mundari ab omnium peccatorum ſorde cupientes, quarta & ſexta Feria jejunemus: Sabbato autem apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus: Cujus meritis & orationibus, ita nos per omnia credimus adjuvandos, ut miſericordia Dei & jejuniis noſtris adſit & votis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Jejuniorum quantavis. — 1. Tim. 6. — Cap. II. — Eccl. 18. — Galat. 5. — Cap. III. — Caro noſtra jugiter caſtiganda. — Matt. 5. — Cap. IV. — Sanctorum meritis & orationibus adjuvamur.

SERMO PRIMUS.

In natali Apoſtolorum Petri & Pauli.

De dignitate urbis Romæ, quam conſequuta eſt per Apoſtolos Petrum & Paulum, de imperio, ſuperſtitione & fide ejuſdem, denique de Neronis furore ac perſecutione.

Cap. I.

OMnium quidem ſanctarum ſolemnitatum, dilectiſſimi, totus mundus eſt particeps, & unius Fidei pietas exigit, ut quicquid pro ſalute univerſorum geſtum recolitur, communibus ubique gaudiis celebretur. Verumtameo hodierna feſtivitas præter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, ſpeciali & propria noſtræ urbis exultatione veneranda eſt: ut ubi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus, ibi in die Martyrii eorum ſit lætitiæ principatus. Iſti enim ſunt viri, per quos tibi Evangelium Chriſti, Roma, reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui verique paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam multo melius multoque felicius condiderunt, quam illi quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdavit. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam pro-

Romæ quid contulerint Petrus & Paulus.

1. Petr. 2. provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civi-
tas ſacerdotalis & regia, per ſacram beati Petri Se-
dem caput orbi effecta, latius præſideres religione
divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim
multis aucta victoris, jus imperii tui terra marique
protuleris: minus tamen eſt, quod tibi bellicus la-
bor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubjecit.
Cap. II. Deus namque bonus, & juſtus, & omnipotens, qui
miſericordiam ſuam humano generi nunquam ne-
gavit, omneſque in communi mortales ad cogni-
tionem ſui abundantiſſimis ſemper beneficiis eru-
divit, voluntariam errantium cæcitatem, & procli-
vem in deteriora nequitiam, ſecretiori conſilio &
altiori pietate miſeratus eſt, mittendo Verbum ſuum
æquale ſibi atque coæternum. Verbum igitur caro
factum ita divinam naturam naturæ univit huma-
næ, ut illius ad infirma inclinatio, noſtræ fieret ad
ſumma provectio. Ut autem hujus inenarrabilis
gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus;
Romanum regnum divina providentia præparavit,
cujus ad eos limites incrementa perducta ſunt,
quibus cunctarum undique gentium vicina & con-
tigua eſſet univerſitas. Diſpoſito namque divini-
tus operi maxime congruebat, ut multa regna uno
confœderarentur imperio, & cito pervios haberet
populos prædicatio generalis, quos unius teneret
regimen civitatis. Hæc autem civitas ignorans ſuæ
provectionis authorem, cum pene omnibus domina-
retur gentibus, omnium gentium ſerviebat errori-
bus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religio-
nem, qui nullam reſpuebat falſitatem. Unde quan-
tum erat per diabolum tenacius illigata, tantum
Cap. III. per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta. Nam cum
duodecim Apoſtoli, accepta per Spiritum ſanctum
Act. 2. omnium locutione linguarum, imbuendum Evan-
gelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus,
ſuſcepiſſent: Beatiſſimus Petrus princeps Apoſtoli-
ci ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperii: ut
lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur
ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mun-
Romano- di corpus effunderet. Cujus autem nationis homi-
rum ſuper- nes in hac tunc urbe non eſſent? aut quæ uſquam
ſtitio. gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hic con-
culcandæ philoſophiæ opiniones, hic diluendæ
erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confutandi
ſacrificio- dæmonum cultus, hinc omnium * ſacrilegiorum im-
rum. pietas deſtruenda, ubi diligentiſſima ſuperſtitione
habebatur collectum, quidquid uſquam fuerat va-
Cap. IV. nis erroribus inſtitutum. Ad hanc ergo urbem
tu, beatiſſime Petre Apoſtole, venire non metuis, &
conſorte gloriæ tuæ Paulo Apoſtolo, aliarum adhuc
Eccleſiarum ordinationibus occupato, ſilvam iſtam
frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profun-
ditatis oceanum, conſtantior quam cum ſupra mare
gradereris ingrederis. Nec mundi dominam timet
Romam, qui in Caiphæ domo expaveras ſacerdo-
Matth. 24. tis ancillam. Nunquid aut judicio Pilati, aut ſævi-
Matth. 6. tia Judæorum minor erat vel in Claudio poteſtas,
vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam
formidinis, vis amoris: nec æſtimabas terrori ceden-
dum, dum horum ſaluti conſulis, quos ſuſceperas
alendos. * diligendos. Hunc autem intrepidæ charitatis affe-
ctum jam tunc profecto conceperas, quando pro-
Joan. 12. feſſio tui amoris in Dominum trinæ interrogatio-
nis eſt ſolidata myſterio. Nec aliud ab hac mentis
tuæ intentione quæſitum eſt quam ut paſcendis ejus
quem diligeres ovibus, cibum quo ipſe eras opima-
Cap. V. tus impenderes. Augebant quoque fiduciam tuam
tot ſigna miraculorum, tot dona chariſmatum at-
Act. 1. que experimenta virtutum. Jam populos, qui ex cir-
cumciſione crediderant, erudieras. Jam Antioche-
nam Eccleſiam, ubi primum Chriſtiani nominis di-
gnitas eſt orta, fundaveras. Jam Pontum, Galatiam,
Cappadociam, Aſiam, atque Bythiniam legibus
Evangelicæ prædicationis impleveras: nec aut
dubius de provectu operis, aut de ſpatio tuæ
ignarus ætatis, trophæum Crucis Chriſti Romanis
arcibus inferebas, quo te divinis præordinationi-
bus anteibant & honor poteſtati & gloria paſſio-
nis. Ad quam beatus coapoſtolus tuus, vas electio- Cap. VI.
nis, & ſpecialis magiſter gentium Paulus occurrens, Actor. 9.
eodem tibi conſociatus eſt tempore, quo jam omnis 2. Tim. 2.
innocentia, omnis pudor, omniſque libertas, ſub Nero pri-
Neronis laborabat imperio. Cujus furor, per om- mus per-
nium vitiorum inflammatus exceſſum, in hunc eum ſecutor
uſque torrentem ſuæ præcipitavit inſaniæ, ut pri- Chriſtia-
mus nomini Chriſtiano atrocitatem generalis per- norum.
ſecutionis inferret, quaſi per Sanctorum neces gra-
tia Dei poſſet extingui: cujus hoc ipſum erat maxi-
mum lucrum, ut contemptus vitæ hujus occiduæ,
perceptio fieret felicitatis æternæ. Pretioſa ergo in
conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Nec ullo Pſalm. 115.
crudelitatis genere deſtrui poteſt ſacramento Cru-
cis Chriſti fundata religio. Non minuitur perſe-
cutionibus Eccleſia, ſed augetur: & ſemper do-
minicus ager ſegete ditiori veſtitur, dum grana, quæ
ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur. Unde quo
iſta præclara divini ſeminis germina, in quantam
ſobolem germinarint, beatorum millia Martyrum
proteſtantur: qui Apoſtolicorum æmuli triumpho-
rum, urbem noſtram purpuratis & longe lateque ru-
tilantibus populis ambierunt, & quaſi multarum
honore gemmarum conſerto uno diademate coro-
narunt. De quorum præſidio, dilectiſſimi, divinitus Cap. VII.
nobis ad exemplum patientiæ & confirmationem
fidei præparatio, univerſaliter quidem in omnium
Sanctorum commemoratione lætandum eſt, ſed in
horum excellentia patrum merito eſt * excellentius *exultan-*
gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem in- *tius.*
ter omnia Eccleſiæ membra provexit: ut eos in cor- Epheſ. 1.
pore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſti-
tuerit lumen oculorum. De quorum meritis atque
virtutibus, quæ omnem loquendi ſuperant faculta-
tem, nihil diverſum, nihil debemus ſentire diſcre-
tum: quia illos electio pares, & labor ſimiles, & fi-
nis fecit æquales. Sicut autem & nos experti ſumus,
& noſtri probavere majores, credimus atque confidi-
mus, inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam
miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patrono-
rum orationibus adjuvandos: ut quantum propriis
peccatis deprimimur, tantum Apoſtolicis meritis eri-
gamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cui Interceſſio
eſt cum Patre & ſancto Spiritu eadem poteſtas, una Sancto-
divinitas in ſæcula ſæculorum, Amen. rum.

SERMO II.

In natali Apoſtolorum Petri & Pauli.

*De Petri fide ac confeſſione, ſuper quam ædifica-
ta eſt Eccleſia.*

EXultemus in Domino, dilectiſſimi, & ſpiritali Cap. I.
jucunditate lætemur; quia unigenitus Dei Pa-
tris Filius, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ad inſi-
nuanda nobis ſuæ diſpenſationis & divinitatis my-
ſteria, Apoſtolici ordinis primum beatum Petrum Petrus A-
huic civitati dignatus eſt prærogare, cujus hodierna poſtolo-
ſolemnitas, recurrente triumpho martirii, ſpecimen rum pri-
& decus contulit orbi terrarum. Hoc enim obti- mus.
nuit, dilectiſſimi, illa confuſio, quæ a Deo patre
in-

Digitized by Google

Matth. 16.

inſpirata, Apoſtolico cordi omnium humanarum opinionum incerta tranſcendit, & firmitatem Petræ quæ nullis impulſionibus quateretur, accepit: Evangelica ſiquidem referente hiſtoria, omnes Apoſtolos Dominus quid de ſe homines opinentur interrogat. Et tamdiu ſermo reſpondentium communis eſt, quam diu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur.

Petri confeſſio.

At ubi quid habeat diſcipulorum ſenſus, exigitur, ille primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate. Qui cum dixiſſet: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, reſpondit ei Jeſus, *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec opinio te terrena fefellit, ſed inſpiratio cœleſtis inſtruxit: & non caro & ſanguis; ſed ille me tibi, cujus ſum unigenitus, indicavit. Et ego, inquit, dico tibi, hoc eſt, ſicut Pater meus tibi manifeſtavit divinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam.

Epheſ. 2.

Quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Supra hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Eccleſiæ meæ cœlo inferenda ſublimitas, in hujus fidei firmitate conſurget.

Cap. 11. Petrus petra, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia. Eccleſ. 1.

Hanc confeſſionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim iſta, vox vitæ eſt, & ſicut Confeſſores ſuos in cœleſtia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beato Petro Apoſtolo: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Tranſivit quidem in Apoſtolos alios vis iſtius poteſtatis, ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ſingulariter hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur.

Petri privilegium.

Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipſius fertur æquitate judicium, nec nimia eſt vel ſeveritas, vel remiſſio, ubi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod Petrus aut ligaverit, aut ſolverit. Inſtante autem Paſſione ſua Dominus, quæ Diſcipulorum ſuorum erat turbatura conſtantiam: *Simon*, inquit,

Luc. 22.

Simon, ecce Satanas expoſtulavit, ut vos cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos, ne intrent in tentationem. Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis a Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro Petri fide proprie ſupplicatur: tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Nam & poſt Reſurrectionem ſuam Dominus beato

Joan. 21. Petrus ut etiam nunc paſcat Eccleſiam.

Petro Apoſtolo poſt regni claves, ad trinam æterni amoris profeſſionem, myſtica inſinuatione ter dixit: *Paſce oves meas*: quod & nunc procul dubio facit, & mandatum Domini pius paſtor exequitur, confirmans nos exhortationibus, & pro nobis orare non ceſſans, ut nulla tentatione ſuperemur. Si autem hanc pietatis ſuæ curam populo Dei, ſicut credendum eſt, ubique protendit: quanto magis alumnis ſuis opem ſuam dignatur impendere, apud quos in ſacro dormitionis thoro eadem qua præcedit carne requieſcit? Cum itaque, dilectiſſimi, tale nobis videamus præſidium divinitus inſtitutum, rationabiliter & juſte in ducis noſtri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes ſempiterno Regi & Redemptori noſtro Jeſu Chriſto, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit: ad gloriam & laudem nominis ſui: Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſeculorum, Amen.

Petrus totius Eccleſiæ Princeps.

SERMO IN OCTAVA

Apoſtolorum Petri & Pauli.

De ingratitudinis vitio, ac decem leproſis.

Cap. 1.

Religioſam devotionem, dilectiſſimi, qua ob diem caſtigationis & liberationis noſtræ, cunctus fidelium populus ad agendas Deo gratias confluebat, bene ab omnibus proxime fuiſſe neglectam, ipſa paucorum, qui adfuere, raritas demonſtravit: & cordi meo multum triſtitiæ intulit, & plurimum timoris incuſſit.

Ingratitudo quam pernicioſa. Hierem. 5.

Magnum enim periculum eſt, eſſe homines ingratos Deo: & per oblivionem beneficiorum ejus, nec de correptione compungi, nec de remiſſione lætari. Vereor igitur, dilectiſſimi, ne vox illa prophetica tales increpaſſe, videatur, quæ dicit: *Flagellaſti eos, & non doluerunt, caſtigaſti eos, & noluerunt accipere diſciplinam.* Quæ enim in eis correctio oſtenditur, in quibus tanta averſio reperitur? Pudet dicere, ſed neceſſe eſt non tacere: plus impenditur dæmoniis, quam Apoſtoli, & majorem obtinent inſana ſpectacula frequentiam, quam beata martyria. Quis hanc urbem reformavit ſaluti? quis a captivitate eruit? quis a cæde defendit? ludus Circenſium, an cura Sanctorum? quorum utique precibus divinæ cenſuræ flexa ſententia eſt, ut qui merebamur iram, ſervaremur ad veniam.

Cap. 11. Luca 17.

Tangat, obſecro, dilectiſſimi, cor veſtrum illa ſententia Salvatoris, qui cum decem leproſos miſericordiæ virtute mundaſſet, unum tantum dixit ex eis ad agendas gratias reverti ſſet: ſignificans videlicet ingratis, quod huic pietatis officio, etiamſi corporis aſſecuti ſunt ſanitatem, non tamen ſine animi impietate defuerunt. Ne ergo iſta ingratorum nota etiam vobis, dilectiſſimi, poſſit adſcribi, revertimini ad Dominum, intelligent mirabilia, quæ in nobis dignatus eſt operari, & liberationem noſtram, non ſicut opinantur impii, ſtellarum effectibus, ſed ineffabili omnipotentia Dei miſericordiæ deputantes, qui corda furentium Barbarorum mitigare dignatus eſt. Ad tanti vos beneficii memoriam toto fidei vigore conferte. Gravis negligentia majore ſatisfactione curanda eſt.

Sanctorum auxilia.

Ad emendationem noſtram utamur lenitate parcentis: ut beatus Petrus, & omnes Sancti, qui nobis in multis tribulationibus adfuerunt, obſervationes noſtras pro vobis apud miſericordem Deum juvare dignentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

SERMO IN NATIVITATE Sanctorum ſeptem fratrum Martyrum Machabæorum.

De Machabæorum feſto ac martyrio, & continuo Chriſtianorum conflictu.

Cap. I. GRatias, dilectiſſimi, agamus Domino Deo noſtro, quod quanta ſit hujus diei ſolemnitas, etiam ſi ego taceam, conventus veſter oſtendit. Tam enim conſpiranti ſtudio & devoto animo conveniſtis, ut feſtivitatis magnificentiam, etſi ſermo non indicet, congregatio tamen ipſa teſtetur. Et recte. Duplex enim cauſa lætitiæ eſt: in qua & Natalem Eccleſiæ colimus, & martyrum paſſione gaudemus. Nec immerito digne Eccleſia horum exultat martyrio, quorum ornatur exemplo. Cauſam ergo ſolemnitatis hodiernæ, dilectiſſimi, pleniſſime ſacræ hiſtoriæ lectione didiciſtis, nec latere vos potuit, quem in tanto rerum geſtarum ordine exceperitis auditum, cum glorioſam ſeptem Mฺartyrum matrem exultanti & non tacito honoraretis affectu in ſingulis quidem filiis paſſam, ſed in omnibus coronatam. Subſecuta eſt enim felici exitu, quos invicto præmiſit hortatu. Beata genitrix, beata progenies, memorabilis præcedentium fortitudo. Nam cum in illo ordine mortium, & in illa diſpoſitione pœnarum, id ſæviſſimi regis excogitaſſet impietas, ut victoriam ſibi & de primis promitteret, quos ſine tolerantiæ cruciaret exemplo, & de poſtremis, quos in ſupplicio torqueret alieno: multiplicatæ ſunt Martyrum palmæ, & dum ſinguli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquiſivere ſeptenas.

Festivitas Dedicationis Eccleſiæ & Martyrum.

Cap. II. Sed hæc ad fructuoſam recolenda ſunt aurium voluptatem. Inflat ſcientia, niſi ædificet obedientia: gravant audita, niſi ſuſcipiantur imitanda. Nec enim quia ceſſavit perſecutor & tortor, 1. Cor. 8. quia jam Deo militant poteſtates, deſunt Chriſtianis, quas ſuperent, paſſiones. *Filii*, inquit, *accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2. Et Apoſtolus dicit: *Quicumque in Chriſto pie volunt vivere, perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* 2. Tim. 3. Qui ergo putas quieviſſe perſecutionem, & nullum tibi cum hoſtibus eſſe conflictum, intimum cordis tui ſcrutare ſecretum, & omnes recurſus animæ tuæ diligens explorator ingredere: & vide ſi nulla te impugnat adverſitas, ſi nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari. Noli cum avaritia pacem firmare, & iniquiorum quæſtuum incrementa contemne. Superbiæ concordiam nega, & magis time in gloriam ſuſcipi, quam in humilitate calcari. Diſſociare ab ira, nec dolorem inflammet invidiæ cupido vindictæ. Renuncia voluptati; avertere ab immunditia, pelle luxuriam, fuge iniquitatem, omitte falſitatem: & cum videris te multiplicem habere pugnam, tu quoque imitator Martyrum numeroſam quære victoriam. Toties enim peccatis morimur, quoties in nobis peccata moriuntur, & Pſal. 115. pretioſa in conſpectu Domini etiam iſta mors Sanctorum ejus, ubi homo occiditur mundo, non terminatione ſenſuum, ſed fine vitiorum.

Conflictus Chriſtianorum.

Cap. III. 2. Cor. 6. Si ergo, chariſſimi, non ducitis cum infidelibus jugum, ſi peccatores eſſe deſiſtitis, & nullis carnalium cupiditatum tentationibus creditis, ſolemnem hanc diem celebratis, & non ſolum Martyres ac Martyrum matrem, ſed etiam illius memoriam juſto honore veneramini, qui hoc die antiquam feſtivitatem hujus loci conſecratione geminavit: Magnificus quidem ſtructor parietum, ſed magnificentior ædificator animarum, ultra ævi ſui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus inſtitutionum ejus etiam in ipſo frueretur devota poſteritas, & habitando quod condidit, & faciendo quod docuit. Cap. IV. Omnia ergo, dilectiſſimi, quæ oculis cernitis, & mente meminiſtis, ad profectum veſtræ ædificationis aſſumite: & ita unuſquiſque veſtrum præparato a majoribus utatur habitaculo, ut in ſe ipſo meminerit templum Dei eſſe fundatum. Nihil ſtructuræ ſuæ pravum, nihil ſupponat infirmum, * ſed vivis & electis lapidibus congruendo, per indiſſolubilem connexionem creſcat in Dominici corporis unitatem: Auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

* *ſed unus ex electis.*

SERMO IN FESTIVITATE S. Laurentii Martyris.

De laude atque exemplo Martyrum, & D. Laurentii Paſſione ac Triumpho.

Cap. I. CUm omnium, dilectiſſimi, ſumma virtutum, & totius plenitudo juſtitiæ, de illo amore naſcatur, quo Deus proximuſque diligitur, in nullis profecto hic amor ſublimius excellere, clariuſque fulgere, quam in beatiſſimis Martyribus invenitur: qui Domino noſtro Jeſu Chriſto pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui ſunt imitatione charitatis, quam ſimilitudine Paſſionis. Rom. 51. Quamvis enim illi dilectioni, qua Dominus nos redemit, nulla cujuſquam benignitas poſſit æquari, quia aliud eſt pro juſto mori hominem ſua neceſſitate moriturum, aliud pro impiis occumbere a debito mortis alienum: multum tamen univerſis hominibus etiam Martyres contulerunt, quorum fortitudine ita ejus largitor uſus eſt Dominus, ut pœnam mortis & atrocitatem crucis, nulli ſuorum vellet eſſe terribilem, ſed multis faceret imitabilem. Si ergo nullus bonus ſibi ſoli eſt bonus, nec cujuſquam ſapientis ſibi tantum ſapientia eſt amica, & hæc verarum natura virtutum eſt, ut multos a tenebroſo abducat errore, qui earum clarus eſt lumine, ad erudiendum Dei populum, nullorum eſt utilior forma quam Martyrum eloquentia. Facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum; validiora tamen ſunt exempla quam verba, & plenius eſt opere docere, quam voce.

Cap. II. D. Laurentii Martyris excellentia. In quo excellentiſſimo genere doctrinæ beatus Martyr Laurentius, cujus paſſione dies hodiernus illuſtris eſt, quam glorioſa polleat dignitate, etiam perſecutores ipſius ſentire potuerunt, cum illa mirabilis animi fortitudo, de Chriſti principaliter amore concepta, non ſolum ipſa non cederet, ſed etiam alios exemplo ſuæ tolerantiæ roboraret. Cum enim furor gentilium poteſtatum in electiſſima quæque Chriſti membra ſæviret, ac præcipue eos qui ordinis erant ſacerdotalis impeteret, in Levitam Laurentium, qui non ſolum * miniſterio ſacramentorum, ſed etiam diſpenſatione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præeminebat, impius perſecutor efferbuit, duplicem ſibi prædam de unius viri comprehenſione promittens: quem ſi feciſſet ſacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus: avaritia, ut rapiat aurum; impietate, ut auferat Chriſtum. Poſtulat ſibi ab immaculato ſacrarii Præſule opes Eccle-

* *in miſterio.*

ſiaſticas, quibus avidiſsimus inhiabat inferri. Cui Levita caſtiſsimus, ubi eas repoſitas haberet oſtendens, numeroſiſsimos ſanctorum pauperum obtulit greges: in quorum victu atque veſtitu inamiſsibiles condiderat facultates, quæ tanto integrius erant ſalvæ,

Cap. III.

quanto ſanctius probabantur expenſæ. Fremit ergo prædo fruſtratus, & in odium religionis, quæ talem divitiarum uſum inſtituiſſet, ardeſcens, direptionem theſauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorum ſubſtantiam reperiſſet: ut illud depoſitum, quo ſacratius erat dives, auferret. Renunciare Chriſto Laurentium jubet, & ſolidiſſimam illam Levitici animi fortitudinem diris parat urgere ſuppliciis. Quorum ubi prima nil obtinent, vehementiora ſuccedunt. Laceros artus, & multa verberum ſectione conſciſſos, ſubjecto præcipit igne torreri: ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in ſe haberet urendi, converſorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. Nihil obtines, nihil proficis, ſæva crudelitas. Subtrahitur

Cap. IV. *inventis.* *charitatis.*

*tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis. Superari *charitas Chriſti flamma non potuit: & ſegnior fuit ignis, qui foris uſsit, quam qui intus accendit. Sævisti, perſecutor, in Martyrem, ſæviſti & auxiſti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem tranſierunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicii? Gaudeamus igitur, dilectiſsimi, gaudio ſpiritali, & de feliciſsimo inclyti viri fine gloriemur in Domino,

Pſal. 67. Sanctorum præſidium & exemplum.

qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, in quibus nobis & præſidium conſtituit & exemplum: atque ita per univerſum mundum clarificavit gloriam ſuam, ut a ſolis ortu uſque ad occaſum, Leviticorum luminum coruſcante fulgore, quam clarificata eſt Hyeroſolima Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurentio.

Sanctorum orationes & patrocinia. 2. Tim. 3.

Cujus oratione & patrocinio adjuvari nos ſine ceſſatione confidimus: ut quia omnes, ſicut Apoſtolus ait, quicunque volunt in Chriſto pie vivere, perſecutionem patiuntur, corroboremur ſpiritu charitatis, & ad ſuperandas omnes tentationes, conſtantis fidei perſeverantia muniamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, viventem & regnantem cum Patre & Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO PRIMUS.

De jejunio ſeptimi menſis.

De laude abſtinentiæ & eleemoſinarum.

OBſervantiam quidem veſtram, dilectiſsimi, ita novimus eſſe devotam, ut animas veſtras non ſolum legitimis, ſed etiam voluntariis jejuniis excolatis. Veruntamen adjicenda eſt huic ſtudio etiam noſtræ admonitionis exhortatio, ut ſi qui ſunt in hoc exercitio tardiores, in his ſaltem diebus communi abſtinentiæ ſe obedienter adjungant, in quibus nos oportet ſacratiſsimam conſuetudinem attentius celebrare, ut per humilitatem jejunii, contra omnes hoſtes noſtros, divinum mereamur auxilium. Res enim eſt præcipua operis, quam & ex authoritate indicimus, & ex charitate ſuademus: ut paululum edendi libertate compreſſa, caſtigationi corporum, & pauperum ſtudeamus alimoniæ, quos qui reficit, animam ſuam paſcit, & temporales epulas in delicias mutat æternas. In locum igitur malarum cupiditatum, ſanctorum deſideriorum incrementa ſuccedant. Ceſſet iniquitas, ſed non ſit otioſa juſtitia. Quem nullus patitur opprimentem, ſentiat aliquis adjuvantem. Parum eſt enim non auferre aliena, niſi largiaris & propria. Sub oculis juſti judicis ſumus, qui novit quantam unicuique bene operandi dederit facultatem: non vult otioſa eſſe munera ſua, qui ſervis ſuis ſic menſuras myſticorum diſtribuit talentorum, ut creditum qui liberaliter erogaſſet, augeret; qui ſteriliter ſervaſſet, amitteret.

Matth. 25. Luc 19. Jejunium ſeptimi menſis.

Et ideo, dilectiſſimi, quia ſeptimi menſis jejunium celebrare nos convenit, ſanctitatem veſtram monemus, ut quarta & ſexta Feria jejunium: Sabbato vero apud beatum Petrum Apoſtolum pariter vigilemus, cujus ſuffragantibus meritis ab omnibus tribulationibus mereamur abſolvi. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

SERMO II.

De jejunio ſeptimi menſis.

De fortitudine, continentia, & operibus pietatis, carnalibuſque deſideriis comprimendis.

Cap. I.

DEus humani generis Conditor & Redemptor, qui nos ad promiſſiones vitæ æternæ per ſemitas vult ambulare juſtitiæ, de futura tentatione, quæ nobis in itinere virtutum inſidioſis adverſaretur occurſibus, multis nos præſidiis, dilectiſſimi, in quibus laqueos diaboli obtereremus, inſtruxit: inter quæ hoc famulis ſuis ſaluberrimum contulit, ut contra omnes inimici dolos fortitudine ſe continentiæ & operibus pietatis armarent. Ille enim, qui ab initio primis hominibus interdicti cibi inſeruit appetitum, & male crudelis per illecebram edendi, omnium concupiſcentiarum virus infudit, eaſdem fraudes retractare non deſinit, & in naturam, quam ſcit ſuis ſeminibus eſſe vitiatam & corruptam, ſationis ſuæ germen inquirit, ut ad labefactanda ſtudia virtutis deſiderium voluptatis accendat. Quoniam pœna ipſius, eſt provectio Chriſtiana: nec poteſt eorum animos aliquo modo lædere, qui noverunt auxiliante Domino in ſua carne regnare. Rationabili ergo moderatione, ſanctoque propoſito, frænandæ ſunt rebelles cupiditates, nec ſinendum eſt ut caſtis & ſpiritalibus deſideriis, corporales concupiſcentiæ reluctentur. Agnoſcat interior homo, exterioris ſui ſe eſſe rectorem, ut mens divino gubernata dominatu, terrenam ſubſtantiam in bonæ voluntatis cogat obſequium. Nec enim deeſt nobis ad hunc ordinem obſervandum, miſericordiſſimi Regis auxilium, qui nos ſaluberrimæ obſervantiæ ratione informavit, præfiniens nobis per temporum recurſus quoſdam jejuniorum dies, in quibus caſtigatione corporum virtus roborarentur animorum.

Cap. II.

Hujus autem remedii munus, dilectiſſimi, etiam in iſto, qui ſeptimus eſt, menſe depoſitum eſt, quod nos prompta convenit alacritate ſuſcipere, ut præter abſtinentiam qua quiſque ſe peculiariter atque privatim, ſecundum modum ſuæ poſſibilitatis exercet, hæc ipſa, quæ omnibus ſimul indicitur, animoſius celebretur.

Jejunii utilitas.

Nam in agone certaminis Chriſtiani, utilitas continentiæ plurimum valet, ita ut quidam ſæviſſimorum ſpiritus dæmonum, qui ab obſeſſis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperiis, ſola jejuniorum & orationum virtute pellantur,

Matth. 17. Marc. 9.

dicente Domino: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi in in jejunio & oratione.* Grata ergo eſt Deo, & terribilis diabolo jejunantis oratio: nec latet, quantum acquirat ſaluti ſuæ, quæ tantum præſtat alie-

Cap. II. alienæ. In hac ſane obſervantia, dilectiſſimi, quamvis omnes nos unanimiter oporteat eſſe devotos; ſi qui tamen ſunt, quorum voluntati aliqua obſiſtat infirmitas, laborem qui ſupra vires eſt corporum, redimant impendiis facultatum. Multa enim ſunt opera pietatis, quæ ipſam edendi neceſſitatem merito ampliore commendent, ſi jejunantium purificationem ſtudio benignitatis acquirunt. Nam cum ii, qui nihil omittunt de humiliatione jejunii, ſub ſterili fatigatione deſudent, niſi ſe eleemoſynarum qua poſſunt erogatione ſanctificent; dignum eſt ut in alimoniam pauperum abundantior ſit eorum largitio, quorum ad abſtinendum minor eſt fortitudo. Quod ergo quis in ſua ſibi infirmitate non denegat, alienæ inopiæ libenter impendat; & propriam neceſſitatem faciat ſibi cum indigente communem. Non culpatur infirmus jejunium ſolvens, a quo cibum accipit pauper eſuriens: nec eſcam ſumendo polluitur, qui eleemoſynam impertiendo mundatur, dicente Domino: *Date eleemoſynam, & ecce omnia*

Luc. 11. *munda ſunt vobis*. In quo opere, dilectiſſimi, etiam

Cap. III. ii, qui ab epularum delectatione ſe continent, fru-

Eleemoſynarum commendatio. ctus ſibi debent miſericordiæ comparare, ut qui abundantius ſeminaverint, copioſius metant. Non enim unquam agricolæ ſuo ſeges iſta mentitur, aut

2. Cor. 9. incertam ſpem habet operis cultura pietatis. Quicquid hoc modo ſerentis manu ſpargitur, non æſtus urit, non torrens trahit, non grando proſternit. Incolumes ſemper ſunt omnes pietatis expenſæ, nec ſolum integræ manent, ſed etiam modo augentur, & qualitate mutantur. De terrenis cœleſtia prodeunt, de parvis magna gignuntur, & temporale donum in præmium tranſit æternum. Quiſquis igitur divitias amas, quiſquis multiplicari quæ poſſides concupiſcis, in hæc lucra accendere, in hæc rerum tuarum augmenta ſuſpira: de quibus nihil fur abripit, nihil tinea corrumpit, nihil rubigo conſumit. Noli deſperare de fœnore, noli de accipiente

Matth. 6. diffidere. *Quod uni horum feciſtis, mihi feciſtis*, quis

Matth. 2. dicat intellige, & apud quem opes tuas colloces, perſpicacius fidei oculis ſecurus agnoſce. Non du-

2. Cor. 9. bitet de receptione, cui Chriſtus debitor eſt. Non ſit anxia liberalitas, nec triſte jejunium. Hilarem enim datorem diligit Deus, qui fidelis eſt in verbis ſuis, & abundanter largita retribuit, qui benigne largienda donavit.

SERMO III.

De Jejunio ſeptimi menſis.

De neceſſitate jejunii, de publica ac privata lege jejunii, orationiſque, atque eleemoſynæ.

Cap. I. AD exorandam, dilectiſſimi, miſericordiam Dei, & ad renovandam ſtatum fragilitatis huma-

Jejuniorum quanta vis. næ, quantum valeant religioſa jejunia, ſanctorum Prophetarum prædicatione cognoſcimus, qui divinæ juſtitiæ commotionem, quam frequenter populus Iſrael merito iniquitatis inciderat, non niſi jejunio proteſtantur poſſe placari. Unde & Joel Propheta admonet dicens: *Hæc dicit Dominus noſter, Con-*

Joel. 2. *vertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & in planctu, & diſrumpite corda veſtra: & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia miſericors eſt, & patiens, & ma-*

Ibidem. *gnanimus & multum miſericors*. Et iterum: *Sanctificate jejunium, prædicate curationem, congregate plebem, ſanctificate Eccleſiam.* Quæ cohortatio, dilectiſſimi, noſtris quoque eſt amplectenda temporibus, quia hujus curationis remedia etiam a nobis ſunt neceſſario prædicanda: ut in obſervantia ſanctificationis antiquæ, quod perdidit Judaica prævaricatio, acquirat Chriſtiana devotio. Divinarum namque Cap. II.

reverentia ſanctionum, inter quælibet ſpontaneæ Publica pietatis

obſervantiæ ſtudia, habet ſemper privilegium ſuum: ſtudia pri-

ut ſacratius ſit quod publica lege celebratur, quam vatis præ-

quod privata inſtitutione dependitur. Exercitatio ſtant.

enim continentiæ, quam ſibi quiſque proprio arbitrio indicit, ad utilitatem cujuſdam pertinet portionis. Jejunium vero, quod univerſa Eccleſia ſuſcipit, neminem a generali purificatione ſejungit: & tunc fit potentiſſimus Dei populus, quando in unitatem ſanctæ obedientiæ omnium Fidelium corda conveniunt, & in caſtris militiæ Chriſtianæ, ſimilis ex omni parte præparatio, & eadem eſt ubique munitio. Fremat licet cruenti hoſtis pervigil furor, & latebroſas undique prætendat inſidias: neminem tamen capere, neminem poterit vulnerare: ſi nullum inermem, nullum deſidem, nullum invenerit ab opere pietatis exortem. Ad hujus ergo invictæ pie- Cap. III.

tatis potentiam, dilectiſſimi, etiam hoc nos ſolemne jejunium ſeptimi menſis invitat: ut a curis ſæcularibus actibuſque terrenis liberos ad Dominum animos erigamus. Et quia hanc intentionem ſemper neceſſariam non omnes poſſumus habere perpetuam, ſæpiuſque per humanam fragilitatem a ſupernis in terrena recidimus; iſtis ſaltem diebus, qui nobis ad ſaluberrima ſunt remedia præſtituti, mundanis nos occupationibus ſubtrahamus, & aliquid temporis, quod proſit ad bona æterna, furemur. In multis enim, ſicut ſcriptum eſt, offendimus omnes.

Et licet quotidiano Dei munere a diverſis conta- Jacob. 3.

minationibus emundemur; inhærent tamen incautis animis plerumque maculæ craſſiores, quas oporteat diligentiori cura ablui, & impendio majore deleri. Pleniſſima autem peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Eccleſiæ una eſt oratio, & una con- Matth. 18.

feſſio. Si enim duorum vel trium Sanctorum pio conſenſui omnia quæ popoſcerint Dominus præſtanda promittit: quid negabitur multorum millium plebi, unam obſervantiam pariter exequenti, & per unum ſpiritum concorditer ſupplicanti? Magnum eſt in conſpectu Domini, dilectiſſimi, valdeque pretioſum, cum totus Chriſti populus, eiſdem ſimul inſtat officiis, & in utroque ſexu, omnes gradus, omneſque ordines eodem cooperantur af- Cap. IV.

fectu: cum in declinando malo ac faciendo bono, par cunctorum & una ſententia eſt; cum in operibus ſervorum ſuorum glorificatur Deus, & totius pietatis authori in multarum gratiarum actione benedicitur. Aluntur eſurientes, veſtiuntur nudi, viſitantur infirmi, & nemo quod ſuum eſt quærit, ſed quod alterius, dum ad relevandam alienam miſeriam, unicuique menſura ſua ſufficit, & facile eſt invenire hilarem datorem, ubi modum operis ratio temperat facultatis. Per hanc autem Dei gratiam quæ operatur omnia in omnibus, communis fidelium fructus & commune fit meritum. Quoniam 2. Cor. 1.

quidem poteſt & eorum par eſſe animus, quorum impar eſt cenſus, & cum alter de alterius lætatur largitate, cui æquari non potuit impendio, æquatur affectu. Nihil in tali populo inordinatum, nihilque diverſum eſt, ubi ad unum pietatis vigorem omnia ſibi totius corporis membra conſentiunt, nec de ſua Rom. 8.

tenuitate confunditur, qui de aliorum opulentia gloriatur. Decus enim univerſitatis eſt excellentia portionis, & cum Dei ſpiritu omnes agimur, non Cap. VI.

ſolum illa noſtra ſunt, quæ ipſi gerimus, ſed etiam illa, de quibus in aliorum actione gaudemus. Am-

plectamur igitur, dilectiſſimi, beatam iſtam ſacratiſſimæ unitatis ſoliditatem, & ſolemne jejunium, concordante propoſito bonæ voluntatis, ineamus. Nihil a quoquam arduum, nihil aſperum quæritur, nec aliquid nobis, quod vires noſtras excedat, indicitur, ſive in abſtinentiæ caſtigatione, ſive in eleemoſynæ largitate. Sciunt ſinguli, quid poſſint, quidve non poſſint. Ipſi modulum ſuum pendant, ipſi juſta & rationabili taxatione ſe cenſeant: ut ſacrificium miſericordiæ non cum triſtitia offeratur, nec inter damna numeretur. Hoc pio impendatur operi, quod cor juſtificet, quod conſcientiam lavet, quod denique & accipienti proſit, & danti. Felix quidem ille eſt animus, multumque mirabilis, qui facultatum defectionem benefaciendi amore non metuit, & daturum ſibi eroganda non diffidit, a quo quod erogaret, accepit. Sed quia cum magnanimitas iſta paucorum eſt, plenum etiam pietatis eſt, ut ſuorum curam quiſque non deſerat: nos perfectioribus non præjudicantes, ea vos regula generaliter cohortamur, ut mandatum Dei ſecundum poſſibilitatis veſtræ menſuram operemini: hilarem enim benevolentiam eſſe decet, quæ ſic ſuam temperet largitatem, ut de illa & pauperum refectio gaudeat, & domeſtica ſuffi-

2. Cor. 9.

cientia non laboret. Qui autem miniſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ. Quarta igitur & ſexta feria

Sanctorum merita & orationes.

jejunemus: ſabbato autem apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum pariter vigilias celebremus, cujus meritis & orationibus confidimus nobis per omnia miſericordiam Dei noſtri eſſe præſtandam: Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO IV.

De Jejunio ſeptimi menſis.

De libertate ſpiritus, de diverſitate jejunii Judæorum & Chriſtianorum, & de delectu ciborum, de generali jejunio, de diaboli inſidiis, & eleemoſyna Chriſtianis elargienda.

Cap. I.

PRædicationem noſtram, dilectiſſimi, familiaris vobis adjuvat conſuetudo, & ratio temporis commendat officium Sacerdotis, ut ne oneroſum videatur aut arduum, & quod præceptum exigit legis,

2. Cor. 3. Libertas Chriſtiana qualis ſit.

& devotio temperat voluntatis. Quæ cum in unum gratia Dei auxiliante conveniunt, non litera occidit ſed ſpiritus vivificat. Ubi autem Spiritus Dei, ibi libertas, quæ legem non timore exequitur, ſed amore. Obedientia enim mollit imperium, nec dura ibi neceſſitate ſervitur, ubi diligitur quod jubetur. Cum ergo vos, dilectiſſimi, ad quædam quæ etiam in veteri Teſtamento inſtituta ſunt cohortamur: non Judaicæ vos obſervantiæ jugo ſubdimus, nec conſuetudinem vobis populi carnalis indicimus. Excellit ſuper illorum jejunia, continentia Chriſtiana: & ſi quid nobis atque illis commune eſt in temporibus, non concordat in moribus.

Matth. 7. Ciborum delectus quomodo obſervandus ſit.

Habeant illi nudipedalia ſua, & in triſtitia vultuum oſtendant otioſa jejunia: nos in nullo ad habitus noſtri honeſtatem diſſimiles, nec a juſtis & neceſſariis operibus abſtinentes, edendi licentiam ſimplici parcitate cohibemus: ut in uſu ciborum modus eligatur, non creatura damnetur.

Cap. II.

Quamvis autem unicuique noſtrum liberum ſit voluntariis caſtigationibus proprium corpus afficere, & nunc moderatius, nunc vero diſtrictius repugnantes ſpiritui carnales concupiſcentias edomare: quibuſdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium; & tunc eſt efficacior ſanctiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus animus & unus eſt ſenſus. Publica enim præferenda ſunt propriis, & ibi intelligenda eſt præcipua ratio utilitatis, ubi vigilat cura communis. Teneant igitur diligentiam ſuam obſervantiæ ſingulorum, & contra nequitiæ ſpiritalis inſidias, implorato divinæ protectionis auxilio, cœleſtia quiſque arma arripiat. Sed Eccleſiaſticus miles, etiam ſi ſpecialibus præliis poſſit fortiter facere, tutius tamen & felicius dimicabit, ſi contra hoſtem palam in acie ſteterit: ubi non ſuis tantum viribus certamen ineat, ſed ſub invicti regis imperio, fraternis conſociatus agminibus, bellum univerſale conficiat. Minore enim diſcrimine plures confligunt cum hoſte, quam ſinguli: nec facile patet vulneri, quem, oppoſito ſcuto fidei, non ſua tantum, ſed etiam aliorum fortitudo defendit: ut ubi eſt una omnium cauſa, ſit una victoria.

Cap. III.

Quia igitur adverſarius noſter inſidiari nobis diverſa tentationum arte non deſinit, & hæc eſt una verſutiarum ejus intentio, ut redemptos Chriſti ſanguine a mandatis Dei poſſit abducere, omni diligentia præcavendum eſt, ut nullis inimici jaculis vulneremur.

Tela dæmonis qualia ſint.

Tela enim ipſius non ſunt aſpera corporis ſenſibus, ſed nimium carni, ut animæ noceant, blandiuntur. Trahunt oculos ad varias cupiditates, ut de mundi pulchritudine, aut concupiſcentiæ accendantur faces, aut ſuperſtitionum gignantur errores. Inſidioſo etiam ſono mollibus ictibus pulſatur auditus, ut animi ſoliditas illecebroſa modulatione ſolvatur, & lethalium conſuetudine ſuavitatum, incauta & parum ſobria corda capiantur. Sed hos diaboli dolos inefficaces & irritos faciunt divinæ præſidia gratiæ, & Evangelicæ præcepta doctrinæ. Quoniam qui acceperunt Spiritum ſanctum, & a quibus timor Domini non de pœnæ formidine, ſed de Dei charitate conceptus eſt, illæſo fidei pede, laqueos talium conterunt captionum, ut creaturarum omnium pulchritudine ad gloriam & laudem ſui utantur authoris, eumque diligant ſuper omnia, per quem facta ſunt omnia.

Joan. 1. Cap. IV.

In hujus admirationem, dilectiſſimi, omnium fidelium tendat affectio, de hoc ſibi delectationes non corruptibiles, ſed æternas, ſapiens continentia petat, & in amorem boni, ſine quo nullus eſt bonus, incontaminata caſtitas inardeſcat. Ad hoc enim nobis tradita ſunt exercitia Chriſtiana, ut

Chriſtiana exercitia cur nobis tradita.

reſecata omni illicita voluptate, in ſanctas & ſpiritales delicias æſtuemus. Et cum nos oporteat ſemper ſtudere virtutibus; quidam tamen dies ideo ſunt ad caſtigationem communis obſervantiæ conſecrati, ut anima, quæ terrenis adhuc deſideriis implicatur, & curis ſæcularibus impeditur, ex intervallo ſaltem, ad divina reſpiret. Et quia portio divini agri eſt, dignos cœleſtibus horreis adferat fructus. Ibi enim ſpes eſt metendi, ubi fuerit diligentia ſeminandi.

Cap. V.

His, dilectiſſimi, ad profectum veſtrum pro temporis occaſione perſtrictis, jejunium vobis ſeptimi menſis indicimus, in quo vos non ſolum de ciborum abſtinentia, ſed etiam de pietatis operibus commonemus: ut quod veſtris uſibus religioſa parcitate ſubtrahitis, in alimoniam pauperum & in cibos debilium transferatis: omnibus quidem indigentibus generali benevolentia conſulentes, ſed maxime eorum memores, qui ſunt de membris corporis Chriſti, & nobis unitate Catholicæ fidei copulantur. Plus enim debemus noſtris pro conſortio gratiæ, quam alienis pro communione naturæ.

Cap. VI.

Abundet ergo in vobis, dilectiſſimi, benignitas Chriſtiana: & ſicut recurrentia anni tempora deſideratis

Digitized by Google

ratis, ut plena ſint fructibus, ita & corda veſtra paſcendis ſint fœcunda pauperibus. Quibus utique

Pauperes cur Deus eſſe permiſerit.

potuit Deus, cujus ſunt omnia, neceſſariam conferre ſubſtantiam, & tales eis tribuere facultates, ut in nullo veſtris largitionibus indigerent: ſed & illis & vobis multa virtutum materia defuiſſet, ſi nec illos ad patientiæ coronam inopia exerceret, nec vos ad miſericordiæ gloriam copia provocaret. Mirabiliter autem providentia divina diſpoſuit, ut eſſent in Eccleſia & ſancti pauperes & divites boni: qui invicem ſibi ex ipſa diverſitate prodeſſent, cum ad æterna & incorrupta præmia promerenda Deo gratias agerent accipientes, & Deo gratias agerent largientes: quoniam ſicut ſcriptum eſt,

Pſalm. 9. 2. Cor. 9.

Patientia pauperum non peribit in æternum, &, *Hilarem datorem diligit Deus*. Quarta igitur & ſexta Feria jejunemus: Sabbato vero apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, ſperantes nos ita ipſius orationibus adjuvandos, ut Deus miſericordiarum jejunii noſtri ſacrificio placatus exaudiat: Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

SERMO V.

De Jejunio ſeptimi menſis.

De fragilitate humanæ naturæ ac pugna carnis, de auxilio divino & duobus amoribus, atque adventu regni Dei.

Cap. 1.

SAcratum, dilectiſſimi, in ſeptimo menſe jejunium, ad communis devotionis exercitia prædicamus, fidenter vos paternis cohortationibus incitantes, ut quod fuit ante Judaicum, veſtra ſit obſervantia Chriſtianum.

Jejunium utrique Teſtamento congruit.

Eſt enim omni tempore aptum & Teſtamento utriq; conveniens, ut per caſtigationem mentis & corporis, miſericordia divina quæratur: quia nihil eſt efficacius ad exorandum Deum quam ut homo ipſe ſe judicet, & nunquam deſinat a venia poſtulanda, qui ſe ſcit nunquam eſſe ſine culpa. Habet enim hoc in ſe generaliter humana natura, non a creatore inſitum, ſed a prævaricatore contractum, & in poſteros generali lege transfuſum, ut de corruptibili corpore, etiam quod animam corrumpere poſſit, oriatur.

Carnis cum ſpiritu conflictus.

Hinc interior homo, ſi tamen jam in Chriſto regeneratus, & a vinculis captivitatis eſt erutus, aſſiduos habet cum carne conflictus: & dum cohibet concupiſcentem, patitur repugnantem. In qua diſcordia non facile obtinetur tam perfecta victoria, ut etiam quæ ſunt abrumpenda, non illigent; & quæ ſunt interficienda, non vulnerent: quantumlibet ſapienter & provide judex animus ſuis exterioribus præſit, inter ipſas tamen curas atque menſuras regendæ carnis & alendæ, nimis ei ſemper vicina tentatio eſt. Quis enim ita ſe aut a voluptate corporis, aut a dolore ſejungit, ut ad ipſam mentem non pertineat, quod extrinſecus aut blanditur, aut cruciat? Indiviſum eſt gaudium indiſcreta triſtitia: nihil in homine iracundia non accendit, nihil lætitia non reſolvit, nihil ægritudo non afficit. Et quæ illic declinatio poteſt eſſe peccati, ubi una paſſio eſt regentis & ſubditi.

Matth. 26. Cap. 11.

Merito Dominus proteſtatur, quod *ſpiritus quidem promptus eſt; caro autem infirma*. Et ne uſque ad inertem deſidiam deſperatione ducamur, quæ impoſſibilia ſunt homini ex imbecillitate propria, poſſibilia ſpondet virtute divina.

Matth. 7.

Anguſta enim & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & nemo in eam greſſum inferret, nemo veſtigium promoveret, niſi difficiles aditus ipſe ſe Chriſtus viam faciendo reſeraret: ut author itineris fiat poſſibilitas ambulantis, quia idem & introducit ad laborem, & perducit ad requiem. In quo ergo nobis ſpes eſt æternæ vitæ, in eodem eſt & forma patientiæ. Si enim compatimur, & conregnabimus, quoniam ut Apoſtolus ait, *Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare*.

Rom. 8. 1. Joan. 2.

Alioqui falſæ profeſſionis imagine utimur, ſi cujus nomine gloriamur, ejus inſtituta non ſequimur. Quæ utique nobis oneroſa non eſſent, & ab omnibus nos periculis liberarent, ſi nihil aliud quam quod amandum jubetur, amaremus.

Cap. 111. Amores duo.

Duo namque amores ſunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diverſæ qualitatibus, ſicut dividuntur authoribus. Rationabilis enim animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi. In dilectione Dei, nulla nimia: in dilectione autem mundi, cuncta ſunt noxia. Et ideo æternis bonis inſeparabiliter inhærendum, temporalibus vero tranſeunter utendum eſt, ut peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quicquid de proſperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum ſit itineris, non illecebra manſionis. Ideo beatus Apoſtolus prædicat dicens:

1. Cor. 7.

Tempus breve eſt, reliquum eſt ut qui habent uxores, tanquam non habentes ſint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. Sed quod de ſpecie, de copia, de varietate blanditur, non facile declinatur, niſi in illa viſibilium pulchritudine Creator potius quam creatura diligatur. Qui cum dicit,

Matth. 22.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, in nullo nos vult ab amoris ſui vinculis relaxari. Et cum huic præcepto, proximi quoque copulat charitatem, imitationem nobis ſuæ bonitatis indicit: ut quod diligit, diligamus, & quod operatur, operemur. Quamvis enim Dei agricultura ſimus, & Dei ædificatio, & neque qui plantat ſit aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus; in omnibus tamen exigit noſtri miniſterii ſervitutem, & nos

1. Cor. 3.

diſpenſatores ſuorum vult eſſe donorum ut qui fert Dei imaginem, Dei faciat voluntatem. Propter quod in oratione Dominica ſacratiſſime dicimus:

Matth. 6. Adventum regni Dei quomodo petamus.

Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Quibus verbis quid aliud poſtulamus, quam ut Deus, quem necdum ſibi ſubdidit, ſubdat, & ſicut in cœlo Angelos, ita & in terra homines miniſtros ſuæ faciat voluntatis? Hoc autem petentes amamus Deum, amamus & proximum, & non diverſa in nobis, ſed una dilectio eſt: quando & ſervum ſervire, & Dominum cupimus imperare.

Cap. 11.

Hic igitur affectus, dilectiſſimi, quo amor terrenus excluditur, bonorum operum conſuetudine roboratur quia neceſſe eſt, ut bonis actibus conſcientia delectetur & libenter faciat, quod feciſſe ſe gaudeat. Aſſumitur igitur jejunium, multiplicatur largitio, juſtitia cuſtoditur, frequentatur oratio, ſitque ut ſingulorum deſiderium ſit unum omnium votum. Nutrit patientiam labor, manſuetudo extinguit iram, benevolentia calcat invidiam, immundæ cupiditates ſanctis deſideriis enecantur, avaritia liberalitate depellitur, & onera divitiarum fiunt inſtrumenta virtutum. Sed quia inſidiæ diaboli etiam inter alia ſtudia non quieſcunt, rectiſsime in quibuſdam articulis temporum, vigoris eſt noſtri reparatio inſtituta: ut ubi de clementia cœli & ubertate agri poteſt mens præſentium bonorum avida gloriari, & in ampla horrea fructibus congregatis, animæ ſuæ dicere:

Lucæ 12.

Habes multa bona; epulare, ibi quandam increpationem divinæ vocis accipiat, audiatque dicentem, *Stulte, hac nocte repoſcent animam tuam a te,*

qua autem præparaſti, cujus erunt? Hæc ſollicitiſſima meditatio debet eſſe ſapientis, ut quoniam breves dies iſtius vitæ & incerta ſunt ſpatia, nunquam ſit mors improviſa morituro, nec inordinatum incidat finem, qui ſe novit eſſe mortalem. Quod itaque ut & ſanctificationi corporum & reparationi proſit animarum, quarta & ſexta Feria jejunemus: Sabbato autem apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, ejus orationibus adjuvandi, ut ſanctorum deſideriorum conſequamur effectum: Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Orationes ſancti Petri

SERMO VI.

De jejunio ſeptimi menſis.

De duplici Chriſti natura adverſus Eutychen & Neſtorium, & de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia.

CAP. I.

DEvotionem Fidelium, dilectiſſimi, nihil eſt in quo providentia divina non adjuvet: ſiquidem exercendis ad ſanctimoniam mentibus atque corporibus, ipſa quoque mundi elementa famulantur, dum dierum ac menſium diſtincte variata revolutio quaſdam nobis paginas aperit præceptorum, ut quod ſacra admonent inſtituta, hoc quodammodo loquantur & tempora. Unde cum ſeptimum menſem nobis anni recurſus attulerit, non ignoro obſervantiam veſtram ad celebrandum ſolemne jejunium ſpiritaliter incitari: quoniam experiendo didiciſtis, quantum hæc præparatio & exteriora & interiora hominum purificet, ut cum a licitis abſtineatur, facilius illicitis reſiſtatur. Continentiæ autem ratio, dilectiſſimi, non in ſola caſtigatione corporum, nec diminutione tantum habetur eſcarum. Majora enim virtutis iſtius bona ad illam animæ pertinent caſtitatem, quæ non ſolum carnis concupiſcentias conterit, ſed etiam mundanæ ſapientiæ vana contemnit, dicente Apoſtolo: *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum.* Continendum ergo eſt a cibis, ſed multo magis ab erroribus jejunandum: ut mens nulli carnali dedita voluptati nullius ſit captiva mendacii, quia ſicut in præteritis, ita etiam in noſtris diebus non deſunt veritatis inimici: qui inter Catholicam Eccleſiam movere audeant bella civilia, ut in conſenſum impiorum dogmatum imperitos quoſque ducentes ſibi glorientur accreſcere, quos a Chriſti corpore potuerint ſeparare. Quid enim tam adverſatur Prophetis, tam repugnat Evangeliis, tam denique eſt Apoſtolicis rebelle doctrinis, quam in Domino Jeſu Chriſto ex Maria virgine unigenito, & ſempiterno Patri intemporaliter coæterno, unam & ſingularem prædicare naturam? Quia ſi hominis tantum intelligenda eſt, ubi eſt quæ ſalvat deitas? ſi tantummodo Dei, ubi eſt quæ ſalvatur humanitas? Fides autem Catholica, quæ omnibus reſiſtit erroribus, etiam ſimul iſtas impietates refutat, damnans Neſtorium, divina ab homine dividentem: deteſtans Eutychen, in divinis humana vacuantem: quoniam veri Dei Filius Deus verus, unitatem & æqualitatem habens cum Patre & Spiritu ſancto, idem verus homo eſſe dignatus eſt, nec conceptu Virginis Matris eſt ſejunctus a carne, nec partu: ſic humanitatem ſibi uniens, ut Deus incommutabiliter permaneret, ſic deitatem homini impartiens, ut eum glorificatione non conſumeret, ſed augeret. Qui enim eſt factus forma ſervi, forma Dei eſſe non deſtitit, nec alter cum altero; ſed unus in utroque eſt, ut ex quo Verbum caro factum eſt, nullis diſpenſationum varietatibus fides noſtra turbetur, ſed ſive in miraculis virtutum, ſive in contumeliis paſſionum, & Deum qui homo eſt, & hominem credamus eſſe, qui Deus eſt. Hanc confeſſionem, dilectiſſimi, toto corde promentes, impia hæreticorum commenta reſpuite: ut jejunia & eleemoſynæ veſtræ nullius erroris contagione polluantur. Tunc enim & ſacrificii munda eſt oblatio, & miſericordiæ ſancta largitio, quando ii, qui iſta dependunt, quid operentur, intelligunt. Nam dicente Domino, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate Corporis Chriſti & Sanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur: & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, a quibus contra id quod accipitur diſputatur. Dicente autem Propheta, *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem*, ille circa pauperes veſtimentorum & ciborum laudabilis diſtributor eſt, qui ſe Chriſtum in indigentibus & veſtire novit & paſcere: quoniam ut ipſe ait, *Quandiu feciſtis uni de fratribus his meis, mihi feciſtis.* Verus itaque Deus & verus homo unus eſt Chriſtus, dives in ſuis, pauper in noſtris, dona accipiens & dona diffundens, particeps mortalium, & vivificator mortuorum: ut in nomine Jeſu Chriſti omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, vivens & regnans cum ſancto Spiritu in ſæcula ſæculorum. Amen.

Coloſ. 3. Continendum nedum a cibis, ſed etiam erroribus.

Neſtorius Eutyches.

Joan. 6. Veritas Corporis Chriſti in Euchariſtia.

Matth. 25. Chriſtus eſt dives & pauper.

SERMO VII.

De jejunio ſeptimi menſis.

De ſpiritali veteris legis impletione, rectaque jejunii forma & ſpiritalibus theſauris.

CAP. I.

APoſtolica inſtitutio, dilectiſſimi, quæ dominum Jeſum Chriſtum ad hoc veniſſe in hunc mundum noverat, ut legem non ſolveret, ſed impleret, ita veteris Teſtamenti decreta diſtinxit, ut quædam ex eis, ſicut erant condita, Evangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant conſuetudinis Judaicę, fierent obſervantię Chriſtianę. Quamvis enim varietates hoſtiarum, differentiæ baptiſmatum, & otia ſabbatorum, cum ipſa carnis circumciſione ceſſaverint; manent tamen ex ipſis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia. Et cum inde dicatur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum ſicut te ipſum;* Chriſto Domino dicente, cognovimus quod in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ, tantaque eſt ſub hujus geminæ charitatis edicto utriuſque copula Teſtamenti, ut ſine iſtarum connexione virtutum, nec lex quemquam inveniatur juſtificaſſe, nec gratia. Illas quoque partes legalium mandatorum, ex quibus quædam præcipiuntur, ut fiant, quædam interdicuntur, ut non fiant, antiquæ authoritatis retinent infirmitatem. Nec ideo ei Evangelica putanda eſt adverſa perfectio, quia & virtutum ſtudia ad voluntaria incitantur augmenta, & ultiones criminum, pœnitentiæ remediis relaxantur. Dicit enim Dominus: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quomodo ergo abundabit juſtitia, niſi ſuperexaltet miſericordia? Et quid tam æquum, quidque tam dignum eſt, quam ut creatura ad imaginem & ſimilitudinem Dei condita ſuum imitetur authorem, qui reparationem ſanctificationemque credentium in peccatorum remiſſione conſti-

Matth. 5.

Matth. 22.

Matth. 5.

tuit

Digitized by Google

tuit, ut remota ſeveritate vindictæ, omnique ceſſante ſupplicio, reus innocens redderetur, & criminum finis fieret origo virtutum? Quod igitur, dilectiſſimi,

Cap. II. Eccleſia cur iſta jejunia obſervet.

ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporumq; noſtrorum jejunium ſeptimi menſis aſſumimus; non legalibus nos oneribus ſubiicimus, ſed utilitatem continentiæ, quæ Chriſti Evangelio ſervit, amplectimur. Quia in hoc poteſt ſuper Scribas & Phariſæos Chriſtiana abundare juſtitia, non evacuando legem, ſed intelligentiam refutando carnalem. Nec enim noſtra talia debent eſſe jejunia, qualia erant illorum, quibus Eſaias Propheta, Spiritu ſancto in ſe loquente, dicebat:

Eſai. 1.

Neomenias veſtras, & ſabbata, & diem magnum non ſuſtineo; jejunium, & ferias, & dies feſtos veſtros odit anima mea. Unde Dominus jejunandi formam diſcipulis tradens,

Matth. 6.

Cum jejunatis, inquit, *nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen, dico vobis, receperunt mercedem ſuam.*

Vana gloria in recte factis cavenda.

Quam mercedem, niſi laudis humanæ? propter cujus cupiditatem, juſtitiæ ſpecies plerumque prætenditur, & ubi nulla eſt cura conſcientiæ, amatur falſitas famæ, ut iniquitas, quæ occultatione arguitur, mendacii opinione lætetur.

Cap. III.

Rationabile itaque, ſanctumque jejunium nulla laudis oſtentationiſque jactantia polluatur, nec bonum ſuum quiſquam Fidelium de humanis velit pendere judiciis. Diligenti Deum ſufficit ei placere, quem diligit, quia nulla major expetenda eſt remuneratio quam ipſa dilectio: ſic enim charitas ex Deo eſt, ut Deus ipſe ſit charitas. Quod utique pius & caſtus ita gaudet animus implere, ut in nullo extra illum cupiat delectari. Veriſſimum namque eſt

Matth. 6. Theſaurus hominis quis.

quod dicit Dominus: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Quis autem eſt theſaurus hominis, niſi quædam fructuum ejus congregatio, laborumque collectio? Quod enim ſeminaverit quis, hoc & metet,

Galat. 6.

& quale cujuſque opus, talis eſt & quæſtus, & ubi oblectatio fruendi conſtituitur, ibi cura cordis obſtringitur. Sed cum multa ſint genera divitiarum diſſimileſque materiæ gaudiorum, theſaurus cuique eſt ſuæ cupiditatis affectus, qui ſi de appetitu eſt terrenorum, non beatos facit ſui participatione, ſed miſeros.

Coloſſ. 3.

Hi vero, qui ea quæ ſurſum ſunt ſapiunt, non quæ ſuper terram, nec perituris intenti ſunt, ſed æternis, in illo habent incorruptibiles reconditas facultates, de quo dicit Propheta: *Theſaurus, & ſalus noſtra advenit, ſapientia & diſciplina & pietas a Domino.* Hi ſunt theſauri juſtitiæ, per quos, auxiliante Dei gratia, etiam terrena bona in cœleſtia transferuntur: dum multi divitiis aut juſte ſibi relictis, aut aliter

Matth. 6.

acquiſitis, ad inſtrumentum impietatis utuntur. Cumque ad ſuſtentationem pauperum, quæ poſſunt exuberare, diſtribuunt, congregant ſibi inamiſſibiles facultates, ut quod abdiderunt eleemoſynis, nullis poſſit ſubjacere diſpendiis, & digne ibi habeant cor, ubi habent theſaurum ſuum, quia tales divitias ſuas dignum & beatiſſimum eſt exercere, ut creſcant, & non timere ne pereant. Operantes igitur, dilectiſſimi,

Cap. IV. Galat. 6.

quod bonum eſt ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei, ſeptimum menſem ab initio myſticum, propter ſeptiformem ſpiritum, & ipſo ſui ordinis numero conſecratum, continentiæ fructibus deputantes, quarta & ſexta feria jejunemus: Sabbato autem apud beatum Petrum vigilias celebremus, cujus nobis orationes ſuffragabuntur & merita, ut quantumcumque fidelibus tribuitur bonum velle, tantum donetur & poſſe. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO VIII.

De jejunio ſeptimi menſis.

De duplici concupiſcentia carnis & ſpiritus, de pugna ſpiritali & abſtinentia.

Cap. I. Præceptorum Dei, ſcopus.

OMnis, dilectiſſimi, divinorum eruditio præceptorum hoc maxime agit apud corda credentium, ut amor pravus recto amore ſuperetur, & delectatione juſtitiæ, peccandi cupiditas deſtruatur, dicente Scriptura:

Eccleſ. 16.

Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere. Cum autem ſint in animis hominum multæ bonæ concupiſcentiæ, & laudabiles voluntates, quid eſt quod jubetur, ut noſtris non conſentiamus affectibus: niſi quod ab illa concupiſcentia prohibemur, & ab illa voluntate revocamur, cujus ortus ex nobis eſt, & ideo mala pronunciatur, quia noſtra eſſe convincitur? Ad diſtinctiones igitur concupiſcentiarum quæ ſunt ex Deo, bene homini dictum eſt:

Ibidem.

Poſt concupiſcentias tuas non eas, ut quas cognoverit proprias, ſciat eſſe vitandas. Merito ergo Dominus noluit in oratione, quam tradidit, nos ad Deum dicere:

Matth. 6.

Fiat voluntas noſtra, ſed fiat voluntas tua: hoc eſt, non illa quam caro incitat, ſed quam Spiritus ſanctus inſpirat. Unde autem hoc deſiderium conceptum ſit, cui ſemper debeat repugnari, non difficulter intelligunt, qui ſe Filios Adæ eſſe noverunt, & peccante humani generis patre, non dubitant in propagine vitiatum eſſe, quod eſt in radice corruptum. Quamvis autem per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in novam creaturam tranſierimus ex veteri, & imaginem nos terreni hominis homo cœleſtis exuerit: donec tamen corpus mortale geſtamus, neceſſe eſt ut contra carnis deſideria dimicemus.

2. Cor. 12.

Bonum eſt enim animæ Deo ſubditæ timere ne cedat, & habere quod vincat: quoniam virtus in infirmitate perficitur, & quod nos exercet continentia, hoc perducit ad gloriam.

Cap. II. Rom. 7.

Abſtinendum eſt itaque, dilectiſſimi, ab his quæ nobis noxie blandiuntur, & lex peccati, quæ eſt in membris noſtris, Dei lege ſuperanda eſt: ut licet per omnes ſenſus corporis multæ inſidientur illecebræ, animus tamen cui ſummum bonum, & verum gaudium Deus eſt, inter caſtas ſpiritaleſque delitias in ſapientiæ latitudine, & in veritatis luce verſetur. Si enim ſeipſum ſibi rationalis homo comparet, omneſque ſuorum actuum qualitates vera inſpectione dijudicet, nunquid in intimis conſcientiæ ſuæ hoc delectationis inveniet de iniquitate commiſſa, quod de æquitate ſervata? aut tantum ei jucunditatis carnalis voluptas, quantum ſpiritalis pariet appetitus? Nihil prorſus de virtutum ſplendore attingit, nihil de pietatis ſuavitate guſtat, qui magis vult ſordeſcere in iis quæ immunda ſunt, quam in iis ſplendere, quæ ſancta ſunt. Non ſinit ratio, ut cordibus non uſquequaque captivis, ita placeat ſatiata ira, ut remiſſa vindicta, aut tantum generent gaudium mala quæſita de alieno, quantum bona expenſa de proprio. Felicior ſemper eſt parca temperantia quam profuſa luxuria, majorque eſt lux humilibus quam ſuperbis, & ſublimior mens quæ inter prohibita atque permiſſa certius habet ſperare cœleſtia, quam amare terrena: ut autem in hoc provectu animus religioſus excellat, & jus ſuæ dominationis obtineat, ſubigendo corpori caſtigatio eſt adhibenda jejunii. Quod licet generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, proprie tamen ad edendi diminutionem refertur: ut proſit nunc voluntate non ſumere, quod ab initio contra vetitum nocuit

uſurpaſſe, ut ſicut illic concupiſcentia vulneri, ita hic abſtinentia ſit ſaluti.

Cap. III. Cui medicinæ, dilectiſſimi, quum tempus omne ſit congruum, hoc tamen habemus aptiſſimum, quod & Apoſtolicis, & legalibus inſtitutis videmus electum: ut ſicut in aliis anni diebus, ita in menſe ſeptimo, ſpiritalibus nos purificationibus emundemus. Convenientibus enim in unum propoſitum tribus ſtudiis, oratione ſcilicet, & eleemoſyna atque jejunio, præſtabitur nobis a miſericorde Deo & cohibitio cupiditatum, & exauditio precum, & remiſſio peccatorum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO IX.

De Jejunio ſeptimi menſis.

De Jejunio quatuor temporum, itemque ſpiritali, quod eſt mentis.

Cap. I. SCio quidem, dilectiſſimi, plurimos veſtrum ita in iis, quæ ad obſervantiam Chriſtianæ fidei pertinent, eſſe devotos, ut noſtris cohortationibus non indigeant admoneri. Quod enim dudum & traditio decrevit, & conſuetudo firmavit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit. Sed quia ſacerdotalis officii eſt, erga omnes Eccleſiæ filios curam habere communem in id quod & rudibus proſit & doctis, quos ſimul diligimus, pariter incitamus, ut jejunium, quod nobis ſeptimi menſis recurſus indicit, fide alacri per caſtigationem animi & corporis celebremus, Quamvis enim diminutio cibi carnem proprie videatur afficere: nihil tamen corporeis ſenſibus vel conceditur, vel negatur, quod non ſicut ad ſervientem, ita pertineat ad jubentem. Cum itaque unuſquiſque homo duplicem in ſe legem habeat continentiæ, nihilque actionum noſtrarum ad ſolum corpus, multa autem ad ſolum referenda ſint animum, prudenter debemus advertere, quam indecens quamque injuſtum ſit, ſi quod a ſuperiore indicitur, ab inferiore negligatur. Ut autem mens rationalis ſalubriter exteriora caſtiget, debet etiam propria exercere jejunia: quia non ſolum carnis deſideriis, ſed etiam animi cupiditatibus convenit repugnare, dicente Scriptura, *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere.* Jejunans ergo ab iis quæ caro appetit, jejunet & ab iis quæ male interior ſubſtantia concupiſcit. Peſſimus enim animæ cibus eſt, velle quod non licet: & noxia cordis delectatio eſt, quæ aut turpi lucro paſcitur, aut ſuperbia extollitur, aut adulatione lætatur. Quamvis enim his affectibus motus quoque corporis ſerviant, ad originem tamen ſuam cuncta reſpiciunt, & ibi cenſetur qualitas actionis, ubi invenitur initium voluntatis, quam revocare a pravis deſideriis, optimum maximumque jejunium eſt: quia tunc eſt edendi abſtinentia fructuoſa, quando exterior parcitas a temperantia interiore procedit.

Eccl. 18.

Cap. II. Celebraturi igitur, dilectiſſimi, verum & ſpiritale jejunium, quod & corpus & animum ſui puritate ſanctificet, cordis noſtri ſecreta rimemur: & quibus rebus aut contriſtentur aut gaudeant, juſto diſcutiamus examine. Ac ſi quis amor vanæ gloriæ, ſi qua radix avaritiæ, ſi quod ineſt virus invidiæ, nihil talium anima ſumat eſcarum: ſed virtutum intenta deliciis, cœleſtes epulas terrenæ præferat voluptati. Agnoſcat homo ſui generis dignitatem, factumque ſe ad imaginem, & ſimilitudinem ſui creatoris intelligat: nec ita de miſeriis, quas per peccatum illud maximum, & commune incidit, expaveſcat, ut non ſe ad miſericordiam ſui reparatoris attollat: ipſe enim dicit: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, hoc eſt, me diligire, & ab iis quæ mihi diſplicent abſtinete. Facite quod amo: amate quod facio. Et cum videtur eſſe difficile quod jubeo, ad jubentem accurrite: ut unde datur præceptum, præſtetur auxilium. Non negabo opem, qui tribui voluntatem: jejunate ab adverſis; abſtinete a contrariis. Ego ſum cibus veſter & potus: nemo quæ mea ſunt inefficaciter concupiſcit. Qui enim ad me tendit, ex mei participatione me quærit.

Levit. 19.

Cap. III. His, dilectiſſimi, cohortationibus, quibus nos ad bona incommutabilia & ad gaudia invitat æterna, plenæ ſunt omnes divinarum paginæ literarum, & hoc nobiſcum agit Teſtamenti utriuſque doctrina, ut inhæreamus veris, & contineamus a vanis. Non enim apprehendi poteſt quod promittitur, niſi cuſtoditum fuerit quod jubetur. Quid juſtius, quam ut homo cujus fert imaginem faciat voluntatem, & per abſtinentiam cibi jejunet a lege peccati? Ideo enim ipſa continentiæ obſervantia quatuor eſt aſſignata temporibus, ut in idipſum totius anni redeunte decurſu, cognoſceremus nos indeſinenter purificationibus indigere, ſemperque eſſe nitendum, dum hujus vitæ varietate jactamur, ut peccatum, quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, jejuniis atque eleemoſynis deleatur. Eſuriamus paululum, dilectiſſimi, & aliquantulum quod juvandis poſſit prodeſſe pauperibus, noſtræ conſuetudini ſubtrahamus. Delectetur conſcientia benignorum fructibus largitatis, & gaudia tribuens, quo es lætificandus, accipies. Dilectio proximi, dilectio Dei eſt, qui plenitudinem legis & Prophetarum in hac geminæ charitatis unitate conſtituit, ut nemo ambigeret Deo ſe offerre, quod homini contuliſſet, dicente Domino Salvatore, cum de alendis juvandiſque pauperibus loqueretur, *Quod uni eorum feciſtis, mihi feciſtis.* Quarta igitur & ſexta Feria jejunemus: Sabbato vero apud beatum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, cujus nos meritis & orationibus credimus adjuvandos, ut miſericordi Deo jejunio noſtro & devotione placeamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Jejunium quatuor temporum cur inſtitutum.

Cap. IV.

Math. 22.

Matth 25.

Sanctorum meritis & orationibus adjuvamur.

SERMO, SIVE TRACTATUS
Beati Leonis Papæ contra hæreſim Eutychetis, habitus Romæ in Baſilica S. Anaſtaſiæ.

De vitandis hæreticis, de veritate corporis Chriſti, & fidei Romanæ commendatione.

Cap. I. SIcut peritorum, dilectiſſimi, prudentiumque medicorum eſt, paſſiones infirmitatis humanæ remediis prævenire, & quemadmodum ſaluti contraria declinentur oſtendere; ita paſtoralis officii eſt, ne Dominico gregi hæretica malignitas noceat providere, & qualiter luporum & latronum improbitas ſit cavenda, demonſtrare: quia nunquam potuit hæretica impietas ſic latere, ut non a ſanctis patribus noſtris & ſemper deprehenſa ſit, & jure damnata. Sollicitudinem itaque noſtram, quam dilectioni veſtræ impendimus, latere non potuit quoſdam Ægyptios, præcipue negotiatores, ad urbem veniſſe, eaque quæ Alexandriæ ſceleſte ab hæreticis ſunt admiſſa defendere, aſſerentes ſolam deitatis in Chriſto fuiſſe naturam, nec carnis humanæ, quam ſumpſit ex beata Maria virgine, ha-

Hæreſis latere non poteſt.

habuiſſe, penitus veritatem: quæ impietas, & falſum hominem, & Deum dicit eſſe paſſibilem. Quod quo audeant animo, quove conſilio, dubitare non poſſumus. Quia enim ipſi a veritate Evangelii receſſerunt, & mendacia diaboli ſunt ſequuti, alios quoque volunt ſocios ſuæ perditionis efficere: & ideo fraterna vos, & paterna ſollicitudine commonemus, ut inimicos Catholicæ fidei, hoſtes Eccleſiæ, Incarnationis Dominicæ negatores, & inſtituto a ſanctis Apoſtolis Symbolo repugnantes, in nullum recipiatis conſenſionis affectum, dicente Apoſtolo: *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita, ſciens quia qui hujuſmodi eſt, ſubverſus eſt, & delinquit proprio judicio condemnatus.* Propria enim pertinacia perit: & ſua a Chriſto diſcedit inſania, qui eam impietatem, per quam ante ſe multos ſcit periiſſe, ſectatur, & religioſum ſibi atque Catholicum putat id, quod ſanctorum Patrum judicio, & in Photini perfidia, & in Manichæi dementia, & in Apollinaria inſania, conſtat eſſe damnatum: ut adhuc quaſi novæ, & nec dum damnatæ in perniciem animarum ſuarum conſentiant pravitati, qui incarnationis Dominicæ denegant ſacramentum. Quaſi aliud tota Evangelica lectione doceamur, quam hoc uno divinæ miſericordiæ ſacramento humanum genus in iis qui credunt eſſe ſalvatum, quod unigenitus Dei Filius, æqualis per omnia Patri, noſtræ aſſumptione ſubſtantiæ, manens quod erat, dignatus eſt eſſe quod non erat, verus ſcilicet homo, verus Deus, qui abſque cujuſquam ſorde peccati, integram ſibi noſtram perfectamque naturam, veritate & carnis & animæ univit, & intra uterum beatæ Virginis Matris Spiritus ſancti virtute conceptus, nec editionem partus, nec primordia faſtidivit infantiæ: ut Verbum Dei Patris humanam ſibi ineſſe ſubſtantiam, & deitatis potentia, & carnis infirmitate loqueretur, de corpore habens corporeas actiones, & ſpiritales de deitate virtutes. Humanum quippe eſt eſurire, & ſitire, & dormire; humanum eſt metuere, flere, triſtari, humanum denique eſt crucifigi, mori, atque ſepeliri: ſed divinum eſt ſuper mare ambulare, aquas in vino convertere, mortuos ſuſcitare, mundum propria morte tremefacere, & cum vivificata ſuper omnem cœlorum altitudinem carne conſcendere: ut qui hoc credunt dubitare non poſſint, quid humanitati adſcribere, quid debeant adſignare deitati, quoniam in utroque unus eſt Chriſtus, qui & deitatis ſuæ potentiam non amiſit, & veritatem perfecti hominis naſcendo ſuſcepit. Hos ergo, dilectiſſimi, de quibus loquimur, tanquam venenum mortiferum fugite, execramini, declinate, & ab eorum colloquiis, ſi increpati a vobis corrigi noluerint, abſtinete, quoniam ſicut ſcriptum eſt, *Sermo eorum ſerpit, ut cancer.* Juſto enim judicio ab Eccleſiæ unitate rejectis, nulla eſt tribuenda communio, quam non noſtris odiis, ſed ſuis ſceleribus perdiderunt. Vos ergo dilecti Deo, & Apoſtolico teſtimonio comprobati, quibus beatus Apoſtolus Paulus doctor gentium dicit: *Quoniam fides veſtra annunciatur in univerſo mundo*: cuſtodite in vobis quod tantum prædicatorem agnoſcitis ſenſiſſe de vobis. Nemo veſtrum efficiatur hujus laudis alienus: ut quos per tot ſæcula, docente Spiritu ſancto, hæreſis nulla violavit, ne Eutychianæ quidem impietatis poſſint maculare contagia. Confidimus autem quod protectio Dei corda veſtra fidemque cuſtodiat: ut cui hactenus fideliter obediſtis, in æternum perſeverante Catholicæ Fidei obſervantia placeatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Symbolum Apoſtolorum.

Ad Tit. 3.

Cap. 11.

Cap. 151.

1. Tim. 2.

Rom. 1.

Romana fides ab Apoſtolo commendata.

HOMILIA S. LEONIS Papæ de Transfiguratione Domini.

In illo tempore: Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit eos in montem excelſum ſeorſum. Et reliqua.

Cap. 1.

EVangelica lectio, dilectiſſimi, quæ per aures corporis interiorem mentium noſtrarum pulſavit auditum, ad magni ſacramenti nos intelligentiam vocat, quam aſpirante gratia Dei facilius aſſequemur, ſi conſiderationem noſtram ad ea quæ paulo ſuperius ſunt narrata referamus. Salvator enim humani generis Jeſus Chriſtus condens eam fidem, quæ & impios ad juſtitiam, & mortuos revocat ad vitam, ad hoc diſcipulos ſuos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat: ut idem Chriſtus & unigenitus Dei & hominis Filius crederetur. Nam unum horum ſine altero non proderat ad ſalutem, & æqualis erat periculi, Dominum Jeſum Chriſtum, aut Deum tantummodo ſine homine, aut ſine Deo ſolum hominem credidiſſe, cum utrumque eſſet pariter confitendum: quia ſicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera divinitas. Ad confirmandam ergo hujus Fidei ſaluberrimam cognitionem interrogaverat diſcipulos ſuos Dominus, inter diverſas aliorum opiniones, quid ipſi de eo crederent, quidve ſentirent: ubi Petrus Apoſtolus per revelationem ſummi Patris, corporea ſuperans & humana tranſcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, & confeſſus eſt gloriam deitatis: quia non ad ſolam reſpexit ſubſtantiam carnis & ſanguinis. Tantumque in hac Fidei ſublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus, ſacram inviolabilis petræ accipere firmitatem, ſuper quam fundata Eccleſia portis inferi, & mortis legibus prævaleret, nec in ſolvendis aut ligandis quorumcumque cauſis, aliud ratum eſſet in cœlis, quam quod Petri ſediſſet arbitrio.

Petro quantum a Chriſto collatum.

Cap. 11.

Hæc autem, dilectiſſimi, laudatæ intelligentiæ celſitudo inſtruenda erat de inferioris ſubſtantiæ ſacramento, ne Apoſtolica fides ad gloriam confitendæ in Chriſto deitatis evecta, infirmitatis noſtræ receptionem indignam impaſſibili Deo atque incongruam judicaret, & ita jam in Chriſto humanam crederet glorificatam eſſe naturam, ut nec ſupplicio poſſet affici, nec morte diſſolvi. Et ideo dicente Domino, quod oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati a ſenioribus, & ſcribis, a principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere, cum beatus Petrus, qui ſuperno illuſtratus lumine, de ardentiſſima Filii Dei confeſſione fervebat, contumelias illuſionum & crudeliſſimæ mortis opprobrium religioſo, ut putabat, & libero faſtidio reſpuiſſet, benigna a Jeſu increpatione correptus, & ad cupiditatem participandæ cum eo paſſionis animatus eſt. Subſequens enim exhortatio Salvatoris hoc inſpiravit, hoc docuit, ut volentes eum ſequi, negarent ſe ſibi, & pro ſpe æternorum leviſſimum ducerent temporalium detrimentum: quia is demum animam ſuam ſalvam faceret, qui eam pro Chriſto perdere non timeret. Ut ergo iſtam felicis conſtantiæ fortitudinem toto Apoſtoli corde conciperent, & nihil de ſuſcipiendæ crucis aſperitate trepidarent, ut de ſupplicio Chriſti non erubeſcerent, nec pudendam ſibi eam patientiam crederent, quæ ſic ſubitura erat ſævitiam paſſionis, ut non admitteret gloriam poteſtatis: Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & fratrem

Math. 19. & 20.

Math. 16.

Chriſtus cur coram diſcipulis transfiguratus ſit.

ejus Joannem, & conſcenſo cum eis ſeorſum mon-
te præcelſo, claritatem ſuæ gloriæ demonſtravit:
quia licet intellexiſſent in eo majeſtatem Dei, ipſius
tamen corporis, quo divinitas tegebatur, poten-
Matth. 16. tiam neſciebant. Ed ideo proprie ſignanterque pro-
miſerat quoſdam de aſtantibus diſcipulis non prius
guſtare mortem, quam viderent Filium hominis
venientem in regno ſuo, id eſt in regia claritate,
quam ſpiritaliter ad naturam ſuſcepti hominis per-
tinentem, his tribus viris voluit eſſe conſpicuam.
Nam illam ipſius deitatis ineffabilem & inacceſſi-
bilem viſionem, quæ in æternam vitam mundis cor-
de ſervatur, nullo modo mortali adhuc carne cir-
Matth. 17. cumdati intueri poterant & videre. Aperit ergo Do-
minus coram electis teſtibus gloriam ſuam, & com-
munem illam cum cæteris corporis formam tan-
to ſplendore clarificat, ut & facies ejus Solis ful-
gori ſimilis, & veſtitus candori nivium eſſet æqua-
lis. In qua transfiguratione illud quidem princi-
paliter agebatur, ut de cordibus diſcipulorum cru-
cis ſcandalum tolleretur: nec conturbaret eorum
fidem voluntariæ humilitas paſſionis, quibus reve-
lata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis. Sed non
minore providentia ſpes ſanctæ Eccleſiæ fundaba-
tur, ut totum corpus Chriſti agnoſceret, quali eſ-
ſet commutatione donandum: ut ejus ſibi honoris
conſortium membra promitterent, qui in capite præ-
Matth. 13. fulſiſſet. De quo idem Dominus dixerat, cum de ad-
ventus ſui majeſtate loqueretur: *Tunc juſti fulgebunt
ſicut Sol in regni Patris eorum*: proteſtante hoc ipſum
Rom. 8. beato Paulo Apoſtolo, & dicente, *Exiſtimo enim
quod non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad fu-*
Coloſ. 3. *turam gloriam quæ revelabitur in nobis*. Et iterum
*Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum
Chriſto in Deo. Cum enim Chriſtus apparuerit vita ve-*
Cap. iv. *ſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*. Con-
firmandis vero Apoſtolis, & ad omnem ſcientiam
provehendis, illa quoque in illo miraculo acceſſit
Deut. 19. inſtructio. Moſes enim & Helias, lex ſcilicet &
Matth. 18. Prophetæ, apparuerunt cum Domino loquentes;
Joan. 8. ut veriſſime in alia quinque virorum præſentia com-
2. Cor. 13. pleretur, quod dictum eſt, *In duobus vel tribus teſti-*
Hebr. 10. *bus ſtat omne verbum*. Quid hoc ſtabilius, quid fir-
mius verbo in cujus prædicatione veteris & novi
Teſtamenti concinit tuba, & cum Evangelica do-
ctrina, antiquorum proteſtationum inſtrumenta
concurrunt? Adſtipulantur enim ſibi invicem utriuſ-
que fœderis paginæ, & quem ſub velamine myſte-
riorum præcedentia ſigna promiſerant, manifeſtum
atque perſpicuum præſentis gloriæ ſplendor oſten-
Joan. 1. dit. Quia ſicut ait beatus Joannes, *Lex per Moſem
data eſt, gratia autem, & veritas per Jeſum Chri-
ſtum facta eſt*, in quo, & propheticarum promiſſio
impleta eſt figurarum, & legalium ratio præcepto-
rum: dum & veram docet prophetiam per ſui præ-
Cap. v. ſentiam, & poſſibilia facit mandata per gratiam. His
ergo ſacramentorum revelationibus Petrus Apoſto-
lus incitatus mundana ſpernens, & terrena faſtidiens,
in æternorum deſiderium quodam mentis rapieba-
tur exceſſu: & gaudio totius viſionis impletus, ibi
cum Jeſu optabat habitare, ubi manifeſtata ejus gloria
lætabatur. Unde & ait, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe:
ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moſi
unum, & Heliæ unum*. Sed huic ſuggeſtioni Domi-
nus non reſpondit, ſignificans non quidem impro-
bum, ſed inordinatum eſſe quod cuperet: cum ſal-
vari mundus niſi Chriſti morte non poſſet, & exem-
plo Domini in hoc vocaretur credentium fides, ut
licet non oporteret de beatitudinis promiſſionibus
dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes
hujus vitæ prius nobis tolerantiam poſtulandam
eſſe quam gloriam, quia tempora patiendi non po-
teſt felicitas prævenire regnandi.

Adhuc itaque eo loquente, ecce nubes lucida obum- Cap. vi. Hic eſt Filius meus dilectus.
bravit eos, & ecce vox de nube dicens: *Hic eſt Fi-
lius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum
audite*. Præſens quidem erat in Filio Pater, & in illa
Domini claritate, quam ad diſcipulorum temperarat
aſpectum, non ſeparabatur ab unigenito genitoris
eſſentia: ſed ad commendandam proprietatem utriuſ-
que perſonæ ſicut viſu ſignificavit Filium ſplendor
ex corpore, ſic auditu Patrem vox nunciavit ex nu-
be. Qua voce accepta, diſcipuli quod in faciem ce-
ciderunt, & timuerunt valde, non de Patris tantum,
ſed & de Filii majeſtate tremuerunt. Altiori enim
ſenſu unam utriuſque intellexerunt deitatem. Et
quia in fide non erat hæſitatio, non fuit in timore
diſcretio. Latum ergo illud & multiplex teſtimo-
nium fuit, & plus in verborum virtute, quam in ſo-
no vocis auditum eſt. Dicente enim Patre, *Hic eſt Fi-
lius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum
audite*, nonne evidenter auditum eſt, *Hic eſt Filius
meus* cui ex me, & mecum eſſe, ſine tempore eſt? Quia
nec genitor genito prior, nec genitus eſt genitore po-
ſterior. Hic eſt Filius meus, quem a me non ſeparat
deitas, non dividit poteſtas, non diſcernit æternitas.
Hic eſt Filius meus: non adoptivus, ſed proprius, non
aliunde creatus, ſed ex me genitus: nec de alia na-
tura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia
mihi natus æqualis. Hic eſt Filius meus: per quem Joan. 1.
omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, quia
omnia, quæ facio, ſimiliter facit; quicquid operor,
inſeparabiliter mecum atque indifferenter operatur.
In Patre enim eſt Filius, & in Filio Pater, nec un-
quam unitas noſtra dividitur. Et cum alius ego ſim, Joan. 5.
qui genui, alius ille, quem genui; non aliud tamen de
illo vobis eſt cogitare, quam de me ſentire poſſibi-
le eſt. Hic eſt Filius meus: qui eam, quam mecum Philip. 1.
habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec uſurpa-
tione præſumpſit, ſed manens in forma gloriæ meæ,
ut ad reparandum genus humanum exequeretur
commune conſilium, uſque ad formam ſervilem
inclinavit incommutabilem deitatem. Hunc ergo, Cap. vii.
in quo mihi per omnia bene complaceo, & cujus
prædicatione manifeſtor, cujus humilitate clarifi-
cor, incunctanter audite: quia ipſe eſt veritas & vi-
ta, ipſe virtus mea atque ſapientia. Ipſum audit,
quem legis myſteria prænunciaverunt, quem Pro-
phetarum ora cecinerunt. Ipſum audite, qui ſangui-
ne ſuo mundum redemit, qui diabolum ligat, &
vaſa ejus rapit, qui peccati chirographum, & præ-
varicationis pacta diſrumpit. Ipſum audite, qui viam
aperit ad cœlum, & per Crucis ſupplicium gradus
vobis Aſcenſionis parat ad regnum. Quid trepida-
tis redimi? quid pavetis * ſaucii liberari? Fiat quod Sancti.
me volente vult Chriſtus. Abiicite carnalem formi-
dinem, & fideli vos armate conſtantia. Indignum
eſt enim, ut in Salvatoris paſſione timeatis, quod
ipſius munere nec in veſtro fine metuetis. Hæc, di- Cap. viii.
lectiſſimi, non ad illorum tantum utilitatem dicta
ſunt qui ea propriis auribus audierunt, ſed in illis
tribus Apoſtolis univerſa Eccleſia didicit, quicquid
eorum & iſpectus vidit, & auditus accepit. Con-
firmetur ergo ſecundum prædicationem ſacratiſſi-
mi Evangelii omnium fides, & nemo de Chriſti
Cruce, per quam mundus redemptus eſt, erube-
ſcat. Nec ideo quiſquam aut pati pro juſtitia ti-
meat, aut de promiſſionum retributione diffidat:
quia per laborem ad requiem, & per morte tran-
ſitur ad vitam; cum omnem humilitatis noſtræ in-
firmitatem ille ſuſceperit, in quo ſi in confeſſione
& in dilectione ipſius permaneamus, & quod
vin-

vincimus, & quod promiſit accipimus, quia ſive ad facienda mandata, ſive ad tolerenda adverſa, præmiſſa patris vox debet ſemper auribus noſtris intonare dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA S. LEONIS PAPÆ.

Meth. 5. *De eo quod ſcriptum eſt: Videns Jeſus turbas, aſcendit in montem: & quum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, &c. de gradibus aſcenſionis ad beatitudinem.*

Cap. I. PRædicante, dilectiſſimi, Domino noſtro Jeſu Chriſto Evangelium regni, & diverſos per totam Galilæam curante languores, in omnem ſe Syriam virtutum ejus fama diffuderat: & multæ ex univerſa Judæa turbæ ad cœleſtem medicum confluebant. Quia enim tarda eſt humanæ ignorantiæ fides ad credenda quæ non videt, & ſperanda quæ neſcit, oportebat divina eruditione firmandos, corporeis beneficiis & viſibilibus miraculis incitari: ut cujus tam benignam experiebantur potentiam, non embigerent ſalutarem eſſe doctrinam. Ut ergo exteriores medelas Dominus ad remedia interiora transferret, & poſt ſanitates corporum, curationes operaretur animarum; ſegregatus a circumſtantibus turbis ſeſceſſum vicini montis aſcendit, advocetis Apoſtolis, quos ſublimioribus inſtitutis ebedito myſticæ ſedis imbueret, ex ipſa loci atque operis qualitate ſignificans ſe eſſe qui Moſem quondam ſuo fuiſſet dignatus alloquio: illic quidem turribiliore juſtitia, hic autem ſacratiore clementia, ut impleretur quod fuerat, Propheta Hieremia dicente, promiſſum: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda teſtamentum novum.* Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum ſcribam eas. Qui ergo locutus fuerat Moſi, locutus eſt & Apoſtolis, & in cordibus diſcipulorum velox ſcribentis Verbi manus, novi Teſtamenti decreta condebat, nulla, ut quondam, circumfuſe nubium craſſitudine, neque per terribiles ſonos atque fulgores populo ab acceſſu montis abſterrito: ſed patente ad aures circumſtantium tranquillitate colloquii, ut per gratiæ lenitatem removeretur legis aſperitas, & ſpiritus edoptionis euferret formidinem ſervitutis. Qualis igitur doctrina ſit Chriſti, ſecræ ipſius ſententiæ proteſtentur: ut qui ad æternam beatitudinem pervenire deſiderant, gradus feliciſſimæ aſcenſionis agnoſcant. *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* De quibus pauperibus Veritas loqueretur, forte eſſet ambiguum, ſi dicens, *Beati pauperes*, nihil edderet de intelligenda pauperum qualitate, & ſufficere videretur ad promerendum regnum cœlorum ea ſola inopia, quam multi ſub grevi & dura neceſſitate patiuntur; ſed cum dicit, *Beati pauperes ſpiritu*, oſtendit eis regnum cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum, magis quam indigentia facultatum. Dubitari autem non poteſt, quod humilitatis iſtius bonum, facilius pauperes quam divites aſſequantur: dum & illis in tenuitate amica eſt manſuetudo, & iſtis in divitiis familiaris elatio. Veruntamen & in pleriſque divitibus invenitur hic animus, qui abundantia ſua non ad tumorem ſuperbiæ, ſed ad opera benignitatis utatur, idque pro lucris maximis numeret, quod ad relevandam miſeriam alieni laboris impenderit. Omni generi atque ordini hominum datur in hac virtute conſortium: quia poſſunt eſſe propoſito pares, & impares cenſu: nec intereſt quantum ſint in facultate terrena diſſimiles, qui in ſpiritalibus bonia inveniuntur æquales. Beata igitur ille paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus eugeri appetit; ſed cœleſtibus bonis diteſcere concupiſcit. Hujus nobis magnanimæ paupertati exemplum primum poſt Dominum Apoſtoli præbuerunt, quia omnia ſua ſine differentia relinquentes, ad vocem cœleſtis megiſtri, a capture piſcium in piſcatores hominum alacri converſione mutati ſunt, & multos ſui ſimiles fidei ſuæ imitatione fecerunt, quando illis primitivis Eccleſiæ unum cor omnium & anime una erat credentium: qui univerſis ſuis rebus poſſeſſionibuſque diſtractis per devotiſſimam paupertatem bonis ditabantur æternis, & ex Apoſtolica prædicatione gaudebant, nihil habere de mundo, & omnia poſſidere cum Chriſto. Hinc B. Petrus Apoſtolus, cum eſcendens in templum, e claudo eleemoſynam poſceretur, *Argentum*, inquit, *& aurum non eſt mecum, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Quid hac humilitate ſublimius? quid hac paupertate locupletius. Non habet præſidia pecuniæ, ſed habet dona naturæ: quem debilem edidit mater ex utero, ſanum fecit Petrus ex verbo: & qui imaginem Cæſaris in nummo non dedit, imaginem Chriſti in homine reformavit. Hujus autem theſauri opibus, non ſolum ille adiutus eſt, cui greſſus eſt redditus; ſed etiam quinque millia virorum, qui tunc ad exortationem Apoſtoli ob ejuſdem curationis miraculum crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat quod patenti daret, tantam dedit divinæ gratiæ lergitatem, ut quemadmodum unum hominem redintegrarat in pedibus, ſic tot millia credentium ſanaret in cordibus; faceretque eos in Chriſto alacres, quos in Judeica perfidie invenerat claudicantes. Poſt prædicationem hujus feliciſſimæ paupertatis, addidit Dominus, dicens: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Luctus hic, dilectiſſimi, cui conſolatio æterna promittitur, non eſt cum mundi hujus affectione communis, nec beatum quenquam faciunt iſta lamente, quæ totius humani generis deploratione funduntur. Alia ratio eſt ſanctorum gemituum, alie beatorum cauſa lachrymarum. Religioſa triſtitia aut alienum peccatum luget eut proprium. Nec de hoc dolet, quod divina juſtitia agitur; ſed de eo mœret, quod humene iniquitate committitur: ubi magis plengendus eſt faciens maligna, quam patiens: quia injuſtum malitia ſua demergit ad pœnam, juſtum eutem tolerantia ducit ad gloriam. Deinde eit Dominus: *Beati mites, quoniam ipſi hæreditate poſſidebunt terram.* Mitibus atque manſuetis, humilibus ac modeſtis, ad omnium injuriarum tolerantiam præparatis, poſſidende terra promittitur. Nec parve æſtimanda eſt hæc aut vilis hæreditas, tanquam a cœleſti hebitatione diſcreta ſit, cum regnum cœlorum non elii intelligantur intrare. Terra ergo promiſſa mitibus, & in poſſeſſionem danda manſuetis, caro Sanctorum eſt, quæ ob humilitatis meritum felici reſurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria veſtietur: in nullo jam ſpiritui futura contraria, & cum voluntate animi, perfectæ unitatis habitura conſenſum. Tunc enim extetior homo interioris hominis erit quieta & intemerata poſſeſſio: tunc mens videndo Deo intenta, nullis corporeæ infirmitatis impedietur obſtaculis, nec jam dici ne-

Hier. 31. · Cap. II. Gradus aſcenſionis ad beatitudinem. · Math. 5. · Act. 4. · Act. 3. · Act. 5. · Cap. III. · Math. 5. · Cap. IV.

ceſſe

Digitized by Google

[Sap. 6.] ceſſe erit. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Quoniam habitatori ſuo non reluctabitur terra, nec immoderatum aliquid contra imperium ſui rectoris audebit. Poſſidebunt enim illam mites pace perpetua, & nihil unquam de eorum jure minuetur; cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, ut periculum [1. Cor. 15.] vertatur in præmium, & quod fuit oneri, ſit honori. Poſt hæc addit Dominus, & dicit: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

[Cap. v.] Nihil hæc eſuritio corporeum, nihil expetit ſitis iſta terrenum: ſed juſtitiæ bono deſiderat ſaturari, & in omnium oculorum introducta ſecretum ipſo Domino optat impleri. Felix mens, quæ hunc concupiſcit cibum, & ad talem æſtuat potum: quem utique non expeteret, ſi nihil de ejus ſuavitate guſtaſſet. Audiens autem dicentem ſibi Propheticum [Pſalm. 33.] ſpiritum, *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*, accepit quandam ſupernæ dulcedinis portionem, & in amorem caſtiſſimæ voluptatis exarſit: ut ſpretis omnibus temporalibus, ad edendam bibendamque juſtitiam, toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet veritatem, dicentis: [Deut. 6. Matth. 20. Marc. 14. Lucæ 10.] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua:* quoniam nihil eſt aliud diligere Deum, quam amare juſtitiam. [Diligere Deum quid ſit.] Denique ſicut illi dilectioni Dei proximi cura ſubjungitur: ita & huic deſiderio juſtitiæ virtus miſericordiæ copulatur, & dicitur, [Cap. vi.] *Beati miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus.* Agnoſce, Chriſtiane, tuæ ſapientiæ dignitatem, & qualium diſciplinarum artibus ad quæ præmia voceris, intellige. Miſericordem te miſericordia, juſtum vult te eſſe juſtitia: ut in creatura ſua Creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat. Secura eſt operantium fides, aderunt tibi deſideria tua, & iis quæ amas ſine fine potieris. Et quoniam tibi per eleemoſynam omnia munda ſunt, ad eam quoque beatitudinem, quæ conſequenter eſt promiſſa, pervenies, dicente Domino:

[Cap. vii.] *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* [1. Cor. 13.] Magna felicitas, dilectiſſimi, cui tantum præmium [Joan. 1.] præparatur. [1. Tim. 6. 4.] Quid ergo eſt habere cor mundum, niſi eis quæ ſupra dictæ ſunt, ſtudere virtutibus? [Eſai. 64.] Videre [1. Cor. 2.] autem Deum, quantæ ſit beatitudinis, quæ mens concipere, quæ lingua valeat explicare? Et tamen hoc conſequetur, cum trasformabitur humana natura, ut non jam per ſpeculum, neque in ænigmate, ſed facie ad faciem, ipſam, quam nullus hominum videre potuit ſicuti eſt, videat deitatem: Et quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, per ineffabile gaudium æternæ contemplationis obtineat. Merito hæc beatitudo cordis promittitur puritati. Splendorem enim veri luminis ſordens acies videre non poterit: & quod erit jucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculoſis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni ſqualore iniquitatis, oculi tergantur interiores, ut ſerenus intuitus tantum Dei viſione paſcatur. Ad hoc enim promerendum illud intelligimus pertinere, quod ſequitur.

[Cap. viii.] *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Beatitudo iſta, dilectiſſimi, non cujuslibet conſenſionis, aut qualiſcumque concordiæ eſt, ſed illius, de qua [Rom. 5.] dicit Apoſtolus: *Pacem habete ad Deum.* Et de qua [Pſal. 118.] dicit Propheta David: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Hanc pacem etiam arctiſſima amicitiarum vincula & indiſcretæ ſimilitudines animorum non veraciter ſibi vindicant: ſi non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem hujus pacis ſunt improbarum parilitates cupiditatum, fœdera ſcelerum, & pacta vitiorum. Amor mundi cum Dei amore non congruit: nec ad ſocietatem filiorum Dei pervenit, qui ſe a carnali generatione non dividit. Qui autem ſemper cum Deo [Epheſ. 4.] mente ſunt ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, numquam ab æterna lege diſſentiunt, fideli oratione dicentes: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo* [Matth. 6.] *& in terra.* Hi ſunt pacifici, hi bene unanimes, ſanctéque concordes, vocandi æterno nomine Filii Dei, [Rom. 8.] cohæredes autem Chriſti: quia hoc merebitur dilectio Dei & proximi, ut nullas jam adverſitates ſentiat, nulla ſcandala pertimeſcat: ſed finito omnium tentationum certamine, in tranquilliſſima Dei pace requieſcat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto, vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO BEATI LEONIS PAPÆ.
In natali ſancti Vincentii Martyris.

[Cap. i. D. Auguſtino falſo adſcriptus, De ſanctis ſerm. 13.] CUnctorum licet, dilectiſſimi, glorioſas Martyrum paſſiones, quos diſtincta regionibus loca meruerunt, una fides faciat omnibus indiſcreto honore venerabiles; propriam tamen ſibi in hoc venerationis obſequio illi vindicant dignitatem, qui Eccleſiam Dei & documentis præ ceteris erexerunt, & patrociniis adjuverunt: inter quos juſte beatum Levitam Vincentium, cujus confeſſione & morte Chriſtum incredulis prædicatum incunctanter agnoſcimus, Catholicis ſtudiis celebramus. Qui ut Fidelium devotionem Deo ſtudioſius commendaret, altiori charitatis flammeſcens affectu, morti ſeſe tandem fideliter obtulit quo videlicet robur fidei in ſolidiſſima petra Chriſto fundatum, ſequacibus imitandum daretur: nec non & ſemen Apoſtolicæ prædicationis per eum pluribus diſſeminatum, ope ſuæ interceſſionis tutum ac perfectæ conſummationis ſiuge refertum in cœleſtibus demum horreis conderetur. Nunc ergo amplius propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur: quatenus eis ſe largiorem exhibeat in beneficiis, quibus ſe amabiliorem cognoſcit in gaudiis, fiatque in ejus ſolemnitate uberior lætitiæ ambitus, de quo fidei crevit effectus. [Cap. ii. S. Vincentii vita & paſſio.] Hujus denique ſpiritus tanto virtutum munere claruit, ut ſacri miniſterii fultus officio, qui Filium Dei Dominum noſtrum ſecuturus eſſet in paſſione, ejuſdem Chriſti calicem credentibus prius miniſtraret in ſalutem. Cujus hauſtu feliciter mente ebriatus, rabidi hoſtis, atque in Chriſtum ſævientis inſaniam interius adiit, modeſtus ſuſtinuit, ſecurus irriſit, ſciens paratus eſſe ut reſiſteret, neſciens elatus eſſe quo vinceret: quia cujus amore ſpiritualibus armis præmunitus reſiſtebat, ejus adiutorio quicquid pœnarum in illum furentis ira excogitabat, inſuperabilis fortiter patiendo vincebat. Ideo non hunc laminæ ignitæ ſartaginis, non eculei, non ungulæ, ferreæque manus, non vires pavendæ cædentium, nec dolor ſciſſorum membrorum, non foci fragor, & ſtrepentis in patentibus viſceribus ſalis injectio, Daciani quiverunt aliquatenus ſubdere juſſioni. Sed dum in tantum ejus vecordiæ tumor excreſceret, ut tantis paſſionis ſubactum doloribus aut viciſſe aut interemiſſe ſe lætabundus extolleret, ſuſcepta ſpe fruſtratus, unde victor viſus eſt apparere, inde victus compulſus eſt erubeſcere: quoniam quo Dei Martyr duriori urgebatur pœna, eo ampliori confeſſionis exultabat conſtantia.

Unde

Unde ipſius paſſiones vel ultima pervidere, ſeu memorari, fratres, evidentius placet: quatenus animadvertat ſanctitas veſtra, quo diabolus ſuum perduxerit dolis miniſtrum, vel quomodo Chriſtus ſuum in finem uſque ſervaverit famulum. Ex quo illud ſane erat mirabile, quia quantum iſte extrinſecus multiplici pœnarum genere contritus arctabatur, tantum intrinſecus exultante interiori homine dilatabatur: quantumque ille exterius jactantia temporalis potentiæ inflabatur, tantum interius deſpici ſe perpendens interiori vexatus homine præfocabatur. Contemni igitur ſe videns ſæviebat, nec in quem jam vindictam inferret inveniebat. Videbat namque deſævientium manus carnificum plus in eo invenire vulneris, quam corporis, ſolumque vigentem ſpiritum eo ſtultitiam exprobrare ſuam, quod provocabat veritatis normam. Quapropter credens quod cauſam confuſionis averteret, ſi perſonam quæ ſe ſpreverat abſentaret, minuſque Dacianus erubeſceret, ſi Vincentium populus non videret, juſſit eum a publico removeri. Sed, ne ſic quidem careret ſupplicio, contuſa qua jacebat teſta ſubſternitur: ut vis acuminis conciſam molem ſuperjecti corporis plus diſcinderet, atque reddita tormentis membra quæ ſecarent obvia ſuſciperent fragmenta. Fallitur tamen

Cap. III.

vincendi opinione cæca crudelitas. Nam divina bonitas dilectum ſuum amplius in confeſſione comitata infert novam tenebris lucem, & tabernaculum ſplendidum obſcurum reddit ergaſtulum. Fovebat laceros artus medica Dei manus, & venuſtiori priſtinæ ſanitatis augmento foſſi lateris damna ſupplebat. Inſolita igitur hujus luminis claritate perculſi, obſtupuere cuſtodes, quin & vocem Angelis hymnum Deo concinentibus mens pallidi janitoris expavit. Currit exanimis miniſter ad præſidem, quem gravius relatio nuncii, quam ictus erat percuſſura gladii: & cum non poſſet ex magnitudine rei tacere quod viderat, tremor judicem occupat, dolor lacerat, furor inflammat: & ne in pœnis Vincentius vincens gloriam martyrii obtineret: citius, inquit Dacianus, producatur e carcere, ne dum inſiſtimus rebellem punire, videamur eum potius victoria coronare. Profertur itaque ex illo tetri carceris barathro cœleſti quidem gratia pulchrior, etſi adhuc eſſet paſſurus robuſtior. Sed ubi deſiderium ad regni vocationem tendentis nullo pœnarum vel mortis genere frangendum intelligit, jubet invida mens lenioris ſtrati fulcra ſubſtitui, ac blandiori eum requie confoveri: ſcilicet ut ſi amoto paululum carnifice, animam quietus exhalaret, diceretur non eſſe occiſus,

Cap. IV.

ſed mortuus: quaſi non eum pœna peremerit, cum quo & pœna ſimul perierit. Interea B. Vincentium cœleſtis aula ſuſcipit, ac beatæ felicitatis munere donat. Ad cujus ingreſſum angelici lætantur ſpiritus, omneſque ſimul concives gratulantur ſancti. Noſque tibi gratias agimus, Domine Jeſu, quod anima tuo digna conſortio, quæ pertinax tulit ſupplicium, mendax fugit obſequium, & quæ fuit contenta perſecutor quod fureret, ſit dedignata quod parceret. Cognito igitur ſancto ejus abſceſſu judex inſanus, & quia Chriſtus viciſſet in Vincentio neſcius Dacianus, illius ſibi promittit cadaveris expoſitione vindictam, cujus gemit ex virtute victoriam. Feris namque & canibus decepta furoris ſuperbia abſumendum projici mandat lictoribus: ut tali paſtu eorum impleret ventrem, quorum ipſe gerebat mentem. Sed ut divinis excreſcentibus beneficiis majoris victoriæ Vincentio gratia conferatur, mittitur corvus, avis *amica cadaveribus expoſitas corporis dapes ſervatura jejuna. Hinc fratres, dilectiſſimi, hinc advertite diſtincta meritorum obſequia. Helias

Corvus exanime Vincentii corpus tuetur. Cap. V.

inimica.

quondam impias Achab vel Jezabelis manus caute declinans, in deſerto corvis miniſtrantibus paſcitur: aſſertor autem veritatis Vincentius Daciani rabie peremptus, feris exponitur conſumendus, sed corvo famulante ſervatur illæſus. Obtinuit ergo Helias divino nutu corvis præſtantibus quo aleretur: præſtitum eſt Vincentio, obſequente quoque corvo, ne comederetur. Qui ut cœlitus ſe cuſtodem deſignatum oſtenderet, adventantes reliquas aves eminus non ſegni impetu perturbabat, inter quas immanem quoque lupum propius accedentem, veluti qui commiſſum theſaurum ſacrilega audacia attaminare præſumeret, pennis & alis diverberans procul abegit, ſed ille quod non tam ad inferendam veniſſet injuriam, quam ad augendam miraculi pompam quadam ſui habitudine ſtupidus indicabat. O impudens furor, & ſtulta veſania! Corvus obſequitur, lupus veneratur; Dacianus perſequitur, nec erubeſcit velle ſe adhuc ferox perdere, quem manſuefacta beſtialis feritas ſatagebat protegere. Unde ad occulendam

3. Reg. 17.

Cap. VI.

Martyris laudem, non jam ſecretum, ſed profundum elegit: credens ſibi ad deliteſcendam ejus gloriam non clauſtra fidem ſervatura, ſed maria: quaſi non idem elementi Dominus eſſet, per quem dudum ei carceris abdita cœleſti fulgore radiata micuiſſent. Datur nautis mergendum corpus in fluctibus: ut ad auxilium ſaltem æquora proficerent, cui ad vincendum Chriſti militem terra defeciſſet. Enavigatis itaque magna ex parte freti gurgitibus, projectum inter ſorbentes undas præpotens eſt Dei dextera conſecuta: & quæ ſpiritum intulerat in cœlum, corpus mox retulit ad ſepulchrum. Sic prædicator veritatis, chariſſimi, nec tormentorum vincitur pœnis, nec tenebroſi carceris ſuperatur anguſtiis. Non a beſtiis dilaniatur, non profundo celatur, ſed littori redditur, præconio diffamatur: ut qui vere confeſſus fuerat nomen deitatis, veritate ſibi adeſſe experiretur divinæ ſuffragia bonitatis. Cujus glorioſam virtute vitam, ita pretioſæ mortis gratia decoravit, ut quod vivendo docuit, moriendo conſtanter aſtrueret: eratque conſequens quatenus ad ejus viſionem per mortem attingeret, quem probabilis vitæ converſatione ſemper atteſtatus fuiſſet, ſciens quod de contemptu præſentis vitæ gloria ſurgit beatitudinis æternæ, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat in ſecula ſæculorum, Amen.

Sermo incerti Authoris de Martyribus.

Reperitur & inter ſermones D. Auguſtini, de Sanctis. 47. quamvis nec illius ſit.

Quotieſcumque, fratres chariſſimi, ſanctorum Martyrum ſolemnia celebramus, ita ipſis intercedentibus expectemus a Domino conſequi temporalia beneficia, ut ipſos Martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab ipſis enim ſanctorum Martyrum in veritate feſtivitatum gaudia celebrantur, qui ipſorum Martyrum exempla ſequuntur, ſolemnitates enim martyrum exhortationes ſunt martyriorum: ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationem mundi nolumus ſuſtinere cum illis. Qui enim ſanctos Martyres vel inquantum potuerit, imitari noluerit; ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Sic enim Apoſtolus Paulus prædicat dicens: Si fuerimus ſocii paſſionum, erimus & conſolationum. *Et Dominus in Evangelio:* Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. *Recuſat eſſe in corpore, qui odium mundi non vult ſuſtinere cum capite. Sed dicit aliquis: Et quis eſt qui poſſit beatorum Martyrum veſtigia ſequi? Huic ergo reſpondeo: quia non ſolum Martyres, ſed ipſum Dominum cum ipſius adjutorio, ſi volumus, poſſumus imitari. Audi non me, ſed ipſum Dominum generi humano clamantem:*

2. Cor. 1.

Joan. 13.

tem: Diſcite a me quoniam mitis ſum & humilis (Matth. 11.) corde. *Audi & beatum Petrum Apoſtolum admonentem:* (1. Petr. 2.) Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens vobis exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. *Ecce Chriſtus dicit: Diſcite a me, beatus Petrus dicit, ut ſequamini veſtigia ejus. Similiter Paulus Apoſtolus clamat:* (Epheſ. 5.) Imitatores Dei eſtote, ſicut filii chariſſimi: *Quid ad hæc reſpondebimus, fratres, vel quam excuſationem habere poterimus? Si tibi aliquis dicat ut virtutes, quas fecit Dominus, debeas imitari, juſta poteſt eſſe excuſatio tua, quia virtutes & miracula facere non omnibus datum eſt. Juſte & caſte vivere, & charitatem cum omnibus cuſtodire ex Dei adjutorio, cunctis præceptum eſt. Nam & ipſe Dominus non dixit, Diſcite a me mortuos ſuſcitare: ſupra aquas ſiccis pedibus ambulare.* (Matth. 5.) *Non hoc dixit. Sed quid ait?* Quoniam mitis ſum & humilis corde. *Et iterum:* Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, atque orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. (Ibidem.) *Et iterum:* Eſtote & vos perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt. *Et licet ſint alia multa, in quibus debeamus Dominum & beatos Martyres imitari, iſta tamen duo præcipua ſunt, id eſt, ut mites ſimus & humiles corde, & inimicos noſtros tota affectu diligamus, & de diligendis inimicis, fratres chariſſimi nullus unquam in veritate ſe poterit excuſare. Poteſt mihi aliquis dicere, non poſſum jejunare, non poſſum vigilare, nunquid poteſt dicere, non poſſum diligere? Poteſt dicere, non poſſum res meas totas pauperibus erogare, & in monaſterio Deo ſervire, nunquid poteſt dicere non poſſum diligere? Si dixeris, quia non poſſum a vino & a carnibus abſtinere, credemus tibi. Si autem dixeris, quod non poſſis in te peccantibus indulgere, omnino non credemus. Et quia nulla nobis remanet excuſatio, dum non de cellario, ſed de corde iſtam eleemoſynam jubemur implere, ut per viam vitæ ad æternam patriam mereamur pervenire. Duobus enim præceptis, id eſt, Diliges Dominum tuum, & Diliges proximum, quaſi duobus ſpiritualibus pedibus, ſi per viam veræ charitatis volumus currere, ad cæleſtem poſſumus patriam feliciter* * *pertingere.* (*pervenire.*) *Iſtis pedibus currebat Paulus Apoſtolus, quando dicebat:* (1. Cor. 9.) Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum. *Qui ergo dilexerit inimicos ſuos illud in eo impletur, quod dixit Dominus, videlicet:* (Matth. 5.) Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt. *Elige modo, quod tibi placuerit. Si inimicos dilexeris, non ſolum amicus, ſed etiam filius Dei eſſe mereberis. Si vero inimicos amare nolueris, propitium Deum habere non poteris, quia ſcriptum eſt:* Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. (1. Joan. 3.) *Et iterum:* (1. Joan. 2.) Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. *Et iterum alibi ſcriptum eſt:* Itinera * eorum qui injuriam retinent, Dominus labefacit in mortem. (*impiorum.*) *Nunquid hæc verba mea ſunt, fratres chariſſimi? De Scripturis ſanctis & canonicis proferuntur. Ut ergo nec homicidæ ſimus, nec in tenebris remaneamus, ſtudeamus non ſolum amicos, ſed etiam inimicos diligere, ut pium & miſericordem Dominum poſſimus ſecundum cautionis ſuæ vinculum libera conſcientia convenire. Ipſe enim dixit:* (Matth. 6.) Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Si autem non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. *Diligenter attendite, fratres, & ſcitote aliud eſſe in Deum peccare, aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines ſi pœnitentibus veniam non indulgemus, peccatum incurrimus. Quando aliquis in Deum peccaverit, ſi ſine grandi diſtrictione indulgere voluerimus, participes nos peccatis eorum efficimur. Dicit ergo Dominus: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra. Rogo, fratres, quid dulcius dici poteſt? In poteſtate noſtra poſuit, qualiter in die judicii judicemur. Non dixit, vade in Orientem, quære juſtitiam, naviga uſque in Occidentem, ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi. Indulge, & indulgebitur tibi; da, & dabitur tibi. Nihil a te extra te quæritur. Ad te ipſum & ad conſcientiam tuam te Deus dirigit. In te enim poſuit, quod requirit. Non itaque medicamenta vulneribus tuis longe habes inquirere. Peccatorum tuorum indulgentiam ſi vis, intus in cellario cordis tui poteris invenire. Sed dicit aliquis: Tanta mala me inimicus meus compulit ſuſtinere, ut eum nulla ratione poſſim diligere. Attendis, quid tibi fecerit homo & non attendis quid tu feceris Deo? Si conſcientiam tuam diligenter diſcutis & inquiris, ſine ulla compenſatione majora tu commiſiſti in Deum peccata, quam in te commiſerit homo. Et qua fronte vis ut tibi Deus dignetur dimittere multum, cum tu non acquieſcis dimittere parum? Et ſi hæc quæ ſupra diximus ſpiritalia medicamenta, ſicut Deo propitiante conſuevíſtis, libenter accipitis, & in armario ſancto conſcientiæ veſtræ recondita diligentiſſime cuſtoditis: auxiliante Domino, venena diaboli non timebitis, & per odium vel iracundiam aut nunquam vobis amara vulnera ingerentur, aut ſi forte ſubrepſerint, cito per charitatem ad priſtinam ſalutem revocantur, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.*

INCIPIT SERMO S. LEONIS Papæ de natali ſuo.

In anniverſario die aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum.

SIcut honor eſt filiorum, dilectiſſimi, dignitas patrum, ita lætitia eſt plebis gaudium ſacerdotis, (Ex vet. Cod. ma. Nicolai Fabri.) quod, quia ex divino venit munere (*Omne enim, ſicut ſcriptum eſt, datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a patre luminum*) gratias agere bonorum omnium debemus auctori; quoniam, ſive in naturalibus incrementis, ſive in moralibus inſtitutis, ipſe fecit nos & non ipſi nos, cumque hoc pie & fideliter confitemur, neque in nobis, ſed in Domino gloriamur; fructuoſe in nobis renovantur vota cum tempore, & religioſa feſta juſta ſunt gaudia, in quibus nec ingrati ſumus tacendo de donis, nec ſuperbi præſumendo de meritis. Omnem igitur dilectionem, cauſam, & rationem ſolemnitatis hodiernæ ad originem ſuam caputque feramus, & illum debita gratiarum actione laudemus, in cujus manu & gradus officiorum & momenta ſunt temporum. Nam ſi ad nos & ad noſtra reſpicimus, vix aliquid reperimus unde merito gaudeamus; mortali etenim carne circumdati, & fragilitati corruptionis obnoxii, nunquam ita liberi ſumus, ut non aliqua impugnatione pulſemur, nec tam felix capitur in hoc agone victoria, ut non etiam poſt triumphos ſurgant rediviva certamina. Unde nemo tam perfectus eſt Pontifex, tam immaculatus Antiſtes, qui placationis hoſtias pro populi tantum delictis, non etiam pro ſuis debeat offerre peccatis. Quæ conditio ſi omnes ſacerdotes generaliter tenet, quanto magis nos & onerat & obſtringit? quibus ipſa ſuſcepti operis magnitudo creberrima eſt offenſionis occaſio: quamvis enim ſinguli quique paſtores ſpeciali ſollicitudine gregibus ſuis præſint, ſciantque ſe pro commiſſis ſibi ovibus redituros eſſe rationem, nobis

ta-

tamen cum omnibus cura communis eſt, neque cujuſquam adminiſtratio non noſtri laboris eſt portio: ut dum ad B. Apoſtoli Petri ſedem ex toto orbe concurritur, & illa univerſalis Eccleſiæ a Domino eidem commendata dilectio, etiam ex noſtra diſpenſatione depoſcitur, tanto amplius nobis inſtare oneris ſentiamus, quanto cunctis majora debemus. In hac ergo materia trepidationis, quæ nobis eſſet dependendæ fiducia ſervitutis, niſi non dormitaret neque obdormiret qui cuſtodit Iſrael, & qui Diſcipulis ſuis ait: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*, niſi dignaretur non ſolum cuſtos ovium, ſed ipſorum etiam paſtor eſſe paſtorum, qui corpore quidem intuitu non videtur, ſed ſpiritali corde ſentitur, abſens carne qua potuit eſſe conſpicuus, præſens deitate qua ubique ſemper eſt totus: quia enim *juſtus ex fide vivit*, & hæc eſt juſtitia credentis, ut recipiat animo quod non cernit aſpectu. *Aſcendens Dominum in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*, fidem facit, & ſpem & charitatem, quæ inde magna ſunt, inde fortia, inde pretioſa, quia quod carnis oculis non attingitur, id miro mentis affectu & creditur, & ſperatur, & amatur. Adeſt igitur, dilectiſſimi, quod non temere, ſed fideliter confitemur, in medio credentium Dominus Jeſus Chriſtus; & quamvis ad dexteram Dei Patris ſedeat, *donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum*, non deeſt tamen Pontifex Summus a ſuorum congregatione Pontificum, meritoque illi totius Eccleſiæ & omnium ſacerdotum ore cantatur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*. Ipſe enim verus, & æternus eſt antiſtes, cujus adminiſtratio nec commutationem poteſt habere, nec finem. Ipſe eſt cujus formam Melchiſedech Pontifex præferebat, non Judaicas hoſtias offerens Deo, ſed illius ſacramenti immolans ſacrificium, quod Redemptor noſter in ſuo corpore & ſanguine conſecravit: ipſe eſt cujus ſacerdotium Pater, non ſecundum ordinem Aaron cum legis tempore tranſiturum, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech perenniter celebrandum eum firmamento, inſolubilibus jurationibus inſtituit. Nam quia jusjurandum inter homines iis definitionibus adhibetur, quæ perpetuis pactionibus ſanciuntur; divini quoque juramenti teſtificatio in his invenitur, promiſſiſque incommutabilibus ſunt fixa decretis, & quia pœnitentia mutationem indicat voluntatis, in eo Deus non pœnitet, in quo ſecundum æternum placitum non poteſt aliud velle quam voluit. Non eſt itaque nobis, dilectiſſimi, præſumptuoſa feſtivitas, quia ſuſcepti ſacerdotii diem divini muneris memores honoramus; quandoquidem pie & veraciter confitetur, quod opus miniſterii noſtri in omnibus quæ recta egimus Chriſtus exſequitur, & non in nobis, qui ſine illo nihil poſſumus, ſed in ipſo qui poſſibilitas noſtra eſt, gloriamur. Subjungit autem ſe ad rationem ſolemnitatis noſtræ, non ſolum Apoſtolica, ſed etiam Epiſcopalis beatiſſimi dignitas Petri, qui ſedi ſuæ præeſſe non deſinit, & indeficiens obtinet cum æterno ſacerdote conſortium. Soliditas enim illa, quam de Petra Chriſto etiam ipſe Petra factus accepit, in ſuos quoque ſe transfundit hæredes, & ubicumque aliquid oſtenditur firmitatis, non dubie apparet fortitudo paſtoris. Nam ſi omnibus fere ubique martyribus pro ſuſceptarum tolerantia paſſionum hoc ad merita ipſorum manifeſtanda donatum eſt, ut opem periclitantibus ferre, morbos abigere immundos, ſpiritus pellere, & innumeros poſſint curare languores, quis gloriæ B. Petri tam imperitus erit, aut tam invidus æſtimator, qui ullas Eccleſiæ partes non ipſius ſollicitudine regi, non ipſius ope credat augeri? Viget prorſus & vivit in Apoſtolorum principe illa Dei hominumque dilectio, quam non clauſtra carceris, non catenæ, non populares impetus, non minæ regiæ exterruerunt, & inſuperabilis fides, quæ bellando non ceſſit, vincendo non tepuit. Cum ergo in diebus noſtris mœſtitudines in lætitiam, labores in requiem, diſcordiæ vertuntur in pacem, agnoſcimus nos præſulis noſtri meritis, & precibus adjuvari, & documentis frequentibus experimur ipſum ſalubribus conſiliis, ipſum æquis præſidere judiciis; ut manente apud nos jure ligandi atque ſolvendi, per moderamen beatiſſimi Petri, & condemnatus ad pœnitentiam, & reconciliatus perducatur ad veniam. Et ideo, dilectiſſimi, quidquid in nobis hodie ſive dignatione fratrum, ſive pietate filiorum detuliſtis officii, illi vos mecum religioſius & verius impendiſſe cognoſcite, cujus ſedi, non tam præſidere quam ſervire gaudemus, ſperantes orationibus ipſius eſſe præſtandum, ut Deus miſericordiarum miniſterii noſtri tempora benignus aſpiciat, paſtoremque ovium ſuarum & cuſtodire ſemper dignetur, & paſcere.

Incipit ſermo S. Leonis Papæ, de collectarum die.

ET divinis præceptis, dilectiſſimi, & Apoſtolicis didicimus inſtitutis, omni homini inter vitæ hujus diſcrimina conſtituto, miſericordiam Dei miſerendo eſſe quærendam. Nam quæ lapſos ſpes erigeret, quæ vulneratos medicina ſanaret, niſi eleemoſynæ ſolverent culpas, & neceſſitates pauperum fierent remedia delictorum: unde quia dixerat Dominus: Beati miſericordes, quia ipſorum miſerebitur Deus, omne illud examen, quo majeſtate præſenti univerſum judicaturus eſt mundum, ſub hac oſtendit æquitate librandum, ut ſola erga inopes operum qualitate diſcuſſa, & impiis ardere cum diabolo, & benignis paratum ſit regnare cum Chriſto. Quæ ibi in medium facta non venient? quæ occulta non detegentur? quæ conſcientiæ non patebunt? ubi vere nemo gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe eſſe a peccato; ſed quoniam exaltabitur ſuper judicium miſericordia, & omnem retributionem juſtitiæ tranſcendent dona clementiæ, omnis vita mortalium, & cunctarum diverſitas actionum ſub unius regulæ conditione taxabitur, ut nulla ibi commemoratio cujuſquam facienda ſit criminis, ubi confeſſione creatoris opera fuerint inventa pietatis. Non ergo hoc ſolum quod eis exprobrabitur fecerunt ſiniſtri, nec quia humanitatis docebuntur extranei, aliorum peccatorum invenientur alieni; ſed in multis rei ob hoc maxime damnabuntur, quod crimina ſua nullis eleemoſynis redemerunt: cum enim duriſſimi cordis ſit quacumque laborantium miſeria non moveri, & habens auxiliandi copiam tam iniquus ſit qui non juvit afflictum, quam qui oppreſſit infirmum, quæ ſpes ſupereſt peccatori, qui nec ideo miſeretur, ut miſericordiam conſequatur? Primitus itaque, dilectiſſimi, ſibi malus eſt, qui alteri bonus non eſt, & animæ nocet ſuæ, qui ut poteſt, non ſuccurrerit alienæ. Una eſt divitum pauperumque natura, & inter cætera fragilitatis humanæ mala, nulla eſt ſanitatis tuta fælicitas, quia quod alicui poteſt accidere, non eſt qui debeat non timere. Agnoſcat ſe in quibuſcumque hominibus mutabilis & caduca mortalitas, & pro conditione communi, ſocialem generi ſuo reddat affectum, fleat cum flentibus, & cum dolentium gemitibus ingemiſcat, communicet cum indigentibus copias ſuas benevalentis corporis miniſterio. Ad male jacentem inclinet ſe ægrotum, inter cibos ſuos numeret eſurientium portionem, & in pallenti trementium nuditate ſe credat algere. Qui enim relevat

tem-

Digitized by Google

temporalem miſeriam laborantis, evadit æternum ſupplicium. Providenter igitur, dilectiſſimi, a ſanctis Patribus pieque diſpoſitum eſt, ut in diverſis temporibus quidam eſſent dies, qui devotionem fidelis populi ad collationem publicam provocarent. Et quia ad Eccleſiam maxime ab unoquoque opem quęrenie, decurritur, fieret ex poſſibilitate multorum volontaria & ſancta collectio, quæ per præſidentium curam neceſſariis ſerviret expenſis, ad cujus operis deſideratum vobis, ut credimus, fructum dies vos vicinus invitat, accedentibus admonitionibus noſtris, ut ad Eccleſias regionum veſtrarum Sabbato proxime futuro miſericordiæ munera deferatis. Et quia hilarem datorem diligit Deus, nemo ſibi amplius quam ſubſtantia ejus permittat, indicat; inter ſe & pauperem æquus quiſque ſit judex, remaneat diffidentium læta & ſecura miſeratio; & qui egeno ſubvenit, Deo ſe impendere quod largitur intelligat de quibuslibet ſubſtantiis, quarum utique non una menſura eſt, & poteſt eſſe par meritum, ſi inter diverſas conſerentium quantitates, non ſit minor cujuſquam pietas, quam facultas. Deus enim, apud quem non eſt acceptio perſonarum, ſimiliter recipit & divitis munus & pauperis, quoniam novit quid ſingulis dederit, quidve non dederit, & in die retributionis, non modus judicabitur ſenſuum, ſed qualitas voluntatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Incipit Sermo S. Leonis Papæ de decimi menſis jejunio.

DIſpenſationes miſericordiæ Dei, quas Salvator noſter pro humani generis reparatione ſuſcepit, ita ſunt, dilectiſſimi, divinitus ordinatæ, ut Evangelium gratiæ, velamen legis tolleret, non inſtituta deſtrueret. Unde cuſtodienda nobis eſt Dominica illa ſententia, qua dixit ſe non venire legem ſolvere, ſed implere, ut nos quoque huic regulæ quantom donante Deo poſſumus, ſerviamus: ſcientes nihil eſſe de veteris Teſtamenti conſtitutionibus negligendum, ſi vigilanter ſtudeamus agnoſcere, quid ibi tranſitura obumbratione velatum, quid permanſura actione ſit conditum: nam diſtrictio ciborum hoſtiarum, circumciſio carnis, differentia baptiſmatum, & obſervatio baptiſmorum, non adhuc ſub figuratis ſignificationibus ſunt agenda, quæ etiam ſunt rebus ipſis quæ ſignificabantur impleta: mandata vero & præcepta moralia, ſicut ſunt edita, perſeverant: quia non aliud inſinuant, quam loquuntur, & apud Chriſtianam devotionem augmento creſcunt, non ceſſatione deficiunt. Diligere itaque Deum, & proximum, honorare patrem & matrem, non adorare deos alienos, & cætera, quæ aut terribiliter ſunt prohibita, aut ſalubriter imperata, non aliter ex legalibus inſtitutis, quam ex Evangelicis veneramur edictis, & ut quamvis multa acceſſerint ex novitate gratiæ, nihil tamen imminutum ſit de antiquitate juſtitiæ. Unde merito diſpoſuerunt Apoſtolicæ ſanctiones, ut veterum jejuniorum utilitas permaneret, & licet Eccleſiæ conſuetudo prolixioribus ſe caſtigationibus exercere didiciſſet, amplecteretur tamen continentiæ ſanctificationem ex lege venientem, quibus enim donatum erat poſſe quod majus eſt, indecens fuit non celebrare quod minus eſt. Hac ergo ratione, dilectiſſimi, evidenter inſtructi Eccleſiaſticis regulis jejunium decimi menſis adjungimus, idque devotioni veſtræ, ſicut eſt moris indicimus; quoniam plenum pietatis, plenumque juſtitiæ eſt, ut terrenorum fructuum perceptione concluſa, agantur Deo gratiæ, & ſacrificium ei miſericordiæ cum jejunii immolatione ſolvatur. Gaudeat quiſque copia ſua, & multa ſe horreis ſuis intuliſſe lætetur, ſed ita ut de abundantia ejus etiam a pauperibus gaudeatur, fœcunditatem ſegetum, fluenta vitium, partus arborum, ubertas imitetur animorum: quod dedit terra, dent corda, ut poſſimus dicere cum Propheta: *Terra noſtra dedit fructum ſuum.* Deus namque verus & ſummus agricola non ſolum corporalium, ſed etiam ſpiritualium auctor eſt fructuum: & utraque ſemina, utraque plantaria duplici novit exercere cultura, dans agris profectus germinum, dans animis incrementa virtutum, quæ ſicut ab una providentia ſumpſere principium, ita ad unius operis vocant effectum. Homo enim ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, nihil habet in naturæ ſuæ honore tam proprium, quam ut bonitatem ſui imitetur Auctoris, qui donorum ſuorum ſicut miſericors largitor eſt, ita eſt & juſtus exactor, volens nos operum ſuorum eſſe conſortes, ut quamvis nullam nos valeamus creare naturam, poſſimus tamen acceptam per Dei gratiam exercere materiam, quia non ita uſui noſtro bona terrena collata ſunt, ut carnalium tantum ſenſuum voluptati ſatietatique ſerviant. Alioquin nihil a pecudibus, nihil diſtaremus a beſtiis, quæ alienis neceſſitatibus conſulere neſciunt, & ſolam ſui ac ſuorum fœtuum curam habere noverunt. Animalia igitur carentia intellectu nullo ſunt erudita mandato, nec acceperunt legem, quæ non accepere rationem: ubi autem eſt illuminatio rationis, ibi eſt & diſciplina pietatis, quæ dilectionem & Deo debet & proximo: non enim aliter probatur homo amator eſſe ſui, niſi appareat eum & ſupra ſe naturæ ſuæ auctorem, & ſecundum ſe naturæ ſuæ amare conſortem. Merito in his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Merito diſputationum omnium latitudo ſub paucorum brevitate verborum pleniſſimo eſt explicata compendio. Diligatur Deus, diligatur & proximus, ita ut formam diligendi proximi ab ea, qua nos Deus diligit, dilectione ſumamus, qui etiam malis bonus eſt, & benignitatis ſuæ donis non ſolum cultores ſuos conſovet, ſed etiam negatores. Amentur propinqui, amentur extranei, & quod debetur amicis, ſupererogetur inimicis: quamvis enim quorundam malignitas nulla humanitate miteſcat, non ſunt tamen infructuoſa opera pietatis, nec unquam perdidit benevolentia quod præſtat ingrato. Nemo ſe, dilectiſſimi, ab opere bono faciat alienum, nemo de ſua tenuitate cauſetur tanquam qui ſibi vix ſufficit, & alium juvare non poſſit, magnum eſt quod proferat ex parvo, & in divinæ lance juſtitiæ non quantitate munerum: ſed pondere penſatur animorum. Evangelica vidua duos nummos in gazophylacium miſit, & omnium divitum dona tranſcendit; nulla apud Deum vilis eſt pietas, nulla infructuoſa miſeratio; diverſos quidem hominibus dedit cenſus, ſed non diverſos quærit affectus. Æſtiment omnes ſubſtantias ſuas, & qui plus accepere, plus tribuant; fiat abſtinentia fidelium, cibus pauperum, & quod quiſque ſubtrahit ſibi, proficiat indigenti, quia licet multum & animis & corporibus conſerant remedia parcitatis, parum tamen utilia ſunt ipſa jejunia, niſi miſericordiæ ſanctificentur effectu. In eleemoſynis enim virtus quædam eſt inſtituta baptiſmatis, quia ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna peccatum, & per eundem Chriſtum dicitur: *Lavamini, mundi eſtote*, per quem dicitur, *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis*, ut nemo ambigat, nemo diffidat regenerationis ſibi nitorem etiam poſt multa peccata reſtitui, qui eleemoſynarum ſtuduerit purificatione mundari.

D. LEO-

D. LEONIS PAPÆ MAXIMI,
HUJUS NOMINIS PRIMI,
EPISTOLÆ ET DECRETA.

LEO EPISCOPUS URBIS ROMÆ, UNIVERSIS Epiſcopis, per Campaniam, & Picenum, vel Tuſciam, & per univerſas provincias conſtitutis, in Domino ſalutem.

Capitum ſequentis Epiſtolæ tituli.

1 *Ut nullus Epiſcopus ſervum alterius ad officium clericatus promoveat.*
2 *Ut quicumque ad Sacerdotium vel viduarum mariti, vel habentes numeroſa conjugia, promoti fuerint, ab Eccleſiaſticis officiis arceantur.*
3 *Quod uſuras, non ſolum Clerici exigere non debeant, ſed nec laici.*
4 *Ut clericus nec ſuo nec alieno nomine fœnus exerceat.*
5 *Ut, ſi quis Sacerdotum contra interdicta fecerit; a ſuo ſubmoveatur officio.*

An. Chriſti 445. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 6. ſcripta eſt hæc epiſtola. Idem in epiſtola Damaſi Papæ.

UT nobis gratulationem facit Eccleſiarum ſtatus ſalubri diſpoſitione compoſitus; ita non levi nos mœrore contriſtat, quoties aliqua contra ſtatuta canonum, Eccleſiaſticamque diſciplinam præſumpta, vel commiſſa cognoſcimus: quæ ſi non qua debemus vigilantia reſecemus, illi qui nos ſpeculatores eſſe voluit, excuſare non poſſumus, permittentes ſincerum corpus Eccleſiæ (quod ab omni macula purum cuſtodire debemus) ambientium improba contagione fœdari, cum ipſa ſibi membrorum per * diſſimulationem compago non congruat.

Ezech. 3.

diſſimilitudinem.

CAPUT I.

Diſt. 54. Admittuntur.

ADmittuntur paſſim ad ordinem ſacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragatur: & qui a Dominis ſuis libertatem conſequi minime potuerunt, ad faſtigium Sacerdotii, tanquam ſervilis utilitas hunc honorem jure capiat, provehuntur: & probari Deo ſe poſſe creditur, qui Domino ſuo nec dum probare ſe potuit. Duplex itaque in hac parte reatus eſt, quod & ſacrum * myſterium talis conſortii utilitate polluitur: & dominorum, quantum ad illicitæ uſurpationis temeritatem pertinet, jura ſolvuntur. Ab his itaque, fratres chariſſimi, omnes provinciæ veſtræ abſtineant Sacerdotes, & non tantum ab his, ſed ab illis etiam, qui aut originali, aut alicui conditioni obligati ſunt, volumus temperari: niſi forte eorum petitio aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vendicant poteſtatis. Debet enim eſſe immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus: ut a caſtris dominicis, quibus nomen ejus adſcribitur, nullis neceſſitatis vinculis abſtrahatur.

miniſterium.

1. Tim. 3. Levit. 21.

CAPUT II.

QUalis vero unicuique natalium honeſtas & morum eſſe deceat, qui ſacri Altaris miniſterio eſt ſociandus, & Apoſtolo nos docente, & divina præceptione didicimus, & canonum regulis, a quibus pleroſque fratrum declinaſſe, & penitus deviaſſe reperimus. Nam conſtat ad Sacerdotium perveniſſe viduarum maritos, quoſdam etiam quibus fuerint numeroſa conjugia, & ad omnem licentiam vita liberior, ad ſacrum ordinem paſſim patefactis aditibus fuiſſe permiſſos, contra illam beati Apoſtoli vocem, qua talibus reclamat, dicens: *Unius uxoris virum.* Et contra illud antiquæ legis præceptum, quod dicitur & cavetur: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam.* Hos ergo, quicumque tales admiſſi ſunt, ab Eccleſiaſticis officiis, & a Sacerdotali nomine, Apoſtolicæ Sedis authoritate jubemus arceri: (nec hoc enim ſibi poterunt pro arbitrio vendicare, cujus capaces, per hoc quod illis obſtiterat, non fuerunt.) Hujus diſcuſſionis curam nobis ſpecialiter vendicantes, ut, ſi qua forſitan de his commiſſa ſunt, corrigantur, ne liceat ultra committi, & ne qua excuſatio de ignoratione naſcatur: quamquam ignorare nunquam licuerit * Sacerdotem, quod canonum fuerit regulis definitum. Hæc ergo ad provincias veſtras, per Innocentium, Legitimum, & Segetium fratres, & Coepiſcopos noſtros ſcripta direximus: ut quæ male pullulaſſe noſcuntur, radicitus evellantur, & meſſem Dominicam zizania nulla corrumpant. Ita enim fructum uberem, quæ ſunt ſincera, præſtabunt, ſi ea quæ natam ſegetem enecare conſueverunt, diligentius amputentur.

1. Tim. 3. Levit. 21.

1. Tim. 3.

Sacerdoti.

CAPUT III.

NEc quoque prætereundum eſſe duximus, quoſdam lucri turpis cupiditate captos, uſurariam exercere pecuniam, & fœnore velle diteſcere. Quod nos, non dicam in eos, qui ſunt in clericali officio conſtituti, ſed in laicos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus. Quod vindicare acrius in eos, qui fuerint confutati, decernimus: ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

14. quæſt. 4. Nec hoc prætereundum.

CA-

CAPUT IV.

Diſtinct. 46. Sicut non ſuo.

ILlud enim duximus præmonendum, ut ſicut non ſuo, ita nec alieno nomine, aliquis clericorum exercere fœnus attentet: indecens enim eſt crimen ſuum commodis alienis impendere. Fœnus autem non ſolum aſpicere & exercere debemus, ut, quod hic miſericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multiplicitet & in perpetuum manſura retribuet, recipere valeamus.

CAPUT V.

Diſtinct. 10. Si Roman. Pontif. §. Quibus ad hæc.

HOC itaque admonitio noſtra denunciat, quod ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venerit, vel venite tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, a ſuo noverit officio ſubmovendum, nec eum communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ. Ne quid vero ſit quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium præceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis * ordinibus, & canonum ordinata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, ut ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. Data ſexto Idus Octobris, Maximo vero & * Paterno viris clariſſimis Conſulibus.

ordinationibus.

Paterio.

EPISTOLA II.

Ad Epiſcopos per Italiam, quod plurimi Manichæorum vigilantia ipſius Papæ Leonis in urbe Roma detecti ſunt.

Leo Epiſcopus urbis Romæ, omnibus Epiſcopis per Italiam conſtitutis in Domino ſalutem.

An.Chriſti 446. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 5. ſcripta eſt. hæc epiſtola.

IN conſortium vos noſtræ ſollicitudinis, dilectiſſimi fratres, advocamus, ut vigilantia paſtorali, ne quid diabolicæ fraudis aſtutia poſſit nocere commiſſis vobis gregibus diligentius conſulatis, ne is, qui Domini miſericordia revelante, per noſtram curam a noſtris ovibus morbus abigitur, nec dum vobis præmonitis, & adhuc quid agatur ignaris, per veſtras ſe diſpergat Eccleſias & ſuarum furtim cuniculos inveniat latebrarum, ne quod a nobis in urbe extinguitur, tenebroſis apud vos radicibus ſeminetur. Plurimos impietatis Manichææ ſequaces & doctores in urbe inveſtigatio noſtra reperit, vigilantia divulgavit, authoritas & cenſura coercuit: quos potuimus emendare, correximus, ut damnarent Manichæum cum prædicationibus & diſcipulis ſuis publica in Eccleſia profeſſione & manus ſuæ ſubſcriptione compulimus, & ita de voragine impietatis ſuæ confeſſos, pœnitentiam concedendo, levavimus. Aliquanti vero, qui ita ſe demerſerant, ut nullum his auxiliantis poſſet remedium ſubvenire, ſubditi legibus, ſecundum Chriſtianorum Principum conſtituta, ne ſanctum gregem ſua contagione polluerent, per publicos judices perpetuo ſunt exilio relegati. Et omnia, quæ tam io Scripturis, quam in occultis traditionibus ſuis habent prophana vel turpia, ut noſſet populus quid refugeret aut vitaret, oculis Chriſtianæ plebis certa manifeſtatione probavimus, adeo ut ipſe qui eorum dicebatur Epiſcopus, a nobis tentus, proderet flagitioſa in ſuis myſteriis quæ teneret, ſicut geſtorum vos ſeries poteſt edocere. Ad inſtructionem enim veſtram etiam ipſa direximus: quibus lectis, omnia quæ a nobis reprehenſa ſunt, noſſe poteritis. Et quia aliquantos de his, quos ne abſolverentur, arctior reatus involverat, cognovimus aufugiſſe, hanc ad dilectionem veſtram epiſtolam miſimus per Acolytum noſtrum, ut effecta certior Sanctitas veſtra, ſollicitius agere dignetur & cautius, necubi Manichææ perverſitatis homines plebes veſtras facultatem lædendi, & hujus ſacrilegii poſſint invenire doctores. Aliter enim nobis commiſſos regere non poſſumus, niſi hos, qui ſunt perditores & perditi zelo fidei Dominicæ perſequamur, & a ſanis mentibus, ne peſtis hæc latius divulgetur, ſeveritate qua poſſumus abſcindamus. Unde hortor dilectionem veſtram, obteſtor, & moneo; ut qua debetis & poteſtis ſollicitudine vigiletis ad inveſtigandos eos, necubi occultandi ſe reperiant facultatem. Ut enim habebit a Deo ingens remunerationis præmium, qui diligentius, quod ad ſalutem commiſſæ ſibi plebis proficiat, fuerit executus: ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ ſe non poterit excuſare, quicumque plebem ſuam contra ſacrilegæ perſuaſionis authores noluerit cuſtodire. Data tertio Kalendas Februarii, Theodoſio XVIII. & Albino viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA III.

Ad * Julianum Epiſcopum Aquilejenſem, quod omnis cujuslibet ordinis Clericus, qui Catholicam deſerens, hæreticæ communioni ſe miſcuerit, & ad Eccleſiam converſus fuerit, in eo gradu, quo erat, ſine promotione remaneat.

Januarium

*Leo Epiſcopus urbis Romæ * Juliano Aquilejenſi Epiſcopo.*

Januario.

LEctis fraternitatis tuæ litteris, vigorem fidei tuæ, quem olim noveramus, agnovimus, congratulantes tibi, quod ad cuſtodiam gregum Chriſti, paſtoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi, qui ſub ſpecie ovium ſubintrarunt, beſtiali ſævitia ſimplices quoſque dilacerarent: & non ſolum ipſi nulla correctione perficiant, ſed etiam ea quæ ſunt ſana corrumpant. Quod ne viperea poſſit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus commonendam: inſinuantes ad animæ periculum pertinere, ſi quiſquam de his, qui a nobis in hæreticorum, atque ſchiſmaticorum ſectam delapſus, & ſe utcumque hæreticæ communionis contagione macularit, recipiens, in communione Catholica ſine profeſſione legitimæ ſatisfactionis habeatur. Saluberrimum enim & ſpiritalis medicinæ utilitate pleniſſimum eſt, ut ſive Presbyteri, ſive Diaconi, aut cujuslibet ordinis Clerici, qui ſe correctos videri volunt, atque ad Catholicam fidem, quam jam pridem amiſerant, rurſum reverti ambiunt, prius errores ſuos & ipſos authores errorum damnari a ſe ſine ambiguitate fateantur, ut ſenſibus pravis etiam peremptis, nulla ſperandi ſuperſit occaſio, ne ullum membrum talium poſſit ſocietate violari, cum per omnia illis profeſſio propria cœperit obviare. Circa quos etiam illam canonum conſtitutionem præcipimus cuſtodiri, ut in magno habeant beneficio,

An.Chriſti 449. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 8. ſcripta eſt hæc epiſt.

Matth. 7. 1. q. 4. Si quis hæretica.

1. q. 7. Saluberrimum. 1. quæſt. 1. Omnis cujuslibet. Et cap. ſi quis hæret. Et in decr. Ivonis lib. 3.

ſi

Digitized by Google

ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in quo inveniuntur ordine ſtabilitate perpetua maneant: ſi tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Non levem apud Deum noxam incurrit, qui de talibus ad ſacros promovendos ordines judicarit. Quod ſi cum grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere ſuſpectis. Proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam ſuam diſpoſitionibus noſtris, & dent operam, ut circumſpecte atque velociter impleantur; quæ ad totius Eccleſiæ incolumitatem & laudabiliter digeſta ſunt, & ſalubriter ordinata. Non autem

Diſtin. 87. Inferiora culpæ.

dubitet dilectio tua, nos ſi (quod arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro cuſtodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides, negligenteſque rectores: qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam. Data pridie Calendas Julii, Alipio, & Ardabure viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA IV.

Ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos.

Capitum ſequentis epiſtolæ tituli.

1 *Quod prohibeatur in die Epiphaniæ baptiſmum celebrari.*

2 *Quod cuncta nobis per ordinem rerum, per Incarnationem Domini noſtri, ſalutis ſacramenta digeſta ſunt.*

3 *Quod in baptiſmo mors proveniat interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitetur trina demerſio, & ab aquis elevatio ſit velut reſurrectio de ſepulchro.*

4 *Quod beatus Apoſtolus Petrus in die Pentecoſtes virorum tria millia baptizaverit.*

5 *Quod hæc duo tempora, id eſt Paſcha & Pentecoſte, a Romanis Pontificibus ad baptizandum præfixa ſunt.*

6 *Quod omni tempore hi qui neceſſitate mortis urgentur, id eſt ægritudinis, obſidionis, perſecutionis, naufragii, debeant baptizari.*

7 *Ut de Sicilia terni ſemper annis ſingulis de Epiſcopis ad diem tertium Calendarum Octobrium, Romanæ ſociandi Synodo occurrant.*

Leo Epiſcopus, univerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis in Domino ſalutem.

An. Chriſti 449. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 9. ſcripta eſt hæc epiſtola 25. quæſt. 1. Divinis præceptis.

DIvinis præceptis & Apoſtolicis monitis incitamur, ut pro omnium Eccleſiarum ſtatu, impigro vigilemus affectu: ac, ſi quid uſquam reprehenſioni inveniatur obnoxium, celeri ſollicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut a præſumptionis uſurpatione revocemus. Monente enim Dominicæ vocis imperio, quo beatiſſimus Apoſtolus Petrus trina repetitione myſticæ ſanctionis imbuitur, ut Chriſti oves, qui Chriſtum diligit, paſcat, ipſius Sedis, cui per abundantiam divinæ gratiæ præſumus, reverentia cohortamur: ut periculum deſidiæ, quantum poſſumus, declinemus, ne profeſſio ſummi

Joan. 21.

Apoſtoli, qua ſe amatorem Domini eſſe teſtatus eſt, vana inveniatur in nobis, quia negligenter paſcens toties commendatum Dominicum gregem, convincitur ſummum non amare paſtorem.

CAPUT I.

CUm ergo mihi, de charitatis veſtræ actibus fraterna affectione ſollicito, certis indiciis innotuerit, vos in eo, quod inter ſacramenta Eccleſiæ principale eſt, ab Apoſtolicæ inſtitutionis conſuetudine diſcrepare, ita ut baptiſmi ſacramentum numeroſius in die Epiphaniæ, quam Paſchali tempore celebretis, miror vos, vel præceſſores veſtros tam irrationabilem novitatem uſurpare potuiſſe, ut confuſo temporis utriuſque myſterio, nullam eſſe differentiam crederetis inter diem, quo adoratus eſt Chriſtus a Magis, & diem quo reſurrexit a mortuis. Quam in culpam nullò modo potuiſſetis incidere, ſi unde conſecrationem honoris accepiſtis, inde legem totius obſervantiæ ſumeretis: & B. Petri Apoſtoli Sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. A cujus vos regulis receſſiſſe, * minore poſſet æquanimitate tolerari, ſi aliqua commotionis noſtræ increpatio non præceſſiſſet. Nunc autem quia non deſperatur correctio, manſuetudo ſervanda eſt: Et licet vix ferenda ſit in Sacerdotibus excuſatio, quæ prætendat juſtitiam; malumus tamen & cenſuram neceſſariam temperare, & ratione vos apertiſſimæ veritatis inſtruere.

* *minus poſſet æquanimiter.*

CAPUT II.

SEmper quidem in æterno conſilio Dei manſit humani generis incommutabiliter præordinata reparatio: ſed ordo rerum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum temporaliter gerendarum, in Incarnatione Verbi ſumpſit exordium. Unde aliud tempus eſt, quo annuntiante Angelo, beata Maria fœcundandam ſe per Spiritum ſanctum credidit, & concepit: aliud, quo ſalvâ integritate virginea, puer editus exultante gaudio cœleſtium miniſtrorum paſtoribus indicatur: aliud, quo infans circumciditur: aliud quo hoſtia pro eo legalis offertur: aliud quo tres Magi, claritate novi ſideris incitati, in Bethleem ab Oriente perveniunt, & adoratum parvulum myſtice munerum oblatione venerantur. Nec iidem ſunt dies, quibus impio Herodi, ordinata divinitus in Ægyptum tranſlatione ſubtractus eſt, vel quibus ab Ægypto in Galilæam, perſecutore mortuo, revocatus eſt. Inter has autem diſpenſationum varietates, accedunt augmenta corporea, creſcit Dominus (ſicut Evangeliſta teſtatur) profectibus ætatis & gratiæ. Per dies Paſchæ in templum Hieruſalem cum parentibus venit, & cum abeſſet ſocietate redeuntium, ſedens cum ſenioribus, & inter admirantes magiſtros diſputans invenitur; rationemque remanſionis ſuæ reddens: Quid eſt (inquit) quod me quærebatis? Neſciebatis quod in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe, ſignificans ejus ſe eſſe filium, cujus eſſet & templum. Jam vero cum in annis majoribus apertius declarandis, baptiſmum Præcurſoris ſui Joannis expetiit, quid deitatis ejus remanſit ambiguum, quando baptizato Domino Jeſu Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper eum deſcendit & manſit, audita de cœlis Patris voce, dicentis: *Tu es Filius meus dilectus, in te bene complacui?* Quæ omnia ideo, quanta potuimus brevitate, perſtrinximus, ut notum ſit dilectioni veſtræ univerſos dies Chriſti innumeris conſecratos fuiſſe virtutibus, & in cunctis ejus actionibus ſacrarum ntorum myſteria coruſcaſſe: ſed aliter quoque ſignis denunciari, aliter rebus impleri, nec quæcumque numerantur in operibus Salvatoris, ad tempus pertinere baptiſmatis. Nam ſi etiam illa, quæ poſt beati Joannis lavacrum a Domino geſta cognovimus,

Luc. 1. Luc. 2. Math. 2. Luc. 2. Math. 5. Luc. 3.

ſub

Digitized by Google

ſub indiſcreto honore colamus, omnia tempora continuatis erunt deputanda feſtis, quia omnia ſunt plena miraculis. Verum quia Spiritus ſapientiæ & intellectus ita Apoſtolos, & totius Eccleſiæ erudivit magiſtros, ut in Chriſtiana obſervantia nihil inordinatum, nihil pateretur eſſe confuſum; diſcernendæ erant cauſæ ſolemnitatum, & in omnibus inſtitutis patrum, principumque noſtrorum rationabilis ſervanda diſcretio: quia non aliter unus grex, & unus paſtor ſumus, niſi quemadmodum Apoſtolus docet, idipſum dicamus omnes: Simus autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.

1. Cor. 1.

CAPUT III.

De confec. diſtinct. 4. Proprie in morte.

QUamvis ergo & illa quæ ad humilitatem, & illa quæ ad gloriam pertinent Chriſti, in unam concurrant eamdemque perſonam, totumque quicquid in illo & virtutis divinæ eſt, & infirmitatis humanæ, ad noſtræ reparationis tendat effectum, proprie tamen in morte crucifixi, & in reſurrectione ex mortuis, potentia baptiſmatis novam creaturam condit ex veteri: ut in renaſcentibus & mors Chriſti operetur, & vita, dicente B. Apoſtolo Paulo: *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo ſurrexit Chriſtus a mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Et cætera quæ latius Magiſter gentium, ad commendandum ſacramentum baptiſmatis diſputavit: ut appareret ex hujus doctrinæ ſpiritu regenerandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis, illum diem eſſe & illud tempus electum, in quo per ſimilitudinem, formamque myſterii, ea * quæruntur in membris, quæ in ipſo capite ſunt geſta, congruere, dum in baptiſmatis regula & mors intervenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio, & ab aquis elevatio reſurgentis ad inſtar eſt de ſepulchro. Ipſa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum eſſe legitimum diem, in quo orta eſt & virtus muneris & ſpecies actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, poſteaquam reſurrexit a mortuis, diſcipulis ſuis, in quibus omnes Eccleſiarum Præſules docebantur, & formam & poteſtatem tradidit baptizandi, dicens: *Euntes ergo nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* De quo utique eos etiam ante paſſionem potuiſſet inſtruere, niſi proprie voluiſſet intelligi regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe. Additur ſane huic obſervantiæ etiam Pentecoſtes ex adventu Spiritus ſancti conſecrata ſolemnitas, quæ de Paſchalis feſti pendet articulo. Et cum ad alios dies alia feſta pertineant, hæc ſemper ad eum diem qui reſurrectione Domini eſt inſignis occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, ut hi, quos a die Paſchæ aut moleſtia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas intercluſit invitos, aut quibuslibet neceſſitatibus impeditos, deſiderii ſui effectum dono Spiritus ſancti conſequantur. Ipſe enim unigenitus Dei in fide credentium, & in virtute operum nullam inter ſe & Spiritum ſanctum voluit eſſe diſtantiam: quia nulla eſt diverſitas in natura, dicens: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis ut vobiſcum ſit in æternum, ſpiritum veritatis.* Et iterum: *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret univerſa, quæcumque dixi vobis.* Et iterum: *Cum venerit ille ſpiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem.* Cum itaque veritas Chriſtus ſit, & ſpiritus veritatis Spiritus ſanctus, nomenque Parecleti utrique ſit proprium; non diſſimile eſt feſtum, ubi unum eſt ſacramentum.

Rom. 6.

* *quæ geruntur in membris, hæc quæ in ipſo ſunt capite geſta, congruerent.*

Matth. 18.

Joan. 14. Ibidem.

Ioan. 16.

CAPUT IV.

De confec. diſtinct. 4. Proprie in morte.

HOc autem nos, non ex noſtra perſuaſione defendere, ſed ex Apoſtolica authoritate ſervare, ſatis idoneo probamus exemplo, ſequentes B. Apoſtolum Petrum, qui in eo die, quo omnem credentium numerum promiſſus Spiritus ſancti replevit adventus, trium millium populum, ſua prædicatione converſum, lavacro baptiſmatis conſecravit. Quod ſancta Scriptura, quæ Apoſtolorum actus continet, fideli hiſtoria docet, dicens: *His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres?* Petrus vero ait ad illos: *Pœnitentiam* (inquit) *agite & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remedium peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim repromiſſio eſt, & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.* Aliis etiam pluribus verbis teſtificatus exhortabatur eos, dicens: Salvamini a generatione iſta prava. Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in illa die animæ circiter tria millia.

Act. 2.

CAPUT V.

De confec. diſtinct. 4. Duo tempora.

UNde quia manifeſtiſſime patet baptizandis in Eccleſia electis hæc duo tempora (de quibus locuti ſumus) eſſe legitima, dilectionem veſtram monemus ut nullos alios dies huic obſervantiæ miſceatis.

CAPUT VI.

De confec. diſt. 4. Si qui neceſſitatem. Ibid. Si quis autem Epiſc. Et in decr. Ivo. lib. 1.

QUia etſi ſunt alia quoque feſta, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur, principalis tamen, & maximi ſacramenti cuſtodienda nobis eſt myſticæ rationis exceptio, non interdicta licentia, qua in baptiſmo tribuendo, quolibet tempore periclitantibus ſubvenitur. Ita enim ad has duas feſtivitates connexas, atque ſibimet cognatas incolumium, & in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus; ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii, nullo tempore, hoc vere ſalutis ſingulare remedium cuiquam denegemus. Si quis autem Epiphaniæ feſtivitatem, quæ ſuo in ordine debito honore veneranda eſt, ob hoc exiſtimat privilegium habere baptiſmatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptiſmum ſancti Joannis acceſſerit, ſciat illius baptiſmi aliam gratiam, aliam fuiſſe rationem: nec ad eamdem pertinuiſſe virtutem, qua per Spiritum ſanctum renaſcuntur, de quibus dicitur: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Dominus enim nullius indigens remiſſione peccati, nec quærens remedium renaſcendi, ſic voluit baptizari, quomodo voluit circumcidi, hoſtiamque pro ſe mundationis offerri, ut qui factus erat ex muliere (ſicut Apoſtolus ait) fieret & ſub lege, quam non venerat ſolvere, ſed adimplere, & implendo finire, ſicut B. Apoſtolus prædicat dicens: *Finis autem legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti.* Baptiſmi autem ſui in ſe condidit ſacramentum, quia in omnibus primatum tenens ſe docuit eſſe

Joan. 1. Matth. 3.

Gal. 4. Matth. 4. Rom. 10.

prin-

Digitized by Google

principium. Et tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis. Sicut ergo vetus Teſtamentum teſtificatio fuit novi, & lex per Moſem data eſt, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt: ſic diverſa ſacrificia unam hoſtiam præformarunt, & multorum agnorum occiſio illius immolatione finita eſt, de quo dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sic & Joannes, non Chriſtus, ſed Chriſti prævius; non ſponſus, ſed ſponſi amicus fuit adeo fidelis, & non ſua quærens, ſed quæ Jeſu Chriſti, ut ſe profiteretur ad ſolvenda calceamenta pedum ejus indignum, quoniam ipſe quidem baptizaret in aqua in pœnitentiam, ille autem baptizatus eſſet in Spiritu ſancto & igni, qui duplici poteſtate, & vitam redderet, & peccata conſumeret. His itaque, fratres, tot tantiſque exiſtentibus documentis, quibus omnia ambiguitate ſubmota, evidenter agnoſcitis, in baptizandis electis, qui ſecundum Apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandi, & jejuniis ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id eſt, Paſcha & Pentecoſten eſſe ſervanda, hoc veſtræ indicimus charitati, ut ab Apoſtolicis inſtitutis nullo ulterius recedatis exceſſu. Quia inultum poſt hæc eſſe non poterit, ſi quiſquam Apoſtolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

Joan. 19.
Joan. 1.
Joan. 1.
Matth. 3.
Luc. 3.
In decret. Ivo lib. 1. De conſecr. diſtinct. 4. Duo tempora.

CAPUT VII.

Nic. Concil. cap. 5.

QUare illud primitus pro cuſtodia concordiſſimæ unitatis exigimus, ut quia ſaluberrime a ſanctis Patribus conſtitutum eſt binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conventus, terni ſemper ex vobis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam æterno concilio ſociandi, occurrant, & indiſſimulanter a vobis hæc conſuetudo ſervetur. Quoniam adjuvante gratia Dei, facilius poterit provideri, ut in Eccleſiis Chriſti nulla ſcandala, nulli naſcantur errores: cum coram beatiſſimo Apoſtolo Petro ſemper in communione tractatum fuerit, ut omnia inſtituta canonumque decreta apud omnes Domini ſacerdotes inviolata permaneant. Hæc autem, quæ vobis, inſpirante Domino, inſinuanda credimus, per fratres & Coepiſcopos noſtros * Bachillum atque Paſchaſinum, ad veſtram voluimus notitiam pervenire. Quibus referentibus cognoſcamus, quam reverenter a vobis Apoſtolicæ ſedis inſtituta ſerventur. Data 12. Kalend. Novembr. Alypio & Ardabure viris clariſſimis Conſulibus.

Vacillum.

EPISTOLA V.

Ad Dorum Beneventanum Epiſcopum.

Dilectiſſimo fratri Doro, Leo Epiſcopus.

An. Chriſti 450. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 9.

JUdicium, quod de te ſperabamus, dolemus eſſe fruſtratum: quando ea te commiſiſſe perſpicimus, quæ omnem Eccleſiaſticæ ſanctionis regulam culpabili novitate fœdarent, cum pleniſſime noveris, quanta ſollicitudine per omnes Domini Eccleſias paternorum velimus canonum præcepta ſervari, & hanc maxime curam ad ſacerdotes univerſarum plebium pertinere, ut ſanctarum conſtitutionum regulæ nullis corrumpantur exceſſibus. Unde miramur te, quem authoritatum Apoſtolicæ Sedis obſervantiſſimum eſſe convenerat, tam negligenter, ac potius inſolenter egiſſe, ut traditarum tibi legum non cuſtos, ſed tranſgreſſor exiſteres. Libello etenim Pauli Presbyteri tui, qui in ſubditis habetur, cognovimus, apud te novo ambitu, fœdoque colluvio Presbyterii ordinem fuiſſe turbatum: ita ut unius feſtivitas & immatura provectio, quædam eorum dejectio facta ſit, quos ætas commendabat, & nulla culpa minuebat. Quod ſi ambientis intentio, aut imperita faventium ſtudia id quod nunquam habuit conſuetudo poſcebant, ut incipiens emeritis, & novellus præferretur antiquis, tuæ fuerat induſtriæ atque doctrinæ, ut injuſte petentium deſideria rationabili authoritate cohiberes, ne quem in ſacerdotali propere provehebas honore, ad injuriam eorum, quibus ſociabatur, inciperet. Minor quis fieret, dum in illo non humilitatis virtus, ſed elationis vitium roboraretur. Neque enim ignorabas dixiſſe Dominum, quod qui ſe humiliat, exaltabitur; qui vero ſe exaltat, humiliabitur. Eundemque dixiſſe, *Quicumque vult inter vos major fieri, ſit veſter miniſter. Et quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.* Vos autem quæritis de puſillo creſcere, & de honore majores eſſe. Utrumque enim inordinatum, utrumque paſtorum eſt, & omnis laborum fructus aufertur, omnis meritorum menſura vacuatur; ſi tantum quis aſſequitur dignitatis, quantum adulationis obtinuit: ut cupiditas eminendi non ſolum ſuperbientem muniat, ſed etiam conniventem. Si vere (ut aſſeritur) primi ſecundique Presbyteri, circa Epicarpium ſibimet præponendum tam huic aſſentatio fuit, ut illum cum ſui dedecore poſcerent honorari, nec hoc quidem illis, proprio ſe judicio dejicientibus tribui debuit, quod volebant, cui tam miſeræ voluntati te dignius fuerat obviare, quam credere. Deformis autem, & ignava ſubjectio bene ſibi conſciis, & non irritam facientibus gratiam Dei, præjudicare non potuit, ut primatus ſuos quocumque commerito in alterutrum transferentes, ſubſequentium ſuorum minuerent dignitatem, & quem ultimum ſibi antepoſuerant, cæteris præemineret. Prædicti igitur Presbyteri, qui indignos ſe honoris ſui ordine ſunt profeſſi, licet privari etiam ſacerdotio mererentur; tamen ut eis Apoſtolicæ Sedis pietate parcatur, ultimi inter omnes Eccleſiæ Presbyteros habeantur. Et ut judicii ſui ſententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria ſententia ſibimet prætulere, cæteris omnibus Presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis ſuæ tempus adſcripſit. Nec quiſquam præter prædictos duos imminutæ dignitatis patiatur injuriam, ſed in eorum ſtatum tantummodo hoc recurrat opprobrium, qui novello, & immature ordinato, inferiores fieri elegere, ut illam Evangelicam ſententiam ad ſe ſentiant pertinere, qua dicitur: *Quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis: & qua menſura menſi fueritis eadem remetietur vobis.* Paulus vero Presbyter ordinem ſuum, de quo laudabili firmitate non ceſſit, obtineat. Nec ulterius aliquid in cujuſquam præſumatur injuriam, ita ut dilectio tua, quam non immerito tota facti hujus pulſat invidia, hoc ſaltem remedio curare ſe properet: ut ſine diſſimulatione hæc quæ diſcernimus, tradantur effectui, ne ſi iterato ad nos imploratio juſta confugit, neceſſe ſit ſeverius commoveri: cum his, quæ male ſunt facta, correctis, malimus reintegrare diſciplinam, quam augere vindictam. Exequutionem vero præceptionum noſtrarum fratri & Coepiſcopo noſtro Julio commiſiſſe nos noveris: ut omnia illa, quemadmodum conſtituimus, roborentur. Data Idus Martii, Poſthumiano viro clariſſimo Conſule.

Luc 14. & 18.
Matth. 7.
Matth. 4.

EPISTOLA VI.

Ad Eutychen Conſtantinopolitanum Abbatem.

Dilectiſſimo filio Eutychi Presbytero, Leo Epiſcopus.

An. Chriſti 451. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 9.

AD notitiam noſtram tuæ dilectionis epiſtola retuliſti, quod Neſtoriana hæreſis quorundam rurſus ſtudiis pullularet. Sollicitudinem tuam ex hac parte nobis placuiſſe reſcripſimus, quoniam iodex animi tui eſt ſermo, quem ſumpſimus: unde non ambigimus authorem Catholicæ fidei Dominum tibi in omoibus adfuturum. Nos autem cum plenius, quorum hoc improbitate fiat, potuerimus agnoſcere, neceſſe eſt, auxiliante Domino, providere: quatenus nefandum virus, dudumque damnatum, radicitus poſſit extingui. Deus te cuſtodiat incolumem, dilectiſſime Fili. Datum Kalendis Junii Poſthumiano & Zenone viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA VII.

Ad Theodoſium ſemper Auguſtum.

Leo Epiſcopus Theodoſio ſemper Auguſto.

An. Chriſti 451. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 10. fuit ſcripta hæc epiſtola ſimiliter & duæ ſequentes.

QUantum præſidii Dominus Eccleſiæ ſuæ in fide veſtræ clementiæ præparavit, his etiam litteris quas ad me miſiſtis, oſtenditur: ut vobis non ſolum regium, ſed etiam ſacerdotalem animum ineſſe gaudeamus. Siquidem præter imperiales, & publicas curas, piiſſimam ſollicitudinem Chriſtianæ religionis habetis, ne ſcilicet in populo Dei aut ſchiſmata, aut hæreſes, aut ulla ſcandala convaleſcant, quia tunc eſt optimus regni veſtri ſtatus, quando ſempiternæ & incommutabili Trinitati unius deitatis confeſſione ſervitur. Quid autem io Conſtantinopolitana Eccleſia perturbationis acciderit, quod ita fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Flavianum potuerit commovere, ut Eutychen Presbyterum communione privaret, nondum potuimus evidenter cognoſcere. Quamvis enim prædictus Presbyter ad Sedem Apoſtolicam per libellum doloris ſui querimoniam miſerit, breviter tamen aliqua prælibavit, aſſerens ſe Nicenæ Synodi conſtituta ſervantem, fruſtra fidei diverſitate culpatum. Euſebii autem Epiſcopi accuſatoris ejus libellus, cujus exemplaria ad nos prædictus Presbyter miſit, de objectionis evidentia nihil habebat. Sed cum Presbytero hæreſeos crimen intenderet, quem tamen in eo ſenſum arguerit, non evidenter expreſſit: quamvis & ipſe Epiſcopus Nicenæ Synodi profiteatur in hac re ſe adeſſe decretis, propter quod non habuimus, unde aliud diceremus. Et quia cauſæ meritum, fidei ratio, & laudabilis ſollicitudo veſtræ pietatis exigit, neceſſe eſt, jam locum ſubreptionibus non patere: ſed prius, de quibus eum æſtimat arguendum, inſtrui nos oportet, ut poſſit de bene cognitis congrue judicari. Ad prædictum autem Epiſcopum litteras dedi, quibus mihi diſplicere cognoſceret, quod ea quæ in tanta cauſa geſta fuerant, etiam nimio ſilentio reticeret, cum ſtudere debuerit primitus nobis cuncta referare. Quem credimus vel poſt admonitionem omnia ad noſtram notitiam relaturum, ut in lucem ductis his, quæ adhuc videntur occulta, id quod Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ concurrit, judicetur. Data ad Kalendas Martias, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

Epiſtola ejuſdem octava ad Flavium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ubi quærit cur Eutyches a communione Eccleſiæ fuerit ſeparatus.

Dilectiſſimo fratri Flaviano Epiſcopo, Leo Epiſcopus.

CUM Chriſtianiſſimus & clementiſſimus Imperator, ſancta, & laudabili fide, pro Eccleſiæ Catholicæ pace ſollicitus, ad nos ſcripta tranſmiſerit, de his qui apud vos perturbationis ſtrepitum moverant, miramur fraternitatem tuam, quicquid illud ſcandali fuerit, nobis ſilere potuiſſe, & non potius procuraſſe, ut primitus nos inſinuatio magis tuæ relationis inſtrueret, ne de rerum geſtarum fide poſſemus ambigere. Accepimus enim libellum Eutychetis Presbyteri, qui ſe queritur accuſante Euſebio Epiſcopo immerito communione privatum: maxime cum evocatum ſe adfuiſſe teſtetur, nec ſui præſentiam denegaſſe, adeo ut in ipſo judicio libellum appellationis ſuæ ſe aſſerat obtuliſſe, nec tamen fuiſſe ſuſceptum, qua ratione compulſus ſit ut conteſtatorios libellos in Conſtanonopolitana urbe proponeret. Quibus rebus intercedeotibus, nec dum agnoſcimus, qua juſtitia a communione Eccleſiæ fuerit ſeparatus. Sed reſpicientes ad cauſam, facti tui noſſe volumus rationem, & uſque ad noſtram notitiam cuncta deferri: quoniam nos, qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe judicia, nihil poſſumus, incognitis rebus, in cujuſquam Patris præjudicium definire, priuſquam univerſa, quæ geſta ſunt, veraciter audiamus. Et ideo fraternitas tua per idoneam maxime, aptamque perſonam pleniſſima nobis relatione ſignificet quid contra antiquam fidem novitas emerſerit: quod ſeveriori ſententia dignum fuerit vindicari. Nam & Eccleſiaſtica moderatio, & religioſa piiſſimi principis fides multam nobis ſollicitudinem Chriſtianæ pacis indicunt: ut amputatis diſſentionibus, fides Catholica inviolata ſervetur, & his, qui prava defendunt, ab errora revocatis, noſtra authoritate, quorum fides probata fuerit, muniatur. Nec aliqua poterit ex hac parte difficultas adferri: cum memoratus Presbyter libello proprio ſit profeſſus, paratum ſe eſſe ad corrigendum, ſi quid in ſe inventum fuerit, quod reprehenſione ſit dignum. Decet enim in talibus cauſis hoc maxime provideri, ut ſine ſtrepitu concertationum & charitas cuſtodiatur, & veritas defendatur, frater chariſſime. Et ideo quia dilectio tua de tanta cauſa nos videt neceſſario eſſe ſollicitos, quam pleniſſime & lucide univerſa nobis, quod ante facere debuit, indicare feſtinet: ne inter aſſertiones partium, aliqua ambiguitate fallamur, & diſſenſio, quæ in ſuis initiis abolenda eſt, nutriatur: cum in corde noſtro ea obſervantia, Deo inſpirante, permaneat, ne conſtitutiones venerabilium patrum divinitus roboratæ & ad ſoliditatem fidei pertinentes, prava cujuſpiam interpretatione violentur. Deus te cuſtodiat incolumem, clariſſime frater. Datum duodecimo Kalendas Maii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA FLAVIANI EPISCOPI Conſtantinopolitani ad ſanctiſſimum Leonem Papam urbis Romæ.

1 *De ſubdoli hoſtis inſidiis.*
2 *De fraudulenta ſubtilitate hæreticorum.*
3 *De blaſphemiis Eutychetis.*
4 *De excommunicatione ejus juſtiſſima.*

Domino beatiſſimo, & Deo amabili patri Leoni Flavianus in Domino ſalutem.

CAPUT I.

NUlla res diaboli venena compeſcit, nec continet ejus mortiferas ſagittas. Surſum enim atque deorſum pervolans, quærit quos poſſit devorare. Propter quam rem vigilandum aſt, & orationibus a Deo obtinendum, ut fatuas inquiſitiones evitare poſſimus. Decet enim ſequi patres noſtros, nec commutare definitionem eorum perpetuam, quorum regulam ſecundum ſacras
Clericus. Scripturas eſſe didicimus. Depoſitis ergo fletibus & lacrymis (quas inceſſanter fundo, quia ſub me Clericus degens, invaſus eſt a fero dæmone, & non potui eum liberare, nec auferre a tali lupo, qui animam meam pro illo paratus eram ponere) quomodo raptus ſit, quomodo reſilit a propoſito divino, & ad illum cucurrit, qui perdere conſuevit, præcepta patrum declinans, & conſtituta eorum deſpiciens, jam incipio narrare.

CAPUT II.

Matth. 3. SUNT enim quidam veſte ſua oves ſignificantes, interius lupi rapaces, quos ax fructibus eorum debemus agnoſcare. Iſti prima fronte videantur eſſa de
1. Joan. 2. numero noſtro, ſed non ſunt de numero noſtro. Si enim de numaro noſtro eſſent, nobiſcum manſiſſent. Quod autem cœperint aſſumere impiatatem, illud quod prius occultabatur in illis aperitur, & dolus omnis fit omnibus manifeſtus. Inveniuntur autem infirmæ fidei homines, & qui divinas lectiones neſciunt, & ſecum eos in perditionem præcipitant, diſſipantes, & vituperantes patrum diſciplinas, & reliquas ſanctas Scripturas ad ſuam perditionem, quos quidem debemus prævidare, & a quibus multum oportet cavere, ne in malitia ſua aliqui occupati concidant de ſua firmitate. Exacuerunt anim linguam ſuam quaſi ſerpentes, & venenum in labiis habent quaſi aſpides. De his hæc Propheta clamavit.

CAPUT III.

TAlis inter nos Entyches emarſit quondam Presbyter & Archimandrites, qui quaſi noſtræ religionis ſectam ſapiebat, & hanc præferebat: Neſtorii autem impietatem confirmabat, & ſuccingebatur pro Neſtorio militare in pugna, quæ contra Neſtorium parabatur. Tercentorum autem decem & octo ſanctorum Patrum de fide expoſitionem factam & ſanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini epiſtolam ſcriptam ad Neſtorium, val ad ſimiles ejus, cui omnes aſſenſerunt, tentavit avellere, antiquam impii Va-
Matth. 18. lentini & Apollinaris reparans ſectam, & non timuit
Matth. 9. præceptum regis veri Dei, dicentis: *Quicumque ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, expedit ei, ut mola aſinaria alligetur collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Varecundiam autem omnem ajus perfidia abjecit, & quam gerebat infidelitatis pellem excutiens, in ſancta Synodo aſſerebat inſtanter, dicens Dominum noſtrum Jaſum Chriſtum, non oportere confiteri da duabus naturis poſt humanam ſuſceptionem, cum a nobis unius ſubſtantiæ, & unius perſonæ cognoſcatur, neque carnem Domini coeſſentialem nobis ſubſiſtere, tanquam ex nobis ſuſceptam & coadunatam Dei Varbo ſecundum ſubſtantiam: ſed dicebat Virginem quidem, quæ eum genuit ſecundum carnem conſubſtantialem nobis eſſe, ipſum autem Dominum non ſuſcepiſſe ex ea carnem conſubſtantialem nobis, & corpus Domini non eſſe quidem corpus hominis, humanum varo corpus eſſe, quod aſt ax Virgine, omnium Patrum expoſitionibus contraria ſentiens.

CAPUT IV.

SED ne multa dicens, longam ſaciam epiſtolam, olim, quicquid egerimus, miſimus ad beatitudinem veſtram litteras: quibus litteris docuimus & Presbyterio illum eſſe nudatum, quia ſic captus aſt, & juſſimus eum cum Monaſteriis nullam habare rationem, & excluſimus eum a communiona noſtra, ut ſanctitas veſtra hoc cognoſcens, quod circa illum actum aſt, omnibus Epiſcopis, ſub beatitudine veſtra degentibus, manifeſtare dignetur illius impietatem; ne neſcientes aliqui, quid illa ſenſent, quaſi ad orthodoxum vel per litteras, vel per aliquam conjunctionem loquantur.

Epiſtola Flaviani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani alia, ad ſanctiſſimum Leonem Papam urbis ſenioris Romæ, de erroribus impii Eutychetis.

Sanctiſſimo & beatiſſimo Patri & conſacerdoti Leoni, Flavianus in Domino ſalutem.

PIetata & recta prædicatione verbi veritatis nihil honorabilius ſacerdotibus, ſicut noſti, Deo amantiſſime. Omnis enim noſtra ſpes atqua ſalus & retributio promiſſorum bonorum in his eſt. Propterea omnia facienda a nobis ſunt, & laborandum pro fida, & axpoſitionibus dogmatibuſqua ſanctorum Patrum: quatenus per omnia & inter omnes concuſſiones rerum, integra hæc & inviolata ſolvantur & cuſtodiantur. Neceſſarium itaque fuit nunc, & jam videntes nos lædi orthodoxam fidem, & renovari Apollinaris & Valentini hæraſes ab Eutyche monacho nec hoc diſpicere, ſed in aperto hoc pro cautela populi revelare. Iſte anim Eutyches abſconditum in ſe languorem malæ ſectæ retinens, inſiliens noſtræ manſuetudini, inverecunde & impudenter in multos impietatem propriam præſumpſit inferre dicens, ante inhumanationem quidem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti duas naturas eſſa divinitatis, & humanitatis, poſt unitionem vero, unam naturam factam: nequa ſciens quod dicit, neque da quibus affirmat. Neque enim unitas convenientium in Chriſto duarum naturarum, ſicut una res proprietates ſuas in unitate conſundit, ſed manent in unitate perfectæ naturarum proprietates. Adjecit autem & aliam impietatem, dicens corpus Domini, quod ex Maria factum aſt, non eſſe noſtræ ſubſtantiæ, neque humanæ conſperſionis: ſed humanum quidem illud vocat, non taman nobis conſubſtantiala, neque genitrica

ejus ſecundum carnem. Et hæc ajebat, cum in geſtis Epheſi habitis & ſancto & univerſali Concilio, in epiſtola ſcripta ad impium damnatumque Neſtorium aperte ſic habeatur: Quia diverſæ quidem ad unitatem veram concurrere naturæ, unus autem ex ambobus Chriſtus Dei filius, non tanquam naturarum differentia ſit perempta propter unitatem, ſed potius effecerit nobis unum Dominum Jeſum Chriſtum divinitatis & humanitatis per ineffabilem & inintelligibilem ad unitatem concurſionem. Et hoc non latet tuam ſanctitatem, dum omnino legerit geſta, quæ Epheſi ſunt confecta. Quæ pro nihilo ponens idem Eutyches, arbitratur, non ſe daturum pœnam præfinitam a ſancto illo & univerſali Concilio: quoniam per hæc multi ſimpliciores ejus eloquiis in fidei ſermone læduntur. Accuſatum vero eum a reverendiſſimo Euſebio, & occurrentem in ſanctum Concilium, & voce ſua ſectam propriam * retegentem, alienumque exiſtentem a recta fide, damnavimus, ſicut docebunt veſtram ſanctitatem omnia quæ ſuper eo ſunt geſta, quæque direximus cum noſtris his litteris. Juſtum autem eſt, & hoc vobis (ſicut arbitror) intimari: quia idem Eutyches paſſus juſtam canonicam damnationem, cum debuiſſet ſecundis ſalvare priora, & per pœnitentiam perfectam multaſque lachrymas placare Deum, noſtrumque cor vehementer contriſtatum in ejus ruina, per veram ſanare pœnitentiam: non ſolum non fecit, ſed etiam per omnia conturbare ſanctam, quæ apud nos eſt, Eccleſiam feſtinavit, propoſitiones injuriarum publice ponens & maledictionibus plenas, ſuper hæc & preces offerens piiſſimo, & Chriſti amantiſſimo noſtro Imperatori, & eaſdem arrogantia & petulantia plenas per omnia divinas regulas conculcare conatus eſt. Sed his ita geſtis, litteræ nobis datæ ſunt veſtræ ſanctitatis per admirabilem Comitem Pamſophium, per quas ſumus edocti, quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni ſallacia atque calliditate, dicens: Judicii tempore libellos ſe dediſſe appellationis & nobis, & huic convenienti ſancto Concilio, appellaſſe veſtram ſanctitatem: quod nequaquam ab eodem factum eſt. Sed etiam & in hac parte mentitus eſt, tanquam per fallaciam mendacii ſubrepere ſe ſanctis veſtris auribus putans. Commotus itaque, ſanctiſſime pater, in his omnibus quæ ab eo præſumpta ſunt, & ob ea quæ in nos & ſanctiſſimam Eccleſiam facta ſunt atque fiunt: pro conſueta fiducia fiducialiter age, ſecundum quod ſacerdotio competit, propriamque faciens communem cauſam & ſanctarum Eccleſiarum diſciplinam, ſimul decernere damnationem adverſus eum regulariter factam, & per propria ſcripta dignare: confortare autem piiſſimi & Chriſto deditiſſimi noſtri Imperatoris fidem. Cauſa enim eget ſolummodo veſtro ſolatio atque defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis quæ ſurrexit, & turbæ quæ propter eum factæ ſunt, facillime deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſacratiſſimas litteras. Removebitur autem & Concilium quod fieri divulgatur: quatenus nequaquam ubique ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ. Omnium quæ vobiſcum eſt fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, ſalutamus. Incolumis in Domino & orans pro nobis, doneris Eccleſiæ & nobis, religioſiſſime & ſanctiſſime Pater.

* *detegentem*

EPISTOLA IX.

Ejuſdem Leonis Papæ ad Theodoſium ſemper Auguſtum.

Leo urbis Romæ Epiſcopus Theodoſio ſemper Auguſto.

PRO integritate fidei Catholicæ Chriſtianum Principem convenit eſſe ſollicitum, & hoc indefeſſis precibus divinam miſericordiam poſco, ut cordi veſtro, ad quod eſt veritatis inſpiret, neque falli vos in aliquo humanarum calliditatum æmulatione patiatur. A me autem, atque ab omnibus Catholicis ſacerdotibus, quæ Evangelicæ fidei pietas defendat, ſatis plene ac lucide litteris meis, quas clementiam veſtram jamdudum per famulum veſtrum Epiphanium tribunum, qui pro hac cauſa miſſus eſt, arbitror vos aceepiſſe. Ratum eſt, nec ambigi poteſt hoc nos puriſſime credere, hoc conſtanter aſſerere, quod etiam venerandi Patres, quondam apud Nicæam congregati, ſecundum fidem Symboli credendum & confitendum ſacratiſſima authoritate ſanxerint. Nos enim, venerabilis Imperator, ſicut Neſtorii dogma perverſum merito anathematizavimus: ita juſte etiam horum impietatem, qui veritatem carnis noſtræ negant a Domino Jeſu Chriſto ſuſceptam eſſe, damnamus. Unde ſi pietas veſtra ſuggeſtioni ac ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Epiſcopale Concilium, cito (auxiliante Deo) poterunt omnia ſcandala, quæ in perturbationem totius Eccleſiæ ſunt commota, reſecari: ut per univerſum regnum veſtrum Catholicæ fidei integritate ſervata, & pacem Chriſtianam manere, & veſtram apud Deum creſcere gloriam gaudeamus. Data octavo Kalendas Junias Aſterio & Protogene viris clariſſimis conſulibus.

EPISTOLA X.

Ejuſdem Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum contra Eutychetis perfidiam & hæreſim.

Capitum ſequentis epiſtolæ tituli.

1 *Quod ignorantia ſanctarum Scripturarum Eutichen hæreticum fecerit.*
2 *Contra eos qui in duos filios diſpenſationis Dominicæ myſterium ſcindere moliuntur.*
3 *Contra eos qui paſſibilem divinitatem unigeniti Filii Dei audent aſſerere.*
4 *Contra eos qui in duas naturas Chriſti, temperamentum vel confuſionem argumentantur.*
5 *Contra eos qui cœleſtem, aut alterius cujuſque ſubſtantiæ, exiſtere formam ſervi, quam ex nobis aſſumpſit, inſaniendo aſſerunt.*
6 *Contra eos qui duas quidem ante adunationem naturas Domini delirant, unam vero poſt adunationem confingunt.*

Leo Epiſcopus, dilectiſſimo fratri Flaviano Conſtantinopolitano Epiſcopo.

CAPUT I.

LEctis Dilectionis tuæ litteris, quas miramur fuiſſe tam ſeras, & geſtorum Epiſcopalium ordine recenſito, tandem quid apud vos ſcandali con-

Digitized by Google

contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuiſſet, agnovimus, & quæ prius videbantur occulta, nunc nobis reſerata patuerunt. Quibus Eutyches, qui Presbyterii nomine honorabilis videbatur, multum imprudens, & nimis imperitus oſtenditur, ut
Pſalm. 35. etiam de ipſo dictum ſit a Propheta: *Noluit intelligere, ut bene ageret, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* Quid autem iniquius, quam impia ſapere, & ſapientioribus, doctioribuſque non credere? Sed in hanc inſipientiam cadunt, qui cum ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur *obſcuro, non ad Propheticas voces, non ad Apoſtolicas litteras, nec ad Evangelicas authoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt. Sed ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuere. Quam enim eruditionem de ſacris novi & veteris Teſtamenti paginis acquiſivit, qui nec ipſius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, iſtius adhuc ſenis corde non capitur.

24. q. 3. Quid autem iniquius.

* *obſtaculo.*

CAPUT II.

NEſciens igitur quid deberet de Verbi Dei Incarnatione ſentire, nec volens ad promerendum intelligentiæ lumen, in ſanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam ſaltem communem, & indiſcretam confeſſionem ſollicito apprehendiſſet auditu, qua fidelium univerſitas profitetur, credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine. Quibus tribus ſententiis omnium fere hæreticorum machinæ deſtruuntur. Cum enim Deus & omnipotens & æternus creditur Pater, & conſempiternus eidem Filius demonſtratur, in nullo a Patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus eſt coæternus: non poſterior tempore, non inferior poteſtate, non diſſimilis gloria, non diviſus eſſentia, idem vero ſempiterni genitoris unigenitus ſempiternus natus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine. Quæ nativitas temporalis illi nativitati divinæ & ſempiternæ nihil minuit, nihil contulit, ſed totam reparando homini, qui erat deceptus, impendit: ut & mortem vinceret, & diabolum, qui mortis habebat imperium, ſua virtute deſtrueret. Non enim ſuperare poſſemus peccati & mortis authurem, niſi naturam noſtram ille ſuſciperet, & ſuam faceret: quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe eſt de Spiritu ſancto intra uterum Matris virginis, quæ ita illum, ſalva virginitate, edidit, quemadmodum ſalva virginitate concepit. Sed ſi de hoc Chriſtianæ fidei fonte puriſſimo ſincerum intellectum haurire non poterat, quia ſplendorem perſpicuæ veritatis obcæcatione ſibi propria tenebrarat: doctrinæ ſe Evangelicæ
Matth. 1. ſubdidiſſet, dicente Matthæo: *Liber generationis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham.* Apoſtolicæ quoque prædicationis expetiſſet * inſtructum, &
Rom. 1. legens in epiſt. ad Romanos, Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis, de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, ad propheticas quoque paginas ſuam ſollicitudinem contuliſſet, & inveniſſet promiſſionem Dei ad Abraham, dicentis:
Gen. 12. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Et ne de
Gal. 3. hujus ſeminis proprietate dubitaret, ſecutus fuiſſet
Ibidem. Apoſtolum dicentem: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit, & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, quod eſt Chri*-

* *inſtrumentum.*

ſtus. Eſaiæ quoque prædicationem interiore appre-
Eſai. 3.
hendiſſet auditu dicentis: *Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel,* quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus. Ejuſdemque Prophetæ fideliter verba legiſſet: *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cujus poteſtas ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus magni conſilii Angelus, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, princeps pacis, Pater futuri ſæculi.* Nec fruſtratorie loquens, ita Verbum diceret carnem factum, ut editus utero virginis Chriſtus haberet formam hominis, & non haberet materni corporis veritatem. An forte ideo putavit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, non noſtræ eſſe naturæ, quia miſſus ad beatam Mariam ſemper Virginem Angelus ait: *Spiritus ſanctus* Luc. 1.
ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, Luc. 2.
ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei, ut quia conceptus virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti? Sed non ita nobis intelligenda eſt illa generatio ſingulariter mirabilis, & mirabiliter ſingularis, ut per novitatem creationis proprietas remota ſit generis. Fœcunditatem enim virgini Spiritus ſanctus dedit, veritas autem corporis ſumpta de corpore eſt, & ædificante ſibi ſapientia domum, Verbum caro factum Prov. 9.
eſt, & habitavit in nobis, hoc eſt, in ea carne, quam Joan. 1.
aſſumpſit ex homine, & quam ſpiritus vitæ rationalis animavit.

CAPUT III.

SAlva igitur proprietate utriuſque naturæ, & in unam coeunte perſonam, ſuſcepta eſt a majeſtate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad reſolvendum conditionis noſtri debitum, natura inviolabilis naturæ eſt unita paſſibili: ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem mediator hominum, homo Jeſus Chriſtus, & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura, verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Nam illa, quæ deceptor intulit, & homo deceptus admiſit, nullum habuere in Salvatore veſtigium. Nec quia communionem humanarum ſubiit infirmitatum, ideo noſtrorum fuit particeps delictorum. Aſſumpſit formam ſervi ſine ſorde peccati, humana augens, divina non minuens, quia exinanitio illa, qua ſe inviſibilis viſibilem præbuit, & Creator ac Dominus omnium rerum unus voluit eſſe mortalium, inclinatio fuit miſerationis non defectio poteſtatis. Proinde qui manens in forma Dei, fecit hominem: idem in forma ſervi, factus eſt homo. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam utraque natura. Et ſicut formam ſervi Dei forma non adimit: ita formam Dei ſervi forma non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem ſua fraude deceptum, divinis caruiſſe muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis ſubiiſſe ſententiam, ſeque in malis ſuis quoddam de * prævaricatoris conſortio inveniſſe ſolatium, Deum quoque, juſtitiæ exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, propriam mutaſſe ſententiam: opus fuit ſecreti diſpenſatione conſilii, ut incommutabilis Deus (cujus voluntas non poteſt ſua benignitate privari) primam erga nos pietatis ſuæ diſpenſationem, ſacramento occultiore compleret, & homo, diabolicæ iniquitatis verſutia actus in culpam, contra Dei propoſitum non periret.

* *prævaricationis.*

CAPUT IV.

INgreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei, de
cœleſti ſede deſcendens, & a paterna gloria non
recedens, novo ordine, nova nativitate generatus:
Novo ordine, quia inviſibilis in ſuis, viſibilis fa-
ctus eſt in noſtris. Incomprehenſibilis voluit com-
prehendi. Ante tempora manens, eſſe cœpit ex
tempore. Univerſitatis Dominus ſervilem formam,
obumbrata majeſtatis ſuæ immenſitate ſuſcepit. Im-
paſſibilis Deus, non dedignatus eſt eſſe homo paſſi-
bilis, & immortalis, mortis legibus ſubjacere. No-
va autem nativitate generatus, quia ioviolata vir-
ginitas concupiſcentiam neſcivit, carnis materiam
miniſtravit. Aſſumpta eſt igitur de matre Domini
natura, non culpa, nec in Domino Jeſu Chriſto, ex
utero Virginis genito, quia nativitas eſt mirabilis,
noſtra eſt natura. ideo * noſtræ eſt naturæ diſſimilis. Qui enim verus
eſt Deus, idem verus eſt homo. Et nullum in hac
unitate mendacium, dum invicem ſunt & humili-
tas hominis, & altitudo deitatis. Sicut enim Deus
non mutatur miſeratione, ita homo non conſumitur
dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius
communione, quod proprium eſt, Verbo ſcilicet
operante, quod Verbi eſt, & carne exequente,
quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis,
aliud ſuccumbit injuriis. Et ſicut Verbum ab æqua-
litate paternæ gloriæ non receſſit, ita caro naturam
noſtri generis non reliquit. Unus enim idemque
eſt, quod ſæpe dicendum eſt, vere Dei filius, & ve-
Joan. 1. re hominis filius. Deus per id, quod in principio
erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus
erat Verbum: Homo per id, quod Verbum caro
factum eſt, & habitavit in nobis. Deus per id,
quod omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum
eſt nihil. Homo per id, quod factus eſt ex muliere,
factus ſub lege. Nativitas carnis, manifeſtatio eſt
humanæ naturæ: Partus virginis, divinæ eſt virtu-
tis indicium: Infantia parvuli oſtenditur humili-
tate cunarum: Magnitudo Altiſſimi declaratur
Matth. 2. vocibus Angelorum. Similis eſt rudimentis homi-
num, quem Herodes impius molitur occidere: ſed
Dominus eſt omnium, quem Magi gaudent ſuppli-
Matth. 3. citer adorara. Jam cum ad Præcurſoris ſui Joannis
baptiſmum veniret, ne lateret, quod carnis vela-
Matth. 4. mine tegeretur, vox Patris de cœlo intonans dixit:
*Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene com-
placui.* Quem itaque ſicut hominem diabolica ten-
tat aſtutia, eidem ſicut Deo Angelica famulantur
officia. Eſurire, ſitire, laſſeſcere atque dormire,
evidenter humanum eſt. Sed & de quinque pani-
Joan. 6. bus, quinque millia homioum ſatiare, & largiri Sa-
maritanæ aquam vivam, cujus hauſtus bibenti præ-
Joan. 4. ſtat, ne ultra jam ſitiat, & ſupra dorſum maris
plantis non ſubſidentibus ambulare, & elationes
Matth. 14. Lucæ 8. fluctuum increpata tempeſtate conſternere, ſine
ambiguitate divinum eſt. Sicut ergo (ut multa
prætercam) non ejuſdem naturæ eſt, flere miſera-
Lazarum. tionis affectu amicum mortuum, & eumdem, remoto
Joan. 1. quatriduano aggere ſepulturæ, ad vocis imperium
Matth. 27. excitare redivivum, aut in ligno pendere, & in
noctem luce converſa, omnia elementa tremeface-
re, aut clavis transfixum eſſe, & paradiſi portas fi-
dei latronis aperire: ita non ejuſdem naturæ eſt,
dicere, *Ego & Pater unum ſumus*: & dicere,
Joan. 10. *Pater major me eſt*. Quamvis enim in Domino Jeſu
Joan. 14. Chriſto Dei & homiois una perſona ſit; aliud ta-
men eſt, unde contumelia in utroque communis,
aliud unde communis eſt gloria. De noſtro enim il-
li eſt minor patre humanitas, de patre illi eſt æqua-
lis cum Patre divinitas.

CAPUT V.

PRopter hanc ergo unitatem perſonæ, in utraque
natura intelligendam, & filius hominis legitur
deſcendiſſe de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea
virgine, de qua eſt natus, aſſumpſerit. Et rurſus, Fi-
lius Dei crucifixus dicitur ac ſepultus, cum hæc non
in divinitate ipſa, qua unigenitus, conſempiternus,
& conſubſtantialis eſt Patri, ſed in naturæ humanæ
ſit infirmitate perpeſſus. Unde unigenitum Filium
Dei crucifixum & ſepultum, omnes etiam in ſymbo-
lo confitemur, ſecundum illud Apoſtoli, *Si enim* 1. Cor. 2.
*cognoviſſent, nunquam Dominum majeſtatis crucifi-
xiſſent*. Cum autem ipſe Dominus noſter atque Sal-
vator fidem diſcipulorum ſuorum ſuis interrogatio-
oibus audiret, *Quem* (inquit) *dicunt homines eſſe
filium hominis?* Cumque illi diverſas aliorum opi-
niones retexiſſent: *Vos autem* (ait) *quem me eſſe
dicitis?* Me utique qui ſum filius hominis, & quem
in forma ſervi atque in veritate carnis aſpicitis,
quem me eſſe dicitis? Ubi B. Petrus divinitus in-
ſpiratus, & confeſſione ſua omnibus gentibus pro-
futurus, *Tu es* (inquit) *Chriſtus Filius Dei vivi*. Nec Matth. 16.
immerito beatus eſt pronunciatus a Domino & a
principali petra ſoliditatem & virtutis traxit & no-
minis, qui per revelationem Patris eumdem & Fi-
lium Dei eſt confeſſus, & Chriſtum, quia unum
horum ſine alio receptum non proderat ad ſalutem;
ſed æqualis erat periculi Dominum Jeſum Chriſtum
aut Deum tantummodo ſine homine, aut ſine Deo
ſolum hominem crediſſe. Poſt reſurrectionem
vero Domini, quæ utique veri hominis fuit, quia
aliter non eſt reſuſcitatus, quam qui fuerat crucifi-
xus & mortuus, quid aliud quadraginta dierum
mora geſtum eſt, quam ut fidei noſtræ integritas ab
omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum Act. 1.
diſcipulis ſuis, & cohabitans atque conveſcens, &
pertractari ſe diligenti curioſoque contactu ab eis
quos dubietas perſtringebat admittens, ideo &
clauſis ad diſcipulos januis introibat, & flatu ſuo
dabat Spiritum Sanctum, & donato intelligentiæ Joan. 20.
lumine ſanctarum Scripturarum occulta pandebat.
Et rurſus, idem vulnus lateris, fixuras clavorum, Ibidem.
& omnia recentiſsimæ Paſsionis ſigna monſtrabat di- Luc. 24.
cens: *Videte manus meas & pedes, quia ego ſum.
Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non
habet ſicut me videtis habere*: ut agnoſceretur in eo
proprietas divinæ humanæque naturæ individua
permanere, & ita ſciremus, Verbum hoc non eſſe,
quod carnem, & ut unum Dei Filium & verbum con-
fiteremur & carnem. Quo fidei ſacramento Euty-
ches iſte nimium æſtimandus eſt vacuus, qui natu-
ram noſtram in Unigenito Dei, nec per humilitatem
mortalitatis, nec per gloriam reſurrectionis agnovit.
Nec ſententia B. Apoſtoli & Evangeliſtæ Joannis ex- 1. Joan. 4.
pavit dicens: *Omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum
Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus,
qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.*
Quid autem eſt ſolvere Jeſum, niſi humanam ab eo
ſeparare naturam, ſacramentum fidei, per quod
ſalvati ſumus, impudentiſsimis evacuare figmentis?
Caligans vero circa naturam corporis Chriſti, neceſ-
ſe eſt, ut etiam in paſsione ejus eadem obcæcatione
deſipiat. Nam ſi crucem Domini non putat falſam,
& ſuſceptum pro mundi ſalute ſupplicium, verum
fuiſſe non dubitat, cujus credit mortem, agnoſcat
& carnem. Nec diffiteatur noſtri corporis homi-
nem, quem cognoſcit fuiſſe paſsibilem: quoniam
negatio veræ carnis, negatio eſt etiam corporeæ
paſsionis. Si enim Chriſtianam ſuſcepit fidem, & a
prædicatione Evangelii ſuum non avertit auditum: Joan. 19.

vi-

Digitized by Google

videat quæ natura transfixa clavis pependerit in Crucis ligno, & aperto per militis lanceam latere Crucifixi, intelligat, unde ſanguinis, & aqua effluxerint, ut Eccleſia Dei & lavacro rigaretur & poculo. Audiat & B. Petrum Apoſtolum prædicantem, quod ſanctificatio ſpiritus per aſperſionem fiat ſanguinis Chriſti. Nec tranſitorie legat ejuſdem Apoſtoli verba dicentis: 1. Petr. 3. *Scientes, quod non corruptibilibus argento & auro redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati, & immaculati Jeſu Chriſti*. Beati quoque Joannis Apoſtoli teſtimonio non reſiſtat, di-
1. Joan. 1. centis: *Et ſanguis Jeſu Filii Dei emundat nos ab omni
1. Joan. 5 peccato*. Et iterum: *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides veſtra*. Et quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Jeſus eſt Filius Dei? Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Jeſus Chriſtus. Non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpi-
ſpiritus. ritus eſt, qui teſtificatur, quoniam * Chriſtus eſt veritas. Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt. Spiritus utique ſanctificationis, & ſanguinis redemptionis, & aqua baptiſmatis: quæ tria unum ſunt, & individua manent, nihilque eorum a ſui connexione ſejungitur: quia Catholica Eccleſia hac fide vivit ac proficit, ut in Chriſto Jeſu, nec ſine vera divinitate humanitas, nec ſine vera credatur humanitate divinitas.

CAPUT IV.

CUm autem ad interrogationem examinis veſtri Eutyches reſponderit, dicens: confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem; poſt adunationem vero unam naturam confiteor: tam abſurdam, tamque perverſam ejus profeſſionem, nulla judicantium increpatione reprehenſam, & ſermonem nimis inſipientem nimiſque blaſphemum, ita omiſſum, quia nihil quod offenderet, eſſet auditum: cum tam impie duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuiſſe dicatur, quam nefarie poſtquam Verbum caro factum eſt, natura in eo ſingularis aſſeritur. Quod ne Eutyches ideo vel recte vel tolerabiliter æſtimet dictum, quia nulla veſtra eſt ſententia confutatum, ſollicitudinis tuæ diligentiam commonemus, frater chariſſime, ut ſi per inſpirationem miſericordiæ Dei ad ſatisfactionem cauſa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac ſenſus ſui macula per te purgetur. Qui quidem (ſicut geſtorum ordo pateſecit) pene cœperat a ſua perſuaſione diſcedere, cum veſtra ſententia coarctatus, profiteretur ſe dicere, quod ante non dixerat, & ei fidei acquieſcere, cujus prius fuiſſet alienus. Sed cum anathematizando impio dogmati noluiſſet præbere conſenſum, intellexit eum fraternitas veſtra in ſua manere perfidia, dignumque eſſe, qui judicium condemnationis exciperet: de quo ſi fideliter atque utiliter dolet, & quam recte mota ſit Epiſcopalis authoritas, vel ſero cognoſcit, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem, omnia quæ ab eo male ſunt ſenſa, viva voce & præſenti ſubſcri-
Joan. 10. ptione damnaverit, non erit reprehenſibilis erga
Luc. 9. correctum quantacumque miſeratio: quia Dominus noſter verus & bonus paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & qui venit animas hominum ſalvare, non perdere, imitatores nos vult eſſe ſuæ pietatis, ut peccantes quidem juſtitia coerceat, converſos autem miſericordia non repellat. Tunc enim demum fructuoſiſſime fides vera defenditur, quando etiam a ſectatoribus ſuis opinio falſa damnatur: ad omnem vero cauſam pie ac fideliter exequendam, fratres noſtros Julianum Epiſcopum & Renatum Presbyterum tituli ſancti Clementis, ſed & filium meum Hilarium Diaconem vice noſtra direximus. Quibus Dulcitium notarium noſtrum, cujus fides nobis eſt ſæpe probata, ſociavimus: confidentes ad futurum divinitatis auxilium, ut is, qui erraverat, damnata ſenſus ſui pravitate, ſalvetur. Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data Idibus Junii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus. Æra 486.* *l. 483.

EPISTOLA XI.

Ad Julianum Epiſcopum Coenſem, contra Eutychenæ impietatis errorem.

Leo urbis Romæ Epiſcopus dilectiſſimo fratri Juliano Epiſcopo.

LIcet per * noſtros, quos ad urbem pro fidei *eos. cauſa direximus, pleniſſimas ad fratrum Flavianum litteras miſerimus contra nimiæ impietatis errorem: tamen quia per filium noſtrum Baſilium Diaconum ſcripta tuæ dilectionis accepimus, quæ multum nobis Catholici ſenſus fervore placuerunt, etiam hanc paginam, quæ illis epiſtolis conſonaret, adiecimus: ut unanimiter atque conſtanter, his qui Evangelium Chriſti corrumpere cupiunt, reſiſtatis, quoniam Sancti Spiritus in nobis atque in vobis una eſt eruditio, eademque doctrina: quam quicumque non recipit, non eſt membrum corporis Chriſti: nec poteſt eo capite gloriari, in quo naturam ſuam aſſerit non haberi. Quid autem prodeſt imprudentiſſimo ſeni, Neſtorianæ hæreſeos nomine, eorum lacerare opinionem, quorum piiſſimam convellere non poteſt fidem, cum quantum Neſtorius a veritate diſceſſit, deitatem Verbi ab aſſumpti hominis ſubſtantia ſeparando, tantum a recto tramite etiam iſte deſciſcat, qui unigenitum Dei Filium ſic de utero B. Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis ſpeciem geſſerit, ſed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit? De quo prodigio falſitatis quis non videat, quæ opinionum monſtra naſcantur? Negator enim mediatoris Dei & hominum, hominis Jeſu Chriſti, neceſſe eſt ut multis impleatur: eumque aut Apollinaris ſibi vindicet, aut Valentinus uſurpet, aut Manichæus obtineat, quorum nullus in Chriſto humanæ carnis credidit veritatem. Qua utique non recepta, non ſolum quod ſecundum carnem atque animam rationalem, qui erat in forma Dei manens idem in forma ſervi, homo natus denegatur; ſed etiam, quod crucifixus eſt, & mortuus ac ſepultus, quodque die tertio a mortuis reſurrexit, & quod ad dexteram Dei Patris ſedens ad judicandos vivos & mortuos, in eo corpore ſit venturus, in quo eſt judicatus ad mortem, abnuitur: quia hæc redemptionis noſtræ ſacramenta vacuantur, ſi Chriſtus veram veri hominis, totamque naturam ſuſcepiſſe non creditur. An quia manifeſta erant ſigna divina, falſa dicentur documenta corporea, & teſtimonia utriuſque naturæ valebunt, ut creator intelligatur; non valebunt, ut creatura ſalvetur? Quod deitatis eſt, caro non minuit: quod carnis eſt, deitas non peremit. Idem enim & ſempiternus ex Patre, & temporalis ex matre: in ſua virtute inviolabilis: in noſtra infirmitate paſſibilis: in deitate Trinitatis cum Patre & cum Spiritu ſancto, unius ejuſdemque naturæ: in ſuſceptione autem hominis, non unius ſubſtantiæ, ſed unius ejuſdemque perſonæ: ut idem eſſet dives in paupertate, omnipotens in abiectione, impaſſibilis in ſupplicio, immortalis in morte. Nec enim Verbum aut in carnem, aut in animam

aliqua ſui parte converſum eſt, cum ſimplex & incommutabilis natura deitatis, tota ſit ſemper in ſua eſſentia, nec damnum ſui recipiens, nec augmentum: & ſic aſſumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconveniens, aut impoſſibile videatur, ut videlicet Verbum & caro atque anima unus Jeſus Chriſtus, & unus Dei hominiſque ſit filius, ſi caro, & anima, quæ diſſimilium naturarum ſunt, unam faciunt etiam ſine verbi incarnatione perſonam: cum multo ſit facilius, ut hanc unitatem ſui atque hominis deitatis præſtet poteſtas, quam ut eam in ſubſtantiis ſuis obtineat ſolius humanitatis infirmitas? Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata eſt: ſed utrumque in uno manet, & unus in utroque eſt, non diverſitate diviſus, non permixtione confuſus, nec alter ex patre, alter ex matre: ſed idem aliter ex patre ante omne principium, aliter de matre in fine ſæcu-
1. Tim. 2. lorum, ut eſſet mediator Dei & hominum, homo
Coloſſ. 2. Jeſus Chriſtus, in quo inhabitaret plenitudo divinitatis corporaliter: quia aſſumpti, non aſſumentis provectio eſt, quod Deus illum exaltavit & donavit
Philip. 2. illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. In eo vero quod Eutyches in Epiſcopali judicio auſus eſt dicere, ante Incarnationem duas in Chriſto fuiſſe naturas, poſt Incarnationem autem unam, neceſſarium fuerat ut ad reddendam rationem profeſſionis ſuæ, crebris atque ſollicitis judicium interrogationibus urgeretur, ne tanquam inane aliquid præterflueret, quod non niſi de hauſtu venenatorum dogmatum apparebat effuſum. Arbitror enim talia proloquentem hoc habere perſuaſum quod anima, quam Salvator aſſumpſit, prius in cœlis ſit commorata, quam de Maria virgine naſceretur, eamque ſibi Verbum in utero copularit. Sed hoc Catholicæ mentes, aureſque non tolerant, quia nihil ſecum Dominus de cœlo veniens noſtræ conditionis exhibuit: nec animam enim, quæ anterior extitiſſet, nec carnem, quæ non materni corporis eſſet, accepit. Natura quippe noſtra non ſic aſſumpta eſt, ut prius creata, poſt aſſumeretur; ſed ut ipſa aſſumptione crearetur. Unde quod in Origene merito damnatum eſt, qui animarum, antequam corporibus insererentur, non ſolum vitas, ſed & diverſas fuiſſe aſſeruit actiones; neceſſe eſt, ut etiam in iſto, niſi maluerit ſententiam abdicare, plectatur. Nativitas enim Domini ſecundum carnem quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia tranſcendat, ſive quod ſolus ex ſancto Spiritu ab inviolata Virgine ſine concupiſcentia carnis eſt conceptus & natus, ſive quod ita viſceribus matris eſt editus, ut & fœcunditas pareret, & virginitas permaneret: non alterius tamen naturæ erat ejus caro, quam noſtra, nec alio illi, quam cæteris hominibus, anima eſt inſpirata principio, quæ excelleret, non diverſitate generis, ſed ſublimitate virtutis. Nihil enim carnis ſuæ habebat adverſum, nec diſcordia deſideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Senſus corporei vigebant ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis. Verus homo vero unitus eſt Deo, nec ſecundum exiſtentem prius animam deductus eſt e cœlo, nec ſecundum carnem creatus ex nihilo, eandem gerens in Verbi deitate perſonam, & tenens communem nobiſcum in corpore, animaque naturam. Non enim eſſet Dei hominumque mediator, niſi idem Deus idemque homo in utroque homo, in utroque
1. Tim. 2. & unus eſſet & verus. Incitat quidem nos ad latitudinem diſſerendi materiæ magnitudo; ſed apud eruditionem tuam non eſt copia laborandum, præſertim jam, cum per noſtros ad fratrem Flavianum ſufficientes litteras miſerimus, ad confirmandos animos non ſolum ſacerdotum, ſed etiam laicorum. Præſtabit, ut credimus, miſericordia Dei, ut abſque cujuſquam animæ detrimento poſſint adverſum diaboli dolos & ſana defendi & vulnerata curari. Data Idibus Junii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XII.

Leonis Papæ ad Theodoſium Auguſtum, de legatis quos vice ſua deſtinavit ad Synodum Epheſinam, pro erroribus Futychetis collectam.

Cæſari Theodoſio religioſiſſimo & piiſſimo Auguſto, Leo Papa Eccleſiæ Catholicæ urbis Romæ.

QUantum rebus humanis conſulere providentia divina dignetur, ſollicitudo clementiæ veſtræ Spiritu Dei incitata demonſtrat, quæ in Catholica Eccleſia nihil impacatum, nihil vult eſſe diverſum: quoniam fides, quæ non niſi una eſt, in nullo poteſt ſui eſſe diſſimilis. Unde licet Eutyches (quantum geſtorum Epiſcopalium ordo patefecit) imperite atque imprudenter errare detectus ſit, debueritque a ſua merito reprobabili perſuaſione diſcedere: quoniam tamen pietas veſtra, quæ in honorem Dei religioſiſſime Catholicam diligit veritatem, apud Epheſum conſtituit Synodale concilium: ut imperito ſeni, ea in qua nimis caligat, veritas innoteſcat, fratres meos Julianum Epiſcopum, & Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum miſi, qui ad vicem præſentiæ meæ pro negotii qualitate ſufficerent, & qui eum ſecum deferrent juſtitiæ ac benignitatis affectum, ut quia dubitari non poteſt, quæ ſit Chriſtianæ confeſſionis integritas, & totius erroris pravitas damnaretur, & ſi reſipiſcens, qui deviaverat, pro venia ſupplicaret, ſacerdotalis ei benevolentia ſubveniret: cum in libello ſuo, quem ad nos miſit, hoc ſaltem ſibi ad promerendam veniam reſervavit, ut correcturum ſe eſſe promitteret, quicquid noſtra ſententia de his, quæ male ſenſerat, improbaſſet. Quid autem Catholica Eccleſia univerſaliter de ſacramento Dominicæ Incarnationis credat & doceat, ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Flavianum plenius continent ſcripta, quæ miſi. Data Idibus Junii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XIII.

Leonis Papæ ad Pulcheriam Auguſtam, de his unde ſupra ad Theodoſium Auguſtum.

Leo Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, piiſſimæ Pulcheriæ Auguſtæ.

QUantum præſidii Dominus Eccleſiæ ſuæ in veſtra clementia præparavit, multis ſæpe probavimus documentis. Et quicquid noſtris temporibus, contra impugnatores Catholicæ veritatis, induſtria ſacerdotalis obtinet, ad veſtram maxime gloriam redundabit, dum, ſicut Spiritu ſancto docente didiciſtis, illi per omnia poteſtatem veſtram ſubjicitis,

cu-

cujus munere & protectione regnatis. Unde quia contra integritatem fidei Chriſtianæ, diſſenſionem quandam in Conſtantinopolitana Eccleſia Eutyche authore generatam, fratris & Coepiſcopi noſtri Flaviani relatione cognovi, ita ut totius cauſæ ſpeciem Synodalium geſtorum textus oſtenderit: dignum gloriæ veſtræ eſt ut error (qui ut arbitror) de imperitia magis, quam de verſutia natus eſt, auferatur, priuſquam ullas ſibi vires de conſenſu imprudentium pertinacia pravitatis acquirat: quia etiam ignorantia in graves nonnunquam incidit lapſus, & plerumque in diaboli ruit foveas incauta ſimplicitas, per quam in ſupradicto ſubrepſiſſe intelligo ſpiritum falſitatis, ut dum æſtimat ſe religioſius de Filii Dei majeſtate ſentire, ſi ei naturæ noſtræ veritatem ineſſe non dicat, totum illud, quod Verbum caro factum eſt, uniusatque ejuſdem putet eſſe ſubſtantiæ. Et quantum Neſtorius a veritate excidit, dum Chriſtum de matre ſolum hominem aſſerit natum, tantum etiam hic a Catholico tramite deviat, qui de eadem virgine non noſtram credit editam eſſe ſubſtantiam: volens utique eam ſolius deitatis intelligi, ut quod formam ſervi geſsit, & quod noſtri ſimilis fuit atque conformis, quædam noſtræ naturæ fuerit imago, non veritas. Nihil autem prodeſt, Dominum noſtrum beatæ Mariæ Virginis filium, verum perfectumque hominem dicere, ſi non illius generis homo creditur, cujus in Evangelio

Matth. 1. prædicatur. Dicit enim Matthæus: *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham*; & ita humanæ originis ordinem ſequitur, ut generationum lineas uſque ad Joſeph, cui Mater Domini erat deſponſata, deducat. Lucas vero retrorſum ſucceſsionum gradus relegens, ad ipſum humani generis principem rediit, ut Adam primum, & Adam noviſsimum ejuſdem oſtendat eſſe naturæ. Potuerat quippe om-

Gen. 32. nipotentia Filii Dei ſic ad docendos, juſtificandoſque homines apparere, quomodo & Patriarchis & Prophetis in ſpecie carnis apparuit, cum aut luctamen iniit, aut ſermonem conſeruit, cumve officia hoſpitalitatis non abnuit, vel etiam appoſitum cibum ſumpſie. Sed illæ imagines hujus hominis erant indicia, cujus veritatem ex præcedentium Patrum ſtirpe ſumendum, ſignificationes myſticæ nunciabant. Et ideo ſacramentum reconciliationis noſtræ ante tempora æterna diſpoſitum, nullæ implebant figuræ, quia nondum ſupervenerat Spiritus ſanctus in virginem, nec virtus Altiſsimi obumbraverat ei: ut

Prov. 9. & intra intemerataque viſcera, ædificante ſibi ſapientia

Joan. 1. domum, Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma ſervi in unam conveniente perſonam, Creator temporum naſceretur in tempore, & per quem facta ſunt omnia, ipſe inter omnia gigneretur. Niſi enim novus homo, factus in ſimilitudinem carnis peccati, noſtram ſuſciperet vetuſtatem, & conſubſtantialis Patri, conſubſtantialis eſſe dignaretur & matri, naturamque ſibi noſtram ſolus a peccato liber uniret: ſub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas, nec aliter poſsideremus triumphantis victoriam, ſi extra noſtram eſſet confecta naturam. De hac autem participatione mirabile ſacramentum nobis regenerationis indulſit, ut per ipſum Spiritum, per quem Chriſtus & conceptus eſt & natus, etiam nos, qui per concupiſcentiam carnis ſumus geniti, ſpirituali iterum origine naſceremur. Propter quod ab Evangeliſta de credentibus

Joan. 5. dicitur: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Cujus ineffabilis gratiæ particeps non eſt, nec poteſt filiorum Dei adoptionem conſequi, quiſquis a fide ſua, hoc quod nos principaliter ſalvat, excludit. Unde multum doleo, multumque contriſtor, quod hic qui antea de humilitatis propoſito laudabilis videbatur, contra unicam ſpem noſtram, patrumque noſtrorum, vana nimis & ſtolida audet adſtruere. Qui dum videret inſipientiæ ſuæ ſenſum Catholicis auribus diſplicere, revocare ſe a ſua opinione debuerat; nec ita Eccleſiæ Præſules commovere, ut damnationis ſententiam mereretur accipere: quam utique ſi in ſua ſententia voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam obſervat, ut & ſeverius agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis. Quia ergo multa mihi fiducia eſt de pietatis tuæ ſinceriſsima fide, obſecro gloriam clementiæ tuæ, ut ſicut ſancto ſtudio tuo Catholica prædicatio ſemper adjuta eſt, ita nunc quoque ejus faveat libertati: quam forte ideo permiſit Dominus hac tentatione pulſari, ut quales intra Eccleſiam lateant, poſsit agnoſci. Quorum plane non eſt negligenda curatio, ut nec ipſorum nos contriſtet amiſſio. Auguſtiſsimus vero & Chriſtianiſsimus Imperator cupiens quam celerrime turbata componi, Epiſcopali Concilio quod Epheſi vult haberi, nimium breve & anguſtum tempus indixit, diem Kalendarum Auguſtarum præſtituendo conventui, cum a tertio die Iduum Majarum quo ſerenitatis ejus ſcripta ſuſcepimus, major pars reliqui ſit temporis abſumenda, ut profectio ſacerdotum qui negotio ſufficiant, valeat ordinari. Nam illud, quod pietas ejus etiam me credidit debere intereſſe Concilio, etiamſi ſecundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam poſſet impleri: quia rerum præſentium nimis incerta conditio a tantæ urbis populis me abeſſe non fineret, & in deſperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, ſi per occaſionem cauſæ Eccleſiaſticæ viderer patriam & Sedem Apoſtolicam velle deſerere. Quia igitur ad publicam hanc utilitatem pertinuiſſe cognoſcetis, ut ſalva clementiæ veſtræ venia, charitati me & precibus civium non negarem, in his fratribus meis, quos vice mea miſi, me quoque adeſſe cum cæteris qui adfuerint æſtimate: quibus ſecundum cauſam, ſatis mihi & geſtorum ſerie, & ipſius, de quo agitur profeſsione, patefactam evidenter & plene quid ſervandum eſſet oſtendi. Non enim de portiuncula aliqua fidei noſtræ, quod minus lucide clareſcat, quæritur: ſed hoc ſtultiſsima inſultatio audet inceſſere, quod Dominus noſter in Eccleſia neminem ſexus utriuſque voluit ignorare. Siquidem ipſa Catholici Symboli brevis & perfecta confeſsio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit munitione cœleſti, ut omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſsint gladio detruncari. Cujus Symboli plenitudinem ſi Eutyches & puro & ſimplici voluiſſet corde concipere, in nullo a decretis ſacratiſsimi Nicæni Concilii deviaret, & hoc a ſanctis Patribus intelligeret conſtitutum, ut contra Apoſtolicam fidem, quæ non niſi una eſt, nullum ſe ingenium, nullum elevaret eloquium. Et ideo pro veſtræ pietatis conſuetudine elaborare dignemini: ut quod contra ſingulare ſacramentum ſalutis humanæ blaſphema inſipientia protulit, ab omnium animis repellatur. Ac ſi ipſe, qui in hanc tentationem incidit, reſipiſcat, ita ut per libellarem ſatisfactionem proprium damnet errorem, communio ei ſui ordinis reformetur. Quod etiam ſancto Flaviano Epiſcopo me Clementia tua ſcripſiſſe cognoſcat, ut charitas non negetur, ſi error aboletur. Datum Idibus Junii, Aſterio & Protogene viris clariſsimis Conſulibus.

14. quæſt. 2. Damnationis ſententiam.

Symbolum Apoſtolorum.

EPISTOLA XIV.

Ad Fauſtum, Martianum, & reliquos Archimandritas Conſtantinopolitanos.

Dilectiſſimis Filiis Fauſto, Martiano, & reliquis Archimandritis, Leo Epiſcopus.

CUM propter cauſam fidei, quam Eutyches perturbare tentavit, de latere meo mitterem, qui defenſioni veritatis aſſiſterent, congruum credidi, ut etiam ad veſtram dilectionem ſcripta dirigerem: quos certum habeo ita ſtudere pietati, ut blaſphemias & impias voces nullatenus æquanimiter audire poſſitis, manente in cordibus veſtris Apoſtolica
Galat. 1. inſtitutione, qua dicitur, *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Senſum autem prædicti Eutychetis, qui ſicut geſtorum lectione cognovimus merito reprobatus eſt, etiam nos deteſtandum eſſe decernimus; ita ut ſi aſſerere incipiens in ſua pravitate voluerit permanere, habeat cum his conſortium, quorum eſt ſecutus errorem. Merito enim fiet extra Chriſti Eccleſiam, qui in Chriſto humanam, id eſt noſtram, negat eſſe naturam. Sed ſi idem ſpiritu Dei miſerante correctus impietatem ſui erroris agnoverit, & quæ Catholici execrantur, plena ſatisfactione damnaverit, volumus ei miſericordiam non negari: ut Eccleſia Domini nullum ſentiat damnum, cum & reſipiſcens poſſit recipi, & ſolus debeat error excludi. De ſacramento autem pietatis magnæ, in qua nobis per Incarnationem Verbi Dei juſtificatio eſt & redemptio, quæ ſit noſtra ex Patrum traditione ſententia, nunc ſufficienter (quantum arbitror) explicatum eſt: ut per inſinuationem præſulis veſtri, quid ſecundum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti in omnium fidelium cordibus fixum eſſe cupiamus, noſcatis. Datum Idibus Junii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XV.

Ad Epheſinam Synodum ſecundam, in qua provocat congregatos Epiſcopos Eutychetis blaſphemias condemnare.

Leo Epiſcopus ſanctæ Synodo, quæ apud Epheſum convenit.

REligioſa clementiſſimi Principis fides ſciens ad ſuam gloriam maxime pertinere, ſi intra Eccleſiam Catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reverentiam divinis detulit inſtitutis, ut ad ſanctæ diſpoſitionis effectum, authoritatem Apoſtolicæ Sedis adhiberet: tanquam ab ipſo beatiſſimo Petro cuperet declarari, quid in ejus confeſſione laudatum
Math. 16. ſit, quando dicente Domino: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* varias quidem diverſorum opiniones diſcipuli memorarunt: ſed cum ab eis, quid ipſi crederent, quæreretur, princeps Apoſtolorum plenitudinem fidei brevi ſermone complexus: *Tu es* (inquit) *Chriſtus Filius Dei vivi*, hoc eſt, tu qui es vere Filius hominis, idem vere es Filius Dei vivi. Tu,
ſub. inquam, verus in deitate, verus in carne, & * ſalva geminæ proprietate naturæ utrinque unus. Quod ſi Eutyches intelligenter ac vivaciter crederet, nequaquam ab hujus fidei tramite deviaret. Propter quam et reſpondetur a Domino: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Nimis autem a compage hujus ædificationis alienus eſt, qui & B. Petri confeſſionem non capit, & Chriſti Evangelio contradicit: oſtendens ſe nullum unquam ſtudium cognoſcendæ veritatis habuiſſe, & ſuperfluo honorabilem viſum qui nulla * authoritate cordis, ornavit canitiem ſenectutis. maturitate. Verum quia etiam talium non eſt negligenda curatio, & pie ac religioſe Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri: fratres noſtros Julianum Epiſcopum, Renatum Presbyterum, & filium noſtrum Hilarium Diaconem, cumque his Dulcitium notarium probatæ nobis fidei, miſi, qui vice mea ſancto conventui veſtræ fraternitatis interſint, communi vobiſcum ſententia, quæ Domino ſint placitura, conſtituant. Hoc eſt, ut primitus peſtifero errore damnato, etiam de ipſius, qui impudenter erravit, reſtitutione tractetur; ſi tamen doctrinam veritatis amplectens, ſenſus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plene aperteque propria voce & ſubſcriptione, damnaverit, quod etiam in libello, quem ad nos miſerat, eſt profeſſus, ſpondens, per omnia noſtram ſequuturum ſe eſſe ſententiam. Acceptis autem fratris & Coepiſcopi noſtri Flaviani litteris, plenius ad eum de his, quæ ad nos videbatur retuliſſe, reſcripſimus; ut abolito hoc, qui iniqui natus videbatur, errore, in laudem & gloriam Dei per totum mundum una ſit fides, & una eademque confeſſio, & in nomine JESU omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Data Idibus Junii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XVI.

Ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Flaviano chariſſimo fratri, Leo Epiſcopus Romæ.

LIteras tuæ dilectionis accepi cum geſtis, quæ apud vos ſuper fidei quæſtione confecta ſunt. Et quia clementiſſimus Imperator pro Eccleſiæ pace ſollicitus Synodum voluit congregari, quamvis evidenter appareat rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu: tamen frater chariſſime, ſubſecutos eſſe ſignifico, quos in hac re placuit deſtinare. Nec neceſſarium fuit, nunc amplius ſcribi, cum propitio Deo, de his quæ cauſæ credidimus convenire, per ea quæ ipſi portabunt ſcripta, ſis plenius inſtruendus. Data 15. Kalendas Julii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XVII.

Ad Theodoſium Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Theodoſio ſemper Auguſto.

ACceptis clementiæ veſtræ litteris, multum univerſali Eccleſiæ gaudendum eſſe proſpexi: quod Chriſtianam fidem, qua divinitas honoratur & colitur, in nullo diſſimilem, in nullo vult eſſe diſcordem. Quid. n. reb. humanis ad exorandam miſericordiam Dei efficacius ſuffragetur, quam ſi una gratiarum actio, & unius confeſſionis ſacrificium majeſtati ejus ab omnibus offeratur? In quo ſacerdotum & cunctorum Fidelium ita demum erit plana devotio, ſi in

his

his, quæ per unicum Dei Filium, Deum Verbum pro noſtra redemptione ſunt geſta, nihil aliud ſentiatur quam quod ipſe predicari de ſe juſſit & eredi. Unde quamvis ad diem Concilii Epiſcopalis, quem pietas veſtra conſtituit, occurrere me ratio nulla permittat, cum nec aliqua ex hoc exempla præceſſerint, & temporalis neceſſitas me non patiatur deſerere civitatem, præſertim cum tam evidens fidei cauſa ſit, ut rationalibus cauſis ab indicenda Synodo fuiſſet abſtinendum: tamen in quantum Dominus juvare dignatur, meum ſtudium commodavi, ut clementiæ veſtræ ſtatutis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis ſcandalis pro cauſæ æquitate ſufficiant, quique præſentiæ meæ impleant vicem: quia non talis quæſtio orta eſt, unde aut poſſit, aut debeat dubitari. Data duodecimo Calendas Julii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XVIII.

Ad Pulcheriam Auguſtam.

Leo Epiſcopus, Pulcheriæ Auguſtæ.

Hæc eadem fere habentur, ſed fuſius ſupra. Epiſt. 13.

QUantum ſibi fiduciæ de fide veſtræ clementiæ Eccleſia Dei debeat polliceri, multis probavimus ſæpe documentis, dum ſicut Spiritu ſancto docente didiciſtis, illi per omnia poteſtatem veſtram ſubjicere, cujus munere & protectione regnatis. Unde quia contra integritatem fidei Chriſtianæ, diſſenſionem quamdam in Conſtantinopolitana Eccleſia, Eutyche authore generatam, fratris & Coepiſcopi mei Flaviani relatione cognovi, ut totius cauſæ ſpeciem Synodalium geſtorum textus oſtenderit, dignum gloriæ veſtræ eſt, ut error qui de imperitia magis, quam de verſutia natus eſt, auferatur, priuſquam ullas vires de conſenſu impudentium, pertinacia pravitatis acquirat. Nam quantum Neſtorius a veritate excidit, dum Dominum Jeſum Chriſtum de matre virgine hominem ſolum aſſerit natum: tantum etiam hic a Catholico tramite deviavit, qui de eadem virgina editum, non noſtræ eredidit eſſe naturæ: ut quod formam ſervi geſſit, quod noſtri ſimilis fuit atque conformis, quædam noſtræ carnis fuerit imago, non veritas. Nihil autem prodeſt Dominum noſtrum beatæ Mariæ Virginis Filium, hominem dicere, ſi non illius generis, atque ſeminis homo creditur, cujus in ipſo Evangelii exordio prædicatur. Unde multum doleo, multumque contriſtor, quod hic qui antea humilitatis propoſito laudabilis videbatur, contra unicam ſpem noſtram patrumque noſtrorum, vana & nimis perverſa audet aſtruere. Qui cum videret inſipientiæ ſuæ ſenſum Catholicis auribus diſplicere, revocare ſe a ſua opinione debuerat, ne illa Eccleſiæ Præſules commoveret, ut ſententiam damnationis exciperet. Quam utique ſi in ſuo ſenſu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam ſervat: ut & ſeverius agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis. Quia ergo mihi multa fiducia eſt de pietatis veſtræ ſinceriſſima fide, obſecro glorioſiſſimam clementiam veſtram, ut ſicuti ſancto ſtudio tuo Catholica prædicatio ſemper adjuta eſt, ita nunc quoque ejuſdem faveas libertati. Non enim portiuncula aliqua fidei noſtræ, quæ minus lucide ſit clara, pulſatur; ſed hoc imperita reſultatio audet inceſſere, quod Dominus in Eccleſia ſua neminem voluit ignorare. Et ideo pro veſtræ pietatis conſuetudine elaborare dignemini, ut contra ſingulare ſacramentum ſalutis humanæ, quod blaſphema inſipientia protulit, ab omnium animis repellatur. Ac ſi ipſe, qui in hac tentatione incidit, reſipiſcat; ita ut quod male ſenſerat, propria voce & ſubſcriptione condemnet: communio illi ſui ordinis reformetur. Quod etiam fratri & Coepiſcopo meo Flaviano me Clementia veſtra ſcripſiſſe cognoſcat, & his, quos miſimus, delegaſſe: ut venia concedatur ſi error aboletur. Ne autem piiſſimi Principis diſpoſitioni, qua Epiſcopale Concilium voluit congregari, noſtra videretur præſentia defuiſſe, fratres meos Julianum Epiſcopum, Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconem miſi, qui vicem præſentiæ meæ implere ſufficerent. Sed ei, qui in errore eſt, melius conſulatur, ſi ubi deſipuit, ibidem reſipiſcat: & ubi damnationem meruit, illic indulgentiam conſequatur. Data Idibus Junii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XIX.

Ad Julianum Epiſcopum.

Leo Epiſcopus, Juliano Epiſcopo, chariſſimo fratri.

LIteræ dilectionis tuæ, quæ mihi nuper ſunt redditæ, quam ſpiritali Catholicæ fidei vigeas amore demonſtrant, & multum gaudere me faciunt, quod in eadem ſententia pia corda concurrunt ut ſecundum doctrinam Spiritus ſancti impleatur in nobis, quod Apoſtolus ait: *Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia: cujus unitatis nimium ſe Eutyches facit extraneum, qui in ſua perverſitate veteraſcit, nec adhuc, quibus vinculis a Domino ſit obligatus, intelligit. Et quamquam ſacerdotem Domini reperiendum putat, qui ejus imperitiæ amentiæque conſentiat, diu apud nos incertum fuit, quid in ipſo Catholicis diſpliceret. Et cum fratris noſtri Flaviani nullas literas ſumeremus, ipſe autem ſcriptis ſuis Neſtorianam hæreſim repullulare quereretur; non plene potuimus diſcere, unde procederet, vel quo tenderet tam doloſa cautio. Sed poſtquam geſtorum ad nos Epiſcopalium documenta perlata ſunt, omnia illa, quæ fallaciam querelarum velamine tegebantur, quam eſſent deteſtanda, patuerunt. Et quia clementiſſimus Imperator, benevolentia ac pietate animi ſui, de ſtatu hujus qui ante honorabilis videbatur, diligentius voluit judicari, atque ob hoc indicendum credidit Epiſcopale Concilium, per fratres noſtros Julianum Epiſcopum, & Renatum Presbyterum; ſed & filium meum Diaconem Hilarium, & quos ex latere meo vice mea miſi, ad fratrem noſtrum Flavianum ſufficientia pro qualitate cauſæ ſcripta direxi, quibus & veſtra dilectio, & Eccleſia univerſa cognoſcat, de antiqua & ſingulari fide, quam indoctus impugnator inceſſit, quid divinitus traditum teneamus, & quid immutabiliter prædicemus. Quia tamen non debemus partes miſerationis omittere, congrua moderatione credimus ſentiendum: ut ſi condemnatus Presbyter plena ſatisfactione corrigitur, ſententia, qua obſtrictus eſt, relaxetur. Si vero in eodem inſipientiæ ſuæ luto jacere delegerit, ſtatuta permaneant, & cum eis habeat ſortem, quorum eſt ſecutus errorem. Data Idibus Junii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XX.

Ad Flavianum Epiſcopum.

Flaviano dilectiſſimo fratri, Leo Epiſcopus.

PRofectis jam noſtris, quos ad vos in fidei cauſa direximus per Filium noſtrum Baſilium Diaconem ſcripta tuæ dilectionis accepimus, quibus merito
indidiſti. parum de negotio communis ſollicitudinis * indidiſſes, quoniam & geſta ante delata, de omnibus nos ſufficienter inſtruxerant, & ad familiarem interrogationem idoneus erat ſermo prædicti, per quem nunc alloquia reddentes, dilectionem tuam per Dei gratiam, in qua fidimus, cohortamur, utentes verbis Apoſtoli-
Philip. 1. cis, atque dicentes: *In nullo terreamini ab adverſariis, quæ eſt illis cauſa perditionis, vobis autem ſalutis.* Quid enim tam exitiabile, quam negata veritate Incarnationis Chriſti, omnem ſpem ſalutis humanæ velle diſſolvere? Et Apoſtolo contraire dicenti manifeſte: *Magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſta-*
1. Tim. 3. *tum eſt in carne?* Quid tam glorioſum, quam contra inimicos nativitatis & Crucis Chriſti pro fide Evangelica dimicare? De cujus puriſſimo lumine, invictaque virtute, datis jam ad tuam dilectionem litteris, quid in noſtro eſſet corde, patefecimus: ne de illis, quæ ſecundum doctrinam Catholicam didicimus & docemus, aliquid inter vos videri poſsit ambiguum. Quia vero tam valida, & tam clara ſunt teſtimonia veritatis, ut nimis cæcus, nimiſque obduratus habendus ſit, qui ad coruſcationem lucis atque rationis non confeſtim ſe a tenebris falſitatis excuſſerit; ad curandam imperitorum inſaniam, etiam patientiæ volumus adhibere medicinam: ut paternas increpationes hi, qui in ſenectute carnis ſuæ mente ſunt parvuli, diſcant obedire majoribus. Ac ſi depoſita imperitiæ ſuæ vanitate reſipiſcunt, omnique errore damnato, fidem veram ſingularemque ſuſcipiunt, miſericordia eiſdem Epiſcopalis benevolentiæ non negetur: manſuro judicio, quod præceſsit, ſi impietas merito condemnata, in ſua pravitate perſtiterit. Data decimo Kalendas Auguſti, Aſterio & Protogene viris clariſsimus Conſulibus.

EPISTOLA XXI.

Ad eundem Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Leo Epiſcopus, Flaviano Epiſcopo.

AUget ſollicitudinem noſtram taciturnitas tua, qui jam diu nulla dilectionis tuæ ſcripta ſuſcepimus, cum nos curarum tuarum participes pro fidei defenſione ſolliciti, frequenter per occaſiones idoneas ad dilectionem tuam litteras miſerimus: ut adhortationum noſtrarum conſolationibus juvaremus, ut adverſariorum ſtimulis pro fidei defenſione non crederes, cum laboris tui participes nos probares. Olim ad fraternitatem tuam noſtros credimus perveniſſe, per quos, plenius ſcriptis, mandatiſque noſtris inſtructum te eſſe retines, & Baſilium ad te (ut volueras) ipſi remiſimus. Nunc, ne aliqua prætermiſſum occaſione te crederes, per Filium noſtrum honorabilem & amabilem oobis virum Eſitium, hanc paginam dedimus: ut tota celeritate ad ſcripta noſtra reſpondeas, noſque ſubinde tuis actibus noſtrorumque, & de totius cauſæ abſolutione facias certiores: ut ſollicitudinem quam nunc pro fidei defenſione gerimus, proſperioribus nunciis molliamus. Data tertio Idus Auguſti, Aſterio & Protogene viris clariſsimis Conſulibus.

EPISTOLA XXII.

Ad Conſtantinopolitanos.

Ut prophana judicantur in hac epiſtola Concilii Epheſini ſecundi acta, & impenditur conſolatio Conſtantioopolitanis pro deſtitutione Pontificis ſui Flaviani.

Leo Epiſcopus, & ſancta Synodus, quæ in urbe convenit, Clero, honoratis, & plebi conſiſtenti apud Conſtantinopolim, dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem.

IN notitiam noſtram, quæ Epheſi contra opinioaem omnium ſunt acta, perlatis, magno animum noſtrum fatemur mœrore confuſum: nec tantum licuiſſe iniquitati, facile potuiſſemus credere, niſi filius noſter Hilarius Diaconus, qui a nobis vice noſtra cum aliis, ut intereſſet ſynodo, miſſus fuerat, fugiens revertiſſet, declinans, ne juſtæ particeps eſſet ſententiæ. Quippe cum vox illic a noſtris contradictionis emiſſa ſit, quam Alexandrinus Antiſtes (qui totum ſolus ibi potentiæ ſuæ vindicavit) audire contempſit, in conſortium ſuæ voluntatis invitos protrahens ſacerdotes, ut per vim coacti ſubſcriberent, qui nullam damnationis cauſam idoneam reperiſſent. Sed hos auſus pio & Chriſtianiſſimo Principi confidimus minime placituros. At nunc, quia Eccleſiam veſtram hac ratione cognovimus diſſipatam, conſolandos, adhortandoſque vos eſſe credimus noſtris epiſtolis: ut pro Catholicæ fidei defenſione perfidorum nequitiæ reſiſtatis. Nolumus enim dilectionem veſtram hoc mœrore percelli, cum major gloria veſtram ſit ſubſequutura conſtantiam, ſi a probabili Sacerdote veſtro nullæ vos minæ, nulla formido divulſerit. Quiſquis enim incolumi atq; ſuperſtite Flaviano Epiſcopo veſtro ſacerdotium ejus fuerit auſus invadere, nunquam in communione noſtra habebitur, nec inter Epiſcopos poterit numerari. Nos enim ſicut Neſtorium in ſna perverſitate anathematizavimus, ita eos qui veritatem carnis noſtræ in Domino Jeſu Chriſto denegant, pari execratione damnamus. State igitur in ſpiritu Catholicæ veritatis, & Apoſtolicam cohortationem miniſterio noſtri oris accipite, qua vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini. Nolite arbitrari, dilectiſſimi, quod ſanctæ Eccleſiæ ſuæ deſit, aut defutura ſit divina protectio. Splendeſcit enim fidei puritas, cum ab ea ſordes ſeparantur errorum. Unde iterum, iterumque vos ante conſpectum Domini obteſtamur pariter & monemus, ut a fide in qua fundati eſtis, & in qua Chriſtianiſſimum Principem novimus permanere, non inſidiis, non cujuſquam perſuaſionibus moveamini: ſed in perſona Epiſcopi veſtri illum in cordis oculis habeatis, pro quo idem omnia pati, quæ fuerunt illata, non metuit, cujus per omnia imitatores nos eſſe cupimus, ut commune cum ipſo præmium fidei habere poſſitis. Data Idibus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXIII.

Ad Clerum & plebem Conſtantinopolitanæ urbis.

Leo Epiſcopus, & ſancta Synodus, quæ in urbe Romæ convenit, Clero, honoratis, & plebi conſiſtenti Conſtantinopoli.

LIcet de his, quæ in Concilio ſacerdotum apud Epheſum geſta memorantur, multus nos mœ-

ror

Digitized by Google

ror afficiat, eo quod ſicut conſonans ſama diſperſit,
& ipſo rerum monſtratur effectu, nec juſtitiæ illic
moderatio, nec fidei eſt ſervata religio: de veſtræ
tamen devotionis pietate gaudemus, & in ſanctæ
plebis acclamationibus, quarum ad nos exempla
delata ſunt, omnium veſtrorum probamus affe-
ctum: quia & vivit ac permanet apud bonos filios
optimi patris juſta dilectio, & Catholicæ doctrinæ
eruditionem in nulla patiamini parte corrumpi.
Non dubie enim, ſicut vobis Spiritus ſanctus revera-
vit, Manichæorum conſœderantur errori, qui ab
unigenito Dei Filio verum & noſtræ naturæ homi-
nem negant eſſe ſuſceptum, omneſque ejus corporeas
actiones ſimulatoris volunt fuiſſe phantaſmatis. Cui
impietati ne in aliquo præberetis aſſenſum, jam per
filium meum Epiphanium & Dionyſium, Romanæ
Eccleſiæ notarios, cohortatoria ad dilectionem ve-
ſtram ſcripta direximus, quibus confirmationem,
quam expetiſtis, ultro præbuimus: ut nos paternam
vobis curam non dubitetis impendere, ac modis
omnibus laborare, ut auxiliante miſericordia Dei,
omnia quæ ab imperitis, & ab inſipientibus excitata
Diſt. 28. Si in laicis videtur. ſunt ſcandala, deſtruantur. Nec quiſquam ſibi au-
deat de ſacerdotali honore blandiri, qui potuerit in
execrandi ſenſus impietate convinci. Nam ſi vix
in laicis tolerabilis videatur inſcitia, quanto magis
in eis, qui præſunt, nec excuſatione eſt digna nec
venia, maxime eum etiam defendere perverſarum
opinionum commenta præſumunt, & in conſen-
ſum ſuum aut errore, aut gratia inſanabiles quoſque
traducunt? Separentur hujuſmodi a ſanctis mem-
bris corporis Chriſti, neque ſibi Catholica liber-
tas infidelium jugum patiatur imponi. Extra enim
donum divinæ gratiæ, & extra ſacramentum haben-
di ſunt ſalutis humanæ, qui negantes naturam no-
ſtræ carnis in Chriſto & Evangelio contradicunt,
& Symbolo reluctantur. Nec ſentiunt ſe in hoc
præruptum ſua obcæcatione deduci, ut nec in Paſ-
ſionis Dominicæ, nec in Reſurrectionis veritate
conſiſtant: quia utrumque in Salvatore vacuatur, ſi
in eo noſtri generis caro non creditur. In quibus iſti
De conſec. diſtinct. 2. in quibus iſti. ignorantiæ tenebris, in quo hactenus deſidiæ tor-
pore jacuere, ut nec auditu diſcerent, vel lectione
cognoſcerent, quod in Eccleſia Dei, in omnium
ore tam conſonum eſt, ut nec ab infantium linguis
veritas Corporis & Sanguinis Chriſti inter commu-
nis Sacramenta fidei taceatur? Quia in illa myſtica
diſtributione ſpiritalis alimoniæ hoc impartitur, hoc
ſumitur, ut accipientes virtutem cœleſtis cibi, in
carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſea-
mus. Unde & ad confirmationem charitatis veſtræ,
quæ laudabili fide inimicis veritatis obnititur, apte,
atque opportune ſermone affectuque Apoſtolico
Epheſ. 1. utar, & dicam: Propterea & ego audiens fidem ve-
ſtram quæ eſt in Chriſto Jeſu, & dilectionem in
omnes Sanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis
memoriam veſtri faciens in orationibus meis: ut Deus
Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater gloriæ det vobis
Spiritum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ejus
illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit
ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæredita-
tis ejus in Sanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitu-
do virtutis ejus in nobis, qui credidimus ſecundum
operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus
eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis & conſti-
tuens illum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra
omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem
& dominationem, & omne nomen quod nomina-
tur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro,
& omnia ſubiecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit
caput ſuper * omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus
omnia Eccleſiæ.

ipſius, & plenitudo ejus qui omnia in omnibus * ad- *adimpletur.*
implet. Dicant hi adverſarii veritatis, quando om-
nipotens Pater, vel ſecundum quam naturam Filium
ſuum ſuper univerſa provexerit, vel cui ſubſtan-
tiæ cuncta ſubiecerit: Deitas enim Verbi par in om-
nibus & conſubſtantialis eſt Patri, & ſempiterne at-
que intemporaliter una eademque potentia eſt geni-
toris & geniti. Creator quippe omnium naturarum, Joan. 1.
quoniam per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo fa-
ctum eſt nihil, ſuperior eſt omnibus quæ creavit,
nec unquam Creatori non fuerunt ſubjecta quæ con-
didit, cui proprium & ſempiternum eſt, nec aliunde,
quam de Patre, nec aliud eſſe quam Pater eſt. Huic
ſi addita eſt poteſtas, ſi illuſtrata dignitas, ſi exaltata
ſublimitas, minor erit provehente, qui crevit, nec
habeat divitias ejus naturæ, cujus indiguit largitate.
Sed talia ſentientem in ſocietatem ſuam Arrius rapit,
cujus perverſitati multum hæc ſuffragatur impietas,
negans Verbo Dei humanam ineſſe naturam, ut
dum humilitatem in Dei Majeſtate faſtidit, aut fal-
ſatam in Chriſto aſſerat imaginem corporis, aut om-
nes actiones ejus paſſioneſque corporeas, deitatis
potius fuiſſe dicat quam carnis. Quodlibet autem
defendere audeat, prorſus inſanum eſt, quia nec
pietas fidei, nec ratio recipit ſacramenti, ut aut ali-
quid paſſa ſit deitas, aut in ullo mentita ſit veritas.
Impaſſibilis igitur Dei Filius Deus, cui cum Patre
& Spiritu ſancto una incommutabilis Trinitatis eſ-
ſentia, hoc quod eſt eſſe perpetuum eſt, in ea ple-
nitudine temporis quæ ſempiterno conſilio fuerat
præſtituta, & prophetica dictorum atque geſtorum
ſignificatione promiſſa, factus filius hominis non
ſuæ converſione ſubſtantiæ, ſed noſtræ aſſumptione
naturæ, venit quærere & ſalvare quod perierat.
Venit autem non locali acceſſu, nec motione corpo- Luc. 19.
rea, tanquam præſens futurus, unde abfuiſſet, aut
illinc receſſurus, unde veniſſet: ſed venit per hoc,
quod erat viſibile & commune cernentibus declaran-
dus, humanam ſcilicet carnem atque animam in
viſceribus Virginis Matris accipiens, ut manens in
forma Dei, formam ſervi ſibimet, ſimilitudinem
carnis peccati uniret, per quam non minueret divi-
na humanis, augeret humana divinis. Talis enim
erat omnium a primis ducta genitoribus cauſa mor-
talium, ut originali peccato tranſeunte per poſte-
ros, nullus pœnam damnationis evaderet, niſi Ver-
bum caro fieret, & habitaret in nobis, in ea ſcilicet Joan. 1.
natura, quæ noſtri & ſanguinis eſſet & generis. Pro-
pter quod dicit Apoſtolus: *Sicut per unius delictum* Rom. 5.
in omnes homines, in condemnationem, ſic & per
unius juſtitiam in omnes homines ad juſtificationem
vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis pec-
catores conſtituti ſunt multi, ita & per unius homi-
nis obedientiam juſti conſtituentur multi. Et iterum:
Quia enim per hominem mors, & per hominem reſurre-
ctio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, 1. Cor. 15.
ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Hi utique om-
nes, qui licet in Adam ſint nati, in Chriſto tamen in-
veniuntur renati, habentes fidei teſtimonium & de
juſtificatione gratiæ, & de communione naturæ:
quam qui ſuſceptam ab unigenito Dei Filio in utero
Davidicæ Virginis diffitetur, ab omni ſacramento
Chriſtianæ religionis alienus eſt, & nec ſponſum
agnoſcens, nec ſponſam intelligens, nuptiali non
poteſt intereſſe convivio. Caro enim Chriſti vela-
men eſt Verbi, quo omnis, qui Chriſtum confitetur,
integre induitur. Erubeſcens autem illud, & quaſi
indignum refutans, nullum ex eo habebit ornatum,
ac licet ſe regio inſerat feſto, ſacriſque ſe epulis im-
portunus immiſceat, diſcretionem tamen Regis fal-
lere improbus conviva non poterit; ſed ſicut ipſe Math. 22.

Do-

Dominus proteſtatus eſt, tolletur ligatis manibus & pedibus, & mittetur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Unde quicumque in Chriſto non confitetur corpus humanum, noverit ſe myſterio Incarnationis indignum, nec ejus ſacramenti habere conſortium. Quod Apoſtolus prædicat, dicens, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus & oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Exponens quid per hoc ſignificaretur, adjecit: *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Ab ipſo ergo principio generis humani hominibus Chriſtus eſt denunciatus in carne venturus. In qua (ſicut dictum eſt) & erunt duo in carne una, utique duo ſunt, Deus & homo, Chriſtus & Eccleſia, quæ de ſponſi carne prodiit, quando ex latere crucifixi manante ſanguine & aqua, ſacramentum redemptionis & regenerationis accepit. Ipſa eſt enim nova conditio creaturæ, quæ in baptiſmate non indumento veræ carnis, ſed contagio damnatæ vetuſtatis exuitur, ut efficiatur homo corpus Chriſti, quia & * Chriſtus eſt corpus hominis. Unde non Deum tantum dicimus Chriſtum, ſicut hæretici Manichæi, nec hominem tantum, ſicut hæretici Fotiniani, nec ita hominem, ut aliquid ei deſit, quod ad humanam certum eſt pertinere naturam, ſive animam, ſive mentem rationalem, ſive carnem, * quam non de fœmina ſumpſit, ſed factam de Verbo in carnem converſo atque mutato, quæ tria falſa & vana Apolliniſtarum hæreticorum tres partes varie protulerunt. Nec dicimus quod beata virgo Maria hominem ſine deitate conceperit, qui creatus a Spiritu ſancto, poſtea ſit ſuſceptus a Verbo, quod Neſtorium prædicantem merito juſteque damnavimus: ſed dicimus Chriſtum Dei Filium Deum verum, natum de Deo Patre ſine ullo initio temporis, eumdemque hominem verum, natum de matre homine, certa plenitudine temporis, nec ejus humanitatem, qua minor eſt Patre, minuere aliquid ejus naturæ, qua æqualis eſt Patri. Hoc autem utrumque unus eſt Chriſtus, qui veriſſime dixit, & ſecundum Deum, *Ego & Pater unum ſumus*, & ſecundum hominem: *Pater major me eſt.* Hanc fidem, Dilectiſſimi, veram & indiſſolubilem, quæ ſola veros efficit Chriſtianos, quamque ut intelligimus, & probamus, pio ſtudio & laudabili amore defenditis, perſeveranter tenete, & conſtanter aſſerite. Et quoniam oportet vos poſt divinum auxilium, etiam Catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter ac ſapienter expoſcite ut petitioni noſtræ qua plenariam indici Synodum poſtulamus, clementiſſimus imperator dignetur annuere: quo citius, adjuvante miſericordia Dei, & ſanis fortitudo augeatur, & morbidis ſi curari acquieſcant, medicina præſtetur. Data Idus Octobris Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

Epheſ. 5. Joan. 19. *Chriſti.* *Quæ non de fœmina ſumpta ſit, ſed facta.* Joan. 10. Joan. 14.

EPISTOLA XXIV.

Ad Theodoſium Auguſtum, qua rogat illum ſpeciale Concilium in Italia fieri, & in nullo alio loco, eo quod contraria canonibus facta ſit Synodus Epheſina & in ea acta judicantur illegitima, nec rite facta.

Hæc epiſtola potius fragmentum quoddam eſſe videtur proxime ſequentis epiſtolæ: nec ſatis cohæret, nec invenimus eam in M. S.

Glorioſiſſimo & clementiſſimo Theodoſio Auguſto, Leo Epiſcopus.

OLim & ab initio in Conciliis celebratis tantam nos percepimus a beatiſſimo Petro Apoſtolorum principe fiduciam, ut authoritatem habeamus, ad veritatem pro noſtra pace defendendam: quatenus nulli liceat ſie eam minutam in aliquo commovere, dum repente læſio moveretur. Igitur quia Concilium Epiſcoporum, quod propter Flavianum in Epheſina civitate fidei præceptis, & ipſi fidei probatur obeſſe, & omnes Eccleſias vulnerare, & hæc a nobis comperta ſunt non incerto nuncio, ſed ab ipſis reverendiſſimis Epiſcopis, qui a nobis miſſi ſunt, & fideliſſimo rerum quæ geſtæ ſunt narratore Hilario Diacono noſtro. Hæc autem ideo culpa proceſſit, quod non pura conſcientia & recto judicio ſecundum conſuetudinem hi qui collecti ſunt, de fide & errantibus protulerunt. In ipſo autem judicio non omnes, qui convenerant, interfuiſſe cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſupradicti ſacerdotis arbitrio impiis ſubſcriptionibus captivas manus dederunt, quod nociturum ſtatui non ſcirent, niſi imperata feciſſent, talemque ab ipſo prolatam eſſe ſententiam, ut in omnes per eam ſæviretur Eccleſias. Quod noſtri ab Apoſtolica Sede directi adeo impium & Catholicæ fidei contrarium videntes, nobis ſignificare noſcuntur. Unde tranquilliſſimi Principum, removete, quæſumus, a veſtræ pietatis conſcientia periculum religionis & fidei, ut Chriſti Evangelio vim non inferat humana præſumptio. Ecce ego, Chriſtianiſſime & venerabilis Imperator, cum conſacerdotibus meis implens erga reverentiam Clementiæ veſtræ ſinceri amoris officium, cupienſque vos per omnia placere Deo qui pro vobis ab Eccleſia ſupplicatur, ne ante tribunal Domini, *ex de* * conſilio judicemur, obſecramus coram unius deitatis inſeparabili Trinitate, quæ tali facto læditur (cum ipſa veſtri ſit cuſtos & author Imperii) & coram ſanctis Angelis Chriſti, ut omnia in eo ſtatu eſſe jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe ſacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari, quia (quod neceſſe eſt nos dicere) veremur, ne cujus religio diſſipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reverenter aſpicite beati Petri gloriam, communes cum ipſo omnium Apoſtolorum coronas, cunctorumque Martyrum palmas: quibus alia non fuit cauſa patiendi, niſi confeſſio veræ divinitatis, & veræ humanitatis in Chriſto. Cui ſacramento quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ eum gemitibus & lachrymis ſupplicant ſacerdotes, ut quia & noſtri fideliter reclamarunt, & eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget: ne ultra aliquid ſit vel in fide dubium, vel in charitate diviſum, convenientibus utrique Orientalium Provinciarum Epiſcopis, quorum ſi qui ſeparati minis atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, ſalutaribus remediis in integrum revocentur: ipſique quorum eſt cauſa durior, ſi conſiliis melioribus acquieſcant, ut ab Eccleſiæ unitate non excidant. Quam autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtuletur, canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur, quæ a totius mundi ſunt ſacerdotibus conſtituta. Favete Catholicis veſtro more, parentumque

ſilentio.

que veſtrorum, date defendendæ fidei libertatem. Cum enim Eccleſiæ cauſa ſtatum regni veſtri agamus & ſalutis, ut Provinciarum veſtrarum quieto jure potiamini, defendite contra hæreticos inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum: ut & veſtrum Chriſti dextera defendatur Imperium. Datum tertio Idus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXV.

Ad Theodoſium Auguſtum de ſancta Synodo Epheſina, in qua Eutychetis hæreſis quorumdam Epiſcoporum pravo intellectu adjuta eſt: unde hortatur eumdem Auguſtum, ut priſcæ fidei conſtitutio ab eis non violetur, ſed Dei ſacerdotes totius orbis adunentur.

Leo Epiſcopus, & ſancta Synodus, quæ in urbe Roma convenit, Theodoſio ſemper Auguſto.

LItteris Clementiæ veſtræ, quas dudum ad beati Petri Apoſtoli Sedem pro Catholicæ fidei amore miſiſtis, tantam fiduciam ſumpſimus defendendæ per vos veritatis & pacis, ut in cauſa tam ſimplici, tamque munita nihil putaremus poſſe exiſtere, quod noceret, præſertim cum ad Epiſcopale Concilium, quod haberi apud Epheſum præcepiſtis, tam inſtructi ſint miſſi, ut ſi ſcripta, quæ vel ad ſanctam Synodum, vel ad Flavianum Epiſcopum detulerunt, Epiſcoporum publicari auribus Alexandrinus permiſiſſet Antiſtes, ita manifeſtatione puriſſimæ fidei, quam divinitus inſpiratam & accepimus, & tenemus, omnium * congreſſionum ſtrepitus quieviſſet, ut nec imperitia ultra deciperet, nec occaſionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum privatæ cauſæ, religionis exercentur obtentu, commiſſum eſt impietate paucorum, quod univerſam Eccleſiam vulneraret. Comperimus enim non incerto nuncio, ſed fideliſſimo rerum quæ geſtæ ſunt, narratore Hilario Diacono noſtro (qui vix, ne ſubſcribere per vim cogeretur, effugis) conveniſſe ad Synodum plurimos ſacerdotes, quorum utique frequentia collationi & judicio profuiſſet, ſi is qui ſibi locum principem vindicabat, ſacerdotalem moderationem cuſtodire voluiſſet, ut ſicut moris eſt omnium ſententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo conſtitueretur examine, quo & fidei congrueret, & errantibus ſubveniret. In ipſo autem judicio non omnes qui convenerant, interfuiſſe cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſupradicti Sacerdotis arbitrio, impiis ſubſcriptionibus captivas manus dederent, & nociturum ſtatui ſuo ſcirent, niſi imperata feciſſent, talemque ab ipſo prolatam eſſe ſententiam, ut dum homo unus impetitur, in omnem Eccleſiam ſævire videretur. Quod noſtri ab Apoſtolica Sede directi, adeo impium, & Catholicæ fidei contrarium eſſe viderunt, ut ad conſentiendum nulla potuerint oppreſſione compelli: conſtanterque in eadem Synodo (ut decuit) fuerint proteſtati, nequaquam id, quod conſtituebatur, Sedem Apoſtolicam recepturam: quoniam revera omne Chriſtianæ fidei ſacramentum (quod abſit) a temporibus veſtræ pietatis exſcinditur, niſi hoc ſceleſtiſſimum facinus, quod cuncta ſacrilegia excedit, aboleatur. Quia vero diabolica nequitia ſubtiliter fallit incautos, & ita quorumdam imprudentiam per ſimilitudinem pietatis illudit, ut pro ſalubribus perſuadeat nocitura; removete, quæſumus, a veſtræ pietatis conſcientia periculum religionis & fidei, quodque in ſæcularibus negotiis legum veſtrarum æquitate conceditur, in rerum divinarum pertractatione præſtate, ut Chriſti Evangelio vim non inſerat humana præſumptio. Ecce ego, Chriſtianiſſime & venerabilis Imperator, cum conſacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ veſtræ ſinceri amoris officium, cupienſque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Eccleſia ſupplicatur, ne ante tribunal Chriſti Domini rei de ſilentio judicemur, obſecramus coram unius deitatis inſeparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipſa veſtri ſit cuſtos, & auctrix Imperii, & coram ſanctis Angelis Chriſti, ut omnia in eo ſtatu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe ſacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari, quia (quod neceſſe eſt nos dicere) veremur, ne cujus religio diſſipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reverenter aſpicite beati Petri gloriam, & communes cum ipſo omnium Apoſtolorum coronas, cunctorumque Martyrum palmas, quibus alia non fuit cauſa patiendi, niſi confeſſio veræ divinitatis & veræ humanitatis in Chriſto. Cui ſacramento quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lachrymis ſupplicant ſacerdotes, ut quia & noſtri fideliter reclamarunt, & ejuſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, nec aliquid ultra ſit vel in fide dubium, vel in charitate diviſum. Convenientibus utique Orientalium Provinciarum Epiſcopis, quorum ſi qui ſuperati minis atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, ſalutaribus remediis in integrum revocentur, ipſique quorum eſt cauſa durior, ſi conſiliis melioribus acquieſcant, ab Eccleſiæ unitate non excidant. Quam autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtuletur, canonum Niceæ habitorum decreta teſtantur, quæ a totius mundi ſunt ſacerdotibus conſtituta: quæque ſubter annexa ſunt. Favete Catholicis veſtro more, parentumque veſtrorum. Date defendendæ fidei libertatem, quam ſalva clementiæ veſtræ reverentia, nulla vis, nullus poterit mundanus terror auferre. Cum enim Eccleſiæ cauſa ſtatum regni veſtri agamus & ſalutis, ut Provinciarum veſtrarum quieto jure potiamini, defendite contra hæreticos inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum, ut & veſtrum Chriſti dextera defendatur Imperium. Datum 3. Idus Octobris Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

* *concertantium.*

Digitized by Google

EPISTOLA XXVI.

Ad Pulcheriam Auguſtam contra eandem ſecundam Synodum Epheſinam, ut ejus errores in alia Synodo retractentur.

Leo Epiſcopus, & ſancta Synodus, quæ in urbe Roma convenit, Pulcheriæ Auguſtæ.

SI epiſtolæ, quæ pro fidei cauſa per noſtros Clericos directæ ſunt, ad veſtram pietatem perveniſſent, certum eſt, remedium vos his rebus quæ contra fidem factæ ſunt, aſpirante vobis Domino, præſtare potuiſſe. Quando enim ſacerdotibus, quando Chriſtianæ religioni aut fidei defuiſtis? Sed cum ad manſuetudinem veſtram adeo non potuerint pervenire qui miſſi ſunt, ut ad nos vix unus illorum Hilarius Diaconus noſter effugiens ſit reverſus, iteranda ſcripta credidimus. Et ut validiores preces noſtræ eſſe mereantur ipſorum ſcriptorum, quæ ad clementiam veſtram non pervenerunt, exemplar ſubjecimus, amplioribus vos obteſtationibua obſecrantes, ut quanto acerbiora facta ſunt, quibus pro ſede regia vos convenit contraire, tanto majore gloria, in qua excellitis, curam ejus religionis habeatis, ne Catholicæ fidei integritas, ulla humanarum concertationum occaſione violetur. Quæ enim congregata apud Epheſum Synodo, ſopienda & ſananda pacis remedio credebantur, hæc non ſolum in majora pacis diſpendia, ſed (quod nimis dolendum eſt) etiam in ipſius fidei, qua Chriſtiani ſumus, excidia proceſſerunt. Et hi quidem, qui miſſi ſunt, quorumque unius vim Alexandrini Epiſcopi, ſibi omnia vindicatus, effugiens, rerum geſtarum nobis ordinem fideliter nunciavit, reclamarunt in Synodo (ſicut oportuit) unius hominis non tam judicio, quam furori proteſtantes ea quæ per vim, metumque gererentur, ſacramentis Eccleſiæ & ipſi Symbolo ab Apoſtolis inſtituto præjudicare non poſſe, nec ſe ab ea fide ulla injuria ſeparandos, quam pleniſſime expoſitam atque digeſtam a Sede beati Apoſtoli Petri ad ſanctam Synodum detuliſſent. Cujus cum recitatio poſcentibus Epiſcopis non ſit amiſſa, ut ſcilicet remota ea fide quæ Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos & Martyres coronavit, generatio Jeſu Chriſti Domini noſtri ſecundum carnem, & veræ mortis ac reſurrectionis ejus confeſsio (quod horremus dicere) ſolveretur, ſcripſimus de hac re (ut potuimus) ad glorioſiſsimum principem, & quod maximum eſt, Chriſtianum, cujus epiſtolæ pariter exemplar ſubjecimus, ut fidem, in qua renatus per Dei gratiam regnat, nulla ſineret novitate corrumpi, quoniam Flavianus Epiſcopus in noſtra omnium communione perſiſtit, atque hoc quod factum eſt ſine conſideratione juſtitiæ, & contra omnem canonum diſciplinam, ratum haberi ratio nulla permittit, & quia diſſenſionis ſcandalum non abſtuliſſet Epheſina Synodus, ſed auxiſſet, de habendo intra Italiam concilio, & locus conſtitueretur & tempus, omnibus querelis & præjudiciis partis utriuſque ſuſpenſis, quo diligentius univerſa quæ offenſionem generaverant retractentur, & abſque vulnere fidei, abſque religionis injuria, in pacem Chriſti redeant, qui per impotentiam ſubſcribere coacti ſunt, ſacerdotes: & ſoli auferantur errores. Quod ut obtinere mereamur, probatiſſimæ nobis fidei pietas tua, quæ labores Eccleſiæ ſemper adjuvat, ſupplicationem noſtram apud clementiſsimum Principem ſibi ſpecialiter a beatiſsimo Petro Apoſtolo legationem commiſſam dignetur aſſerere: ut priuſquam civile hoc, & exitiale bellum intra Eccleſiam convaleſcat, redintegrandæ unitatis & copiam & modum, Deo auxiliante, concedat, ſciens Imperii ſui viribus profuturum, quicquid Catholicæ libertati benigna ipſius fuerit diſpoſitione collatum. Data pridie Idus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſsimis Conſulibus.

EPISTOLA XXVII.

Ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Flaviano chariſſimo fratri, Leo Epiſcopus.

QUæ & quanta dilectio tua pro Catholicæ fidei defenſione patiatur, per Diaconem, qui ab Epheſo furtim eſt lapſus, cognovimus. Et licet magnificemus Deum qui te gratiæ ſuæ virtute confortat; neceſſe eſt tamen nos dolere eorum ruinas, per quos veritas impugnatur, & totius Eccleſiæ fundamenta quatiuntur. Quia vero providentia Dei ſemper ſuis neceſſarium præſtat auxilium, ſcire debet fraternitas tua, nos pro communi cauſa nihil eorum, quæ agenda ſunt, præterire: ut primitus ad ea, quæ univerſitati Fidelium proſint, pervenire mereamur. Sin eſt, ut fortiter interim dilectio tua toleret, quæ tibi ad æternam gloriam non dubitat profutura. Perlator ſane brevis hujus epiſtolæ fidei ſermone poterit enarrare, quicquid illud eſt, ad quod adjuvante Domino, ſtudio fidei & charitatis intendimus. Data 3. Kalendas Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſsimis Conſulibus.

EPISTOLA XXVIII.

Ad Fauſtum, & cæteros Archimandritas Conſtantinopolitanos, qua adhortatur eos ad conſtantiam in omni bono, maxime fidei & charitatis, & deteſtatur acta ſecundi Concilii Epheſini.

Leo Epiſcopus & ſancta Synodus, quæ in urbe Roma convenit, Fauſto, Martino, Petro, & Magno, & Heliæ Presbyteris, & Archimandritis Conſtantinopolitanis, dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem.

QUamvis ea, quæ ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam ſcripſimus, ſollicitudinem devotionis veſtræ latere non poſſunt, tamen etiam ſpecialibus dilectionem veſtram litteris cohortandam eſſe credidimus, ut memores ſanctæ profeſsionis veſtræ, quæ proprie in fide & charitate conſiſtit, omnia ſcandala, quæ contra pacem Eccleſiæ orta ſunt, a veſtris cordibus repellatis, beati Apoſtoli ſententiam pia mente retinentes: *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.*

&

Digitized by Google

& cuſtodientes unitatem cum fratre noſtro Flaviano Epiſcopo, quem ad tempus Dominus permiſit impiorum factione tentari, ut probatum ſibi ſacerdotem ſuum, perſeverantiæ merito faceret clariorem. Ephef. 3. Hæ autem perturbationes neceſſe eſt, ut, auxiliante Dei gratia, celeriter deſtruantur, & omne quod reprobum eſt ab Eccleſiæ puritate, quæ nec maculam, nec rugam recipit, reſpuatur; maxime cum ab inſana imperitia in hoc uſque prorumptum ſit, ut contra ſacramentum ſalutis humanæ Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti veritas denegetur, atque antiquæ fidei prædicator atque defenſor, quia non acquievit blaſphemiis, quas olim ſancti Patres noſtri in multis hæreticis damnavere, ſubiiciatur injuriis: in quo utique omnium Domini ſacerdotum reverentia cæditur, & univerſa corporis Chriſti membra pulſantur; ſed quia glorioſum nobis eſt, quicquid nos pati Deus voluerit, & pro veritate tolerare, in conſortium nos patientiæ paternis exhortationibus advocamur, ut per dilectionem veſtram omnibus Deo ſervientibus, quæ ſcripſimus innoteſcant, & inimicis Evangelii reſiſtentes, nec paſtoris veſtri dilectionem, nec unitatem Catholicæ fidei deſeratis. Quoniam ea, quæ in Epheſo nuper contra juſtitiam, vel canonum diſciplinam per unius hominis * imprudentiam geſta ſunt, nulla Catholicæ fidei ratio rata eſſe permittit. (potentiam.) Data octavo Idus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXIX.

Ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem.

Leo Epiſcopus urbis Romæ, dilectiſſimo fratri Anaſtaſio Epiſcopo.

QUantum relatione Hilarii Diaconi noſtri cognovimus, magnum facinus, Alexandrino Epiſcopo authore vel executore, commiſſum eſt: ut dum in fratrem noſtrum Flavianum veteres æmulationes & odia privata deſæviunt, nec innocentiæ probatiſſimi ſacerdotis, nec Chriſtianæ fidei parceretur. Unde multum dilectioni tuæ congratulamur, quod te ad illam ſynodum ire cupientem, opportunis obſtaculis manus divina * obtinuit: (detinuit.) ne abſtenturus proculdubio a tanto ſcelere, indignis injuriis ſubjaceres, & furori impio militibus quantum didicimus, armiſque ſuffulto, contraire non poſſes. Quia ergo prorupit in apertum perfidia, quæ latebat, & in nefandiſſimam hæreſim, unius imperitiſſimi ſenis aſſeclæ tranſierunt, tempus probationis noſtræ debemus agnoſcere, & contra impetus adverſantium, munitionibus cœleſtibus freti, incommutabilis animi conſtantiam præparare. Scimus, frater chariſſime, quia ſacramento magnæ pietatis ſuæ aderit divina protectio. Si quid igitur fraternitati tuæ de impiis conſtitutionibus fuerit ingeſtum, proteſtamur pariter, ac monemus: ne vel in damnationem fratris inſontis, vel in receptione nefarii 1. Tim. 3. dogmatis conſenſum tui cordis immiſceas. Major eſt enim, qui in nobis eſt, quam qui adverſus nos. Annitere potius, quantum te ipſe naturæ noſtræ ſuſceptor & glorificator adjuverit, ut omnium fratrum noſtrorum corda infirmes. Nobis enim ab Evangelio generationis, & mortis, ac reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti nullatenus recedentibus definitiſſimum eſt, in noſtræ communionis numero non futuros eos, qui conantur antiqua Catholicæ fidei fundamenta convellere. Data tertio Idus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXX.

Ad Julianum Epiſcopum.

Leo Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, Juliano fratri & Coepiſcopo ſalutem.

COgnitis, quæ apud Epheſum unius hominis præſumptione ſunt geſta, magno quidem dolore affecti ſumus de his quæ impie, furioſeque commiſſa ſunt: ſed ad Dominum noſtrum animos dirigentes, multam fiduciam ab ipſa, quam ſequimur, veritate concipimus non omittentes omnia agere, quæ auxiliante Dei gratia credimus profutura. Tenendum ergo nobis eſt, quod tenemus, & ſæviente unius turbinis procella, ſereniſſima fidei eſt amplectenda tranquillitas: donec radios ſuos veritas per univerſa diffundat, & caliginem infidelitatis conſumat. Quæ autem diſpoſita ſunt, per latoris ſermonem agnoſces. Data tertio Idus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXXI.

Ad Pulcheriam Auguſtam, de his quæ ſuperius poſtulavit.

Leo Epiſcopus Pulcheriæ Auguſtæ.

GAudere me plurimum, & exultare in Domino, pietatis tuæ ſcripta fecerunt: quibus evidenter oſtenditur, quantum Cotholicam diligas fidem, & quantum hæreticum deteſteris errorem. (An. Chriſti 452. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 11. ſcripta fuit hæc epiſtola, & 5. ſequentes.) Hæreſis quippe eſt nimis impia, & Evangelio veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, ſed ipſam Chriſtianæ religionis conatur fundamenta convellere: negans ſempiterni Patris Filium ſempiternum de utero beatæ virginis matris veram carnem noſtræ ſumpſiſſe naturæ, & eos damnatione percellens, qui ab Evangelica & Apoſtolica fide nullo deduci errore potuerunt, illudque fruſtra prætendens, quod Nicenæ Synodi fidem teneat, cujus eum conſtat eſſe alienum, glorioſiſſima Auguſta. Unde quia non deſerit Eccleſiam ſuam divina protectio, dicente Domino: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*, Matth. 28. eodemque opere & tempore ſpiritus Dei & clementiæ veſtræ ſollicitudinem, & curam noſtri cordis accendit, ut de remediis procurandis eadem utrique caperemus, & quæ prius popoſci, nunc quoque inſtantius peto, majore utens fiducia deprecandi, poſteaquam præſidium venerandæ exhortationis accepi, ſperans adfuturam miſericordiam Dei, ut cooperante clementia veſtra, peſtiferi erroris poſſit morbus, auferri: ut quicquid, ipſo inſpirante atque auxiliante, potuerit ſalubriter fieri, cum veſtræ fidei laude peragatur: quoniam res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad divinam confeſſionem

nem

Digitized by Google

23. quæſt. 3. Res autem omnes. nem pertinent, & regia & ſacerdotalis defendat authoritas. Data decimo ſexto Calendas Aprilis, Valentiniano Auguſto ſepties, & Avieno viris clariſſimis Conſulibus. Æra 488.

EPISTOLA XXXII.

Ad Martianum & Fauſtum Presbyteros exhortatoria, de damnatione ſecundi Epheſini Concilii.

Leo Epiſcopus, Martiano Fauſtoque Presbyteris.

BOnorum operum, & ſpiritualium ſtudiorum Deum authorem eſſe non dubium eſt: qui quorum incitat mentes, adjuvat actiones. Quod nobis præſenti experimento evidenter apparuit. Siquidem inter diſcretarum ſpatia longinqua regionum, unum ſumpſerunt corda noſtra conſilium, ut quod a nobis deſiderabatis, eo vobis tempore, quo epiſtolæ veſtræ mittebantur, occurrerit, ſi tamen dilectioni veſtræ tradi ſcripta noſtra potuere, quæ non ſolum Apoſtolicæ Sedis authoritate, ſed etiam ſanctæ Synodi, quæ ad nos frequens convenerat, unanimitate directa ſunt, ut in his, quantam curam totius Eccleſiæ habeamus, appareat, hortando ſcilicet omnium Fidelium mentes, & clementiſſimorum Principum præſidia ad defenſionem fidei poſtulando: quorum pios & Catholicos animos non diffidimus opem atque authoritatem ſuam juſtis petitionibus præſtituros, quo citius, auxiliante Domino, pernicioſa hæreſis, & dudum ſanctorum Patrum authoritate damnata, & quæ nuper Epheſi male adjura eſt, auferatur. Interim vero det operam (quantum fieri poteſt) veſtra dilectio ut omnibus Eccleſiæ filiis innoteſcat, quod contra impium ſenſum, ſecundum doctrinam Evangelicam & Apoſtolicam prædicamus. Quia licet plene, quæ ſemper fuiſſet atque eſſet Catholicorum ſententia ſcripſerimus, tamen nunc quoque ad confirmandas omnium mentes non parum exhortationis addidimus. Memor enim ſum, me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cujus a Domino Jeſu Chriſto eſt glorificata confeſſio, & cujus fides omnes quidem hæreſes deſtruit, ſed maxime impiatatem præſentis erroris expugnat, & intelligo nihil aliud non licere, quam ut omnes conatus meos ei cauſæ, in qua univerſalis Eccleſiæ ſalus infeſtatur, impendam. Ne autem aliqua negligentiæ occaſione ſcripra noſtra ad vos non potuerint pervenire, exemplaria eorundem nunc mittenda credimus, ut nullo modo fidei, quam defendimus, prædicatio veſtræ notitiæ ſubtrahatur. Data decimo ſexto Calendas Aprilis, Valentiniano Auguſto ſepties, & Avieno, viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXXIII.

Ad Theodoſium Auguſtum, ubi ſcripſit ut id, quod de Incarnatione Filii Dei ab Anatolio, Conſtantinopolitano Epiſcopo prædicatur, agnoſcat, & univerſale Concilium in Italia fiat.

Leo Epiſcopus, Theodoſio ſemper Auguſto.

OMnibus quidem veſtræ pietatis epiſtolis inter eas ſollicitudines quas pro fide patimur, ſpem nobis ſecuritatemq; maximam præſtitiſtis, Nicænum commendando Concilium: adeo ut ab illo, ſicut ſæpe jam ſcribitis, non patiamini ſacerdotes Domini deviare. Sed ne aliquid in præjudicium Catholicæ defenſionis viderer egiſſe, de ordinatione ejus, qui Conſtantinopolitanæ cœpit Eccleſiæ præſidere, nihil interim in alterutram tibi partem temere reſcribendum putavi, non dilectionem negans, ſed manifeſtationem Catholicæ veritatis expectans. Quod æquanimiter ferat, obſecro, veſtra Clementia, ut cum talem ſe erga fidem Catholicam, qualem cupimus, approbarit, de ſinceritate ipſius copioſius & ſecurius gaudeamus. Ne vero aliqua illum de noſtro animo mordeat ſiniſtra ſuſpicio, occaſionem totius difficultatis amoveo, nec aliquid exigo, quod aut arduum videatur, aut ambiguum, ſed ad id quod nullus Catholicorum refutet, invito. Noti enim ſunt per univerſum mundum atque manifeſti, qui ante nos, ſive Græca, ſive Latina lingua in Catholicæ veritatis prædicatione fulſerunt, ad quorum ſcientiam atque doctrinam quidam etiam noſtræ ætatis accedunt, de quorum ſcriptis par & muloplex profertur inſtructio. Quæ ſicut Neſtorianam hæreſim deſtruxit, ita etiam hunc, qui nunc male repullulat, abſcindet errorem. Relegat itaque ſollicite, quæ a ſanctis Patribus Incarnationis Dominicæ fides fuerit cuſtodita, ſemperque ſimiliter prædicata, & cum ſanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Epiſcopi epiſtolam (qua Neſtorium corrigere & ſanare voluit, pravas prædicationes ipſius arguens, & evidentius fidem Nicænæ definitionis exponens, quamque ab eo miſſam Apoſtolicæ Sedis ſcrinia ſuſceperunt) præcedentium ſenſui perſpexerit conſonantem, Epheſinæ etiam Synodi geſta recenſeat, quibus contra Neſtorii impietatem a ſanctæ memoriæ Cyrillo inſerta & allegata ſunt, de Incarnatione Domini Catholicorum teſtimonia ſacerdotum. Non aſpernetur etiam meam epiſtolam recenſere, quam pietati Patrum per omnia concordare reperiet: Cumque a ſe hoc, quod eidem profuturum ſit, expeti, deſiderarique cognoverit, Catholicorum ſententiis toto corde conſentiat: ita ut ſinceram communionis fidei profeſſionem, abſolutiſſima ſubſcriptione, coram omni clero, & univerſa plebe declaret, Apoſtolicæ Sedi & univerſis Domini ſacerdotibus, atque Eccleſiis publicandam: ut pacificato per unam fidem mundo, poſſimus omnes dicere quod Angeli, nato de Maria virgine Salvatore, cecinerunt: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Quia vero & nos, & beati Patres noſtri, quorum doctrinam & veneramur, & ſequimur, in unius fidei concordia ſumus, ſicut provinciarum omnium proteſtantur antiſtites: agat clementiæ veſtræ devotiſſima fides, ut quam primum ad nos Conſtantinopolitani Epiſcopi, qualia debent, probati & Catholici ſacerdotis ſcripta perveniant, aperte ſcilicet atque dilucide proteſtantia, quod ſi quis de Incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat aut aſſerat, quam Catholicorum omnium, & mea profeſſio proteſtatur, hunc a ſua communione ſecernat, ut ei fraternam in Chriſto charitatem merito poſſimus impendere. Ut autem ſalubribus curis velocior, pleniorque, auxiliante Domino, per veſtræ clementiæ fidem præſtetur effectus, ad pietatem veſtram fratres & Coepiſcopos noſtros Abundium, & Aſterium, ſed & Baſilium, & Senatorem Presbyteros, quorum mihi devotio eſt probata, direxi, per quos, quæ noſtræ forma ſit fidei, manifeſtatis inſtructionibus (quas miſimus) poſſitis dignanter agnoſcere: ut ſi Conſtantinopolitanus antiſtes in eandem confeſſionem toto corde conſenſit ſecuri (ut dignum eſt de Eccleſiaſtica pace lætemur, neque

Lucæ 2.

ali-

aliquid reſiſtere videatur ambiguum, ut de ſuperfluis forſitan ſuſpicionibus laboremus. Sin vero aliqui a puritate noſtræ fidei atque Patrum authoritate diſſentiant, Concilium univerſale intra Italiam, ſicut Synodus quæ ob hanc cauſam Romæ convenerat, mecum petit Clementia veſtra concedat: ut in unum convenientibus omnibus his, qui aut ignorantia aut errore prolapſi ſunt, correctionis remediis conſulatur, nec cuiquam ultra ſit liberum, ita Nicænæ Synodi facere mentionem, ut ejus inveniatur eſſe fidei contrarius, quoniam & univerſæ Eccleſiæ, & veſtro hoc imperio profuturum eſt, ſi unus Deus, una fides, & unum ſacramentum ſalutis humanæ, una totius mundi confeſsione teneatur. Data decimo-ſeptimo Calendas Auguſti, Valentiniano ſepties, & Avieno viris clariſsimis Conſulibus.

EPISTOLA XXXIV.

Leonis Papæ.

*Leo Epiſcopus Fauſto, Martiano, Petro, Manueli, Job, Antiocho, Vivantiaco, Abrahamo, Theodoro, Pientio, Euſebio, Helpidio, Paulo Aſterio, & * Charaſo Presbyteris, & Archimandritis, & Jacobo Diacono, & Archimandritæ.*

Caroſo.

CAuſa fidei, in qua ſalus Chriſtiana conſiſtit, multa me ſollicitudine laborare compellit, metuentem, ne pravitas, quæ in ſuis fuerat amputanda principiis, proceſſu temporis & pernicioſior fiat & latior. Nam cum clementiſsimus Imperator talia ad nos ſcripta direxerit, quibus ſollicitudinem ſuam pro pace univerſalis Eccleſiæ demonſtraret: ipſe Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & hi, qui eundem conſecrarant, præter id, quod ad ordinationem novi antiſtitis pertinebat, nihil nobis de compreſsis, vel abdicatis erroribus indicarunt, quaſi in illa Eccleſia nullum ſcandalum, nulla extitiſſet offenſio, aut non hinc præcipue fuerit ordinati meritum demonſtrandum, ſi aliena a ſe, quæ Catholicorum ſenſibus ſunt adverſa, docuiſſet. Ne ergo (quod inter longinquas regiones accidere ſolet) in nimias dilationes tenderent veritatis examina, fratres & Coepiſcopos noſtros Abundium, & Aſterium, ſed & Baſilium, & Senarorem Presbyteros probatiſsimos viros, ad piiſsimum Principem cum ſufficienti paternarum authoritatum inſtructione direximus. Quos in omnibus, fratres chariſsimi, diligentia ac ſollicitudine veſtra cupimus adjuvari, ut impietas, quæ cæcis auſibus in exitialia abrupta proceſsit, ſimplices quoſque decipiendi ulterius non habeat poteſtatem, cum aptiore medicina etiam illis cupiamus per correctionis remedia ſubveniri, qui aut imperitia ſunt lapſi, aut errore traducti. Et ideo vos qui juſtificamini per fidem, qui Catholicam diligitis veritatem, & de ſingulari ſacramento ſalutis humanæ per Spiritum ſanctum eſtis edocti, collaborate nobiſcum, & quanta poteſtis devotione id agite, ut falſitate deſtructa, & fidei ſoliditate defenſa, ſecura per totum mundum Dei pace potiamur. Data decimo ſexto Calendas Auguſti, Valentiniano Auguſto ſepties, & Avieno viris clariſsimis Conſulibus.

EPISTOLA XXXV.

Ad Pulcheriam Auguſtam, pro his quæ ſuperius Theodoſium Auguſtum poſtulavit.

Leo Epiſcopus, Pulcheriæ Auguſtæ.

GAudeo fide Clementiæ veſtræ, quod religioſum ſtudium dignanter impenditis, ut pax Eccleſiaſtica renovetur, quæ quorundam diſſenſionibus videbatur eſſe turbata. Debetur enim hoc veſtræ ſpecialiter gloriæ, ut ablatis omnibus ſcandalis, quæ contra Catholicam fidem inimicus excitaverat, una eademque ſit per totum mundum confeſsio veritatis: quæ facilius, certiuſque ſic reparabitur, ſi pravorum ſenſuum nulla ſemina, nulla veſtigia relinquantur. Quod tamen mearum partium eſt, præterire non debeo, ut ſcilicet, quid de incarnatione Filii Dei a Conſtantinopolitano Epiſcopo teneatur, agnoſcam: præſertim cum in ordinatione ipſius plura præceſſerint, talia quæ ad nos debuerit ſcripta dirigere, quæ illum a contagione hujus, qui nuper emerſit, erroris alienum evidenter oſtenderent. Optans itaque ſecuram cum eo habere concordiam, gratiamque illi fraternæ charitatis impendere, ſcribere ei interim diſtuli: non dilectionem negans, ſed manifeſtationem Catholicæ veritatis expectans. Simplex enim eſt abſolutumque, quod poſco, ut remoto longarum diſputationum labore, ſanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Epiſcopi epiſtolæ, quam ipſe ad Neſtorium miſerat, acquieſcat; in qua & errorem Neſtorii arguit, & fidem Nicænæ definitionis expoſuit, ut epiſtolæ meæ, quæ ad ſanctæ recordationis Flavianum Epiſcopum eſt directa, conſentiat. Quibus vigilanter inſpectis, Conſtantinopolitanus antiſtes repudiandum ſibi quod auſus eſt contra puram & ſingularem fidem imperita inſipientia definire, incunctanter agnoſcat, quia & mea, & ſanctorum Patrum de Incarnatione Domini concors per omnia & una confeſsio eſt. Quam ſi quis exiſtimaverit non ſequendam, ipſe ſe a compage Catholicæ unitatis abſcindet: cum tamen nos ut in integrum omnia revocentur, optemus. Ad effectum vero ſalubrium diſpoſitionum velocius obtinendum, fratres & Coepiſcopos meos, Abundium, & Aſterium, ſed & Baſilium, & Senatorem Presbyteros probatiſsimos viros miſi, qui clementiæ veſtræ formam fidei, quam ſecundum doctrinam venerabilium Patrum prædicamus, offerrent, & remotis circumloquutionibus, quibus obſcurari veritas ſolet, quid de Incarnatione Filii Dei, a totius orbis probatis ſacerdotibus defenſum fuiſſet, oſtenderent. Quos poſt divinam gratiam, ſancto veſtræ pietatis auxilio dignum eſt adjuvari, ne in totius Eccleſiæ perturbationem imprudens procedat contentio: cum correctione abhibita, omnes oporteat in unius confeſsionis redire concordiam. A qua ſi forſitan ab aliquibus diſcrepatur, univerſale Concilium ſacerdotum haberi intra Italiam, Clementia veſtra annuente, jubeatur, quo remota arte fallendi, tandem pateat, quid altiore tractatu aut coerceri debeat aut ſanari. Data 13. Calend. Auguſti, Valentiniano Auguſto ſepties, & Avieno viris clariſsimis Conſulibus.

EPISTOLA XXXVI.

Ad Martinum Presbyterum.

Leo Epiſcopus, Martino Presbytero.

GRatias egimus Deo, & multam fiduciam piæ exultationis accepimus, cum dilectionem tuam

&

& Catholicam fraternitatem ita ſpiritu fidei vigere cognoſcimus, ut cordibus veſtris nihil infirmitatis hæretica poſſit inferre tentatio: ad quam divinitus deſtruendam, nec defuit (ut ſcitis) ſollicitudo noſtra, nec deerit, donec omnipotentis dextra omnia diaboli arma confringat. Cui ob hoc aliquid audere permittitur, ut a Fidelibus Chriſti gloria majore vincatur. Si quid autem difficultatum intervenit aut morarum, cum æquanimitate tolerandum eſt: quoniam ubi veritas eſt magiſtra, nunquam deſunt divina ſolatia, fratres chariſſimi. Quamvis ergo magna locorum intervalla nos dividant, unitate tamen fidei vobiſcum ſumus, toto corde Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum verum Deum, & verum hominem confitentes, nulla in vobis detrimenta perpetimur, cum de veſtræ profeſſionis concordia gloriamur: tantum ut ſit auxiliante Domino

Philip. 1. conſtantia perſeverans, dicente Apoſtolo, *Vobis enim datum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* Ad quam fortitudinem ſanctarum mentium roborandam, fratres noſtros atque Legatos, quos pro Apoſtolicæ fidei libertate direximus, & quos dudum apud vos eſſe confidimus, plurimum credimus profuturos: cum totius actionis noſtræ didiceritis affectum, & curam veſtram atque conſilium operi junxeritis. De qua re non neceſſe eſt nunc latius ſcribere, cum jam per ſupradictos, ſufficientes epiſtolas miſerimus, quibus abundantiſſime omnis Catholica Fraternitas inſtruatur. Divinæ erit virtutis & gratiæ, ut Dei Filius, qui naturam humani generis ſuam fecit, amplius quam videmus, aut ſapimus, magnum pietatis ſuæ aſſerat ſacramentum, quod impia temeritas ſibi qui-

1. Tim. 3. dem fraudavit, ſed rectis cordibus non potuit. Data Idibus Septembris, Valentiniano, & Avieno viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXXVII.

Ad Leonem Ravennatem Epiſcopum, de his qui de captivitate redeuntes, incertum habent, utrum ante captivitatem baptiſma conſecuti ſint.

Capita epiſtolæ ſequentis.

1 *De parvulis, qui in captivitatem devenerunt, & baptiſmum non reminiſcuntur ſe conſequutos.*

2 *Ut ab hæreticis baptizatus, per impoſitionem manus Spiritum ſanctum accipiat.*

Leo Epiſcopus, Leoni Epiſcopo Ravennati ſalutem.

An. Chriſti 453. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 11. ſcripta fuit hæc epiſtola, & 4. ſequentes.

FRequenter quidem in diverſarum ambiguo quæſtionum titubantia fratrum corda, Spiritu Dei inſtruente, ſolidavimus, reſponſionis formam vel ex ſanctarum Scripturarum diſciplinis, vel ex Patrum regulis colligentes, ſed nuper in Synodo novum & inauditum antea genus conſultationis exortum eſt.

CAPUT I.

NAm quorumdam fratrum ſuggeſtione comperimus, aliquos captivorum ad ſedes ſuas, libertatemque redeuntes, qui ſcilicet in captivitatem illa ætate pervenerint, quæ nullius rei firmam poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptiſmi. Sed utrum ejuſdem myſterii ante ſacramenta perceperint, infantiæ inſcientia non poſſe ſe reminiſci, & ideo ſub hoc latentis recordationis incerto, animas ſuas in diſcrimen adduci, dum ſub ſpecie cautionis negatur his gratia, quæ ideo non impenditur, quia putatur impenſa. Cum itaque tribuere talibus Dominici ſacramenta myſterii, non immerito quorumdam fratrum formido dubitaret, in Synodali (ut diximus) cœtu formam hujuſcemodi conſultationis accepimus, quam diligentius diſcuti, & pro uniuſcujuſque ſenſu ſollicita voluimus ratione tractari, quo ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius pervenire poſſemus. Eadem ergo, quæ in ſenſum noſtrum divina inſpiratione venerunt, frequens etiam fratrum firmavit aſſenſio. In primis itaque providere debemus, ne dum ſpeciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum. Quis enim ita ſit ſuſpicationibus ſuis deditus, ut verum eſſe definiat, quod, omni manifeſtatione ceſſante, ex opinione ambigua ſuſpicatur? Cum itaque baptizatum ſe nec ille recordetur, qui regenerationis eſt cupidus, nec alter atteſtari de eo poſſit, quod neſciat conſecratum, nihil eſt in quo peccatum poſſit obrepere, cum in hac parte conſcientiæ ſuæ nec ille reus ſit, qui conſecratur, nec ille qui conſecrat. Scimus quidem inexpiabile eſſe facinus, quoties juxta hæreticorum damnata a ſanctis Patribus inſtituta, cogitur aliquis lavacrum quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire, Apoſtolica reclamante doctrina, quæ nobis unam prædicat in Trinitate deitatem, unam in fide confeſſionem, unum in baptiſmate ſacramentum. Sed in hoc nihil ſimile formidatur, quoniam non poteſt in iterationis crimen devenire, quod factum eſſe omnino neſcitur. Atque ideo, quoties perſona talis inciderit, ſollicita primum examinatione diſcutite, & longo tempore, niſi forte ſupremus finis immineat, indagate, utrum nemo ſit penitus, qui teſtimonio ſuo juvare poſſit ignorantiam neſcientis. Et cum conſtiterit hunc, qui baptiſmatis indiget ſacramento, ſola inaniter ſuſpicione prohiberi, accedat intrepidus ad conſequendam gratiam, cujus in ſe nullum ſcit eſſe veſtigium. Nec vereamur huic ſalutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingreſſus.

De conſec. diſtinct. 4. Cum itaq; baptiſmi.

CAPUT II.

QUod ſi ab hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus ſacramentum regenerationis iteretur, ſed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem, virtutem ſancti Spiritus conſequatur. Quam rem, frater chariſſime, ideo generaliter ad omnium veſtrum volumus pervenire notitiam: ne dum plus juſto metuitur, miſericordia Dei ſalvari cupientibus denegetur. Data nono Kalendas Novembris, conſulatu Martiani Auguſti.

EPISTOLA XXXVIII.

Ad Martianum Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Martiano ſemper Auguſto.

LItteras Pietatis veſtræ accepiſſe me gaudeo, & ad ſignificationem totius proſperitatis pertinere

Digitized by Google

nere cognoſco, cum ſermones veſtri vos faciant integritate ſecuros. Quantas itaque clementiæ veſtræ gratias referamus, non ex verbis noſtris, ſed ex beneficiis veſtris, quæ Eccleſiæ contuliſtis, agnoſcite: non ambigentes qualem illum retributorem in omnibus habeatis, pro cujus eſtis tam pia religione ſolliciti, & qui vos (ut res ipſa demonſtrat) ad hoc, ut fides Catholica ab inſidiis inimicorum ſuorum defenderetur, elegit. Hæc a me nunc breviter per fratris mei Anatolii Clericos pietas veſtra dignanter accipiat. Plenio-ra autem de omnibus, quæ ad curam meam pro ſtatu Eccleſiarum, & concordia pertinet Domini ſacerdotum, per Legatos noſtros ſcripta direximus. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XXXIX.

Ad Pulcheriam Auguſtam, in qua gratias agit, quod Neſtorianam & Eutychianam hæreſim fidei defenſione deſtruxerit.

Leo Epiſcopus urbis Romæ, Pulcheriæ Auguſtæ.

QUod ſemper ſancta pietatis veſtræ mente præſumpſimus, id pleniſsime experiendo cognovimus, Chriſtianam fidem (quamvis diverſis pravorum appeteretur inſidiis) vobis tamen præſentibus, & in defenſionem ejus a Domino præparatis non poſſe turbari. Non enim Deus aut ſuæ miſericordiæ ſacramentum, aut veſtri laboris deſerit meritum: quo dudum ſubdolum ſanctæ religionis hoſtem ab ipſis viſceribus Eccleſiæ depuliſtis, cum hæreſim ſuam tueri impietas Neſtoriana non potuit, quia non fefellit famulam & diſcipulam veritatis, quantum ſimplicibus infunderetur veneni per illa loquacis hominis colorata mendacia. De quo virtutum agone proceſſit, ut per ſollicitudinem veſtram ea, quæ per Eutychen diabolus molitus eſt, non laterent, & qui ſibi ſingulas partes geminæ impietatis elegerant, una Catholicæ fidei virtute procumberent. Secunda ergo hæc vobis, de perempto Eutychetis errore victoria eſt, quem, ſi quid ſani cordis habuiſſet, dudum in auctoribus ſuis perculſum olimque proſtratum, facile potuerat declinare, ne de ſepultis cineribus rediviva tentaret incendia commovere, ut in eorum tranſiret conſortium, quorum ſecutus eſſet exemplum, glorioſiſsima Auguſta. Libet igitur exultare cum gaudio, & pro veſtræ clementiæ proſperitate digna Deo vota perſolvere, qui tibi per omnes mundi partes, in quibus Domini Evangelium prædicatur, duplicem jam & palmam contulit, & coronam. Clementia igitur veſtra agnoſcat omnem Romanam Eccleſiam de univerſis fidei veſtræ operibus plurimum gratulari, ſive quod legationem noſtram pio per omnia adjuviſtis affectu, & quod ſacerdotes Catholicos, qui de Eccleſiis ſuis injuſta fuerunt ejecti ſententia, reduxiſtis, ſive quod reliquias ſanctæ memoriæ Flaviani innocentis, & Catholici Sacerdotis ad Eccleſiam (cui bene præfuit) feciſtis cum honore debito revocari. In quibus utique omnibus gloriæ veſtræ multiplicatur augmentum, dum & ſanctos pro ſuis meritis veneramini, & ab agro Dominico ſpinas & tribulos vultis auferri. Quoſdam ſane Epiſcopos de his, qui rebus impiis videntur præbuiſſe conſenſum, & reconciliationem repoſcere, & Catholicorum communionem deſiderare, tam noſtrorum, quam fratris & Coepiſcopi mei Anatolii, cui teſtimonium ferre dignamini, relatione cognovimus: quorum deſideriis ſic præbemus effectum, ut correctis, & quæ male ſunt facta, propria ſubſcriptione damnantibus, participata noſtrorum (quos miſimus) cura cum ſupradicto Epiſcopo, pacis gratia tribuatur: quia devotionis utrumque eſt Chriſtianæ, ut & pertinaces veritas juſta coerceat, & converſos charitas non repellat. Quia vero novimus, quantum piæ ſollicitudinis Catholicis ſacerdotibus manſuetudo veſtra dignetur impendere, judicandum eſſe curavimus fratrem & Coepiſcopum noſtrum Euſebium nobiſcum degere, & noſtræ communionis eſſe conſortem, cujus commendamus Eccleſiam, quam dicitur vaſtare, qui illi injuſte aſſeritur ſubrogatus: illud etiam a veſtra pietate poſcentes, quod vos ſpontaneo facere non dubitamus arbitrio, ut tam fratrem & Coepiſcopum meum Julianum, quam Conſtantinopolitanos Clericos, qui ſanctæ memoriæ Flaviano fidelibus officiis adhæſere, ea qua debetis gratia foveatis. De omnibus vero pietatem veſtram per noſtros, quid fieri aut declinari deberet, inſtruximus. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XL.

Ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Capita Epiſtolæ ſequentis.

1 *De fide ejus, ſcriptis miſſis, probata.*
2 *De his, qui metu in hæreſim lapſi ſunt, ut ſi converſi fuerint, recipiantur.*
3 *De nominibus hæreticorum ad altare non recitandis.*
4 *De commendatione Juliani Epiſcopi, vel eorum Clericorum qui Flaviano Epiſcopo fide adhæſerunt.*

Leo Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo.

CAPUT I.

GAudemus in Domino, & in dono gratiæ ipſius gloriamur, quia ſicut dilectionis tuæ litteris, & fratrum noſtrorum, quos Conſtantinopolim miſeramus, relatione cognovimus, ſequacem te Evangelicæ eruditionis oſtendis: ut per Sacerdotis probabilem fidem merito præſumamus, quod tota Eccleſia eidem credita, nec rugam cujuſquam ſit erroris habitura, nec maculam, dicente Apoſtolo: *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Illa eſt enim virgo Eccleſia, ſponſa unius viri Chriſti, quæ nullo ſe patitur errore vitiari: ut per totum mundum una nobis ſit unius caſtæ communionis integritas, in qua ſocietatem tuæ dilectionis amplectimur, & geſtorum, quæ ſumpſimus, ſeriem neceſſariis (ſicut oportuit) munitam ſubſcriptionibus approbamus. Ut ergo invicem dilectionis tuæ animus noſtris confirmaretur alloquiis, filios noſtros Caſterium Presbyterum, Patricium & Aſclepiadam Diaconos, qui ad nos tua ſcripta detulerunt, cum epiſtolis noſtris poſt venerabilem diem feſti Paſchalis remiſimus: indicantes nos (ut ſupra diximus) de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ pace gaudere, cui hanc curam ſemper impendimus, ut eam nulla velimus hæreticorum fraude violari.

CAPUT II.

DE fratribus vero, quos & epiſtolis tuis, & Legatorum noſtrorum relatione communionis noſtri cupidos eſſe cognovimus: eo quod doleant ſe contra potentiam, contraque terrores non tenuiſſe conſtantiam, ſed alieno ſceleri præbuiſſe conſenſum, cum ita eos formido turbaſſet, ut in damna-

Digitized by Google

tionem Catholici atque innocentis Antiſtitis, & in receptionem deteſtabilis pravitatis trepido famularentur obſequio: illud quidem quod præſentibus & agentibus noſtris conſtitutum eſt, approbamus, ut ſuarum interim Eccleſiarum eſſent communione contenti, ſed cum Legatis noſtris (quos miſimus) participata tecum ſollicitudine volumus diſponatur: quatenus hi, qui pleni ſatisfactionibus male geſta condemnant, & accuſare magis ſe eligunt, quam tueri, pacis & communionis noſtræ unitate lætentur: ita ut digno prius anathemate, quæ contra fidem Catholicam ſunt recepta, damnentur. Alter

1. quæſt. 1. In Eccleſia Dei quæ corpus.

enim in Eccleſia Dei, quæ corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt ſacerdotia, nec vera ſacrificia: niſi in noſtræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni ſanguis emundet. Qui licet in Patris ſit dextera conſtitutus, in eadem tamen carne, quam ſumpſit ex virgine, ſacramentum propitiationis exequitur, dicente Apoſtolo: *Chriſtus*

Rom. 11.

Jeſus, qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Neque enim poteſt in aliquo benignitas noſtra reprehendi, cum ſatisfacientes recipimus, quos doluimus eſſe deceptos. Nec aſpere igitur communionis noſtræ gratia deneganda eſt, nec temere largienda: quia ſicut plenum pietatis eſt oppreſſis charitatem Dominicam redhiberi, ita juſtum eſt, omnia perturbationis authoribus imputari.

CAPUT III.

DE nominibus autem Dioſcori, Juvenalis, & Euſtachii ad ſacrum altare non recitandis, dilectionem tuam hoc decet cuſtodiri, quod noſtri ibidem conſtituti faciendum eſſe dixerint, quodque honorandæ S. Flaviani memoriæ non repugnet, & a gratia tua Chriſtianæ plebis animos non avertat. Nam iniquum nimis eſt atque incongruum, eos qui innocentes & Catholicos ſua perſequutione vexarunt, Sanctorum nominibus ſine diſcretione miſceri, cum damnatam impietatem non deſerentes ipſi ſe ſua pravitate condemnent, quos convenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.

CAPUT IV.

FRatrem vero, & Coepiſcopum noſtrum Julianum, & Clericos, qui ſanctæ memoriæ Flaviano fidelibus officiis adhæſerunt, dilectioni quoque tuæ volumus adhærere: ut quem fidei ſuæ meritis vivere apud Deum noſtrum novimus, in te ſibi eum præſentem eſſe agnoſcat. Illud quoque dilectionem tuam noſſe volumus, fratrem & Coepiſcopum noſtrum Euſebium, qui cauſa fidei multa diſcrimina, laboreſque toleravit, nobiſcum interim demorari, & in noſtra nunc communione perſiſtere, cujus Eccleſiam tua ſollicitudine volumus eſſe defenſam: ut nihil eodem abſente depereat, & nullus ei in aliquo præjudicare præſumat, donec cum litterarum noſtrarum ad vos perlatione perveniat. Et ut major circa te vel noſtra, vel totius Chriſtianæ plebis affectio provocetur, hoc quod ad dilectionem tuam ſcripſimus, in omnium volumus notitiam pervenire: ut qui Deo noſtro deſerviunt, de confirmata apud te pace Sedis Apoſtolicæ gratulentur. De cæteris vero cauſis atque perſonis dilectio tua litteris, quas per noſtros accipiet, plenius inſtruetur. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XLI.

Ad Julianum Epiſcopum.

Leo Epiſcopus, Juliano Epiſcopo.

LItteras Fraternitatis tuæ per filios noſtros Conſtantinopolitanos Clericos, nuncias tuæ ſalutis accepi: quibus te magnis tribulationibus gravatum fuiſſe ſignificas, cum utique non defuerit materia ſollicitudini & laboribus, qui inter procaces Catholicæ fidei adverſarios, inhærentem veritati animum fatigarent, idque (ut ſcribis) fuerit animo, ut per occaſionem neceſſitatis & nobis te, & patriæ præſentares. Quod verum futurum ſperaveram, ut apertius omnium hæreticorum ambages tuo ore cognoſcerem. Sed gratias Deo, quod ita incolumitas tua & Eccleſiæ cauſa profecit, ut liberum tibi fuerit apud eos interim degere, quorum nobis probabilis conſenſus innotuit, ſicut & fratris Anatolii ſcripta profitentur, & geſta, quæ apud ipſum coram noſtris ſunt confecta, demonſtrant fratribus remeantibus. Ergo prædictis ſalutationibus viciſſitudinem reddo, & ut contra falſitatis aſtutias perſeverantem diligentiam teneas, fidenter exhortor, cum tibi ad hoc, & tuus animus, & noſtra authoritas ſuffragetur. Quoniam licet de multis meliora indicata ſint, quod ſcilicet doleant ſe deceptos, & damnata perfidia cum authoribus ſuis, gratiam noſtræ communionis expoſcant, quod nos adeo libenter accepimus, redditurì his hanc quam deſiderant communionem, cum promiſſa compleverint: tamen quoſdam perſiſtere in ſua obduratione cognovimus, quos oportet diſtrictius comprimi, ſi nequeunt benignitate ſanari. Ad quam rem noſtros poſt diem venerabiles dirigemus, qui cum participato concilio, ea quæ a nobis conſtituta fuerint, exequantur. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XLII.

Ad Martianum Auguſtum, in qua pro conſervatione Catholicæ fidei illi congratulatur.

Leo Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ, Martiano ſemper Auguſto.

QUamvis per Conſtantinopolitanos Clericos ad pietatem veſtram ante reſcripſerim, ſumptis tamen Clementiæ veſtræ litteris per virum illuſtrem præfectum urbis filium meum Tatianum, magnam materiam gratulationis accepi, quia ſtudioſiſſimos vos Eccleſiaſticæ pacis agnovi. Cui ſancto deſiderio digna æquitate conſertur, ut quem ſtatum eſſe cupitis religionis, eundem habeatis & regni. Nam inter Principes Chriſtianos, Spiritu Dei confirmante concordiam, gemina per totum mundum fiducia roboratur; quia profectus charitatis & fidei utrorumque armorum potentiam inſuperabilem facit, ut propitiato per unam confeſſionem Deo, ſimul & hæretica falſitas, & barbara deſtruatur hoſtilitas, glorioſiſſime Imperator. Aucta igitur per imperialem amicitiam ſpe cœleſtis auxilii, confidentius pietatem veſtram pro ſacramento ſalutis humanæ incitare præſumo: ne cujuſquam procaci, impudentique verſutia quaſi de incerto, quid ſequendum ſit, ſinatis inquiri. Et cum ab Evangelica, Apoſtolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat diſſidere, aut aliter de Scripturis divinis ſapere,

quam

quam beati Apoſtoli & Patres noſtri didicerunt atque docuerunt, nunc demum indiſciplinatæ moveantur & impiæ quæſtiones, quas olim mox, ut eas per apta ſibi corda diabolus excitavit, per diſcipulos veritatis Spiritus ſanctus extinxit. Nimis autem iniquum eſt, ut per paucorum inſipientiam ad conjecturas opinionum, & ad carnalium diſceptationum bella provocemur: tanquam reparata diſceptatione tractandum ſit, utrum Eutyches impie ſenſerit, & utrum impie Dioſcorus judicarit, qui in ſanctæ memoriæ Flaviani condemnatione ſe pereulit, & ſimpliciores quoſque, ut in eamdem ruinam provolverentur, impegit: quorum multis jam (ut cognovimus) ad ſatisfactionis remedia converſis, & veniam de inconſtanti trepidatione poſcentibus, non cujuſmodi ſit fides tenenda tractandum eſt, ſed eorum precibus qualiter annuendum. Unde piiſſimæ ſollicitudini veſtræ, quam de indicanda Synodo habere dignamini, per legationem, quæ confeſtim ad clementiam veſtram, Deo annuente, perveniet, quicquid ad cauſæ utilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius ſuggeretur. Data nono Kalendas Maij, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XLIII.

Ad Martianum Auguſtum, de directa vocis ſuæ legatione Conſtantinopolim pro Chalcedonenſi Concilio faciendo.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

Cap. I. POpoſceram quidem a glorioſiſſima clementia veſtra, ut Synodum quam ad reparandam Orientalis Eccleſiæ pacem, a nobis etiam petitam, neceſſariam judicaſtis, aliquantiſper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Epiſcopi, quos hoſtilitatis metus retinet, convenirent. Sed quia pio ſtudio humanis negotiis divina præponitis, & rationabiliter ac religioſe regni veſtri viribus creditis profuturum, ſi nulla in ſacerdotum ſenſibus diſſonantia, nulla ſit in Evangelii prædicatione diſcordia, ego etiam veſtris diſpoſitionibus non renitor, optans ut omnium cordibus Catholica fides, quæ non poteſt niſi una eſſe, firmetur. A cujus integritate & Neſtorius antea, & nunc Eutyches, diverſis quidem callibus, ſed impietate non impari deviarunt: abominandi prorſus in perſuaſionibus ſuis, quas contra ſincerum veri luminis fontem, de cœnoſis lacubus diabolicæ falſitatis hauſerunt. Prior itaque Synodus Epheſina Neſtorium cum dogmate ſuo merito juſteque damnavit: & quiſquis in illo errore perſiſtit, ad nullius poteſt ſpem remedii pervenire. Sequens vero in prædicta civitate non poteſt vocari Concilium, quod in emerſionem fidei fuiſſe conſtat agitatum: quodque veſtra clementia

Cap. II. Obteſtatio graviſſima. amore veritatis, Catholicis adfutura, aliud ſtatuendo, caſſabis, glorioſiſſime Imperator. Unde per ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui regni veſtri eſt author & rector, obteſtor & obſecro Clementiam veſtram: ut in præſenti Synodo fidem quam beati Patres noſtri ab Apoſtolis ſibi traditam prædicarunt, non patiamini, quaſi dubiam retractari: & quæ olim majorum ſunt authoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari. Illudque potius jubeatis, ut antiquæ Nicenæ Synodi conſtituta, remota hæreticorum interpretatione permaneant. Nec me quoque (ut voluit veſtra clementia) ab illo credatis abeſſe Concilio, cum in his fratribus, quos direxi, id eſt, Paſchaſino & Luculentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Presbyteris & in fratre meo Juliano, quem eorum volui eſſe participem, etiam mea ſit æſtimanda præſentia. Quos, auxiliante Chriſto, ita acturos eſſe confido, ut ea quæ Domino noſtro placeant decernantur, accedente pietatis veſtræ ſtudio, quod & paci proſit religionis, & cuſtodiæ veritatis. Data ſexto Kalendas Junii, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XLIV.

Ad Martianum Auguſtum, ubi inter cætera pro defenſione fidei Imperatori gratulatur.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

MUltam mihi fiduciam ſcribendi ad Clementiam veſtram & litteræ veſtræ, quas veneranter accepi, & Coepiſcopi mei reverentes a Conſtantinopoli præbuerunt, non ſola aſſertione verborum, ſed ipſis jam operum effectibus demonſtrantes, ad defenſionem Catholicæ fidei divinum in vobis vigere præſidium. Quo utique non ſolum Eccleſiæ ſtatus, ſed etiam veſtri robur munitur Imperii: ut merito ejus expectetis protectionem, cujus colitis religionem & veritatem, glorioſiſſime Imperator. Nam ut & fratris mei Anatolii citius manifeſtaretur integritas, olim damnati erroris redivivus aſſertor locum in Chriſti Eccleſia non haberet, ut Catholici Epiſcopi, quos nuper hæreticorum perſecutio depravare non potuit, ab injuſtis revocarentur exiliis, utque reliquiis beatæ memoriæ Flaviani digno honore ſuſceptis, impietatem ſuam condemnator ejus agnoſceret: veſtræ virtutis titulus veſtræ pietatis eſt fructus. Cui confido aliarum inſignia accumolanda palmarum, ut ſicut Conſtantinopolitana Eccleſia, recepta Apoſtolicæ fidei libertate, lætatur; ita omnes regni veſtri provinciæ emundatas ſe eſſe a diabolici dogmatis contagio glorientur. Ut ergo præcedentibus litteris indicavi, fratres meos Luculentium Epiſcopum, & Baſilium Presbyterum, qui ſollicitudinis meæ partes poſſint implere, direxi, favori eos pietatis veſtræ in omnibus quæ ſunt agenda, commendans. Nam cum & fratris mei Anatolii ſcriptis, & noſtrorum ſermone cognoverim, multos de his qui apud Epheſum Dioſcori factione compulſis, deteſtatibilibus ſtatutis præbuere conſenſum pœnitendo inconſtantiæ ſuæ veniam poſtulare, & communionem Catholicam per ſatisfactionem correctionis expetere: non fuit talium negligenda converſio, qui non proprio ſenſu, ſed impii præſumptoris impulſu in hæc incidiſſe noſcuntur, in quibus liberum non habuere judicium. Cap. II. Ne igitur vel reſipiſcentium deſideria mora longior fatigaret, vel incurioſa facilitas temere aliquos ſine diſcretione ſuſciperet, injunctum eſt ab Apoſtolica Sede directis, ut in conſortium ſuæ deliberationis accito Conſtantinopolitanæ urbis Antiſtite, & peſtilentiæ contagia non admittantur, & ſanitatis remedia non negentur. Quæ induſtria in omnibus, quæ neqoiter geſta ſunt emendandis, celerem (juvante Domino) conſequentur effectum, ſi reparationi pacis Eccleſiaſticæ opem ſuam veſtra pietas dignetur adjungere: ut vobis in terra regnantibus, & Dei regnum intra vos habere mereamini, & Catholicam fidem nulla falſitas violet, nulla hæreſis inquietet, nec cuiquam liceat doctrinam Evangelicam deſerere, & ſacerdotali honore gaudere. Synodum vero fieri, ut meminit

Cauſa deſignatur prohibens celebrare Concilium.

clementia veſtra, etiam ipſi popoſcimus, ſed ſacerdotes provinciarum omnium congregari præſentis temporis neceſſitas nulla ratione permittit: quoniam illæ provinciæ, de quibus maxime ſunt evocandi, inquietante bello, ab Eccleſiis ſuis eos non patiuntur abſcedere. Unde opportuniori tempori, propiciante Domino, cum firmior fuerit reſtituta ſecuritas, jubeat veſtra clementia reſervari. De qua re plenius inter cætera apud pietatem veſtram poterunt allegare, quos miſi. Data * quinto Idus Junii, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

Septimo Idus.

EPISTOLA XLV.

Ad Pulcheriam Auguſtam.

Leo Epiſcopus, Pulcheriæ Auguſtæ.

Cap. I. RELigioſam pietatis veſtræ ſollicitudinem, qua univerſo mundo, Deo inſpirante, conſulitis, crebrioribus alloquiis incitare præſumo: ut operum veſtrorum profectum neceſſaria profectio ſubſequatur, ac ſicut de ſtatu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ gratulamur, cujus & Sacerdos, & populus Catholicæ puritatis fidem jam tenere cognoſcitur: ita etiam aliorum concors nobiſcum ſit de Verbi Incarnatione confeſſio. Unde quod facturum me aliis litteris indicaveram, Epiſcopum, & Baſilium Presbyterum fratres meos dirigere præparavi, qui diſpoſitiones meas, fratris mei Anatolii devotione ſociata, ſecundum eas, quas acceperunt regulas, exequantur. Sicut enim prædicti Epiſcopi ſcriptis, & Clericorum ejus ſuggeſtione patefactum eſt, multa ſunt quæ indulgentius ſunt curanda, multa quæ ſunt coercenda: ut in cauſa tantæ perturbationis, nec diſtrictio nimis ſit aſpera, nec remiſſio parum cauta, cum aliud ſatisfacientibus, aliud pertinacibus debeatur. Offertur

Cap. II. ergo pietati veſtræ digna materia, quæ placitam Domino curam ſancti cordis exerceat, & præcedentium meritorum coronas etiam de præſentis erroris abolitione multiplicet. Sicut enim Neſtoriana impietas, ita & Eutychiana blaſphemia ab omnium eſt Catholicorum elimanda conſortio. Quia tam impium eſt, conſubſtantialem & conſempiternam Patri Filii deitatem, etiam ex utero Virginis matris partu editam negare corporeo, quam unam Dei Filio poſt Incarnationis ſacramentum affirmare naturam: ut ſcilicet aut humanitas ejus refutetur, aut deitas cum unione utriuſque eſſentiæ: nec altera ſit in alterutram verſa, nec aſſumpta in aſſumente finita. Sed & Verbi incommutabilitas, & carnis atque animæ veritas maneant inſeparabiliter in unitate perſonæ, quod qui teſtificante lege, credentibus Patriarchis, annuentibus Prophetis, prædicante Evangelio, docentibus Apoſtolis, & toto mundo confitente non credunt, extra ſacramentum corporis Chriſti, extra unitatem

Cap. III. ſunt nominis Chriſtiani. Quorum ſicut ruinam dolemus, ita perfidiam deteſtamur. Ut autem circa tales perſonas ſincerum ſervetur ubique judicium, & aliud correctis, & aliud pertinacibus rependatur, veſtra pietas noſtros, qui ab Apoſtolica Sede ſunt miſſi, fovere dignetur: eorumque omnes, quas injunximus, adjuvet actiones, quo citius ac facilius, auxiliante Domino, quæ ad veſtram gloriam, & ad totius Eccleſiæ pacem proficiant, exequantur. De Eutyche autem totius ſcandali & pravitatis authore, hoc clementia veſtra præcipiat, ut ab eo loco qui Conſtantinopolitanæ urbi nimis vicinus eſt, longius transferatur: ne frequentioribus ſolatiis eorum, quos ad impietatem ſuam traxit, utatur. Monaſterio quoque ipſius, qui perniciose, indigneque præſedit, Catholicum Abbatem jubete præponi: qui illam ſervorum Dei congregationem & a pravo dogmate liberare, & inſtitutis veritatis poſſit imbuere. Data Idibus Junii Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XLVI.

Ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum de his, quæ hæreticorum erroribus, metu, non voluntate implicantur, ut per ſatisfactionem in Eccleſia ſuſcipiantur.

Leo Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo in Domino ſalutem.

LIcet ſperem dilectionem tuam ad omne opus bonum eſſe devotam, ut tamen efficacior tua poſſit fieri induſtria, neceſſarium & congruum fuit fratres meos Lucentium Epiſcopum, & Baſilium Presbyterum (ut promiſimus) deſtinare: quibus tua Dilectio ſocietur, ut nihil in his, quæ ad univerſalis Eccleſiæ ſtatum pertinent, aut dubie agatur, aut ſegniter: cum reſidentibus vobis, quibus executionem noſtræ diſpoſitionis injunximus, ea poſſint agi cuncta moderatione, ut nec benevolentiæ partes, nec juſtitiæ negligantur, ſed abſque perſonarum acceptione divinum in omnibus judicium cogitetur. Quod ut recta obſervantia valeat cuſtodiri, Catholicæ primitus fidei ſervetur integritas, & quia per omnia anguſta & ardua via eſt quæ ducit ad vitam neque in ſiniſtram, neque ad deſteram ab ejus tramite devietur. Et quia Evangelica & Apoſtolica fides omnes expugnat errores, & ab uno latere Neſtorium dejicit, ab alio Eutychen & participes ejus elidit, hanc regulam memento ſervandam: ut quicumque in illa ſynodo, quæ nomen ſynodi nec habere potuit, nec meretur, & in qua malevolentiam ſuam Dioſcorus, imperitiam autem Juvenalis oſtendit, dolent, ut dilectionis tuæ relatione comperimus, ſe metu victos, & terrore ſuperatos, ad conſenſum ſceleſtiſſimi judicii potuiſſe compelli, & communionem Catholicam obtinere deſideret, ſatisfactioni eorum pax fraterna præſtetur: ita ut non dubiis profeſſionibus Eutychen cum ſuo dogmate, cumque conſortibus ſuis, anathematis execratione condemnent. De

Cap. I. — Matth. 5.

Cap. II. his autem, qui in hac cauſa gravius peccavere, & ob hoc ſuperiorem ſibi locum in eadem infelici Synodo vindicarunt, ut humilium fratrum ſimplicitatem arrogantiæ ſuæ præjudiciis aggravarent; ſi forte reſipiſcunt, & a facti ſui defenſione ceſſantes, in condemnationem proprii convertuntur erroris, horum ſi ſatisfactio talis accedit, quæ non refutanda videatur, maturioribus Apoſtolicæ Sedis conſilijs reſervetur, ut examinatis omnibus atque perpenſis, de ipſis eorum actionibus quid conſtitui debeat, æſtimetur. Neque prius in Eccleſia, cui te Dominus voluit præſidere, cujuſquam talium (ut ante jam ſcripſimus) nomen ad altare recitetur, quam quid de eis conſtitui debeat rerum proceſſus oſtendat. De com-

Cap. III. monitorio vero, a Clericis dilectionis tuæ nobis oblato, neceſſarium non fuit epiſtolis quid videretur inſerere: cum ſufficeret Legatis cuncta committi, quorum ſermone ex omnibus diligentius inſtrueris. Annitere igitur, frater chariſſime, ut quæ Eccleſiæ Dei congruunt, fideliter & efficaciter cum his fratribus, quos tantæ rei idoneos authores elegimus, exequaris: præſertim cum ipſa vos cauſæ ratio, ſpeſque divini auxilii cohortentur, & clementiſſimorum Principum tam ſancta ſit fides, tam religioſa

de-

devotio, ut in eis non ſolum Chriſtianum, ſed etiam ſacerdotalem experiamur affectum. Qui utique pro ea pietate, qua ſe Dei famulos eſſe gloriantur, omnes ſuggeſtiones veſtras fidei Catholicæ profuturas, dignanter accipient, ut ipſorum quoque ope & pax Chriſtiana reparari, & error impius poſſit aboleri. Ac ſi de aliquibus amplius fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur: ut pertractata qualitate cauſarum, noſtra quid obſervari debeat ſollicitudo conſtituat. Data quinto Idus Junii, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XLVII.

Ad Synodum Chalcedonenſem, ubi hortatur per legatos ſuos Dei ſacerdotes, ut ſecundum Scripturas cuncta diſponerent.

Leo Epiſcopus urbis Romæ, ſanctæ Synodo apud Chalcedonem conſtitutæ.

Cap. 2. OPtaveram quidem, dilectiſſimi, pro veſtri charitate collegii, omnes Domini Sacerdotes in una Catholicæ fidei devotione perſiſtere, nec quemquam gratia, aut formidine poteſtatum ſæcularium depravari, ut a via veritatis abſcederet. Sed quia multa ſæpe, quæ pœnitudinem poſſint generare, proveniunt, & ſuperat culpas delinquentium miſericordia Dei, atque ideo ſuſpenditur ultio, ut poſſit locum habere correctio, amplectendum eſt clementiſſimi Principis plenum religione conſilium: quo ſanctam fraternitatem veſtram ad deſtruendas inſidias diaboli, & ad reformandam Eccleſiaſticam pacem voluit convenire, beatiſſimi Petri Apoſtoli jure atque honore ſervato, adeo ut nos quoque ſuis ad hoc litteris invitaret, ut venerabili Synodo noſtram præſentiam præberemus; quod quidem nec neceſſitas temporis, nec ulla conſuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Presbyteris, qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo veſtra Fraternitas exiſtimet præſidere, nec ſejunctam a vobis præſentiam meam confidat, qui nunc in vicariis meis adſum, & jam dudum fidei Catholicæ prædicatione non deſum: ut qui non poteſtis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non poſſitis

Romanus Pontifex præſidet Conſiliis.

Cap. 11. dubitare, quid cupiamus. Unde fratres chariſſimi, rejecta penitus audacia diſputandi contra fidem divinitus inſpiratam, vana errantium fidelitas conquieſcat, nec liceat defendi, quod non liceat credi: cum ſecundum Evangelicas authoritates, ſecundum Propheticas voces, Apoſtolicamque doctrinam pleniſſime & lucidiſſime per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de ſacramento Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti pia & ſincera confeſſio.

Cap. 121. Quia vero non ignoramus, per pravas æmulationes, multarum Eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, plurimoſque Epiſcopos, * qui hæreſim non receperunt, ſedibus ſuis pulſos, & in exilia deportatos, atque in locum ſuperſtitum alios ſubſtitutos; vulneribus his primitus adhibeatur medicina juſtitiæ, nec quiſquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis, cum ſi (ut cupimus) errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire honor debeat: ſed illis, qui pro fide laboraverunt, cum omni privilegio oporteat jus proprium reformari. Prioris autem Epheſinæ Synodi, cui ſanctæ memoriæ Cyrillus Epiſcopus tunc præſedit, contra Neſtorium ſpecialiter ſtatuta permaneant: ne tunc damnata impie-

quis.

tas, ideo ſibi in aliquo blandiatur, quia Eutyches juſta execratione percellitur. Puritas enim fidei atque doctrinæ, quam eodem, quo ſancti Patres noſtri, ſpiritu prædicamus, & Neſtorianam, & Eutychianam, cum ſuis authoribus condemnat pariter & perſequitur pravitatem. Data quinto Kalendas Julii, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XLVIII.

Ad Anatolium Epiſcopum.

Leo Epiſcopus, Anatolio confratri.

AD declinandam erroris maculam, qua nonnullos aut Neſtoriana impietas, aut Eutychiana labefactavit inſania, laudabilem curam filii noſtri Baſilius & Joannes Presbyteri ſuæ æſtimationis habuerunt: ut inter pugnantia dogmata falſitatis, vera Catholicæ fidei pace gauderent. Siquidem longinquo peregrinationis labore ſuſcepto, ſenſum cordis ſui in Apoſtolica Sede patefacerent: damnantes utramque hæreſim, quarum ſupra fecimus mentionem, & de Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti non aliud recipientes, quam quod, inſtruente ſancto Spiritu, & didicimus, & docemus. Per hos ergo, frater chariſſime, cum teſtimonio noſtro ad propria revertentes, dilectioni tuæ noſtra ſcripta direximus: fidenter orantes, ut qui gratia Apoſtolicæ communionis ornantur, etiam tuo favore per omnia ſe gaudeant adjuvari. Data decimo-tertio Kalendas Julii, Adelpho viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XLIX.

Ad Martianum Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Martiano ſemper Auguſto.

CRedebamus clementiam veſtram in deſiderio noſtro poſſe præſtare, ut præſenti neceſſitate reſpecta, differri ad opportunius tempus ſacerdotalem Synodum juberetis; ut vocatis de cunctis provinciis ſacerdotibus, vere poſſet eſſe univerſale Concilium. Sed quia vos amore Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluiſtis, ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem & Coepiſcopum meum Paſchaſinum de ea Provincia, quæ videtur eſſe ſecurior, evocatum, qui vicem præſentiæ meæ poſſit implere, direxi, Bonifacio fratri noſtro & Compresbytero ſociato, & his, quos antea miſeramus, adjunctis, conſortem illis fratrem quoque meum Julianum addentes Epiſcopum. Quos ea moderatione univerſa, Domino auxiliante, credimus eſſe geſturos, ut quæcumque in querelam perturbationemque venerunt, ad unitatem pacis & fidei, compreſſa omni diſſenſione, revocentur: nec ullum in aliquorum cordibus ſacerdotum, vel Neſtorianæ vel Eutychianæ impietatis veſtigium relinquatur, quoniam Catholica fides, quam inſtruente nos Spiritu Dei per ſanctos Patres a Beatis Apoſtolis didicimus & docemus, neutrum ſubrepere permittet errorem. Si quid ergo morborum, ſi quid eſt vulnerum, quod ſincera poſſit correctione curari, ut ad veram ſanitatem revocetur, optamus. Quæ nunc utique non erunt dubia, nec cujuſquam ſimplicitati deinceps nocitura; ſi nullus ſe excuſationibus voluerit obumbrare, cum abſolutionem peccati non obtineat niſi vera confeſſio. Quia vero quidam de fratri-

bus

bus (quod ſine dolore non didicimus) contra turbines falſitatis non valuere Catholicam tenere conſtantiam, prædictum fratrem & Coepiſcopum meum vice mea Synodo convenit præſidere. Certus ſum enim quod abſque odio & gratia ibidem ab hia, quibus hoc commiſimus, laboretur, ut cum ſolius hæreticæ impietatis excidio, in omnibus Eccleſiis Dei veritas regnet & charitas. Data ſexto Kalendas Julii, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA L.

Ad eundem Martianum Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

SAnctum clementiæ veſtrum ſtudium, quo ad reparationem pacis Eccleſiaſticæ Synodum habere voluiſtis, adeo libenter accepi, ut quamvis eam fieri intra Italiam popoſciſſem, & aptius expectari tempus optaſſem, quo ſcilicet plurimi poſſent Epiſcopi etiam de longinquis provinciis evocari, mox tamen, ut mihi pietatis veſtræ ſcripta ſunt tradita, & Bonifacium de Compresbyteris meis ab urbe direxerim, & de Epiſcopis fratrem meum Paſchaſinum de Sicilia fecerim navigare, qui vicem meam ſufficienter implerent, datis per eoſdem epiſtolis ad eos qui Legationem ante ſuſceperant, ut ipſi quoque prædictis ad implendas partes meæ præſentiæ jungerentur. Unde quamvis nimis arctus dies Synodo fuerit conſtitutus, ſpero tamen adſuturum omnipotentis auxilium, quo omnes valeant ad præfinitum tempus occurrere: & unanimiter cum ſanctæ fraternitatis aſſenſu, quæ univerſali Eccleſiæ congruant, definire. Compreſſa enim, vel remota inquietudine ac

Semel definita non ſunt in dubium vocanda. Epheſ. 6.

pravitate paucorum, facile firmabitur probanda concordia: ſi in eam fidem quam Evangelicis & Apoſtolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres noſtros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant, nulla penitus diſputatione cujuſquam retractationis admiſſa, ne per vanam, fallacemque verſutiam aut infirma videantur, aut dubia, quæ io ipſo angulari lapide Chriſto fundata ſunt & ſine fine manſura, hoc nobis indeſinenter orantibus, ut a ſacramento ſingularis fidei nemo inveniatur alienus; ſed damnata impietate hæreſeos, nullum de perditione cujuſquam Catholica Eccleſia ſentiat detrimentum. Quod autem pietatem veſtram de his, per quos meas miſi epiſtolas, obſecravi, nunc quoque ſimili fiducia precor: ut vice mea acturos, commendatos per omnia habere dignemini, quo facilius ac diligentius, quæ optimo fidei veſtræ ordinata ſunt ſtudio, ſalubri impleantur effectu. Data decimo-quarto Kalendas Auguſti, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LI.

Ad Pulcheriam Auguſtam per Theoſticum Magiſtrianum.

Leo Epiſcopus, Pulcheriæ Auguſtæ ſalutem.

Cap. I. REligioſam Clementiæ veſtræ ſollicitudinem quam Catholicæ fidei indeſinenter impenditis per omnia recognoſco, & Deo gratias ago, quod tantam univerſalis Eccleſiæ curam habere vos video: ut quod juſtitiæ & benevolentiæ congruere arbitror, confidenter inſinuem, quo celerius, quæ propitio Chriſto pietatis veſtræ ſtudio irreprehenſibiliter hactenus geſta ſunt, ad gratulandum perducantur effectum. Quod ergo Synodum Chalcedonenſem haberi Clementia veſtra præcepit, cum a me ut in Italia haberetur manſuetudo veſtra retineat poſtulatum, ut omnes noſtrarum partium convocati Antiſtites, ſi ſecuritas temporis ſuppeteret, convenirent, adeo tamen non aſpernanter accepi, ut binos de Coepiſcopis meis & Compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere ſufficerent, etiam datis ad venerabilem Synodum congruentibus ſcriptis, quibus fraternitas advocata cognoſceret, quam formam ſervare in hac diiudicatione deberet, ne ulla temeritas aut fidei regulis, aut canonum ſtatutis, aut benignitatis remediis obviaret. Cap. II. Sicut enim a principio hujus cauſæ frequentiſſime ſcripſi, hanc inter diſcordes ſenſus & carnales æmulationes moderationem volui cuſtodiri, ut integritati quidem fidei nihil evelli, nihil liceret apponi: ad unitatem vero, pacemque redeuntibus, remedium veniæ præſtaretur. Quia tunc operum diaboli potentia deſtruuntur, cum ad Dei proximique dilectionem hominum corda revocantur. Sed quam contraria tunc his monitis atque obſecrationibus meis acta ſint, multum eſt explicare, nec opus eſt epiſtolari pagina comprehendi, quicquid in illo Epheſino non judicio, ſed latrocinio potuit perpetrari. Ibi primates Synodi, nec reſiſtentibus ſibi fratribus, nec conſenſientibus pepercerunt: cum ad infringendam Catholicam fidem, & ad execrabilem hæreſim roborandam, alios privilegio honoris exuerint, alios conſortio impietatis infecerint: ſæviores profecto in eos, quos perſuadendo ab innocentia ſeparabant, quam in illos quos beatos Confeſſores perſequendo faciebant. Cap. III. Verumtamen quia tales ſibi maxime ſua iniquitate nocuerunt, & majoribus vulneribus diligentior eſt adhibenda medicina, nullis unquam epiſtolis definivi etiam talibus, ſi reſipiſcerent, veniam denegandam. Et quamvis incomparabiliter inimiciſſimam Chriſtianæ religioni hæreſim deteſtemur, ipſos tamen, ſi corrigantur, & digna ſe ſatisfactione purificent, ab ineffabili miſericordia Dei non judicamus alienos: ſed potius cum gemenobus gemimus, cum flentibus flemus, & ſic minuimur juſtitia commotionis, ut non amittamus remedia charitatis. Rom. 12. Quod ſicut pietas veſtra cognoſcit, non verbis ſolis promittitur, ſed etiam factis docetur. Siquidem pene omnes, qui in conſenſum præſidentium aut traducti fuerant, aut coacti reſcindendo quod ſtatutum fuerat ab illis, & condemnando quod ſcripſerant, perpetuam culpæ abolitionem, & Apoſtolicæ pacis gratiam ſint adepti.

Cap. IV. Si ergo clementia veſtra propoſitum noſtrum conſiderare dignetur, probabit me conſilio cuncta geſſiſſe, ut ſine cujuſquam animæ detrimento, hæreſeos tantum obtineretur extinctio, & ob hoc circa authores ſæviſſimorum turbinum, quiddam conſuetudinis minuiſſe, ut ad indulgentiam poſtulandam compunctione aliqua poſſit eorum tarditas excitari. Qui etſi poſt illud judicium ſuum tam impium, quam injuſtum, non ſunt Catholicæ fraternitati ita honorabiles, ut fuerant, ſuas tamen adhuc obtinent ſedes, & Epiſcopatus ſui honore potiuntur: aut per veram & neceſſariam ſatisfactionem pacem Eccleſiæ recepturi, aut ſi hæreſim (quod abſit) tuebuntur, profeſſionis ſuæ merito judicandi. Data decimo tertio Kalendas Auguſti, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPI-

Epiſtola Ravennii, aliorumque Epiſcoporum Gallorum, ad Leonem Papam, fidei ejus, quam ad Orientem direxerat, laudes dicentium.

Domino vere ſancto, merito in Christo beatiſſimo, & Apoſtolico honore digno, venerando Papæ Leoni, Ravennius, Ruſticus, Venerius Conſtantianus, Maximus, Armentarius, Florus, Sabinus, Valerianus, Conſtantius, Nectarius, Maximus, Aſclepius; item Maximus, Urſus, Ingenulus, Juſtus, Valerianus, Superventus, Chriſaphius, Fontejus, Petronius, Hydacius, Etherius, Eulalius, Eutychius, Fraternus, Venturus, Eugenius, Hilarius, Verus, Amandus, Geruntius, Proculejanus, Julianus, Helladius, Armentarius, Hinoratus, Hepartius, Amenius, Dinamius, Maximinus, Hyrnantius & Palladius.

Cap. I. Epiſt. Epiſcoporum Galliæ egregia. PErlata ad nos epiſtola Beatitudinis veſtræ, quam ad Orientem pro Catholicæ fidei aſſertione miſiſtis, optaſſemus & ſtatim Apoſtolatui veſtro pro tam immenſo munere gratiarum actionem referre niſi nobis difficultatem, qua in unum celeriter non potuimus convenire, vel ſpatia, quibus a nobis * diſpalati ſumus, longa terrarum, vel aurarum, quæ in regionibus noſtris præter conſuetudinem fuit, intemperies attuliſſet. Det ergo Apoſtolatus veſter noſtræ veniam tarditati, quæ non de otio aut diſſimulasione, ſed de certa neceſsitate deſcendit: quæque a nobis, etſi celeritatis gratiam abſtulit, exultandi tamen materiam auferre non

diſparati.

Cap. II. potuit. Exultavimus itaque Chriſto propitio lectis Beatitudinis veſtræ litteris, & omni inſtructione patefacta, omnes intra Gallias conſtitutos, exultare mox fecimus: dolentes pariter pro his vobiſcum, qui Catholicæ fidei lumine derelicto, in errorum tenebras inciderunt. Quæ Apoſtolatus veſtri ſcripta, ita ut Symbolum fidei, quiſquis redemptionis ſacramenta non negligit, tabulis cordis adſcripſit, & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior ſit, memoriæ commendavit. Multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes, recognoverunt fidei ſuæ ſenſum: & ita ſe ſemper ex traditione paterna tenuiſſe, ut veſter Apoſtolatus expoſuit, jure lætantur. Nonnulli ſollicitiores facti, Beatitudinis veſtræ admonitione percepta, * nobis omnibus ſe gratulantur inſtructos, datamque ſibi occaſionem gaudent, qua liberè ac fiducialiter, ſuffragante etiam Apoſtolicæ Sedis authoritate, eloquantur, & aſſerat unuſquiſque quod credit.

modis.

Cap. III. Quis autem Apoſtolatui veſtro pro hoc tanto munere, quod non ſolum Gallias, ſed totum mundum, velut quibuſdam pretioſiſsimis gemmis ornavit, dignitas æſtimet gratias poſſe perſolvi doctrinæ poſt Deum veſtræ? Debet quiſque fidelis, ut conſtanter teneat quod credebat, debet etiam infidelis, ut a perfidia ſua, agnita veritate, diſcedat: & Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus, erroris ſui tenebras derelinquat, magiſque ſequatur & credat, quod per os veſtrum Dominus noſter Jeſus Chriſtus de ſacramento Incarnationis ſuæ docet, quam id teneat, quod diabolus humanæ ſalutis, & veritatis inimicus inſtillat.

Cap. IV. Optaſſemus etiam ad filium veſtrum, glorioſiſſimum ac fideliſsimum Principem ſuper eandem

cauſam litteras dare, quibus congratulantes fidei ipſius, humilitatis quoque noſtræ ſollicitudinem, qua vos in Chriſto ſequitur, proderemus: niſi ad nos de Orientalibus partibus nuntio perlato, fieri hoc minime neceſſarium putaſſemus. Meritis autem Apoſtolatus veſtri pius Dominus præſtitit, ut hæreſim, jamdiu occulte nutritam, noſtris temporibus proderet. Ad laudem enim ſollicitudinis veſtræ pertinet, quod malorum error latere non potuit: ad glorioſæ fidei ædificationem redundat, quod prava perſuaſio participes aut non invenit, aut inventos amiſit. Reſpiciat itaque, conſervando Apoſtolatum veſtrum, miſericors Dominus, & Eccleſiam ſuam toto orbe diffuſam. Vobis enim ita invigilantibus & hi qui curam animæ ſuæ gerunt, ſolliciriores in fide redduntur: & hi qui paulo deſides ſunt, tanto ad ſollicitudinem accendentur exemplo. Quod nos Cap. V. ante oculos ſemper habentes, non deſinemus Domino ac Deo noſtro gratias agere, & pariter ſupplicare: gratulantes, quod tantæ ſanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apoſtolicæ Sedis, unde religionis noſtræ, propitio Chriſto, fons & origo manavit, Antiſtitem dederit: petentes etiam, ut datum, conceſſumque munus Pontificii veſtri, longiſsima ad ædificationem Eccleſiarum ſuarum ætate cuſtodiat. Nos autem etſi impares meritis, pari tamen fide, ſi quid (quod abſit) contra Eccleſiam Catholicam prophana infeſtatione tentetur, parati ſumus, confortante Domino, cum Beatitudine veſtra pro veritate fidei animas noſtras ponere, & vitam hanc autori ſalutis noſtræ, & largitori æternitatis impendere. *Et alia manu*: Ora pro me, Domine beatiſsime, merito & Apoſtolico honore venerande Papa.

Ruſticus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum in Domino veneror & ſaluto, & ut digneris pro me orare, ſupplex rogo.

Venerius, te Dominum in Chriſto meum reverendiſsime ſaluto, & ut digneris pro me orare, ſupplex rogo.

Conſtantianus Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto. *Similiter & omnes Epiſcopi ſupraſcripti ſalutaverunt.*

Maximus Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.

Armentarius Epiſcopus Beatitudinem veſtram ſaluto.

Florus Epiſcopus beatitudinem veſtram in Domino venerans ſaluto, & ut ores pro me, plurimum quæſo.

Sabinus Epiſcopus beatitudini veſtræ me repræſento, & orationem Apoſtolatus veſtri memorem quæſo.

Valerianus Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.

Nectarius Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.

Conſtantius Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.

Maximus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum ſaluto.

Ego Aſclepius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans in Domino plurimum ſaluto.

Ego Maximus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum ſaluto.

Ego Urſus Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.

Ingenulus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.

Juſtus Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

Valerius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum ſaluto.

Ego Superventor Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

Verus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum reverenter ſaluto.

Helladius Epiſcopus Sanctitatem tuam in Domino ſaluto.

Ætherius Epiſcopus Sanctitatem tuam in Domino ſaluto.

Eulalius Epiſcopus Sanctitatem tuam in Domino ſaluto.

Avenius Epiſcopus Sanctitatem tuam in Domino ſaluto.

Griſaſius Epiſcopus Sanctitatem tuam in Domino ſaluto.

Petronius Epiſcopus Sanctitatem veſtram in Domino ſaluto, & ut pro me orare dignemini, quæſo.

Ego Fontejus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum reverenter ſaluto, & rogo ut mei meminiſſe dignemini.

Idatius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum in Domino ſaluto.

Hilarius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum pluſima in Chriſto veneratione ſaluto.

Victurus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.

Eugenius Epiſcopus beatitudinem tuam ſaluto.

Palladius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.

Ego Fraternus Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

Ego Amandus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.

Ego Gerontius Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

Ego Proculianus Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

Ego Divamius Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

Ego Julianus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.

Ego Armentarius Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

Ego Honoratus Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

Ephartius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.

Ego Euſtochius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.

Ego Maximus Epiſcopus Apoſtolarum veſtrum venerans ſaluto.

Ego Ynantius Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

EPISTOLA LII.

Ad omnes Epiſcopos Galliarum, de damnatione hæreticorum.

Leo Romanæ urbis Epiſcopus, Ravennio, Ruſtico, Venerio, Conſtantiano, Maximo, Armentario, Floro, Savino, Valeriano, Conſtantio, Aſclepio, Nectario, Maximo, Urſo, Ingenulo, Juſto, Valeriano, Superuento, Criſapto, Fontejo, Petronio, Hydacio, Etherio, Eulalio, Eutychio, Fraterno, Venturo, Eugenio, Hilario, Vero, Amando, Gerontio, Proculejano, Juliano, Helladio, Armentario, Honorato; Herpatio, Amenio, Dinamio, Maximino, Hyrnantio & Palladio, Epiſcopis per Gallias conſtitutis.

Cap. I. An. Chriſti 454. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 13. fuit ſcripta hæc epiſtol. & 3. ſequentes.

Optaſſemus quidem Fraternitatis veſtræ litteras eo tempore, quo promiſeratis, accipere, ut profecturis ad Orientem fratribus noſtris quos ad ſanctam Synodum vice noſtra pro Catholicæ fidei defenſione direximus, etiam veſtræ ſententiæ profeſſio jungeretur. Sed cum multa obſtacula inopinatam vobis intulerint tarditatem, quamvis ſeras, & diu expectatas epiſtolas per fratrem & Coepiſcopum noſtrum Ingenulum gratanter accepimus, eaſque cum gaudio recenſentes probavimus, ſicut confidebamus eruditione Spiritus ſancti cœleſtem in vobis vigere doctrinam, quam in Orientalibus Eccleſiis verſutia hoſtis antiqui, per eos, quos ſequaces ſuos reperit, falſitaſque fatigare conata eſt, cum Catholica fides, quæ nulla ſui eſt parte mutabilis, per ipſas adverſantium exercitationes, & validior efficiatur ſemper, & clarior, operante hoc gratia Dei, ut ſi qui forte ad hæc ſubtilia inimici jacula declinanda minus erant inſtructi, minuſque ſolliciti; perceptis veritatis armis, fierent contra impiorum mendacia fortiores. Quod ergo ſicut cauſa poſcebat fiduciam noſtram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atque obedienter auxiſtis, multa exultatione gaudemus. Et merito nos cognoſcimin fratribus, & Coepiſcopis noſtris orientalibus intimaſſe, quod ſecundum Evangelicam Apoſtolicamque traditionem de Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, una eſſet omnium noſtrum, & indiſcreta confeſſio, neque ullis eorum diſputationibus detineri, ut aliter aliquid de ſummi, & ſalutiferi ſacramenti veritate ſapiamus, quam ex prædicatione ſanctorum Patrum, & ex authoritate incommutabilis Symboli didicimus ac docemus, damnatis ab univerſali Eccleſia & nunc Eutyche, & antea Neſtorio. Quorum ſi quis non ferendis impietatibus inhærere delegerit, ipſe ſe a corpore Chriſtianæ unitatis abſcidit. Non enim ultra jam cuiquam excuſationis refugium de ignorantia, & inſcitia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur: cum hoc ipſum ſexcentorum fere fratrum, Coepiſcoporumque noſtrorum Synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium differendi contra fundamentum fidei inſpiratæ permiſerit, quoniam admitentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus, Vicariis noſtris, quorum pleniſſima extitit in omni actione devotio, non ſolum Sacerdotibus Chriſti, ſed etiam Principibus, & poteſtatibus Chriſtianis, cunctiſque Clericis, plebibus, ordinibus, plene atque evidenter apparuit, hanc eſſe vere Apoſtolicam fidem, ex divinæ pietatis fonte manantem, quam ſinceram, & ab omni fæce totius erroris alienam (ſicut accepimus) prædicamus, & univerſo jam mundo conſentiente, defendimus: extinctis toto orbe dogmatibus, quæ vel præcedens hæreticus auſus eſt inferre vel ſubſequens, diſſimili quidem commento, ſed impietate compari.

Cap. II.

Nam ſicut Neſtorius non eſt toleratus, affirmans beatam Mariam hominis tantummodo fuiſſe genitricem, qui poſtmodum ſit a Verbo deitatis ſuſceptus, duabus ſcilicet naturis & perſonis diſtinctis: ut neque ipſe eſſet filius hominis, qui filius Dei, neque unus Chriſtus in utraque natura, ſed alter ſempiternus ex Patre, alter temporalis ex matre: cum Evangelica authoritas ita Verbum prædicet carnem factum,

Cap. III.

ut

Digitized by Google

ut non duos Chriſtos, nec duos filios, ſed in uno Domino Jeſu Chriſto, & Dei, & hominis nobis inſinuet veritatem, ut utriuſque ſubſtantiæ, id eſt ſalvantis atque ſalvatæ, nec proprietas poſſit confundi, nec perſona geminari. Sicut ergo Neſtorius in ſuo dogmate execrabilis; ſic Eutyches, damnatum olim ſectatus errorem, alia prophanitate blaſphemans, a Catholicæ ſoliditatis compage reſecatus eſt, quia indoctis quibuſdam, nimiumque ſimplicibus perſuadere tentavit, quod Verbum Dei ita fuit caro factum, ut veram carnem de ventre Virginis non ſumpſerit, nec noſtri illum generis corpus habuiſſe: ſed divinitatis ejus & carnis una eſſet natura, ut unum Dominum noſtrum Jeſum & falſum hominem, & Deum diceret eſſe paſſibilem. Quod nec pietas fidei, nec ratio recipit ſacramenti: ut aut in ſua natura paſſibilis fuerit Deitas, aut in ſuſceptione humana mentita ſit veritas.

Cap. iv. Quæ diabolicorum ſenſuum prodigioſa commenta, ſancta nunc Synodus (humilitatis noſtræ ſcriptis authoritate Domini mei beatiſſimi Petri Apoſtoli & merito roboratis) religioſa unanimitate conſentiens abominando, ab Eccleſia Dei amputavit: Dioſcorum quoque Alexandrinum in ſua impietate manentem, ne illa Eccleſia, quæ inter ipſa Evangelii principia beatum Marcum beatiſſimi Petri Apoſtoli diſcipulum in omnibus ubique doctrinis doctoris ſui magiſterio conſonantem habuit fundatorem, quæque poſtea recentioribus a noſtra ætate temporibus Athanaſium, Theophilum, & proxime Cyrillum probatiſſimos Præſules habuit, indignam captivitatem ſub hæretica dominatione pateretur. Unde ſecundum magnam miſericordiam Dei univerſos diaboli conatus, quibus Eccleſiam Domini conturbare molitus eſt, noveritis eſſe de-

Cap. v. ſtructos. Reddite igitur Deo gratias, fratres chariſſimi, & dignam gratiarum actionem, & oret nobiſcum veſtra dilectio, ut fratres noſtros, quos expectatio noſtra deſiderat, incolumes quamprimum rediiſſe lætemur, & de omnibus, quæ Domino adjuvante ſunt geſta, plenius vos poſſimus inſtruere. Nam fratrem Ingenulum nolumus hac expectatione tardari, eum ob hoc ipſum properantius remeare debuerit, ne diutius vobis eſſet incognita omnium materia gaudiorum, quæ volumus per curam dilectionis veſtræ etiam ad fratres noſtros Hiſpaniæ Epiſcopos pervenire, ut quod Deus operatus eſt, nulli poſſit eſſe incognitum. Data Kalendis Februarii, Herculano viro clariſſimo Conſule.

Euſebii Mediolanenſis Epiſcopi Epiſtola ad Leonem Papam, per quam fidei ejus, quam ad Orientem direxerat, aſſertione cum aliis Epiſcopis conſentientibus ſubſcripſit.

Domino ſancto & beatiſſimo Patri Leoni, Euſebius Mediolanenſis Epiſcopus.

Cap. i. RErvertis, Domino annuente, fratri bus noſtris, quos ad Orientem fidei cauſa ſollicite provida Beatitudo veſtra direxerat, decurſiſque litteris, quas per eos tua Sanctitas deſtinavit, omni exultatione in Chriſto relevatus ſum, quod effectum commiſſæ ſibi legationis eoſdem reportaſſe veſtra pagina deſignavit. Nec mirum, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus Catholicæ fidei, quam tenemus, majeſtatis ſuæ gratiam, cuſtodiamque præſtiterit: quando vos veros cultus ſui aſſertores in Apoſtolica Sede Præſulem collocavit, qui & recta ſentire de Incarnationis Dominicæ ſacramento, & eadem poteſtis rectius cuſtodire. Ad-

Cap. ii. monitis ergo fratribus & Coepiſcopis meis, habitoque conventu, veſtrarum formam tenuimus litterarum. Nam recenſens epiſtolam Beatitudinis veſtræ in ſacerdotum Domini Concilio, quam ſanctus frater, & Coepiſcopus noſter Abundantius, & Compresbyter meus Senatus detulerant, agnitaque eorum narratione, ſicut ſcripta veſtra ſignaverant, rerum geſtarum ordine continuo requiſita recitataque epiſtola, quam fidei aſſertione plene digeſtam ad Orientem dudum Sanctitas veſtra tranſmiſerat, quæ ad nos, ex veſtra admonitione, ſancto fratre, & Coepiſcopo noſtro Cyriaco mutuante, pervenit, claruit eam plenam fidei ſimplicitate fulgere; Prophetarum etiam aſſertionibus, Evangelicis authoritatibus, & Apoſtolicæ doctrinæ teſtimoniis, nitore quodam lucis ad veritatis ſplendorem radiare, omnibuſque ſenſibus convenire, quos B. Ambroſius, de Incarnationis Dominicæ myſterio, ſuis libris Spiritu Sancto excitatus inſeruit.

Cap. iii. Et quia omnia majorum fidei, nobis antiquitus traditæ, tota puritate conveniunt, Domine ſancte & beatiſſime Pater, placuit omnibus, quorum ſubſcriptio ſubter annexa nomina poterit declarare, ut eos qui impie de Incarnationis Dominicæ ſacramento ſentiunt, quamvis intellectus ſui pravitate, a Catholicæ fidei veritate recedentes, ſeipſos dignos abjectione fecerint, ſuo etiam conſenſu, authoritatis veſtræ præcedente ſententia, damnatione congrua perſequendos. Litterarum ergo veſtrarum formam ſecuti, modum præſcriptæ ordinationis nos ſervaſſe, his per fratrem & Coepiſcopum meum Cyriacum miſſis oſtendimus, ſupereſſe ut annuente Domino perpetue retinentes, hoc futuris memorabile ſæculis relinquatis, ut ab hoc temporo præſenti, extincta impiæ ſectæ contumacia videatur, ut novis purgationibus in æternum proſtrata ſuccumberet. *Et alia manu:* Incolumem Beatitudinem tuam ſumma divinitas adornet atque cuſtodiat: Domine ſancte ac beatiſſime Pater.

Cap. iv. Euſebius Epiſcopus Mediolanenſis Eccleſiæ in omnia ſupradicta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Faventius Epiſcopus Regienſis Eccleſiæ in omnia ſupradicta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens bis qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Majoranus Epiſcopus Eccleſiæ Placentinæ in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Cyprianus Epiſcopus Eccleſiæ Brixillenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Quinius Epiſcopus Eccleſiæ * Dortonenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt. *Therdonenſis,*

Ego Criſpinus Epiſcopus Eccleſiæ Ticinenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Maximus Epiſcopus Eccleſiæ Taurinatis, in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Florejus Presbyter, juſſu a præſente ſancto Eulogio Epiſcopo meo Eccleſiæ Iportenſis, quia

ipſe propter infirmitatem ſubſcribere non potuit, in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Gradus Presbyter, directus ab Epiſcopo Euthaſio Eccleſiæ Auguſtanæ, vice ipſius in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Cyriacus Epiſcopus Eccleſiæ Leodenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Abundantius Epiſcopus Eccleſiæ Comenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi ac ſubſcripſi: anathema dicens eis, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego idem Abundantius, pro abſente ſancto fratre meo Aſimone, Epiſcopo Eccleſiæ Curienſis, vice ipſius in omnia ſupraſcripta conſanſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Paſchaſinus Epiſcopus Eccleſiæ Genuenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Paſtor Epiſcopus Eccleſiæ Aſtenſis, in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Simplicius Epiſcopus Eccleſiæ Novarienſis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Joannes Epiſcopus Eccleſiæ Cremonenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Octavianus Epiſcopus Ecclaſiæ Brixianæ in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Juſtinianus Epiſcopus Eccleſiæ Vercellenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Quintius Epiſcopus Eccleſiæ Albingavenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Præſtantius Epiſcopus Eccleſiæ Bergomatis in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impie ſenſerunt.

EPISTOLA LIII.

Ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ubi in primis de fide in Chalcedonenſi Concilio laudat: deinde arguit, quod contra Nicænam Synodum Alexandrinam atque Antiochenam Eccleſias ſibi ſubdere voluiſſet.

Leo Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo.

Cap. 1.

Maniſeſtato, ſicut optavimus, per gratiam Dei lumine Evangelicæ veritatis, & ab univerſali Eccleſia pernicioſiſſimi erroris nocte depulſa, ineffabiliter gaudeamus in Domino, quod creditæ nobis diſpenſationis labor ad deſideratum pervenit effectum, ſicut etiam epiſtolæ tuæ textus eloquitur, ut ſecundum Apoſtolicam doctrinam, idipſum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata: ſimus autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. In cujus operis devotione gratulamur dilectionem tuam eſſe conſortem: ut & corrigendis tua prodeſſet induſtria, & ab omni a te deviantium participatione, & factione purgatior eſſet. Deceſſore enim tuo beatæ memoriæ Flaviano, propter defenſionem Catholicæ veritatis ejecto, non immerito credebatur quod Ordinatores tui, contra ſanctorum canonum conſtituta, viderentur ſui ſimilem conſecraſſe. Sed adfuit miſericordia Dei, in hoc te dirigens atque confirmans; ut malis principiis bene uetereris, & non te judicio hominum, ſed Dei provectum benignitate monſtrares. Quod vere ita accipiendum eſt, ſi hanc divini muneris gratiam alia offenſione non perdas. Virum enim Catholicum, & præcipue Domini Sacerdotem, ſicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari. Dicente quippe Scriptura ſancta: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua * avertere*, multis mundi hujus illecebris, multis vanitatibus reſiſtendum eſt, ut veræ continentiæ obtineatur integritas, cujus prima eſt labes ſuperbia, initium tranſgreſſionis, & origo peccati. Quoniam mens potentiæ avida, nec abſtinere novit a vetitis, nec gaudere conceſſis, dum inordinato pravoque proceſſu impunitatum, tranſgreſſionum augentur excaſſus, & erebreſcunt culpæ, quæ toleratæ ſunt ſtudio fidei reparandæ & amore concordiæ.

1. Cor. 1.

Eccl. 18.
* *vetare.*

Cap. II.

Poſt illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vindicaſti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, ut ſacratiſſimas Nicænorum canonum conſtitutiones conateris infringere: tanquam opportune ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris privilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſeit, ut his locis juri tuo ſubditis, omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis, & nunquam ante tentatis, ita præveniris exceſſibus, ut ſanctam Synodum, ad extinguendam ſolum hæreſim, & confirmationem fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & ut conniventiam ſuam tibi det, impellas: tanquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, & illa Nicænorum canonum per Spiritum vere ſanctum ordinata conditio in aliqua unquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibi de multiplicationa congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus ſacerdotum vel comparare ſe audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata: ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus authoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum. Nimis ergo hæc improba, nimis ſunt prava, quæ ſacratiſſimis canonibus inveniuntur eſſe contraria. In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, ut fratres in fidei tantummodo negotio convocatos, & definitione ejus cauſæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad conſentiendum ſibi aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres noſtri, ab Apoſtolica Sede directi, qui vice mea Synodo præſidebant, probabiliter atque conſtanter illicitis auſibus obſtiterunt, aperte reclamantes, ne contra inſtituta Nicæni concilii

Niceni Concilii 6. & 7. cap.

Nicæni Concilii quanta authoritas.

Cap. III.

cilii

cilui præſumptio reprobæ novitatis aſſurgeret.
Nec poteſt de eorum contradictione dubitari,
de quibus in epiſtola tua etiam ipſe conquereris,
quod conatibus tuis voluerint obviare. In quo eos
quidem multum mihi, hæc ſcribendo, commen-
das: ſed temetipſum, quod eis parere nolueris,
dum illicita moliris, accuſas: ſuperflue non conce-
denda appetens, & inſalubriter tibi contraria concu-
Rom. 2. piſcens, quæ nullum unquam potuerunt noſtrum
obtinere conſenſum. Abſit enim a conſcientia mea,
ut tam prava cupiditas meis ſtudiis adjuvetur: ac
non potius & meo, & omnium qui non alta ſa-
piunt, ſed humilibus conſentiunt, opere ſubrua-
Cap. IV. tur. Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe
Nicæna, ſacrilego Arrio cum ſua impietate damna-
to, manſuras uſque in finem mundi leges Eccleſiaſti-
25. quæſt. 1. Quæ ad perpetuam. corum canonum condiderunt, & apud nos & in toto
orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus vivunt, &
ſi quid uſquam aliter quam illi ſtatuerunt, præſu-
mitur, ſine cunctatione caſſatur: ut quæ ad per-
petuam utilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla
commutatione varientur; nec ad privatum trahan-
tur commodum, quæ ad bonum ſunt commune
præfixa: & manentibus terminis, quos conſtitue-
runt patres, nemo in jus tendat alienum: ſed intra
fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit,
in latitudine ſe charitatis exerceat: cujus ſatis uberes
fructus Conſtantinopolitanus poteſt antiſtes acqui-
rere, ſi magis humilitatis virtute nitatur, quam ſi
ſpiritu ambitionis infletur. Noli, frater, altum ſa-
Cap. V. Rom. 11. pere, ſed time, & Chriſtianiſſimorum Principum
piiſſimas aures improbis petitionibus inquietare de-
ſiſte: quibus certum habeo modeſtia te magis quam
elatione placiturum. Perſuaſioni enim tuæ in nullo
penitus ſuffragatur quorumdam Epiſcoporum ante
ſexaginta (ut jactas) annos facta ſubſcriptio, nun-
quamque a prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Se-
dis transmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caducæ,
dudumque collapſæ, ſera nunc & inutilia ſubjice-
re fomenta voluiſti, eliciendo a fratribus ſpeciem
conſenſionis, quam tibi in ſuam injuriam verecun-
Matth. 18. Marc. 9. dia fatigata præberet. Memento quid Dominus ei,
qui unum de puſillis ſcandalizaverit, comminetur,
& ſapienter intellige, quale ſit Dei judicium ſub-
iturus, qui tot Eccleſiis, tot Sacerdotibus ſcanda-
lum inferre non metuit. Fateor enim, ita me di-
lectione univerſæ fraternitatis obſtringi, ut nemi-
ni prorſus in his, quæ contra ſe poſcit, aſſentiam,
poſſiſque evidenter agnoſcere me dilectioni tuæ
benevolo animo contraire, ut ſeniore conſilio ab
univerſalis te Eccleſiæ perturbatione contineas.
Non convellantur provincialium jura primatuum,
nec privilegiis antiquitus inſtitutis Metropolitani
fraudentur antiſtites. Nihil Alexandrinæ ſedis ejus,
quam per ſanctum Marcum Evangeliſtam beati Pe-
tri diſcipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dio-
ſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente, ſplen-
dor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis. An-
tiochena quoque Eccleſia, in qua primum prædi-
cante beato Apoſtolo Petro Chriſtianum nomen
exortum eſt, in paternæ conſtitutionis ordine per-
ſeveret: & in gradu tertio collocata, nunquam
ſe fiat inferior. Aliud enim ſunt ſedes, aliud præ-
ſidentes: & magnus unicuique honor eſt integritas
ſua. Quæ cum in quibuslibet locis propria orna-
menta non perdat, quanto magis in Conſtanti-
nopolitanæ urbis magnificentia poteſt eſſe glorio-
ſa, ſi per obſervantiam tuam & defenſionem, pa-
Cap. VI. terni canones, & exemplum probitatis multi ha-
beant ſacerdotes. Hæc tibi ſcribens, frater in Do-
mino, hortor ac moneo, ut depoſito ambitionis
deſiderio, ſpiritu potius ferveas charitatis, ejuſque
virtutibus, ſecundum doctrinam Apoſtolicam,
proficienter orneris. Eſt enim patiens & benigna,
& non æmulatur, non agit perperam, non infla- Rom. 12.
tur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt. 1. Cor. 15.
Unde ſi charitas non quærit propria, quantum
peccat qui concupiſcit aliena? A quibus volo
ut te prorſus abſtineas, memorque ſis ejus ſenten-
tiæ, quæ dicit: *Tene quod habes, ne alius accipiat* Apoc. 3.
coronam tuam. Nam ſi conceſſa quæſieris, ipſe te *tenes*.
tuo opere atque judicio univerſalis Eccleſiæ pa-
ce privabis. Frater autem & Coepiſcopus noſter
Lucianus, & filius noſter Baſilius Diaconus, quan-
tum in ipſis fuit, ſtudioſe his, quæ eis injunxe-
ras, adſuere: ſed actioni eorum juſtitia negavit
effectum. Data undecimo Kalendas Junii, Her-
culiano viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LIV.

Ad Martianum Auguſtum, ubi de ejus gratulatur fide, quæ in Calcedonenſi Concilio geſta eſt. Et de Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo, qui in eodem Concilio Alexandrinam & Antiochenam Eccleſias contra ſtatuta per ambitum ſibi voluit ſubjugare.

Leo Epiſcopus Romanæ & univerſalis Eccleſiæ, Martiano Auguſto.

MAgno munere miſericordiæ Dei, totius Ec- Cap. 1.
cleſiæ Catholicæ multiplicata ſunt gaudia,
cum ſancto & glorioſo clementiæ veſtræ ſtudio per-
nicioſiſſimus error extinctus eſt: ut labor noſter
citius ad deſideratum perveniret effectum, quem
Deo ſerviens principatus veſter & fide & poteſta-
te juviſſet. Quia etſi in virtute Spiritus ſancti, inter
quaslibet diſſenſiones per Sedis Apoſtolicæ famula-
tum Evangelii erat defendenda libertas, manife-
ſtior tamen apparuit gratia Dei, quæ preſtitit mun-
do, ut in victoria veritatis, authores tantum vio-
latæ fidei deperirent, & ſua integritas Eccleſiæ red-
deretur. Bellum igitur, quod pacis noſtræ inimi-
cus excitaverat, adeo feliciter, dextera Domini pu-
gnante, confectum eſt: ut triumphante Chriſto,
omnium ſacerdotum eſſet una victoria, & coruſcan-
te lumine veritatis, ſolæ erroris tenebræ cum ſuis
adſertoribus pellerentur. Nam ſicut in ipſa Domini
reſurrectione credenda, ad corroboranda initia fidei
multum ſecuritatis acceſſit, quod quidam Apoſtoli
de Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti veritate du-
bitavere, & viſu atque contactu fixuras clavorum,
& vulnus lanceæ perſcrutando, ambiguitatem cun-
ctis, dum ambigunt, abſtulerunt: ita nunc quo-
que, cum aliquorum infidelitas confutatur, om-
nium hæſitantium corda firmata ſunt, & profecit
univerſis ad illuminationem, quod quibuſdam in-
tulit cæcitatem. In quo opere & digne & juſte
exultat veſtra Clementia, quæ fideliter, proprie-
que proſpexit, ut Orientalibus Eccleſiis diaboli-
cæ inſidiæ non nocerent: ſed ad propitiandum
Deum efficaciora uſque offerrentur holocauſta,
quando per mediatorem Dei & hominum hominem
Chriſtum Jeſum confeſſio plebium, eadem ſacer-
dotum, eadem eſſet & regum, glorioſiſſime fili,
& clementiſſime Auguſte.

His autem, propter quæ tanta facta eſt congre- Cap. 11.
gatio ſacerdotum, bono & optabili fine compoſi-
tis

tis, miror & doleo, quod pacem univerſalis Eccleſiæ divinitus reformatam, ambitionis rurſus ſpiritus inquietet. Quamvis enim neceſſarie ſibi frater meus Anatolius conſuluiſſe videatur, ut Ordinatorum ſuorum errorem deſerens, in aſſenſum Catholicæ fidei ſalubri correctione tranſiret; cuſtodire tamen debuit, ut quod noſtro beneficio noſcitur conſecutus, nullius pravitans cupiditate turbaret. Nos enim veſtræ fidei, & interventionis habentes intuitum, cum ſecundum ſuæ conſecrationis authores, ejus initia titubarent, benigniores circa ipſum quam juſtiores eſſe voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus, quæ illum modeſtum magis, quam immoderatum facere debuerunt. Quia etiamſi præcipuis meritis, optimoqoe judicio legitime fuiſſet ac ſolemniter ordinatus; contra reverentiam tamen canonum paternorum, contra ſancti Spiritus inſtituta, contra antiquitatis exempla, nullis poſſet ſuffragiis adjuvari. Apud Chriſtianum, & vere religioſum, vereque orthodoxum Principem loquor: multum Anatolius Epiſcopus proprio detrahit merito, ſi illicito creſcere optat augmento.

Cap. III. Habeat, ſicut optamus, Conſtantinopolitana civitas gloriam ſuam, ac protegente dextera Dei, diuturno Clementiæ veſtræ fruatur imperio. Alia tamen ratio eſt rerum ſæcularium, alia divinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit ulla conſtructio; propria perdit, qui indebita concupiſcit. Satis ſit, quod prædicto veſtræ pietatis auxilio, & mei favoris aſſenſu, Epiſcopatum tantæ orbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere Sedem, nec ullo ſperet modo, quod per aliorum poſſit offenſionem augeri. Privilegia enim Eccleſiarum, ſanctorum Patrum canonibus ioſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, oulla poſſunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo, neceſſe eſt me perſeverantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in Synodo Nicæna, ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Dei inſtruente, ſunt conditæ, me (quod abſit) connivente, violentur, & major ſit apud me unius fratris voluntas, quam univerſæ domus Domini communis utilitas.

Matth. 16. 25. quæſt. 2. Privilegia Eccleſiarum, & ibidem. cap. Privilegia Eccleſiarum.

Cap. IV. Et ideo ſciens glorioſam Clementiam veſtram Eccleſiaſticæ ſtudere concordiæ, & his quæ pacificæ congruunt unitati, piiſſimum præſtare conſenſum; precor, & ſedula ſuggeſtione vos obſecro, ut auſus improbos, unitati Chriſtianæ, pacique contrarios, ab omni pietatis veſtræ abdicetis aſſenſu, & fratris mei Anatolii, nocituram ipſi (ſi perſtiterit) cupiditatem, ſalubriter comprimatis: ne ea quæ veſtræ gloriæ atque temporibus inimici ſunt, cupiens, major ſuis velit eſſe prioribus, liberumque illi ſit, quantis potuerit ſplendere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, niſi charitate magis voluerit ornari, quam ambitione diſtendi. Hanc autem improbi deſiderii conceptionem nunquam debuit intra cordis ſui recipere ſecretum: ſed cum illi fratres & Coepiſcopi mei, qui vice mea aderant, obviarent, ab illicito appetitu eorum ſaltem ſalubri contradictione ceſſaſſet. Nam & veſtræ pietatis apices, & ipſius ſcripta declarant, Legatos Sedis Apoſtolicæ (ſicut oportuit) contradictione juſtiſſima ei reſtitiſſe, ut inexcuſabilior eſſet præſumptio, quæ ſe nec increpata

Cap. V. cohiberet. Unde quia convenit fidei veſtræ vel gloriæ, ut ſicut hæreſis, Deo per vos agente, deſtructa eſt, etiam omnis ambitus retundatur; agite quod & Chriſtianæ eſt probitatis & regiæ, ut prædictus Epiſcopus pareat patribus, conſulat paci, neque ſibi æſtimet licuiſſe, quod Antiochenum ſine ullo exemplo, contra ſtatuta canonum, Epiſcopum ordinare præſumpſit, qund amore reparandæ fidei & pacis ſtudio retractare ceſſavimus. Abſtineat ergo ab Eccleſiaſticarum iojuria regularum, & illicitos declinet exceſſus, ne ſe ab oniverſali Eccleſia, dum inimica paci tentat, abſcindat. Quem opto magis irreprehenſibiliter agentem diligere, quam in hac præſumptione, quæ illum ab omnibus poterit ſeparare, perdurare. Frater autem & Coepiſcopus meus Luciaous, qoi cum filio meo Baſilio Diacono clementiæ veſtræ ad me ſcripta portavit, omni devotione partem ſuſceptæ legationis implevit, qui non eſt æſtimandus negotio defuiſſe, quem potius cauſa deſeruit. Data undecimo Calendas Junii, Herculano viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LV.

Ad Pulcheriam Auguſtam, de ambitu Anatolii.

Leo Epiſcopus, Pulcheriæ Auguſtæ.

Cap. I. SAnctis & Deo placitis Clementiæ veſtræ ſtudiis defenſam contra hæreticos Catholicam fidem, & univerſæ Eccleſiæ redditam pacem, ineffabiliter cum veſtra pietate gaudemus: gratias agentes miſericordiæ omnipotentis Dei, quod exceptis his, Joan. 3.
qui magis dilexerunt tenebras, quam lucem, neminem paſſus eſt Evangelica veritate fraudari: ut abſterſa erroris caligine, in omnium cordibus puriſſimum lumen oriretur, nec de infirmis, quorumdam animis tenebroſius ille exultaret inimicus, quem non ſolum hi, qui illæſi ſteterant, ſed etiam quos fecerat nutare, ſuperaverunt: ut errore abolito, per totum mundum fides vera regnaret, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jeſus Philip. 2.
Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Confirmato autem in unitate Evangelii univerſo mundo, & in eodem ſpiritu ſenſus directis cordibus omnium ſacerdotum, optimum fuerat, ſupra illa, propter quæ ſancta eſt Synodus congregata, & quæ ſecundum pietatis veſtræ ſtudium, probabili ſunt fine concluſa, nihil quod tanto bono contrarium eſſet, inferri, nec per occaſionem Epiſcopalis Concilii, id in commune appeti, quod non licuit concupiſci. Fra- Cap. II.
ter enim & Coepiſcopus meus Anatolius parum conſiderans, quanto pietatis veſtræ beneficio, & mei favoris aſſenſu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſacerdotium fuerit conſequutus, non tam de adeptis gaviſus, quam de immodicis appetendis ſupra menſuram ſui honoris accenſus eſt, credens huic tam intemperanti cupiditati poſſe prodeſſe, quod ei quorumdam conſenſum præbuiſſe dicitur extorta ſubſcriptio, cum tam deſtruendis mox conatibus, contradictio fratrum, & Coepiſcoporum meorum vicem meam agentium, fideliter & laudabiliter obviaret. Quoniam contra ſtatuta paternorum canonum, quæ ante longiſſimæ ætatis annos in urbe Nicæna ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur: ita ut ſi quis diverſum aliquid decernere velit, ſe potius minuat, quam illa corrumpat, quæ ſi (ut oportet) a cunctis Pontificibus intemerata ſerventur, per univerſas Eccleſias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de

men-

Digitized by Google

menſuris harum diſſenſiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegiis ambiguitates; nulla erunt de aliena uſurpatione certamina: ſed ea, quæ jure charitatis rationabilis eſt, & morum & officiorum ſervabitur unanimitas. Et ille vere erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente

Matth. 20. Marc. 10. Domino: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: Et quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.* Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Et tamen hæc illis tunc inſinuabantur, qui de puſillo volebant creſcere, & de infimis ad ſumma tranſire: Conſtantinopolitanæ vero Præſuli Eccleſiæ (quia amplius quam aſſecutus eſt, concupiſcit) quid illi ſatisfaciet, ſi tantæ urbis magnificentia & claritudo non ſufficit? Superbum nimis eſt & immoderatum, ultra fines proprios tendere, & antiquitate calcata, alienum jus velle præripere, atque ut unius creſcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietiſque provinciis, & olim ſanctæ Synodi Nicænæ moderatione diſpoſitis, bellum novæ perturbationis inferre; atque ut venerabilium Patrum decreta ſolvantur, quorundam Epiſcoporum proferre conſenſum, cui tot annorum ſeries negavit effectum. Nam ſexageſimus fere annus hujus jactantiæ eſſe jactatur, qua ſe prædictus Epiſcopus æſtimat adjuvari, fruſtra cupiens id ſibi prodeſſe, quod etiamſi quiſquam auſus eſt velle, nullus tamen potuit obtinere.

Cap. III. Agnoſcat cui ſucceſſit viro, & repulſo omni ſpiritu elationis, Flaviani modeſtiam, Flaviani humilitatem, quæ illum uſque ad Confeſſoris gloriam provexit, imitetur. Cujus ſi velit ſplendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimum dilectionis acquiret, non ambiendo humana, ſed promerendo divina. Hæc autem obſervantia cum quoque illi animum ſpondet copulandum, & Apoſtolicæ Sedis dilectionem, quam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſemper impendimus, nulla mobilitate violandum.

Epiſt. 55. Quia ſi interdum immoderati Præſules in aliquas incidunt culpas, Eccleſiarum tamen Chriſti integra gratia perſeverat. Conſenſiones vero Epiſcoporum, ſanctorum canonum apud Nicænam conditorum regulis repugnantes, unita nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per au-

Attende authoritatem ſummi Pontificis Romani. thoritatem beati Petri Apoſtoli, generali prorſus definitione caſſamus, in omnibus Eccleſiaſticis his legibus obſequentes, quas ad pacificationem omnium ſacerdotum, per trecentos decem & octo antiſtites Spiritus ſanctus inſtituit: ita ut etiam ſi multo plures alii, quam illi ſtatuere, decernerent, in nulla reverentia ſit habendum, quicquid fuerit a

Cap. IV. prædictorum conſtitutione diverſum. Prolixitatem itaque epiſtolæ meæ, qua neceſſe habui explicare quid ſentiam, rogo ut per fratrem & Coepiſcopum meum Lucianum, qui (quantum in ipſo eſt) ſollicitudinem ſuſceptæ legationis eſt fideliter exequutos, & per filium meum Baſilium Diaconem pietas veſtra dignanter accipiat. Et quia moris veſtri eſt pro pace & unitate Eccleſiæ laborare, fratrem meum Anatolium Epiſcopum ex veſtra inſinuatione dilectum, ſalubriter in his quæ ipſi profutura ſunt continete: ut gloria Clementiæ veſtræ, ſicut magnificatur de fide reparata, ita prædicetur de ambitione compreſſa. Data undecimo Kalendas Junii, Herculano viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LVI.

Ad Julianum Epiſcopum Coenſem, de Etio & Andrea.

Leo Epiſcopus Romæ, Juliano Epiſcopo Coenſi.

Cap. I. An. Chriſti 455. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 14. ſcripta fuit hæc epiſtola, & ſimiliter 11. ſequentes.

AGnovi in dilectionis tuæ litteris fraternæ charitatis affectum: quod de multis malis, quæ multa & ſæva pertulimus, pio nobiſcum dolore compateris. Sed utinam hæc, quæ perpeti nos Dominus aut permiſit aut voluit, ad correctionem proficiant multorum, & ut deſinant adverſitates, finiantur offenſæ. Quod utrumque de magna erit miſericordia Dei, ſi flagella removeat, & ad ſe ſuorum corda convertat. Sicut autem fraternitatem tuam ea, quæ apud nos fuit contriſtavit, hoſtilitas, ita me anxium facit, quod in Conſtantinopolitana Eccleſia (quantum tuæ indicant litteræ) hæreticorum inſidiæ non quieſcunt: & quæſitis occaſionibus, hi qui Catholicæ fidei defenſores fuere, vexantur. Nam dum Etius ab officio Archidiaconatus per ſpeciem provectionis amovetur, & in locum ejus Andreas, qui ob hæreticorum ſocietatem fuerat abjectus, aſſumitur, dum beatæ memoriæ Flaviani accuſatoribus honor redditur, & piiſſimi Confeſſoris participes aut diſcipuli conteruntur, nimis aperte, quid Epiſcopi Eccleſiæ ipſius placeat, demonſtratur. In quem pro cauſæ merito differo commoveri, & quid ipſe mecum cum ſuis epiſtolis agat, quas miſſurum eum filius noſter Etius indicavit, expecto dans locum voluntariæ emendationi, qua dolorem meum cupio mitigari. Clementiſſimo tamen Principi & piiſſimæ Auguſtæ de his, quæ ad cuſtodiam pacis Eccleſiaſticæ pertinent, ſcripſi: quod devotione ſuæ fidei proviſuros eſſe non dubito, ne contra gloriam operis ipſorum damnata hæreſis queat pullulare.

Cap. II. Studeat ergo dilectio tua (frater chariſſime) piam & neceſſariam curam ſollicitudini Apoſtolicæ Sedis impendere, quæ tibi apud ſe nutrito, Catholicam contra Neſtorianos & Eutychianos hæreticos actionem, materno jure commendat, ut divino fultus auxilio, ſpeculari de Conſtantinopolitanæ urbis opportunitate non deſinas, ut prædictorum dogmatum impius nunquam turbo conſurgat. Et quia tanta eſt glorioſorum Principum clementia, ut confidenter eis poſſis, quæ ſunt inſinuanda, ſuggerere, pietate ipſorum, ad utilitatem Eccleſiæ univerſalis utaris. Conſulente autem dilectione tua de his, in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ reſponſionis inſtructio, ut ſequeſtrata eorum actione, cauſæ quæ in quibuſcunque Eccleſiis præſulum ſuorum debent cognitione firmari, hac ſpeciali cura, vice mea functus utaris, ne hæreſis Neſtoriana, vel Eutychiana in aliqua parte revireſcat: quia in Epiſcopo Conſtantinopolitano Catholicus vigor non eſt, nec multum aut pro ſacramento ſalutis humanæ, aut pro ſua eſt æſtimatione ſollicitus, cum quid illi ineſſet ſpiritualis induſtriæ, ita & a quibus ordinatus ſit, & cui viro ſucceſſerit, cogitare deberet, ut magis beatum Flavianum, quam ſuis honoris ſequeretur authores. Et ideo cum piiſſimi Principes ſecundum obſecrationes meas dignati fuerint fratrem Anatolium de his, quæ merito in querelam veniunt, increpare, videat charitas tua, diligentia tua ut univerſa ſcandala, adhibita pleniſſima correctione, reſecentur, & a filio noſtro Etii ceſſet injuria.

Nam

Nam apud Catholicum Epiſcopum, etiamſi erat utcunque decus ſacerdotale, ſacerdoti Archidiaconus propter fidei reverentiam debuit præmitti potius quam locum Catholici nequiſſimus hæreticus obtineret. Cum itaque quæ ſequantur, agnovero, tunc manifeſtius, quid agi oporteat, æſtima-
CAP. III. bo. Nam interim, dolore cohibito, malui indulgere patientiæ, ut locus eſſet veniæ. De Palæſtinis vero Monachis, qui jampridem in tumultu diſſenſionis eſſe dicuntur, quo adhuc animo moveantur ignoro. Neque cujuſquam ſermone mihi patefactum eſt, quas cauſas videantur antefactæ præferre diſcordiæ, utrum ſcilicet Eutychianæ perverſitati tali furore famulentur, an implacabiliter doleant Epiſcopum ſuum in hanc impietatem poſſe traduci, quæ contra ipſorum locorum ſanctorum teſtimonia, quibus totus mundus inſtruitur, ab Incarnationis Dominicæ veritate deſciverit, & quod in aliis per indulgentiam curare placuit, in illo putent non eſſe veniale. Unde cupio me ſuper his plenius edoceri, ut etiam talium correctioni congrue ſtudeatur: quia aliud eſt contra fidem impie armari, aliud in errorem quempiam detineri. Chartas etiam, quas Actius presbyter ante indicavit eſſe directas, & Breviarium fidei, quod te miſiſſe ſignificas, necdum ad me noveris perveniſſe. Unde, ſi expeditior occaſio ſe præbuerit per latores, libenter habeo, ut ſi qua eſt, quæ utilis videatur, quamprimum ad me mittatur inſtructio. De Ægyptiis Monachis quam quieti, aut cujus ſint fidei, ſcire deſidero, & de Alexandrinæ Eccleſiæ pace quid ad vos veris nunciis perferatur, ad cujus Epiſcopum, vel ordinatores
alias. ipſius, ſeu clericos, quod * alia ſcripta direxerim, miſſis exemplaribus ſcire te volui. Ad clementiſſimum quoque Principem, & ad religioſiſſimam Auguſtam quis nunc meus ſermo ſit, miſſa exemplaria docebunt. Utrum autem epiſtola mea, quam de Incarnationis Dominicæ fide, incolumi adhuc ſanctæ memoriæ Flaviano, ad dilectionem tuam per Baſilium Diaconem miſeram, fraternitati tuæ tradita ſit, ſcire deſidero; quoniam ſuſpectum habeo, quod de ejus textu nullum unquam judicium reddidiſti. Geſtorum Synodalium, quæ omnibus diebus Concilii in Calcedonenſi civitate confecta ſunt, parum clara propter linguæ diverſitatem apud nos habetur inſtructio. Et ideo fraternitati tuæ ſpecialiter injungo, ut in unum codicem univerſa facias congregari, in Latinum ſermonem abſolutiſſima interpretatione tranſlata, ut in nulla parte actionum dubitare poſſimus, neque ullo modo eſſe poſſit ambiguum, quod ad plenam intelligentiam, te fuerit ſtudente perductum. Data quinto Idus Martii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LVII.

Ad Martianum Auguſtum, de Etio & Andrea.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

QUAM excellenti pietate, & quam glorioſo Clementiæ veſtræ ſtudio in integrum nuper fides Chriſtiana revocata ſit, totus mundus agnoſcit, & ſaluti ſuæ ſingulare præſidium per vos a Domino eſſe reparatum. At ſi quid adverſum tanti operis conſummationem de contrario ſpiritu ſentitur oboriri, neceſſe eſt ut ad veſtræ revocetur pietatis auxilium, quod ad cuſtodiam Catholicæ veritatis divina providentia præparavit, ut cum poteſtatis veſtræ ſit ſcandala etiam longinquum nata reſecare, multo magis ea quæ ſub veſtris audent oculis ſurgere, non ſinatis accreſcere. Anatolii Epiſcopi ordinationem (ſicut ſcientia Dei teſtis eſt) ſuſpectam (quod fatendum eſt) mihi fecerunt conſecrationis ejus authores, nec diſſimilem ab eligentibus arbitrabar electum, ſequutumque eſt, ut dum communione Apoſtolicæ Sedis exiſteret alienus, diu dandis ad eum epiſtolis pacis me abſtinerem. Sed cum illi pietatis veſtræ teſtimonium ſuffragaretur, cum de fide atque unanimitate ejus optanda quæque placitura promitteret, profeſſionem ejus ita credidi eſſe ſinceram, ut tamen, qua obſervantia ſe agere deberet, non deſinerem commonere, ſedulo ipſi ac diligenter inculcans, ut de perſequutoribus beatæ memoriæ Flaviani neminem auderet in ſuo habere conſortio, & Eutychianæ hæreſeos defenſorem a ſe indicaret eſſe dejectum. Sequutumque eſt, ut de his quæ pro Catholica fide in Synodali Concilio fuerant definita, talia ad me ſcripſerit, qualia Catholicum ſacerdotem ſcribere congruebat. Cum ergo ad commendanda ipſius primordia iſta præceſſerint, quid cauſæ aut occaſionis emerſerit, ut virum Catholicæ fidei, & Neſtorianis atque Eutychianis hæreticis conſtanter etiam adverſum Archidiaconem ſub honoris ſpecie degradaret, & diſpenſationem totius cauſæ & curæ Eccleſiaſticæ in Andream Eutychianiſtam repente transferret, adeo nimia commotione turbatus, ut conſecrationem, quam pro injuria dabat, ſexta ſabbati traditionis Apoſtolicæ, aut neſcius aut oblitus inferret: quaſi non ad Epiſcopum magis, quam ad Presbyterum ordinationis illius vitium pertineret, qui non inveniens quod argueret in fide, quod improbaret in moribus, dejectionem innocentis per ſpeciem provectionis implevit, addens ſententiæ illud injuriæ, ut eum, cœmeterio deputando, condemnaret exilio. Quem tamen pietati veſtræ commendare præſumo, ne ullis ulterius noxiis ingravari poſſit inſidiis, quem Dominus (ut comperi) ſub veſtra defenſione conſtituit. Adjicio autem etiam hanc obſecrationem, ut prædictum Epiſcopum a profeſſione ſua diſſonum, & nimium teſtimonii veſtri ac favoris oblitum, neceſſarie increpare dignemini. Ceſſet Catholicos inſectari, ceſſet eos, qui ſanctæ memoriæ Flaviano placuere, conterere, & eorum ſocietatem, quos improbavit, eligere. Fraternam enim illi charitatem non aliter poterimus impendere, quam ut ſe ab inimicis Catholicæ fidei approbet execrari, eorumque a ſe conſortium atque commercium abſcindat. Qui etiamſi magna fuiſſet ſatisfactione purgatus, poſt dubium tamen reverſus errorem, Catholicis Diaconibus poſtponi debuit, non præponi. Illud quoque clementiæ veſtræ benevolentiam peto, ut veneratorem veſtrum fratrem meum Julianum Epiſcopum, in veſtro, ſicut facere dignamini, habeatis affectu, cujus obſequiis præſentiæ meæ vobis imago reddatur. Nam & de fidei ejus ſinceritate confidens, vicem ipſi meam, contra temporis noſtri hæreticos, delegavi: atque propter Eccleſiarum paciſque cuſtodiam, ut a comitatu veſtro non abeſſet, exegi: cujus ſuggeſtiones, pro concordia Catholicæ unitatis, tanquam meas audire dignemini, placentes Deo, qui vobis præter regiam coronam, etiam ſacerdotalem conferat palmam. Data * ſexto *quinto.*
Idus Martii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LVIII.

Ad Pulcheriam Auguſtam, de Etio & Andrea.

Leo Epiſcopus, Pulcheriæ Auguſtæ.

MUltis extantibus documentis, quibus in dilectionem Eccleſiæ Dei pietatis veſtræ manifeſtatur affectio, merito quoties aliquid naſcitur ſcandalorum, veſtrum deſideratur auxilium: ut fides, quæ annitentibus vobis, contra hæreticorum commenta defenſa eſt, ſecuræ pacis perpetuam obtineat firmitatem. Nam quid prodeſt foris adverſarios veritatis oppreſſos, ſi eoſdem habeamus intra Dominica ſepta redivivos? Quod itaque circa perſonam filii mei Etii geſtum eſſe cognovi, nimium me anxium facit, & metuere certa ratione compellit, ne pœnitendum mihi ſit, quod de Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui ab impugnatoribus fuerat ordinatus fidei, vobis adorantibus, acquievi meliora ſentire, cum tanto pietatis veſtræ teſtimonio juvaretur, ne illum gravaret ſuæ ordinationis infirmitas, ubi veſtra interventio præſtaretur. Unde gratulari cœperam, quod beati Flaviani honoraret memoriam, & hæreticorum conatibus obſiſtere diceretur. Sed doleo, illum (ſicut prædicti lachrymabilis querela demonſtrat) in deteriora mutatum, & eum nunc conſtituiſſe Archidiaconem, quem ipſe profeſſus eſt a ſe eſſe ejectum, qui Eutychianæ hæreſeos ſe apud nos prodiderat defenſorem. Quem quia nunc Eccleſiaſticis negotiis præpoſuit, propter hæreticam perverſitatem, eidem favorem ſuum præſtare convincitur. Qui etiamſi magna ſatisfactione potuiſſet indulgentiam promereri, nequaquam debuit his, qui in fide permanſerant, anteferri. Unde quia non latet clementiam veſtram, quantum periculi, aut per pudendam ſocordiam, aut per doloſam nequitiam nutriatur, dignamini Epiſcopum ad profeſſionem ſuæ fidei, authoritate veſtræ clementiæ revocare. Et ne ſibi has maculas ſuperducat, ne æſtimationem ſuam, quam veſtro acquiſivit favore, contemnat, ſocietatem hæretici, quem dudum a ſe removit, abſcindat. Cujus innocentiæ vos ita adfuiſſe gaudeo, ut mœrori ejus digna conſolatione veſtra pietas ſubveniret. Circa fratrem meum, veneratorem veſtrum Julianum Epiſcopum, quantum debeat creſcere veſtra dignatio, Apoſtolicæ Sedis exiſtimate judicio: cum in cauſa fidei, cui gloria veſtra famulatur, vicem ipſi meam eatenus delegarant, ut ab ea quæ nobis debetur obſervantia, non recedens, pietati me veſtræ præſentere non deſinat, exequens in cuſtodia fidei, & in Eccleſiaſticis diſciplinis per omnia ſollicitudinem, & opportunis ſuggeſtionibus, quod univerſali Eccleſiæ profit, inſinuans, ut in ipſo, nec Catholicis veſtrum præſidium, quibus volumus ſubvenire, nec vobis meum deſit obſequium. Data ſexto Idus Martii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LIX.

Ad Martianum Auguſtum, ubi gratias agit, quod per Chalcedonenſe Concilium pax Eccleſiæ Catholicæ ſit reddita.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

MUlta mihi in omnibus clementiæ veſtræ litteris cauſa gaudii eſt, dum ex magna divinæ providentiæ miſericordia præſtitutum humanis rebus experior, quod Eccleſiaſticam pacem (quæ non niſi unitate prædicationis Evangelicæ cuſtoditur) piiſſimo ſtudio juvare dignamini: ut fidei veſtræ gloria non ſolum utilitate Reipublicæ, ſed etiam religionis profectibus augeatur, glorioſiſſime Imperator. Unde ineffabiliter Deo gratias ago, qui eo tempore, quo oboritura hæreticorum ſcandala præſciebat, vos in Imperii faſtigio collocavit: in quibus ad totius mundi ſalutem & regia potentia, & ſacerdotalis vigeret induſtria. Nam cum veſtro præcipue opere ſit effectum, ut per Synodale Concilium damnatis impii dogmatis defenſoribus, omnes vires ſacrilegus error amittat: ad ejuſdem devotionis pertinet palmam, ſi malum, quod in ſuis ducibus eſt oppreſſum, etiam in quibuſcumque reliquiis deleatur. Quod facilius clementia veſtra arbitretur implendum, ſi per univerſas Eccleſias definitiones ſanctæ Synodi Chalcedonenſis Apoſtolicæ Sedi placuiſſe doceantur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium ſubſcribendo conſenſus acceſſerit, quæ ad me ſecundum formam Apoſtolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emiſſa eſt, & per fratrem meum Lucianum Epiſcopum talia & ad gloriam veſtram, & ad Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſcripta direxerim, quæ evidenter oſtenderent, me ea quæ de fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerant approbare. Sed quia in eiſdem litteris ea, quæ per occaſionem Synodi male ſunt attentata, reprehenderam, maluit prædictus Antiſtes meam gratulationem tacere, quam ſuum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum eſt, quod probaſſe vos obſervantiam meam de cuſtodia canonum paternorum, pietatis veſtræ affatibus indicaſtis. Et merito geminatur gaudium meum, cum vobis religioſiſſime placere cognoſco, ut & fides Nicæna ſuam teneat firmitatem, & privilegia Eccleſiarum illibata permaneant. Quamvis autem de præclaro fidei veſtræ opere nihil veſtra pietas indicarit, mihi tamen per veneratorem una mecum ſpecialiter veſtrum, fratrem meum Julianum Epiſcopum, innotuiſſe ſignifico, quam pio dignati fueritis reſponſo, imperitorum monachorum animos cohibere pariter & docere, ut ſi illos non penitus deſeruit divina miſericordia, ſentiant ſe & didiciſſe quod credant, & agnoviſſe quod timeant. Quia vero omnibus modis obediendum eſt pietati veſtræ, religioſiſſimæque voluntati, conſtitutionibus Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adjeci ſententiam meam. Quæ ut in notitiam omnium ſacerdotum, Eccleſiarumque perveniat, veſtræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur, ad futuram credo & ſpero gratiam Dei, quæ tam ſanctam tanti Principis curam, pleniſſimum deſiderii ſui fructum faciat obtinere: ut omnibus

diſ-

diſſentiendi occaſionibus amputatis, Apoſtolicæ ubique doctrinæ & pax regnet & veritas. Fratri autem meo Juliano Epiſcopo, noverit veſtra Clementia, hoc me propriè delegaſſe, ut quicquid illic ad cuſtodiam fidei pertinere probaverit, meo nomine veſtræ fiducialiter ſuggerat pietati: quoniam certus ſum, vos ad hæc omnia emendanda, vel defendenda, Deo auxiliante, ſufficere. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilione viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LX.

Ad Pulcheriam Auguſtam.

Leo Epiſcopus, Pulcheriæ Auguſtæ.

QUamvis nullas nunc litteras tuæ pietatis acceperim, ſcribente tamen glorioſiſſimo Principe, non aliter dignatione ipſius ſum gaviſus, quam ſi mihi etiam tuæ ſerenitatis redderentur alloquia. Unde conſuetudinem debitam mei officii oportuit me cuſtodire, per quam ſignificarem clementiæ veſtræ, abſolute me gaudere, & inceſſabilibus a Deo precibus poſtulare ut vos & Romanæ Reipublicæ, & Catholicæ Eccleſiæ in omni proſperitate conſervet. De vigore autem fidei veſtræ, quo indeſinenter Domino ſacrificium laudis offertis, quantas Deo gratias agam, enarrare non valeo: quoniam Principibus temporis noſtri non ſolum potentiam regiam, ſed etiam ſacerdotalem cognoſcimus ineſſe doctrinam. Indicante enim fratre meo Juliano Epiſcopo, pervenerunt ad nos in exemplaribus præceptionum veſtrarum ſaluberrimæ ſanctiones, quibus inſanam imperitiam monachorum dignati eſtis parcendo plectere, & docendo punire: ut ſi eos ad pœnitentiam miſeratio divina converterit, multis lacrymis, & a nefandis cædibus, & ab hæreticorum blaſphemiis diluantur. Quod vero piiſſimus Imperator ad omnes Epiſcopos, qui Chalcedonenſi Synodo interſuere, voluit me ſcripta dirigere, quibus, quæ illic de fidei ſunt regula definita, firmarem, libenter implevi, ne fallax cujuſquam ſimulatio ſententiam meam vellet haberi incertam, cum per Conſtantinopolitanum Epiſcopum, cui lætitiam meam largiter indicavi, in omnium potuerit notitiam pervenire, quod ſcripſeram, niſi maluiſſet meum gaudium tacere, quam repulſam ſui ambitus publicare. Fratri & Coepiſcopo meo Juliano, cui ſollicitudinem meam in cauſa fidei delegavi, rogo ut eam fiduciam præbere dignemini, qua pietati veſtræ poſſit, quæ univerſali Eccleſiæ ſint profutura, ſuggerere. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilione viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LXI.

Ad Juvenalem Hieroſolymitanum, & cæteros Epiſcopos, qui in ſancta Synodo Chalcedonenſi congregati fuerunt, directa.

Leo Epiſcopus, ſanctæ Synodo apud Chalcedonem habitæ.

OMnem quidem Fraternitatem veſtram noſſe non ambigo, definitionem ſanctæ Synodi, quæ ob confirmationem fidei in Chalcedonenſi civitate celebrata eſt, toto corde me fuiſſe complexum; quia nulla ſinebat ratio, ut qui unitatem Catholicæ fidei docebam ab hæreticis fuiſſe turbatam, non exultanter in integrum rediſſe gauderem. Hoc autem non ſolum ab ipſo beatiſſimæ conſenſionis affectu, ſed etiam ex epiſtolis meis, quas poſt reditum meorum ad Conſtantinopolitanæ urbis antiſtitem dedi, potuiſſetis agnoſcere, ſi vobis reſponſionem Sedis Apoſtolicæ manifeſtare voluiſſet. Ne ergo per malignas interpretationes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonenſi per unanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt approbem, hæc ad omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, qui prædicto Concilio interſuerunt, ſcripta direxi, quæ glorioſiſſimus & clementiſſimus Princeps (ſicut popoſcit) in notitiam veſtram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, ut & fraterna univerſitas, & omnium Fidelium corda cognoſcant, me non ſolum per fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium, propriam vobiſcum iniiſſe ſententiam, in ſola videlicet fidei cauſa (quod ſæpe dicendum eſt) propter quam generale Concilium, & ex præcepto Chriſtianorum Principum, & ex conſenſu Apoſtolicæ Sedis placuit congregari: damnatis hæreticis, qui ſi corrigi voluiſſent, nulla penitus reſideret de vera Domini noſtri Jeſu Chriſti Incarnatione dubitatio. Unde ſi quis unquam auſus fuerit, vel Neſtorii perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioſcori impium dogma defendere, a Catholicorum communione reſecetur: nec habeat ejus Corporis participationem, cujus abnegat veritatem. De cuſtodiendis quoque ſanctorum Patrum ſtatutis, quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus ſunt fixa decretis, obſervantiam veſtræ ſanctitatis admoneo, ut jura Eccleſiarum, ſicut ab illis CCCXVIII. Patribus divinitus inſpirata ſunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imminutionem, ſuum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim *exortis aſſentationibus ſe ſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid a prædictorum Patrum canonibus diſcreparit. Quorum regulis Apoſtolica Sedes quam reverenter utatur, ſcriptorum meorum, quibus Conſtantinopolitani Antiſtitis conatus repuli, potuerit Sanctitas veſtra lectione cognoſcere, me auxiliante Domino, & Catholicæ fidei, & paternarum traditionum eſſe cuſtodem. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilione viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LXII.

Ad Maximum Antiochenum Epiſcopum.

Leo Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, Maximo chariſſimo fratri Epiſcopo Antiocheno.

QUantum dilectioni tuæ placeat communis fidei ſacratiſſima unitas, & pacis Eccleſiaſticæ tranquilla concordia, litterarum tuarum textus oſtendit, quas ad nos filii noſtri Marianus Preſbyter, & Olympius Diaconus detulere: eo nobis gratiores, quod per ipſas alloquia alterna miſceremus, & magis magiſque innoteſceret gratia Dei, qua fit ut per totum Cap. 1.

tum

tum mundum de manifeſto Catholicæ veritatis lumine gaudeatur. Quamvis (quod multum dolemus) quidam adhuc (ſicut ſermo indicat nunciorum) tenebras ſuas diligant, & eum ubique diei ſplendor exortus ſit, etiam nunc cæcitatis ſuæ delectentur obſcuro, & perdita fide, ſolo & vacuo remanſerint nomine Chriſtiani: non habentes intelligentiam, qua errorem ab errore diſcernant, & blaſphemiam Neſtorii ab Eutychetis impietate diſtinguant. Nec enim ideo excuſabilis videri aliqua eorum falſitas poteſt, quia ipſi ſint in ſua perverſitate contrarii. Nam cum Neſtorium Eutychetis diſcipuli deteſtentur, & Eutychen anathematizent Neſtorii ſectatores, Catholicorum judicio pars utraque damnatur, & ambæ ſimul hæreſes a corpore Eccleſiæ reſecantur: quia neutra falſitas nobiſcum poteſt habere concordiam. Nec intereſt, quo ſacrilegio ab Incarnationis Dominicæ veritate diſcordent, dum id quod praviſſime ſentiunt, nec authoritas Evangelii, nec ratio recipit ſacramenti.

Cap. II. Et ideo, frater chariſſime, oportet dilectionem tuam toto corde perſpicere, cujus Eccleſiæ gubernaculis te Dominus voluerit præſidere, & ejus meminiſſe doctrinæ, quam præcipuus Apoſtolorum omnium beatiſſimus Petrus, per totum mundum quidem uniformi prædicatione, ſed ſpeciali magiſterio in Antiochena, & Romana urbe fundavit: ut illum in ſuæ glorificationis domicilio præeminentem ea intelligas repoſcere inſtituta, quæ tradidit, quæ ſicut ab ipſa, quam confeſſus eſt, veritate ſuſcepit. Neque ullo modo ſinas in Orientalibus Eccleſiis, maximeque in his, quas Antiochenæ ſedi ſacratiſſimorum Patrum Nicæni canones deputavere, ab improbis hæreticis Evangelio inſultari, & vel Neſtorii, vel Eutychetis a quoquam dogma defendi. Quoniam, ſicut dixi, Catholicæ fidei petra (cujus cognomen beatus Apoſtolus Petrus ſumpſit a Domino) nullum recipit ab utraque impietate veſtigium: ſed evidenter atque perſpicue & Neſtorium anathematizat, qui verbi carniſque naturam in beatæ Virginis conjunctionis ſejungens, unumque Chriſtum in duos dividens, aliam Deitatis, & aliam humanitatis voluit eſſet perſonam: cum omnino unus idemque ſit, qui & ſecundum ſempiternam Deitatem de patre eſt natus ſine tempore, & de matre natus in tempore. Et Eutychen ſimiliter execratur, qui in Domino Jeſu Chriſto veritatem humanæ carnis evacuans, ipſum Verbum in carnem aſſerit transformatum, ut naſci, nutriri, proficere, pati, mori, atque

Cap. III. ſepeliri, & die tertio ſuſcitari, ſolius fuerit Deitatis, quæ ſervilis formæ non veritatem ſuſceperit, ſed figuram. Summa itaque vigilantia cautum te eſſe convenit, ne quid ſibi hæretica pravitas audeat vindicare: cum te deceat his ſacerdotali authoritate reſiſtere, noſque ſæpius de profectu Eccleſiarum tuis relationibus quid agatur inſtruere. Dignum eſt enim, te Apoſtolicæ Sedis in hac ſollicitudine conſortem, & ad augendam fiduciam privilegia tertiæ ſedis agnoſcere, ut in nullo cujuſquam ambitione minuantur: quia tanta apud me eſt Nicænorum canonum reverentia, ut ea quæ ſunt a ſanctis Patribus conſtituta, nec permiſerim, nec patiar aliqua novitate violari. Etſi enim diverſa nonnunquam ſunt merita Præſulum, tamen jura permanent ſedium: quibus etſi poſſint æmuli perturbationem aliquam fortaſſis inferre, non tamen poſſunt minuere dignitatem. Unde cum aliquid pro Antiochenæ Eccleſiæ privilegiis dilectio tua agendum eſſe crediderit, propriis litteris ſtudeat explicare; ut & nos conſultationi tuæ abſolute & congrue reſpondere poſſimus. Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare ſufficiat, quod quid a quoquam contra Nicænorum canonum ſtatuta in quacunque Synodo vel tentatum eſt, vel ad tempus videtur exortum: nihil præjudicii poteſt inviolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet conſenſionum pactum diſſolvi, quam prædictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi. Subrependi enim occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob incurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit ſacerdotum, difficile eſt, ut cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram ſuam moliatur appetere. Sicut etiam in Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Juvenalis Epiſcopus ad obtinendum Paleſtinæ Provinciæ principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus merito perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas cauſa ſit, indicavit; & ſollicita prece multum popoſcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio. Nam cujus epiſtolæ ad nos exemplaria direxiſti ſanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro ſcrinio requiſitam, nos authenticam noveris reperiſſe. Hoc tamen proprium diffinitionis meæ eſt, ut quantumlibet numerus ſacerdotum amplior aliquid per quorundam ſurreptionem decernat, quod illis trecentorum decem, & octo Patrum conſtitutionibus inveniatur adverſum, id juſtitiæ conſideratione caſſetur: quoniam univerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri niſi ſua canonibus reverentia intemerata ſervetur.

Cap. IV.

D. Cyrillus & Leo contemporanei.

Cap. V. Si qui ſane ab his fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice miſi, præter id, quod ad cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantum ab Apoſtolica Sede ſunt directi, ut excuſſis hæreſibus, Catholicæ eſſent fidei defenſores. Quicquid enim præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem: ſi nihil de eo eſt a ſanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis, conſtitutioneque diſcordat, Apoſtolicæ Sedis nunquam obtinebit conſenſum. Quanta vero hoc diligentia cuſtodiatur a nobis; exemplaribus ejus epiſtolæ, quam ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum, refrænantes ipſius cupiditatem, direximus, inſtrueris: quam in omnium fratrum & ſacerdotum noſtrorum facias notitiam pervenire, ut noverint pacem Eccleſiaſticam, per concordiam Deo placitam, debere ſervari. Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui ſunt Domini ſacerdotes, nullus ſibi jus docendi & prædicandi audeat vindicare: ſive ſit ille Monachus, ſive ſit laicus qui alicujus ſcientiæ nomine glorietur. Quia etſi optandum eſt ut omnes Eccleſiæ filii, quæ recta & ſana ſunt, ſapiant, non tamen permittendum eſt, ut quiſquam extra ſacerdotalem ordinem conſtitutus, gradum ſibi Prædicatoris aſſumat, cum in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conveniat, ut in uno Chriſti corpore & excellentiora membra ſuum officium impleant, & inferiora ſuperioribus non reſultent. Data tertio Idus Junii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

Cap. VI. Concionandi munus ſolis ſacerdotibus permittendum.

Digitized by Google

EPISTOLA LXIII.

Ad Theodoricum Epiſcopum Cyri, poſt Chalcedonenſe Concilium, de fidei perſeverantia.

Dilectiſſimo fratri Theodorico Epiſcopo, Leo Epiſcopus.

Cap. I. REmeantibus ad nos fratribus, conſacerdoti-
bus noſtris, quod ad ſanctum Concilium
Sedes beati Petri direxit, agnovimus dilectionem
tuam ſuperno adiutorio nobiſcum, tam Neſtoria-
næ impietatis, quam Eutychianæ veſaniæ extitiſſe
victricem. Unde gloriamur in Domino cum Pro-
pheta canentes: *Adiutorium noſtrum in nomine Do-*
Pſal. 125. *mini, qui fecit cælum & terram*, qui nullum nos
in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit:
ſed quæ noſtro prius miniſterio definierat, univer-
ſæ fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu, ut
vere a ſe prodiſſe oſtenderet, quod prius a prima
omnium Sede formatum, totius Chriſti orbis judi-
cium recepiſſet: ut in hoc quoque capiti membra
concordent, in quo amplius nobis accreſcit gau-
dendi materia, dum & tanto magis ſe perculit ini-
micus, quanto contra Chriſti miniſtros ſævius in-
ſurrexit. Nam de aliarum ſedium ad eam, quam
cæteris omnium Dominus ſtatuit præſidere, con-
ſenſus aſſentationis videretur, aut alia quælibet ſub-
repere poſſet adverſa ſuſpicio, inventi prius ſunt,
qui de judiciis noſtris ambigerent. Et dum non-
nulli, a diſſenſionum incitati authore, ad contra-
dictionis bella proſiliunt, ad majus bonum, ma-
lum ejus, authore totius bonitatis diſpenſante, per-
ventum eſt. Dulcius ſiquidem munera gratiæ di-
vinæ proveniunt, quoties non ſine magnis ſudori-
bus adquiruntur. Et minus bonum videri ſolet
pax continuata per otium, quam reddita poſt labo-
rem. Ipſa quoque veritas & clarius reniteſcit, &
fortius retinetur dum quæ fides prius docuerat,
hæc poſtea examinatio confirmaret. Multum deni-
que ſacerdotalis officii meritum ſplendeſcit, ubi
ſic ſummorum ſervatur authoritas, ut in nullo in-
feriorum putetur imminuta libertas. Et ad majo-
rem Dei gloriam proficit finis examinis, quanto
ad hoc ſe accipit exerendi fiducia, ut vincatur ad-
verſitas, ne quod per ſe probatur reprobum, ſi-
Cap. II. lentii præjudicio videatur oppreſſum. Exulta igi-
tur, chariſſime frater, & in unico Dei Filio victor
exulta. Vicit per nos ille, cujus carnis veritas nega-
batur: vicit per nos & pro nobis ille, cui vivimus:
per quem ſecunda eſt poſt adventum Domini hæc
orbi feſtivitas. Redditum ſæculo eſt, prædone pro-
ſtrato, Incarnationis divinæ myſterium quod hu-
mani generis inimicus quia rebus ipſis auferre non
poterat, calumniis obſcurabat. Quinimo ab incre-
dulorum corde perierat immortale myſterium, quia
nihil prodeſt tanta ſalus incredulis, ipſa veritate
Marc. 16. ſuis dicente diſcipulis: *Qui crediderit & baptizatus*
fuerit, ſalvus erit: qui autem non crediderit, con-
demnabitur. Solis juſtitiæ jubar, denſis per Orien-
tem Neſtorii & Eutychetis nebulis impeditum, pu-
re ab Occidente reſplenduit, ubi commercium in
Apoſtolis & Doctoribus principaliter collocavit.
Quamvis nec illinc unquam defuiſſe credendus ſit,
quo confeſſores ſibi egregios reſervavit, ita ut dum
denuo conaretur hoſtis antiqui per ſecundi Pharao-
nis impœnitens cor, fidei Abrahæ ſemen & filios
repromiſſionis extinguere, Deo miſerante langue-
ſcens, niſi ſibi nocere, nihil poſſet. De quo & il-
lud omnipotens mirabilius egit, quia & quos ſibi
ſocios ad Iſraelitici populi cædes aſciverat, non cum
tyrannidis authore ſubmerſit, ſed cum ſuo populo
congregavit. Et ſicut revera ſe dignum, & ſoli
ſibi poſſibile fons miſericordiæ noverat, victos a
nobis, nobiſcum fecit eſſe victuros. Nam dum ſo-
lus vere ſit humani generis hoſtis ſpiritus falſitatis,
omnes de illo jam triumphare non dubium eſt,
quos ſibi veritas vindicavit. Nunc prorſus illa re-
demptoris noſtri dicta, quam ſint divinæ authori-
tatis, apparet: dum contra hoſtes fidei ſic aptan-
tur, ut de ipſis dubitare dictum non liceat: *Vos* Joan. 8.
inquit, *ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris*
veſtri vultis implere. Ille homicida fuit ab initio, &
in veritate non ſtetit, quia veritas in eo non eſt. Quan- Cap. III.
do loquitur mendacium, ex ſuis propriis loquitur,
quia mendax eſt & pater ejus. Nihil ergo mirandum
eſt, quod hi, qui in veritate Dei noſtræ naturæ
mendacium crediderunt, patri ſuo & circa iſta
concordant, quicquid viſum, quicquid auditum,
quicquid denique (teſte Evangelio) tactum eſt
atque palpatum in unico Dei Filio, non ejus
comprobatum eſſe aſſerentes; ſed coæternæ &
coeſſentialis Patri fuiſſe ſubſtantiæ, quaſi aut divini-
tatis natura crucis ligno transfixa ſit, aut inconver-
tibilis creſcere per ætates, & in ſapientia profice-
re ſapientia ſempiterna, vel Spiritu Dei, qui Spi-
ritus eſt, ſubinde repleri potuerit. In hoc quoque
ſe acerba veſania, ex quo authore proceſſerit, pro-
dit, quod quantum in ſe eſt, univerſos docere
molita eſt. Nam qui nos perſequendo afflixit, cæ-
teros ad conſenſum ſceleris impellendo depravavit.
Sed nec nos, licet in ſingulis fratribus (quia mem-
bra noſtra ſunt) vulneraſſet, a ſpeciali dolore fe-
cit exceptos: quibus nova & inaudita atque incre-
dibili audacia inferre contra ſuum caput eſt mo-
litus injuriam. Sed utinam vel poſt tot peſſima re-
ſipiſcens, non nos etiam de ſuo æternæ damnatio-
nis interitu contriſtaret. Quam menſuram ſceleris
prætermiſit, cui nec hoc ſufficere potuit, quod
nec vivis parcendo, nec mortuis etiam in ſanguine
innocentis & Catholici ſacerdotis, pollutas jampri-
dem, abdicata veritate, atque approbata falſitate,
manus intinxit? Et cum ſcriptum ſit: *Qui odit fra-* 1. Joan. 3.
trem ſuum, homicida eſt, ille quod odio jam feciſ-
ſe dictus eſt implevit operibus, quaſi nec audiſſet
illud, quod Dominus ait: *Diſcite a me, quia mitis* Mich. 12.
ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus
veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum
leve eſt. Dignus diabolici prædicator erroris, Ægy-
ptius vaſtator inventus eſt: quia tanquam ſæviſſi
mus tyrannus Eccleſiæ nefandas blaſphemias, per
violentam ſeditioſorum turbam, & per cruentas
manus militum venerandis fratribus imponebat. Et Joan. 8.
cum voce Redemptoris noſtri firmatum ſit, unum
eumdemque homicidii eſſe & falſitatis authorem, il-
le pariter utrumque complevit: quaſi non ut cavean-
tur, ſed ut perpetrentur, ſcripta ſint, ad perditionis
ſuæ cumulum trahens, quæ Dei Filius monuit ad
ſalutem. Illud quoque ſurda nimis aure præteriens,
quod ab eodem Domino dictum eſt, *Ego quod vidi* Ibidem.
apud patrem meum loquor, & vos quod vidiſtis apud Cap. IV.
patrem veſtrum facitis. Igitur dum ſanctæ memo-
riæ Flaviano vitam præſentis ſæculi moliretur aufer-
re, ſe veræ vitæ luce privavit. Dum vos ab Eccleſiis
veſtris conaretur expellere, ſe a Chriſtianorum col-
legio ſegregavit. Dum trahit plurimos, & impellit
ad erroris aſſenſum, multiplici animam ſuam vul-
nere ſauciavit: ſolus ultra omnes & per omnes, ac
pro omnibus reus, qui cauſa reatus omnibus fuit.

Sed

Sed licet his tua fraternitas ſolido cibo firmata, indigere minime videatur: tamen ut quod noſtri loci
2. Cor. 11. eſt, impleamus circa vocem dicentis Apoſtoli: *Præterea, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Hoc præcipue præſenti occaſione credimus admonendum, frater chariſſime, ut quotieſcunque divina gratia adminiſtrante, illos, qui foris ſunt fonte doctrinæ aut ſubmergimus, aut purgamus, in nullo ab illis, quas Spiritus ſancti divinitas in Chalcedonenſi Concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter utrumque hoſtem, novellæ perfidiæ ſermonem noſtrum cum omni cautela libremus: non jam (quod abſit) tanquam de dubiis diſceptantes, ſed authoritate ſua, quæ bene definita ſunt, adſtruentes: cum & in Apoſtolicæ Sedis epiſtola, univerſalis ſanctæ Synodi aſſenſu firmata, tanta divinæ authoritatis teſtimonia noverimus eſſe congeſta: ut nullus queat ulterius dubitare, niſi qui ſibimetipſi errorum tenebras inferre maluerit: cum Synodalia geſta, vel quibus primum definitio fidei legitur eſſe formata, vel quibus præfatæ litteræ Apoſtolicæ Sedis, etiam tuæ fraternitatis ſtudio defenſæ ſunt, & maxime ad piiſſimos Principes totius Concilii alloquutio tot ſit præcedentium Patrum teſtimoniis roborata: ut quamvis imprudenti ac pertinaci animo, ſi tamen non jam cum diabolo pro ſua impietate damnatus eſt, valeant ſuadere.

Cap. v. Unde hoc quoque nos contra hoſtes Eccleſię providere condignum eſt, ut eis nullam calumniandi occaſionem (quod ad nos attinet) penitus relinquamus, nec unquam contra Neſtorianos aut Eutychianos agentes, alteri eorum videamus terga vertiſſe, ſed utroſque Chriſti hoſtes æqua lance vitemus atque damnemus: ita ut eos, quoties audientium, quantalibet poſcit utilitas, cum dogmatibus eorum digno anathemate promptiſſime atque evidentiſſime feriamus, ne ſi hoc a nobis aut obſcurius fieri videatur, aut tardius, putetur invitum. Quod quamvis prudentiam tuam re ipſa admonere ſufficiat, nunc tamen & experimenta docuerunt. Sed benedictus Deus noſter, cujus invincibilis veritas ab omni hæreſeos macula mundum te, ſecundum Sedis Apoſtolicæ judicia, demonſtravit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, ſi talem te, qualem probavimus ac probamus, pro univerſalis Eccleſiæ defenſione ſervaveris. Nam quod Deus omnium calumnioſorum fallacias ſolvit, maximam beatiſſimi Petri curam pro nobis cunctis agnoſcimus, qui poſtquam ſuæ Sedis judicium in fidei definitione firmavit, nec circa cujuſdam veſtrum, qui nobiſcum pro Catholica fide laboratis, perſonam, quicquam reprobum videri permiſit: quia nec poterat, Spiritu ſancto judicante, quiſquam ex eis non victor exiſtere quorum jam vicerat fides.

Cap. vi. Quod ſupereſt, exhortamus, ut quia illic nonnullas Eutychiani ac Neſtoriani erroris reliquias cognovimus remanſiſſe, nunc etiam Sedi Apoſtolicæ collabores. Victoria enim quam Chriſtus Dominus Deus noſter ſuæ donavit Eccleſiæ, quamdiu in hoc mundo verſamur, licet fiduciam majorem tribuat, non tamen in totum ſollicitudinem perimit: nec ut dormiamus donata eſt, ſed ut ſuavius laboremus. Unde in hoc quoque tuæ vigilantiæ ſollicitudine volumus adjuvari, ut tua relatione currente, apud illos religionis doctrina Dominica proficiat.
16. q. 1. Adjicimus illud. Apoſtolicam ſedem feſtines inſtruere: quatenus illius religionis ſacerdotes in quocunque uſus exegerit adjuvemus. De his vero, quæ in ſupradicto Concilio illicita, contra venerabiles Nicænos canones, præſumptione tentata ſunt, ad fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Antiochenæ ſedis præſulem ſcripſimus: adjicientes & illud, quod nobis propter improbitatem Monachorum quorumdam religionis veſtræ verbo mandatis per Vicarios noſtros, & hoc ſpecialiter ſtatuentes, ut præter Domini ſacerdotes nullus audeat prædicare, ſeu Monachus, ſive ille ſit laicus, qui cujuslibet ſcientiæ nomine glorietur. Quas tamen litteras, pro utilitate univerſalis Eccleſiæ, per prædictum fratrem & Coepiſcopum noſtrum Maximum, ad omnium volumus pervenire notitiam: & ob hoc hic nolumus earum exemplar adjicere, quia quæ prædicto fratri injunximus, non dubitamus implenda. *Et alia manu*: Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data quarto Idus Junii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LXIV.

Paſchaſini Epiſcopi Lilybetani Epiſtola ad Leonem Papam, qui juſſerat illi, ut reſcriberet de ſupputatione Paſchalis feſti.

Domino vere beatiſſimo ac Apoſtolico, mihique poſt Dominum plurimum colendo Papæ Leoni, Paſchaſinus Epiſcopus.

APoſtolatus veſtri ſcripta, Diacono Panormitanæ Eccleſiæ Silano deferente, percepi, quæ nuditati meæ atque ærumnis, quas amariſſima captivitata faciente incurri ſolatium in omnibus atque remedium attulerunt: cœleſti rore animum recreantes, atque omne quod triſte fuerat, abſtergentes, Domine venerabilis Papa. Jubere dignata eſt corona veſtra, ut quod Paſchalis ſupputationis veritas anni poſt hunc futuri haberet, ſacro-ſanctis auribus veſtris exiguitas mea intimaret. Cui præcepto pio inobediens exiſtere non potui omnino, nec debui. Divino itaque tractatu, vel ratiocinatione id verum invenimus, quod ab Alexandrinæ Eccleſiæ Antiſtite beatitudini veſtræ reſcriptum eſt. Nam cum Romana ſupputatio, quæ cyclo concluditur, cujus ipſe, de quo agitur, erit ſexageſimus quartus annus, qui cyclus cœpit a conſulatu Antonini & Siagrii, vobis dubietatem afferret, eo quod ſeptimo Kalendarum Aprilium die, dies Dominica, & luna vigeſimaprima incurreret, & iterum nono Kalendarum Majarum die (ut rei veritas habet) Dominica dies, & luna decimanona obveniret: in hoc ambiguo fluctuantes ad Hebræorum, hoc eſt, legalem ſupputationem nos convertimus, quæ cum a Romanis ignoratur, facile errorem incurrunt. Cœpit ergo Ogdoas a conſulatu virorum clariſſimorum Etii iterum & Sigiſmildi, quæ clauditur anno, de quo quæſtio videtur exorta. Talis ratio hæc eſt. Priores vero anni communes, tertius emboliſmalis, quartus & quintus communes, ſextus emboliſmalis, ſeptimus communis, octavus emboliſmalis. Pervidet ergo Apoſtolatus veſtri prudentia, octavum annum Ogdoadis fieri aliter non poſſe niſi emboliſmum teneamus. Quod ſi voluerimus illud, quod ſuperius diximus, id eſt, quod primum incurrit, Paſcha ſeptimo Kalendarum Aprilium die celebrare, communem annum faciemus, & incipiet omnis deinceps ſubſequentium annorum ſupputatio vacillare. Et ne hoc, quod expoſui, beatitudini veſtræ obſcuritatem aliquam afferat, ſuggeſſimus communes annos, apud Hebræos duodecim tantum menſes, hoc eſt, dies cccliiii. habere. Neceſſitate ergo emboliſmi cogimur id tenere, quod longius eſt, ne a vero deviare videamur. Neque no-

nobis aut novum, aut erratitium videatur, cum dies paſſionis undecimo Kalendas Maii occurrat, a qua (ſicut videtur) Paſcha nomen accepit: licet Hebreæ linguæ interpretes tradant Paſcha tranſitum dici, quod tamen idem & Joannis Evangeliſtæ dicto fir- Joan. 13. matur, quo ait, cum de paſſione loqueretur: *Cum veniſſet hora, ut tranſiret Jeſus de hoc mundo ad patrem*. Non ergo nos dies una longius poſita terreat, ne cum hoc vitamus, incurramus errorem, ſicut tempore beatæ recordationis Domini mei, prædeceſſoris veſtri Zozimi, anno conſulatus Honorii Auguſti undecimo, & Conſtantii ſecundo. Tunc enim, cum declinaretur, ne decimo Kalendas Maii dies Paſchæ teneretur, celebratum octavo die Kalendas Aprilis, id eſt, pro emboliſmo, communis eſt annus tentus, & error graviſſimus eſt ortus in tantum, ut miniſterio certo, quod dono ſancti Spiritus miniſtratur, hæc veritas probaretur. Quod propterea credidi exponendum, quia locus ipſe etiam ſancto, atque a me venerando fratri meo Libanio Diacono notiſſimus eſt. Cujus myſterii miraculum tale eſt: Quædam viliſſima poſſeſſio, Meltinas appellatur, in montibus arduis, ac ſilvis denſiſſimis conſtituta, illicque perparva, atque vili opere conſtructa eſt Eccleſia. In cujus baptiſterio nocte ſacroſancta Paſchali baptizandi hora, cum nullus canalis, nulla ſit fiſtula, nec aqua omnino vicina, fons ex ſe repletur, paucisque qui fuerint conſecratis, cum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex ſeſe deſcendit. Tunc ergo (ſicut ſupra diximus) cum ſanctæ memoriæ Domino quondam meo, ac beatiſſimo Papa Zozimo, cum apud Occidentales error ortus fuiſſet, conſuetis lectionibus nocte ſacra diſcuſſis, cum presbyter ſecundum morem baptizandi, horam requireret, uſque ad lucem aqua non veniente, non conſecrati, qui baptizandi fuerant, receſſerunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, quæ luceſcebat in diem Dominicam, decimo die Kalendas Maii fons ſacer hora competente repletus eſt. Evidenti ergo miraculo claruit Occidentalium partium fuiſſe errorem. Hæc prout potuit, vel epiſtolaris brevitas paſſa eſt, jubente Apoſtolatu veſtro reſcripſi.

EPISTOLA LXIV.

Ad Martianum Auguſtum, de Paſcha.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

Cap. I. TAM multis documentis per omnes Chriſti Eccleſias fides veſtræ pietatis innotuit, ut ſi quid ſollicitudinum pro communi religione generatur, merito veſtrum quæratur auxilium. Et quia memor diſpenſationis mihi creditæ, neceſſe habeo curas meas, etiam in ea quæ ſunt futura, præmittere; non improbe cupio clementiæ veſtræ ſtudiis adjuvari, ut in ea obſervantia, quæ certa ſemper ratione variatur, nihil poſſit erroris incurri. Paſchale etenim feſtum, quo ſacramentum ſalutis humanæ maxime continetur, quamvis in primo ſemper menſe celebrandum ſit, ita tamen eſt lunaris curſus conditione mutabile, ut plerumque ſacratiſſimæ diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerumque quod non licet, ut non ſimul omnis Eccleſia, quod non niſi unum eſſe oportet, obſervet. Studuerunt itaque ſancti Patres occaſionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Epiſcopo delegantes: quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita eſſe videbatur peritia, per quam, quamvis ſingulis dies prædictæ ſolemnitatis eveniret, Sedi Apoſtolicæ indicaretur, ut hujus ſcripti ad longinquiores Eccleſias judicium generaliter percurreret. Sed ſanctæ memoriæ Theo- Cap. II. philus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, cum hujus obſervationis annos centum numero collegiſſet, ſeptuageſimo ſexto Paſchale feſtum longe aliter, quam alii decreverant, tenendum eſſe conſtituit, a primo auguſtæ memoriæ Theodoſii ſenioris conſulatu ſuccedentes ſibi ſacræ obſervantiæ ordines ponens: ut longioris temporis ratio ejus litteris teneretur adſcripta, cujus complectionis ſeptuageſimus & quartus eſt annus, in qua pridie Idus Aprilis ſanctum Paſcha celebravimus: ſequenti vero anno pridie nonas Aprilis, eadem, propitio Deo, erit habenda feſtivitas; ſicut regulariter centenariæ annotum rationis ordo declarat. Sed in anno, qui erit ſeptuageſimus ſextus, Paſchæ dies invenietur adſcriptus, quem a paſſione Domini nullius exempli, nullius Conſtitutionis admittit authoritas. Nam diem octavum Kalendarum Majarum ab eo cognoſcimus præfinitum, qui anni limitem, antiquitus conſtitutum, excedit: cum alii quintodecimo Kalendarum Majarum huic feſtivitati deputaverint diem. Siquidem ab undecimo Kalendarum Aprilium, uſque in *decimum Kalendarum Majarum, legitimum ſpatium ſit præfinitum. Intra quod omnium varietatum neceſſitas concludatur: ut Paſcha Dominicum, nec prius poſſimus habere, nec tardius. Quod enim in decimum, & in nonum Kalendarum Majarum videtur nonnunquam perveniſſe feſtivitas, quadam ratione defenditur. Quia etſi dies reſurrectionis ultra terminum videtur exiſſe, dies tamen paſſionis limitem poſitum non invenietur egreſſus. Ad octavum autem Kalendarum Majarum Paſchalem obſervantiam perducere, nimis inſolens & aperta tranſgreſſio eſt. Quia ergo Cap. III. in illa, ut dixi, centenaria ſupputatione Theophili, ſeptuageſimus ſextus annus diem Paſchæ contra morem Eccleſiaſticum ſtatuiſſe monſtratur, & non leviter delinquitur, ſi in principio ſacramenti veritas & unitas ab univerſali Eccleſia non tenetur; obſecro clementiam veſtram, ut ſtudium veſtrum præſtare dignemini, quatenus Ægyptii, vel ſi qui ſunt alii, qui certam hujus ſupputationis videntur habere notitiam, ſcrupulum hujus ſollicitudinis abſolvant, ut eum diem generalis obſervantia dirigat, qui nec paternarum conſtitutionum normam relinquat, nec ultra præfixos terminos evagetur. Quicquid autem pietas veſtra de hac conſultatione cognoverit, ad meam jubeat mox notitiam pervenire: ut in divinis myſteriis nulla diſſonantiæ culpa naſcatur. Data decimo ſexto Kalendas Julii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

*undecimus.

EPISTOLA LXV.

Ad Eudochiam Auguſtam, de Paſcha.

Leo Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, Eudochiæ Auguſtæ ſalutem.

SAnctæ memoriæ Theophilus ad Auguſtum Theodoſium ſeniorem ſcribens, per centum annos, a primo prædicti Principis conſulatu, digeſſit ordinem diei feſti, cujus inſtructionis ſeptuageſimus quartus nunc annus evolvitur, Opilione Conſule. Pridie Idus Aprilis celebrata eſt ſacra ſo-

le-

lemnitas, unde ſequenti anno, pridie nonas Aprilis eadem feſtivitas rationabiliter conſequitur. Sed annus, qui erit ſeptuageſimus ſextus, memorari Epiſcopi annotationem habere cognoſcitur, quæ a totius antiquitatis exemplo, & ab omni authoritate Patrum diſcordat. Siquidem in octavum Kalendarum Majarum Dominicum Paſcha tranſtulerit præfinitos antiquitatis limites nimis audenter excedens, cum die quinto-decimo Kalendarum Majarum Paſchalem ſolemnitatem (ſicut conſtituere alii) potuerit annotare. Unde quia non mediocris mihi ſollicitudo generatur, ne apud Ægyptios hæc perſuaſio probaretur, ad Chriſtianiſſimum & clementiſſimum Principem ſcripta direximus, quibus cauſam ſcrupuli diligenter expoſui, & ſuppliciter poſtulavi ut operam ſuam, quemadmodum conſuevit, religionis cultui dignanter impendat, ut eos, qui hujus ſupputationis perfectam videntur habere notitiam, in unum jubeat convenire, & diligenter inquirere, ne forte hæc definitio teneatur, & hic exceſſus, qui prioribus videtur repugnare temporibus noſtræ continentiæ, vel negligentiæ deputetur, & fiat in noſtris diebus, quod nunquam ante præſumptum eſt. Quia vero oportet Serenitatem tuam curæ iſtius mecum eſſe participem, & ne quid tale accidat, præcavere, crebrius religioſiſſimo & fideliſſimo Principi dignare ſuggerere, ut indiſſimulanter jubeat Ægyptios admonere, ne in ſummæ feſtivitatis die, aut diſſenſione aliqua, aut tranſgreſſione peccetur. Quiequid autem de hac re diligentius inveſtigare ſollicitudo veſtra potuerit, cito ad notitiam meam glorioſiſſimus Imperator jubeat pervenire: quia & ad ipſius, & ad omnium ſalutem pertinet, ut Dei cultus nullo errore lædatur. Data ſextodecimo Kalendas Julii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LXVI.

Ad Liciniam Eudochiam Auguſtam, de Monachis Palæſtinis.

Leo Epiſcopus, Eudochiæ Auguſtæ.

QUanta mihi Catholicæ cura ſit fidei, & qua ſollicitudine, in quantum Dominus adjuvat, debeat præcaveri, ne unquam ab imperitis & impiis veritatis Evangelio reſiſtatur, Pietatem veſtram ſcire non dubito. Et ideo cum ſalutationis officio, quo ſemper mihi eſt veſtra oranda clementia, obſecro Dominum, ut me tuam incolumitatem in cauſa fidei, in qua quorundam intra provinciam Palæſtinam Monachorum fuerant corda turbata, magis magiſque faciat adjuvare, ut tantum, quod Pietatis tuæ ſtudio fieri poteſt, hæreticæ perverſitati omnis fiducia ſubtrahatur. Quos enim nec ratio ſacramentorum, nec authoritas Scriptorum, nec ipſa ſacratorum locorum teſtimonia commovebant, quid eis, niſi abruptum periculum timeretur? Proſit ergo Eccleſiis (ſicut favente Deo & prodeſt, & proſit generi humano) in verbis Dei veſtram ibi eſſe voluntatem, ubi Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum vobis ſicut verum Deum, & verum quoque hominem, in unitate perſonæ, & mirabilium indicia, & paſſionum documenta loquuntur. Si ergo prædicti nomen Catholicum venerantur & diligunt, & inter Domini corpus ſe volunt membra nominari, pravos errores, quos temere admiſerant, deteſtentur, & agant pœnitentiam impiarum blaſphemiarum, cruentorumque factorum. Succumbat pro ſalute animarum ſuarum Synodalibus, quæ in civitate Chalcedonenſi ſunt confirmata, decretis. Et quia ad intelligendum ſacramentum ſalutis humanæ, niſi fides vera, & humilitas quieta non pervenit, credant in Evangelio, quod confitentur in Symbolo, nec impiis dogmatibus miſceantur. Fides enim Catholica ſicut damnat Neſtorium, qui in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto duas auſus eſt prædicare perſonas, ita damnat etiam Eutychen cum Dioſcoro, quod ab unigenito Dei Verbo negant in utero Virginis matris veritatem carnis humanæ ſuſceptam. Si quid autem erga prædictorum converſionem exhortatio veſtra profecerit, quod gloriam vobis præſtabit æternam, peto hoc mihi clementiæ veſtræ litteris indicetis, ut & in vobis boni operis fructum, * & illis gaudeam miſericordiam Domini non periiſſe. Data ſeptimo Kalendas Julii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

* & in illis.

EPISTOLA LXVII.

Ad Julianum Coenſem Epiſcopum.

Leo Epiſcopus, Juliano Coenſi Epiſcopo.

FRequentiſſime * dilectionem tuam ad hanc curam & diligentiam meis ſum litteris exhortatus: ut de his, quæ circa fidem aguntur, ſollicitudinem meam indeſinenter inſtrueres. Et cum omnibus occaſionibus ſcribere non quieſcam, quibuſdam tamen ſcriptis meis, id eſt, per filium noſtrum Rodanum, domeſticum filii noſtri viri illuſtriſſimi Aſparatii datis, nullum reſponſum tuæ fraternitatis accepi: tanquam ratio temporis non habuerit, ut quid poſt mea ſcripta ſit geſtum, potueris indicare. Et ideo per filium meum Rodanum his litteris te ſaluto: & ut opportunitatem ſcribendi non negligas, in quo quæſtus ſollicitudinis meæ relevatur, admoneo. Cum enim in te quandam mei Conſtantinopolitani habeant portionem, dignum pro communi amicitia eſt, & pro totius Eccleſiæ dilectione, inceſſabili te vigore proſpicere: ne quid poſſit de ſtatu fidei me latere. Quæ ergo per prædictos, vel ad glorioſiſſimum Principem, vel ad tuam dilectionem ſcripſi, ut celerrime tradantur effectui, opportunis ſuggeſtionibus elabora. Et quicquid fuerit (Deo auxiliante) depoſitum, ſcire me facito: ut perductis in effectum his, quæ rationabiliter ordinata ſunt, pax fidei, canonumque cuſtodia & ſecurior ubique habeatur & fortior. Data ſeptimo Kalendas Julii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

* ſæpiſſime.

EPISTOLA LXVIII.

Ad Julianum Epiſcopum.

Leo urbis Romæ Epiſcopus, Juliano.

An. Chriſti 456. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 15. ſcripta fuit hæc epiſtola & 4. ſequentes.

CHriſtianiſſimi Principis fidem ſæpe evidentiſſimis probavimus documentis, ac de noſtro gratias ago, qui talem dignatus eſt rebus humanis concedere pro ſua pietate rectorem: qui fidei cauſas & Reipublicæ, ſummæ vigilantiæ ſtudio tueretur, hæreticorum auſibus ſemper obſiſtens, & nihil eorum inſaniæ adverſum Catholicam fidem licere permittens: cujus poſt Deum beneficiis hoc debetur, quod Hieroſolymitanus Epiſcopus eſt receptus, & monachos, quos perfidia hæreticæ falſitatis invaſerat, ad ſanitatem Auguſta authoritas revoca-

vit. Mox itaque ut accepi epiſtolas tuas, talia continentes, non ſolum eadem die, ſed prope eadem hora reſponſum reddere maturavi, ut certior de omnibus, quæ ſcripſeras, reddereris. Fratrem Proterium Alexandrinæ urbis Epiſcopum gratulor ſatisfactionis plenas de fide ſua ad nos litteras direxiſſe, & manifeſte quidnam teneat, indicaſſe, cui me dignam gratiam, pro fidei ipſius ſinceritate, neceſſe eſt præſtare ut honorem in nullo ſuæ perdat Eccleſiæ, ſed ſedis ſuæ privilegia, paternæ antiquitatis exemplo, juxta canonum illibata jura poſſideat. De præſentis anni Paſcha nulla dubitatio eſſe nobis potuit, ſed futuro, quod Theophilus Alexandrinæ urbis Epiſcopus, nono Kalendarum Majarum die, quod nunquam ita a tempore Dominicæ reſurrectionis celebratum eſt, credidit adſcribendum. Unde ſollicitius congruit hoc requiri, ut omnis occaſio tollatur erroris. Nam in noſtris annalibus Kalendarum Majarum dies aptiſſime a patribus noſtris & conſtitutus legitur & celebratus. Ac ne vel apud nos, vel apud Orientales naſcatur ex hac parte diverſitas, hoc inſtantius noſtro nomine cum Chriſtianiſſimo Principe agere tua dignetur dilectio, quamvis & ipſe clementiſſimus Princeps ſe inquiſitione ſollicitiſſima, curam hanc Ægyptiis delegaſſe, ſuis epiſtolis dignatus ſit indicare. Epiſtolam ſane meam ad Chalcedonenſem Synodum datam præſentibus Epiſcopis & Clericis lectam fuiſſe, tuis epiſtolis retuliſti: ſed uſque ad illud capitulum quo ea, quæ de fide acta ſunt, meus videtur firmaſſe conſenſus. Unde miratus ſum, quod reliqua, quæ ſecuta fuerunt, non pariter in notitiam eorum, quibus ſunt lecta, prolata ſint: cum maxime omnibus innoteſcere debuiſſet, improbum a vobis ambitum notatum fuiſſe, ne novis uſurpationibus conſtituta, inviolata (ut ſemper ſcripſimus) ſervarentur. Etium Presbyterum, quem aſſeris fuiſſe diſcuſſum, gratulamur, cognitione habita, in omnibus fuiſſe purgatum. Epiſtolam quoque ad Chriſtianiſſimum Principem noveris me miſiſſe, in qua illi gratias egi, quia curam mihi ſuam, tam pro fidei cauſa, quam pro ſecuritate Reipublicæ dignatus eſt indicare. Aliam quoque ad nos epiſtolam dedit, interveniens pro Anatolio Epiſcopo, ut noſtri illi animi gratia præbeatur, quoniam correctionem ejus promittit, & in omnibus ſatisfacturum eſſe, quæ ad fidei obſervantiam pertinent, pollicetur. Data quinto Idus Januarii, Ætio & Studio viris clariſſimis Conſulibus.

De hoc S. Proterio vide Nicephorum lib. 15. c. 16.

EPISTOLA LXIX.

Ad Martianum Epiſcopum.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

PUritatem fidei Chriſtianæ, qua clementia veſtra præfulget, etiam his litteris, quas frater & Coepiſcopus meus Neſtorianus detulit, demonſtrat is juſtiſſime fratri meo Proterio Alexandrinæ urbis antiſtiti impendens favorem, quo mihi per omnia eſſet acceptior. Nam cui veſtra pietas teſtimonium perhibere dignatur, indubitanter eſſet probandus, etiamſi taceret. Sed accedit ad gratiam, quod proprio quoque ſermone cognoſcatur, & quam ſincerus ſit Catholici dogmatis prædicator, ipſius profeſſione clareſcat. Unde pleniſſimo affectu dilectionem orthodoxi fratris amplector, & Deo gratias ago, quod amoto eo, qui Evangelio Chriſti voluit contraire, & a ſanctorum Patrum intelligentia diſſentire, talem proſpexit Alexandrinæ Eccleſiæ ſacerdotem, qui præcedentibus rectoribus & fide concordaret & vita. Nam cum amplecti ſe epiſtolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum contra Eutychen impium miſi, toto corde profitetur, quid aliud, quam Apoſtolorum ſe diſcipulum oſtendit? Quoniam doctrina veritatis in lumine ſuo permanet, & non poteſt eſſe diverſum, quod unum eſt atque divinum. Reſcripſi itaque prædicto fratri, quod debui: atque in ſancto ſtudio, ut perſeveraret, admonui. Qui ſine dubio conſtantior erit, ſi etiam clementiæ veſtræ cohortationibus adjuvetur. Nec in aliquo eum terreat quorundam imperita diſſenſio, quos paucorum hæreticorum inſtigationibus ignorantia facit obnoxios. Quod ſua ergo negligentia aſſequi nequeunt, opportune eorum inſinuetur auditui. Et ne * memoratis nova inferre, & propria videatur adſtruere, venerabilium Patrum qui eidem Eccleſiæ præfuerunt, ſcripta relegantur: & quid B. Athanaſius, quid Theophilus, quid Cyrillus, quid etiam Orientales magiſtri de Incarnatione Domini ſenſerint, recognoſcant. Nec repullulantibus decipiantur erroribus, qui olim Evangelici ſermonis ſunt virtute proſtrati. Quoniam omnes fere hæreſes, quæ diverſis temporibus extiterunt, dum ſacramentum corporeæ nativitatis, & paſſionis, ac reſurrectionis Chriſti non intelligunt, ab Evangelio deviarunt. Et poſſemus minus laborare in hæreticis repellendis, ſi rudes animos ipſa non turbarent mendacia, quæ peremit antiquitas. Sed nunc (ut dixi) hic docendi optimus modus eſt, ut paternorum ſenſuum linea Alexandrinæ plebis & cleri auribus innoteſcat, ac ſi qui ſunt, qui noſtra ſcripta deſpiciant, illis ſaltem, qui nobiſcum Apoſtolicis ſenſibus congruunt, acquieſcant. In quo opere multum conſacerdotis noſtri devotione gaudebo, & ſemper ipſius unanimitate lætabor: quia fraterna pax non niſi una fidei confeſſione ſervatur. Quia vero quorundam hæreticorum verſuta nequitia ad conturbandum aliorum ſimplicitatem, epiſtolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum dedi, falſaſſe perhibetur, ut commutatis quibuſdam litteris, vel ſyllabis, receptorem me Neſtoriani erroris aſſereret: obſecro venerabilem clementiam veſtram, ut eandem epiſtolam per fratrem meum Julianum Epiſcopum, vel eos, quos idoneos ad hoc opus pietas veſtra delegerit, in Græcum ſermonem jubeatis integre, diligenterque tranſlatam, per idoneum latorem ſub veſtri ſignaculi impreſſione deferri, tradendam judicibus Alexandrinis, qui eam Clero & plebi ipſius civitatis, cum prædictorum Epiſcoporum prædicationibus, qui & meo ſcripto conſentiunt, faciant recitari: ut agnoſcant ſe fallacium hominum fraude ulterius decipi non debere, & probentur Apoſtolicæ Sedis ſinceri eſſe diſcipuli, apud quam nec Eutyches, nec Neſtorius ullum obtinent locum: quia ſicut alios hæreticos, ita & iſtos Eccleſia univerſalis damnavit. Data quinto Idus Martii, Ætio & Studio viris clariſſimis Conſulibus.

* Memoratus

EPISTOLA LXX.

Ad Martianum Auguſtum, in qua ſcribit de exilio Eutychetis, ut ad ſecretiora loca eum transferret, quia ubi poſitus erat, adhuc prava docebat.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

QUOD ſæpiſſime multa jam experimento docuerunt, ſanctum pietatis veſtræ ſtudium cir- Cap. I.

ca

ca religionem Chriſtianam glorioſis perſeverat & creſcit augmentis, & hæc fides clementiæ veſtræ non ſolum me, ſed & omnes Domini ſacerdotes conſolatur & roborat: dum in Chriſtianiſſimo Principe ſacerdotalem experimur affectum. Quem ſi Orientalium partium Sacerdotes ſtudeant imitari, nihil ſcandalorum, neque pax, neque fides Chriſtiana patietur. Unde cum Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad omnem pietatis profectum præſenti clementiæ veſtræ doceatur exemplo, ſi fideliter veſtris acquieſcat hortatibus, habebit in me ſinceræ gratiæ animum: tantum ut quod verbis ſpondet, corde perficiat. Si vero, quæ Deo & pietati veſtræ diſplicent, pertinaci intentione delegerit, ſalva manſuetudinis veſtræ reverentia, utar cum omnibus, & pro omnibus, vobis quoque annitentibus, adverſum ſuperbientem liberiore conſtantia: quem (quod ſæpe dicendum eſt) mallem pro ſanctis actibus fraterna charitate complecti, glorioſiſſime

Cap. 55. Imperator. Quia vero ſuggeſtiones meas pro tranquillitate Catholicæ fidei libenter accepiſtis, ſignificatum mihi fratris & Coepiſcopi mei Juliani (quem accepiſtis piiſſime) ſermone cognoſcite, Eutychen impium pro ſuis quidem meritis exulare, ſed in ipſo ſuæ damnationis loco multa adverſus integritatem Catholicam, blaſphemiarum deſperatius venena profundere; & quod in illo totus mundus horruit atque damnavit, impudentia majore, ut innocentes decipere poſſit evomere. Plenum itaque rationis æſtimo, ut veſtra clementia ad longinquiora loca eum jubeat & ſecretiora transferri. Monaſterio vero ejus Conſtantinopoli conſtituto, in quo habitatores ipſius Monachi Evangelica Apoſtolicaque doctrina crebrius ſunt & plenius roborandi, ſalubriter (ut arbitror) fiet, ſi is, qui ipſi monaſterio Præpoſitus eſſe dicitur, a ſocietate veneratoris veſtri Juliani Epiſcopi, quem in ſpeculis propter fidem illic eſſe conſtitui, non recedat: cujus aſſidua viſitatione profectus ſervo-

Cap. 215. rum Dei illic habitantium poſſit augeri. Petitionem autem de feſtivitate Paſchali gaudeo ita a veſtra pietate ſuſceptam, ut confeſtim Nectarium agentem in rebus Alexandriam mitteret de errore removendo, quem ſanctæ memoriæ Theophili conſtitutio videtur inferre. De qua re (ſicut ſcribere dignamini) quicquid ad pietatis veſtræ notitiam perlatum fuerit, jubete me noſſe: ut de obſervantia, quam non licet eſſe diverſam, quid potiſſimum ſit tenendum, Eccleſia univerſalis agnoſcat. Precor autem, quod veſtræ novi Clementiæ convenire, ut eos maxime tueamini contra omnes inſidias, quos mihi & veſtræ manſuetudini propter amorem fidei placere cognoſcitis, ut eos Conſtantinopolitanus Epiſcopus lædendi non habeat facultatem. Data decimo ſeptimo Kalendas Maij,

Martii. Ætio & Studio viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA LXXI.

Ad Anatolium Epiſcopum, per Nectarium agentem in rebus directa.

Leo Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo.

Cap. 2. SI firmo incommutabilique propoſito, dilectio tua curam gratiæ communis habuiſſet, nihil profecto, quod ullam anxietatem tibi ingereret, extitiſſet. Non enim ſinebat ratio, ut ejus charitatem ſpernerem, quem amore pacis, & ſtudio reparandæ Catholicæ fidei inter ipſa Epiſcopatus rudimenta juviſſemus, optans in Eccleſiaſticis curis talem habere conſortem; ut mihi de ſanctis prædeceſſoribus tuis, nec Joannis ſpiritualem copioſamque doctrinam, nec authoritatem Attici, nec induſtriam Procli, nec fidem beati Flaviani deeſſe ſentirem: & ita ſtudiis tuis uterer, ut nullus auderet, vel fidei Catholicæ reſultare, vel Nicænis venerabilium Patrum regulis contraire. Sed cum in injuriam canonum (ut agnoſcis) illa tentata ſint, quæ omnibus Eccleſiis ſcandalum maximum generarent, quid aptius ac modeſtius facerem, quam ut te primum, ut ab hac intentione diſcederes, fraterno animo, miſſis litteris, admonerem? Ad quas cum non reſcriberes, ipſe a colloquii mei conſortio ſeparaſti. Denique inde jam tacui, ſed clementiſſimo Principi, cuſtodi fidei, frequenti litterarum petitione, ſuggeſſi, ut pro pace Eccleſiarum, quam tibi maxime prodeſſe cognoſcis, hæc quæ nunc a tua dilectione facta ſunt, implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quod ſecundum eruditionem Spiritus ſancti, cujus eſt virtute pleniſſimus, ſacerdotali dignetur ſtudere concordiæ, ſciens ſibi orationes ſupplicantium copioſius profuturas, ſi famuli unius Domini in nullo ſint & veræ pacis unitate diviſi. Quod ergo in Conſtantinopolitana Ec- Cap. 11.
cleſia quædam in officiis Clericorum correcta ſignificas, ut & Etium Presbyterum in gratiam tuam, affectionemque revocaveris, & Andream Archidiaconi actione ſubmoveris, nobis placuiſſe reſcribo: quia æſtimationem tuam (ut optabam) plurimum erigit atque commendat. Et merito poſt correctionem in oblivionem deducitur, quod reprehenſioni obnoxium videbatur, cum hæreticorum provectione, & ſanctæ memoriæ Flaviani injuria gravareris, quæ nunc ſimul ab omni offenſione, cum tui (ut volui) laude ceſſarunt: quia in ordinem ſuum, quæ fuerant turbata, redierunt, Andream ſane, qui rationabiliter Archidiaconi eſt privatus officio, & Euſratam, qui ſanctæ memoriæ Flaviani (ut comperi) improbus extitit accuſator, ſi profeſſionibus pleniſſime ſcriptis non minus Eutychianam hæreſim, quam Neſtorianum excerabile dogma condemnet, quoniam venia eſt præſtanda correctis. Presbyteros conſecrabis, ut ſibi remedium Catholicæ fidei ſentiant profuiſſe, electo primitus & probato, qui Archidiaconi officium poſſit implere, id eſt, quem nulla unquam prædictarum impietatum fama reſperſerit. Cæteri vero, quos par reatus involuerat, ſi veniam ſimili profeſſione cum ſatisfactione depoſcunt, ſuis ordinibus reformentur; his tantum ad officiorum primatum admiſſis, quos ab omni errore liberos fuiſſe conſtiterit. Illam Cap. 511.
autem culpam, quam de augenda poteſtate, aliena (ut aſſeris) adhortatione contraxeras, efficacius, atque ſincerius tua charitas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit, non ad ſola Clericorum conſilia transtuliſſes. Quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ita & in mala conſenſione peccatur. Sed gratum mihi (frater chariſſime) eſt, quod dilectio tua id profitetur ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regreſſum profeſſio dilectionis tuæ, & atteſtatio principis Chriſtiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis aſſertor acceſſit. Abjiciatur penitus inconceſſi juris, qui diſſenſionem fecerat, appetitus. Sufficiant limites, quos ſanctorum Patrum providentiſſima decreta poſuerunt: ut quieta ſit ſuis meritis, & antiquis privilegiis, dignitas omnium ſacerdotum, renovetur, & maneat in te Dominicæ charitatis affectio, ad quam dilectionem tuam ſæpius cohortatus ſum cum fratre &

Coepiſcopo noſtrò Juliano, qui communem gratiam ſemper optavit › cujus induſtria & ſolicitudines tuæ relevabuntur, & fides Catholica munietur. Super omnia autem fraterna charitate hortor & moneo, ut ea quæ ad gloriam, vel ad munimen pertinent Sacerdotalis officii, Nicænorum canonum univerſalis Eccleſiæ pacem ſervantia decreta cuſtodias. Sic enim inter Domini Sacerdotes inviolata charitas permanebit : ſi paribus ſtudiis, quæ ſunt a ſanctis Patribus conſtituta, ſerventur. Data 4. Kalendas Junii, Ætio & Studio viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA LXXII.

Beati Leonis Papæ ad Juvenalem Hieroſolymitanum Epiſcopum.

Leò urbis Romæ Epiſcopus, Juvenali Epiſcopo Hieroſolymitano.

[CAP. I.] ACceptis dilectionis tuæ litteris, quas ad nos filii noſtri Andreas Presbyter & Petrus Diaconus detulerunt, gaviſus equidem ſum, quod tibi ad Epiſcopatus tui ſedem redire licuiſſet : ſed confluentibus in recordationem omnibus cauſis, quæ te per quoſdam exceſſus laborare fecerunt, dolui adverſitatum tuarum temetipſum tibi fuiſſe materiam, & reſiſtendi hæreticis perdidiſſe conſtantiam, qui æſtimant, non eſſe tibi liberum, ut audeas redarguere, quos tibi profeſſus ſis in ſuo errore placuiſſe. Beatæ enim memoriæ Flaviani condemnatio, & impiiſſimi Eutychetis receptio, quid niſi Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem negatio fuit, quam ipſe grandi miſericordia ſua fecit reſolvi? cum deteſtandum illud Epheſinæ Synodi judicium, ita ſancta Chalcedonenſis Concilii authoritate deſtruxit, ut nullum depravatorum a remedio correctionis arceret. Unde quia in tempore indulgentiæ reſipiſcentiam magis quam pertinaciam delegiſti, ita gaudeo te cœleſtem expertiſſe medicinam, ut fidei ab hæreticis [1. Cor. 14.] impugnatæ tandem poſſis eſſe defenſor. Quamvis enim nulli ſacerdotum liceat neſcire, quod prædicat, quoniam qui ignorat, ignorabitur, inexcuſabilior tamen eſt omnibus imperitis quilibet Hieroſolymis habitans Chriſtianus, qui ad cognoſcendam virtutem Evangelii, non ſolum paginarum eloquiis, ſed ipſorum locorum teſtimoniis eruditur. Et quod alibi non licet non credi, ibi non poteſt non videri. Quid laborat intellectus, ubi eſt magiſter aſpectus? Et cur lecta, vel audita ſunt dubia, ubi ſe & viſui & tactui tot humanæ ſalutis ingerunt ſacramenta? Quaſi ad ſingulos quoſque cunctantes Dominus adhuc voce corporea utatur, [Luc. 24.] & dicat: *Quid turbati eſtis, & quare cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Palpate & videte, quia ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habere.*

[CAP. II.] Utere igitur, frater chariſſime, invictiſſimis Catholicæ fidei documentis, & Evangeliſtarum prædicationem ſanctorum locorum, in quibus degis, [Luc. 1.] teſtificatione defende. Apud te eſt Bethleem, in qua ſalutifer Davidicæ Virginis partus illuxit, quem obvolutum pannis inter anguſtias diverſorii, præ- [Matth. 2.] ſepe ſuſcepit. Apud te eſt declarata ab Angelis, ado- [Luc. 2.] rata a Magis, & per multorum infantium mortes ab [Luc. 3.] Herode quæſita Salvatoris infantia. Apud te eſt, ubi pueritia ejus adolevit, ubi adoleſcentia maturuit, & per omnia incrementa corporea, in virum perfectum veri hominis natura profecit, non ſine [Matth. 4.] cibo eſuritionis, non ſine ſomno quietis, non ſine [Marc. 4.] fletu miſerationis, nec ſine pavore formidinis. Unus [Joan. 11.] enim atque idem eſt, qui & in Dei forma operatus eſt miracula magna virtutis, & in forma ſervi ſubiit ſævitiam paſſionis. Hoc ibi ipſa crux indeſinenter loquitur, hoc lapis clamat ſepulchri, in quo Dominus humana conditione jacuit, & de quo divina potentia reſurrexit. Et cum ad montem Olive- [Matth. 26.] ti, locum aſcenſionis veneraturus, accedis, nonne [Joan. 19.] illa vox angelica in tuo reſultat auditu, qua eleva- [Matth. 28.] [Act. 1.] tionem Domini ſtupentibus dicitur: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Jeſus qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.*

[CAP. III.] Veram igitur Chriſti generationem crux vera confirmat, quoniam ipſe in noſtra carne naſcitur, qui in noſtra crucifigitur, quæ nullo interveniente peccato, niſi fuiſſet noſtri generis, non potuiſſet eſſe mortalis. Ut autem repararet omnium vi- [Coloſſ. 2.] tam, recepit omnium cauſam & vim veteris chirographi, quod ſolus inter omnes non debuit, pro omnibus ſolvendo vacuavit: ut ſicut per unius rea- [Rom. 5.] tum omnes facti fuerant peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes: inde in homines manante juſtitia, ubi eſt humana ſuſcepta natura. Nulla enim ratione extra noſtri eſt corporis veritatem, de quo Evangeliſta prædicationem inchoans dicit: *Liber generationis Jeſu Chriſti filii Abraham*: Et qui Samaritanæ mulieri proteſtatur, [Matth. 1.] quoniam ſalus ex Judæis eſt, beati Pauli Apoſtoli [Joan. 4.] [Rom. 9.] conſonante doctrina, cum dicit: *Quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Itemque ad [1. Tim. 2.] Timotheum: *Memento*, inquit, *Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David ſecundum carnem.*

[CAP. IV.] Hæc autem veritas quantis & novi & veteris Teſtamenti authoritatibus declaretur, pro antiquitate ſacerdotii tui evidenter agnoſcis, cum fides patrum & ſcripta mea ad ſanctæ memoriæ Flavianum data, quorum mentionem ipſe feciſti, adjecta univerſalis Synodi confirmatione ſufficiant. Unde proſpicere oportet dilectionem tuam, ne contra redemptionis, ac ſpei noſtræ ineffabile ſacramentum, ullus obmurmuret. Sed ſi qui ſunt, qui ahuc aut ignorantia caligant aut perverſitate diſcordant, eorum quorum in Eccleſia Dei Apoſtolica fuit & eſt clara doctrina, authoritatibus inſtruantur & de Incarnatione Verbi Dei hoc nos credere, quod illi crediderе, cognoſcant, neque ſe extra corpus Chriſti, in quo commortui & conreſuſcitati ſumus, ſua obduratione conſtituant: quia nec pietas fidei, nec ratio ſuſcipit ſacramenti, ut aut in ſua eſſentia paſſibilis fuerit deitas, aut in noſtræ naturæ ſuſceptione mentita ſit veritas. Particulam Dominicæ crucis cum eulogiis dilectionis veſtræ veneranter accepi. Data pridie Nonas Septembris, Ætio & Studio viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA LXXIII.

Ad Leonem Auguſtam.

Leò Romæ Epiſcopus, Leoni ſemper Auguſto.

OFficiis, quæ ad gratulationem Imperii veſtri [An. Chriſti 409. qui fuit annus Pontificatus S.] pertinent, perſolutis, etiam hanc paginam neceſſariæ ſupplicationis adjeci: qua Catholicæ fidei di-

Digitized by Google

Leonis 28. ſcripta eſt hæc epiſtola, & 3. ſequentes.

divinitus præparatum favori veſtri poſco præſidium. Nam talia in Alexandrina Eccleſia perpetrata, fratris & Coepiſcopi mei Anatolii relatione cognovi, ut omnis Chriſtiana religio ſentiat ſe impeti atque violari, niſi univerſali fidei veſtra devotione proſpiciatur, & memoratæ Eccleſiæ, quæ antea Catholicis fuit clara doctoribus, reddatur Chriſtiana libertas, ut ceſſantibus hæreticorum impugnationibus, Evangelica doctrina, quæ illic ante Dioſcorum viguit, unita cum totius Eccleſiæ pace reparetur. Quod opus virtutibus veſtris, gloriæque conveniens, celerem & Deo placitum habebit effectum, ſi apud ſanctam Chalcedonenſem Synodum de Domini Chriſti Incarnatione firmata, nulla permiſeritis retractatione pulſari: quia in illo Concilio per Spiritum ſanctum congregato, tam plenis atque perfectis diffinitionibus cuncta firmata ſunt, ut nihil ei regulæ, quæ ex divina inſpiratione prolata eſt, aut addi poſſit, aut minui. Hoc autem etiam apud clementiæ veſtræ ſcientiam non ambigimus eſſe perſpicuum, ſiquidem (ut multorum ante relatione comperimus) molitiones hæreticorum, quæ contra prædictæ Synodi authoritatem conbantur aſſurgere, nihil ex hoc permiſeritis audere. Unde quod negandum illis ſponte vidiſtis, glorioſum vobis eſt univerſali Eccleſiæ, me ſupplicante, concedere, & incommutabiliter perpetuoque præſtare, ut quæ ſecundum Evangelium Chriſti & prædicationis Evangelicæ veritatem omnibus retro ſæculis, una fide, unaque intelligentia roborata ſunt, nulla ulterius poſſint actione convelli. Prout ergo miſericordia Dei conſilio ſpiritus ſui mentem veſtræ pietatis inſtruxerit, ſanctæ primitus Alexandrinæ Eccleſiæ pacis reparationl conſulite, & per Catholicos ſacerdotes talem provideri jubete Pontificem, in quo & in actuum probitate, & in fidei perfectione nihil poſſit reprehenſibile reperiri: ut omnibus rite compoſitis, eadem ubique ſervetur prædicatio veritatis. Data quinto Idus Junii, Conſtantino & Ruſo viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA LXXIV.

Ad Leonem Auguſtum.

Leo Epiſcopus Romæ, Leoni ſemper Auguſto.

LIcet proxime ad clementiam veſtram gemina ſcripta direxerim, quorum unum debitum ſalutationis impleret, alind pro ſtatu Eccleſiæ ſupplicaret; tamen occaſione, quæ Deo providenre ſe præbuit, iterari utrumque convenit. Secundum ergo fiduciam illam, quam ex Dei inſpiratione univerſali Eccleſiæ præſtitiſtis, ante cujuſquam preces conſtituendo, quod maxime ab omnibus fuerat expetendum, non deſinimus gratias agere, & providentiam Dei in fidei veſtræ ſervore benedicere, qui ſancto & Catholico ſpiritu, ſicut fratris & Coepiſcopi mei Anatolii ſermone cognovi, ita hæreticorum impudentiæ reſtitiſtis, ut profiteremini, ad totius mundi pacem Chalcedonenſis Synodi vos eſſe cuſtodem. Quod cum ex veſtræ fidei ſententia ſaluberrime diffinitum ſit, quanto ſtudioſius univerſali Eccleſiæ eſt conferendum, ut tranquillitas fidei Chriſtianæ etiam veſtro proſit imperio, nec improbitas hæretica in aliquo ſuo molimine glorietur? Cujus pertinax inſidioſa contentio illico conquieſcet; ſi imperiali poteſtate frænetur. Data Kalendis Septembris, Coſtantino, & Ruſo viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA LXXV.

Ad eundem Leonem Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Leoni Auguſto.

LItteras clementiæ tuæ plenas virtute fidei & lumine veritatis veneranter accepi, quibus cuperem etiam in eo, quod præſentiam meam pietas veſtra neceſſariam exiſtimat, obedire, ut majori fructu conſpectum veſtri ſplendoris aſſequerer: ſed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonſtravit. Nam cum ſancto ſpiritualique ſtudio univerſam pacem Eccleſiæ muniatis, nihilque ſit convenientius fidei quæ per omnia, inſtruente Spiritu ſancto, irreprehenſibiliter definita ſunt, inhærere: ipſi quomodo videbimur ſtatuta velle convellere, authoritates, quas Eccleſia univerſalis amplexa eſt, ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere, atque ita nullum corrigendis Eccleſiis modum ponere; ſed data licentia debellandi, dilatare magis, quam ſopire certamina? Unde, quia poſt illas Epheſinæ Synodi impietates, quibus Dioſcori ſcelere fides Catholica reſutata, perverſitas Eurychiana ſuſcepta eſt, nihil ad confirmationem fidei Chriſtianæ utilius potuit ordinari, quam ut prædicti facinus ſancta Synodus Chalcedonenſis aboleret, & tanta illic haberetur cœleſtis cura doctrinæ, ut nihil in cujuſquam opinione reſideret, quod a prædicationibus vel Propheticis, vel Apoſtolicis diſſonaret, ea ſcilicet moderatione ſervata, ut rebellibus tantum ac pertinacibus ab Eccleſiæ unitate rejectis, nulli correcto venia negaretur. Quid probabilius, quid religioſius poterit pietas veſtra decernere: quam ut quæ non tam humanis quam divinis ſunt ſtatuta decretis, nullus ultra ſinatur impetere, ne vere digni ſint Dei munus amittere, qui de veritate ipſius auſi ſuerint dubitare? Cum ergo univerſalis Eccleſia per illius principalis petræ ædificationem facta ſit petra, & primus Apoſtolorum beatiſſimus Petrus voce Domini audierit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, quis eſt, niſi aut Antichriſtus aut diabolus, qui pulſare audeat inexpugnabilem veritatem, qui in malitia ſua inconvertibilis perſeverans, per vaſa iræ & ſuæ apta fallaciæ, falſo diligentiæ nomine, dum veritatem ſe mentitur inquirere, mendacia deſiderat ſeminare? atque contemnenda & vitanda merito ſibi incontinens furor, & impietas cæca præſcripſit, ut diabolico inſtinctu, dum in ſanctam Alexandrinam ſævit Eccleſiam, quales eſſent qui Chalcedonenſem ſynodum retractari cupiunt, diſceretur, in qua nullo modo accidere potuit, ut a vobis contra ſanctam Nicænam ſynodum ſentiretur, quod hæretici mentiuntur, qui ſe fidem Nicæni Concilii tenere confingunt: in quo ſancti & venerabiles Patres noſtri contra Arrium congregati, non carnem Domini, ſed deitatem Filii ὁμουσιον Patri eſſe firmavere; in Chalcedonenſi autem Concilio adverſum Eutychianam impietatem definitum eſt de ſubſtantia Virginis matris Dominum Jeſum Chriſtum ſumpſiſſe noſtri corporis veritatem. Apud Chriſtianiſſimum Principem igitur & inter Chriſti prædicatores digno honore numerandum, utor Catholicæ fidei libertate, & ad conſortium te Apoſtolorum, ac Prophetarum ſecurus exhortor: ut conſtanter deſpicias ac repellas eos, qui ſe Chriſtiano nomine privavere, nec patiaris impios

Cap. I. — Cap. II. — Cap. III.

Digitized by Google

parricidas ſacrilega ſimulatione de fide agere, quos conſtat a fide deviare. Cum enim clementiam tuam Dominus tanta ſacramenti ſui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam: ut auſus nefarios comprimendo, & quæ bene ſunt ſtatuta, defendas, & veram pacem his quæ ſunt turbata, reſtituas, depellendo ſcilicet pervaſores juris alieni, & antiquæ fidei ſedem Alexandrinæ Eccleſiæ reformando, ut correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, regiæ civitati non retribuat, quæ antea admiſſa ſunt; ſed remittat. Conſtitue ante oculos cordis tui, venerabilis Imperator, omnes, qui per totum orbem ſunt, Domini ſacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi eſt redemptio, ſupplicare: in qua re ſpecialius ambiunt, qui Apoſtolicæ fidei ſectatores Alexandrinæ Eccleſiæ præſedere, agentes apud Pietatem tuam, ne hæreticos homines, & merito pro ſua perverſitate damnatos uti ſua perſuaſione patiamini, cum ſive impietatem errorum aſpicias, ſive opus perpetrati furoris attendas, non ſolum ad ſacerdotii honorem admitti nequeant, ſed ab ipſo Chriſtiano nomine mereantur abſcindi. Nam (quod exorata Pietatis veſtræ venia dixerim) quodam contagio ſplendorem veſtræ ſerenitatis obfuſcant, cum ſacrilegi parricidæ id audeant petere,

Cap. iv. quod nec innocentes liceat obtinere. Oblatæ ſunt Pietati veſtræ preces, quarum exempla veſtris litteris ſubdidiſtis, ſed in his quæ Catholicorum ſunt deplorantium, ſubſcriptio continetur, & quia cauſa probabilis eſt, fiducialiter nomina ſingulorum, vel dignitas ſui honoris aperitur. In illis autem, quas orthodoxo Principi hæretica porrigere non formidavit obreptio, ſub incerto confuſæ unitatis vocabulo, ideo certum nomen retrahitur, ne non ſolum paucitas perſonarum, ſed etiam meritum detegatur. Latere enim ſibi utile æſtimat eorum quantitas, quorum eſt & qualitas judicata, nec incongrue cujus loci homines ſunt profiteri metuunt, qui meruere damnari. In una ergo Catholicorum ſupplicatio continetur, in alia hæreticorum commenta panduntur. Hic ſacerdotum Domini, & totius Chriſtiani populi ac monaſteriorum defletur everſio: ibi immanium ſcelerum continuatio demonſtratur, ut quod non licuit audiri, liceat dilatari.

Cap. v. Matth. 21. Marc. 11. Lucæ 19. 3. q. 1. Manifeſtum eſt per crudelis. Vide Evagrium l. 2. c. 8. & Niceph. lib. 15. c. 16.

Nonne perſpicuum eſt, quibus pietas veſtra ſuccurrere, & quibus debeat obviare, ne Alexandrina Eccleſia, quæ ſemper fuit domus orationis, ſpelunca nunc ſit latronum? Manifeſtum quippe eſt, per crudeliſſimam, inſaniſſimamque ſævitiam, omne illic cœleſtium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta eſt Sacrificii Oblatio, defecit Chriſmatis ſanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxere myſteria. Nec ullo modo ambigi poteſt, quid de his decernendum ſit, qui poſt nefanda ſacrilegia, poſt ſanguinem probatiſſimi Sacerdotis effuſum, & concremati corporis cinerem, in contumeliam aeris cœlique diſperſum audeant ſibi jus perſuaſæ dignitatis expetere & Apoſtolicæ doctrinæ inviolabilem fidem ad Concilia provocare. Magnum ergo vobis eſt, ut diademati veſtro de manu Domini etiam fidei addatur corona, & de hoſtibus Eccleſiæ triumphetis: quia ſi laudabile vobis eſt adverſarum gentium arma conterere, quanta erit gloria, ab inſaniſſimo tyranno Alexandrinam Eccleſiam, in cujus contritione omnium Chriſtianorum eſt injuria, liberare. Ut autem litteræ meæ Pietati tuæ colloquium quaſi præſentis exhibeant, quicquid de communi fide fueram ſuggeſturus, ſcriptis proſequentibus inſinuandum eſſe perſpexi. Ac ne hujus epiſtolæ pagina in nimiam longitudinem tenderetur, aliis litteris, quæ aſſertioni Catholicæ fidei congruunt, comprehendi, ut licet ea quæ a Sede Apoſtolica ſunt prædicata ſufficerent, inſidias tamen hæreticorum etiam hæc, quæ ſunt adiecta, reſerarent. Sacerdotalem namque & Apoſtolicum tuæ pietatis animum, etiam hoc malum ad juſtitiam ultionis debet accendere: quod Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ puritatem peſtilenter obſcurat, in qua inveniuntur Clerici quidam, hæreticorum ſenſui conſonantes, & intra ipſa Catholicorum viſcera aſſertionibus ſuis hæreticorum partum adjuvantes. In quibus deturbandis, frater meus Anatolius cum nimis benigne parcit, ſegnior invenitur: dignamini pro fide veſtra, etiam Eccleſiæ iſtam præſtare medicinam, ut tales non ſolum ab ordine clericatus, ſed etiam ab urbis habitatione pellantur, ne ulterius ſanctus Dei populus perverſorum hominum contagio polluatur. Cultores autem pietatis tuæ Julianum Epiſcopum, & Eutychium Presbyterum mea petitione commendo, ut ſuggeſtiones eorum pro Catholicæ defenſione fidei placide dignetis audire: quia vere ſunt ejuſmodi, ut fidei veſtræ poſſint per omnia utiles inveniri. Data Kalendas Novembris, Conſtantino & Ruſo viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA LXXVI.

Ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

Leo Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo.

Diligentiam neceſſariæ ſollicitudinis, quam Fraternitas tua in dirigendis ad nos litteris exequitur, approbamus, & acceptis per filium noſtrum Olympium paginis tuis, ſacerdotalem in te curam vigere ſentimus: cui nos quoque (quantum Dominus dat poſſe) non deſumus, exorantes dilectionem tuam, ut quia tempus laboris incidimus, in ſancta vigilantia perſeveres, donec dextra Domini faciat virtutem, & ſub pedibus Eccleſiæ ſuæ conterat tentatorem. Pſal. 117. Conſolatur etenim nos per omnia præparata divinitus clementiſſimi Principis fides, quem meo rurſus, ſicut oportuit, ſum cohortatus alloquio: ut impiiſſimorum latronum auſibus, diſtrictiore conſtantia faciat obviari, quos nefas eſt tantum de ſuo favore præſumere, ut etiam apud Conſtantinopolim audeant inſanire. Sed hoc eis ideo divinæ providentiæ ratione permittitur, ut magis ac magis quo ſpiritu agitentur, appareat: ne dubitari poſſit, in quantam eſſent audaciam prorupturi, ſi poſt damnationem impiiſſimæ hæreſis diſceptandi contra fidem acciperent poteſtatem, ut quantum in ipſis eſt, latius hoc furore ſævirent, quem fratres & Coepiſcopi noſtri, qui ad nos nuper ex Ægypti partibus confugere, ſe pertuliſſe deplorant: quibus & a Chriſtianiſſimo Principe, a tuæ fraternitatis Deo placita charitate ſolatia pietatis impendi non ambigerem, etiamſi ipſe non ſcriberes. Opportunum autem credidi, ut ad ipſos quoque ſcripta dirigerem, quæ illos poſſint in communis fidei propoſito roborare, & quid pro patientia ſua ſuperna remuneratione mereamur, agnoſcerent. Sicut beatus Apoſtolus docet, dicens: *Excipite itaque illos cum gaudio in Domino, & hujuſmodi cum honore habete, quoniam propter fidem Chriſti uſque ad mortem acceſſerunt.* Philip. 2. Illud ſane plurimum mihi diſplicere ſignifico, quod inter dilectionis tuæ Clericos quidam eſſe dicuntur, qui adverſationem conniveant pravitati, & vaſa 24. q. 3. Illud autem ſane.

iræ

iræ vaſis miſericordiæ miſceantur. Quibus inveſtigandis & ſeveritate congrua coercendis debet diligentia tua vigilanter inſiſtere: ita ut his, quibus prodeſſe non potuerit correctio, non parcat abſciſſio. Oportet etenim nos Evangelici meminiſſe mandati, quod ab ipſa veritate præcipitur, ut ſi nos oculus, aut pes, aut dextera ſcandalizaverit, manus a compage corporis auferatur: quia melius ſit, his in Eccleſia carere membris, quam cum ipſis in æterna ire ſupplicia. Nam ſuperfluo extra Eccleſiam poſitis reſiſtimus, ſi ab his qui intus ſunt, in eis quos decipiunt vulneramur. Abjicienda prorſus peſtifera hæc a ſacerdotali vigore patientia eſt, quæ ſibimet peccatis aliorum parcendo non parcit. Sicut Heli quondam ſacerdos filiorum ſuorum delicta tolerando, cum ipſis divinæ juſtitiæ ſententiam meruit experiri; quia ſegni indulgentia diſſimulavit plectere peccatores. Quantum itaque opportunitas invitat officii, religioſiſſimum Principem dilectio tua ſtudeat frequentare, & non ſolum regiam, ſed & ſacerdotalem ipſius mentem precibus meis obſecrare perſiſte: ut memor communis fidei quam Spiritu ſancto docente ſuſcepimus, omnia hæreticorum machinamenta confringat, neque quicquam illis in Eccleſiis Chriſti licere patiatur, ne in eorum poteſtate ſint divina myſteria, quibus in domo Dei, pro ſcelerum ſuorum magnitudine, nec habitandi jus reſidet, nec orandi. Data * pridie Idus Octobris, Conſtantino & Ruſo viris clariſſimis Conſulibus.

Matth. 18. Marc. 9.

1. Reg. 2.

* quinto.

EPISTOLA LXXVII.

Ad Anatolium Epiſcopum, per Patricium Diaconem miſſa.

Leo Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo.

An. Chriſti 460. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 20. ſcripta eſt hæc epiſtola & 2. ſequentes.

LEctis dilectionis tuæ litteris, quas per filium noſtrum Patricium Diaconem direxiſti, intellexi ſibi ſtudium meæ ſollicitudinis diſplicere, qua ſecundum Dominicam charitatem, quam tibi a nobis impendi, ut experimentis plurimis approbaſti, de cavendis his, qui communis fidei adverſarii dicerentur, admonui, ne ad negligentiam rectoris referretur, ſi quiſquam in Eccleſia Catholica ea prædicare præſumeret, quæ hæreticorum ſenſibus convenirent. Quod utrum veraciter fama jactaret, dilectionis tuæ inquirendum judicio delegavi. Neque in aliquo honorem tuum læſi, cui diſcutienda ea, quæ ad me erant perlata, commiſi: ut ſcilicet Atticus Presbyter, quem talia audere cognoveram, niſi perfecta ſe ſatisfactione purgaſſet, & non ſolum voce hæreticos, ſed etiam propriæ manus ſubſcriptione damnaſſet, a communionis gratia eſſet alienus. Qui ſcripta mittendo dubiæ fidei & profeſſionis incertæ, confirmavit magis, quam diluit quicquid ad nos de eo fama pertulerat: cum ſi conſcientiam ſuam voluiſſet probare ſinceram, non Eutychen ſibi odioſum fuiſſe, ſed quod perfidiam ipſius reprobaret atque damnaret, debuit confiteri: quia aliud ſunt humanæ, etiam inter Catholicos, ſimultates, aliud diabolici, quos fides Catholica damnat, errores. Et ideo, frater chariſſime, in nullo debes de noſtra dilectione dubitare, ſi Prophetæ exemplum ſequaris, & dicas: *Nonne qui te oderant, Domine, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Per omnia enim volo te eſſe certiſſimum, quod ſicut meam exiſtimationem illæſam cupio permanere, ita opto te quoque in omnibus irreprehenſibilem reperiri. Prædictus autem Atticus, ut ab omni ſuſpicione contraria liber appareat, quid in Eutychete anathematizet, ac damnet, evidenter oſtendat, & in damnationem erroris expreſſi, remota omni dubitatione, ſubſcribat: ita ut Chalcedonenſis Symboli definitionem de fide, cui etiam dilectio tua ſubſcribendo conſenſit, & quam Apoſtolicæ Sedis firmavit authoritas, profiteatur ſe per omnia ſervaturum, adjecta ſubſcriptione propriæ manus, quæ in Eccleſia Chriſtiano populo præſente recitetur: ut pro Catholica fide, neque nos negligentes, neque ipſe ultra ſuſpectus habeatur. Qui ſi in eadem pravitate perdurans, præceptis ſalubribus parere noluerit, ſententiam Synodi Chalcedonenſis, cujus definitionibus reſultat, excipiat. Data 15. Kalendas Aprilis, Leone & Majorano Auguſtis Conſulibus.

Pſal. 138.

EPISTOLA LXXVIII.

Ad Leonem Auguſtum per Philonem in rebus agentem directa.

Leo Epiſcopus, Leoni Auguſto.

MUlto gaudio mens mea exultat in Domino & magna mihi eſt ratio gloriandi, cum clementiæ veſtræ excellentiſſimam fidem augeri per omnia donis gratiæ cœleſtis agnoſco: & per incrementa diligentiæ devotionem in vobis animi ſacerdotalis experior. Nam in veſtræ pietatis alloquiis non dubie patet, quid per vos in totius Eccleſiæ ſalutem Spiritus ſanctus operetur, & quantum univerſorum Fidelium precibus ſit optandum, ut in omnem gloriam veſtrum extendatur imperium, qui ſupra curam rerum temporalium, religioſæ providentiæ famulatum divinis & æternis diſpoſitionibus perſeveranter impenditis: ut ſcilicet Catholica fides, quæ humanum genus ſola vivificat, ſola ſanctificat, in una confeſſione permaneat, & diſſenſiones, quæ de terrenarum opinionum varietate naſcuntur, a ſoliditate illius petræ, ſupra quam civitas Dei ædificatur, abigantur. Hæc autem Dei munera ita demum nobis divinitus conſerentur, ſi de his, quæ ſunt præſtita, non inveniamur ingrati: & tanquam nulla ſint, quæ adepti ſumus, contraria potius expetamus. Nam quæ patefacta ſunt quærere, quæ perfecta ſunt retractare, & quæ ſunt diffinita, convellere: quid aliud eſt, quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Unde, quia ad pacem univerſalis Eccleſiæ, & ad cuſtodiam Catholicæ fidei, cura dignamini ſollicitiore reſpicere, evidenter agnoſcitis, quod magnis hæreticorum audetur inſidiis, ut inter Eutychis Dioſcorique diſcipulos, & eum quem Apoſtolica Sedes direxerit, diligentior, tanquam nihil fuerit ante definitum, tractatus habeatur, & quod totius mundi Catholici ſacerdotes in ſancta Chalcedonenſi Synodo probant, gaudentque firmatum, in injuriam etiam ſacratiſſimi Concilii Nicæni efficiatur infirmum. Quod enim noſtris temporibus apud Chalcedonem de Domini noſtri Jeſu Chriſti Incarnatione firmatum eſt, hoc etiam apud Nicæam myſticus ille Patrum numerus definivit, ne Catholicorum confeſſio, aut unigenitum Dei filium in aliquo crederet Patri imparem, aut eundem, cum factus eſt filius hominis, non veram carnis noſtræ atque animæ habuiſſe naturam. Deteſtandum ergo nobis eſt, perſeveranterque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, nec in aliquam diſceptationem pie & plene diffinita, revocanda ſunt, ne ad arbitrium damnatorum, ipſi de his videamur ambigere, quæ manifeſtum eſt, per omnia Propheticis, & Evangelicis, & Apoſtolicis authoritatibus conſonare. Unde ſi qui ſint, qui ab

Cap. I.

Hæc hæretici nunquam non faciunt.

Cap. II.

his, quæ cœlitus ſunt conſtituta, diſſentiunt, ſuis opinionibus relinquantur: & ab unitate Eccleſiæ, cum ea, quam elegere, perverſitate diſcedant. Nam nullo modo fieri poteſt, ut qui divinis audent contradicere ſacramentis, aliqua nobis communione ſocientur. Jactant ſe in ſui eloquii vanitate & de argumentationum ſuarum verſutia, quæ inimica eſt fidei gloriantur. Nobis placet Apoſtolicis obedire
Coloſſ. 2. præceptis, dicentibus: *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem ſeductionem hominum.* Nam
Gal. 2. ſecundum eundem Apoſtolum ſi quæ deſtruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo, & eis me ultionum conditionibus ſubdo, quas non ſolum authoritas beatæ memoriæ principis Martiani, ſed etiam ego mea confeſſione firmavi. Quia ſicut ſancte veraciterque dixiſtis, perfectio incrementum, & adjectionem plenitudo non recipit. Unde cum ſciam te, venerabilis Princeps, ſinceriſſimo veritatis lumine imbutum, in nulla fidei parte nutare, ſed ſancto, perfectoque judico a pravis recta diſcernere, & a refutandis amplectenda dividere: obſecro, ne humilitatem meam de diffidentia putes eſſe culpandam, cum hæc mea cautio non ſolum univerſali Eccleſiæ conſulat, ſed etiam tuæ gloriæ famuletur: ne ſub Imperii tui tempore & hæreticorum aucta videatur improbitas, & Catholicorum perturbata ſe-
Cap. III. curitas. Quamvis ergo multum per omnia de pietatis veſtræ corde confidam, & per inhabitantem in vobis Spiritum Dei, ſatis vos inſtructum eſſe perſpiciam: ne fidei veſtræ ullus poſſit error illudere, præceptioni tamen veſtræ in eo adnitar obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos præſentiæ meæ inſtar exhibeant, & quæ ſit Apoſtolicæ fidei regula, licet (ut dixi) vobis bene ſit nota, demonſtrent: patefacientes in omnibus & probantes, non eſſe omnino inter Catholicos computandos, qui definitiones venerabilis Synodi Nicænæ, vel ſancti Chalcedonenſis Concilii regulas non ſequuntur: cum utrorumque ſancta decreta ex Evangelico & Apoſtolico ſit manifeſtum fonte prodire, & quicquid non eſt de irrigatione poculi Chriſti, poculi eſſe viperei. Prænoſcat igitur pietas veſtra, venerabilis Imperator, hos, quos ſpondeo, dirigendos, non ad confligendum cum hoſtibus fidei, nec ad certandum contra illos, a Sede Apoſtolica profecturos, quia de rebus, & apud Nicæam, & apud Chalcedonem (ſicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum: tanquam dubia vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum ſanctum fixit authoritas. Inſtructioni autem parvulorum noſtro-

Obſerva quam ſollicite caverit, ne ſemel definita in dubium vocarentur.

Cap. IV. rum, qui poſt lactis alimoniam cibo deſiderant ſolidiore ſatiari, miniſterii noſtri præſidium non negamus. Et ſicut ſimpliciores non ſpernimus, ita a rebellibus hæreticis abſtinemus: memores præcepti
Matth. 7. Dominici, dicentis: *Nolite dare ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos.* Nimis quippe indignum, nimiſque injuſtum eſt, eos ad libertatem diſceptationis admitti, quos ſignificat
Pſalm. 17. Spiritus ſanctus per Prophetam, dicens, Filii alieni mentiti ſunt mihi: filii alieni inveterati. Qui etiamſi Evangelio non reſiſterent, de illis tamen ſe eſſe monſtrarent, de quibus ſcriptum eſt: Deum ſe profitentur ſcire, factis autem negant. Clamante adhuc
Tit. 1. Geneſ. 4. juſti Abel ſanguine adverſum impium Cain, qui increpatus a Domino, non requievit ad pœnitudinem, ſed exarſit ad cædem. Cujus vindictam ſic Domini judicio volumus reſervari, ut improbus prædo & parricida crudelis in ſeipſum recidat, & noſtra non teneat. Neque ſanctæ Eccleſiæ Alexandrinæ lamentabilem captivitatem patiamini ulterius prolongari, cui oportet fidei veſtræ, juſtitiæque præſidio, ſuam reſtitui libertatem, ut per omnes Ægypti urbes dignitas Patrum & jus ſacerdotale reparetur. Data undecimo Kalendas Aprilis, Leone & Majorano Auguſto Conſulibus.

EPISTOLA LXXIX.

Ad Nicetam Epiſcopum Aquilejenſem.

Capita Epiſtolæ ſequentis.

1 *Quod debeant fœminæ, quæ captis viris, nupſerant aliis, regreſſis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod ſuum eſt, unuſquiſque recipiat.*
2 *Quod non probetur eſſe culpabilis, qui uxorem captivi in matrimonium videtur eſſe ſortitus.*
3 *Ut ſi viri de captivitate regreſſi, intemperantia uxoris offenſi non fuerint, & voluerint eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem.*
4 *Ut ſi mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ, Eccleſiæ communione privandæ ſint.*
5 *Captivis, aut terrore, aut fame, non veneratione, cibos immolatitios edere compulſis, pœnitentia concedenda eſt.*
6 *Quod hi, qui ad iterationem baptiſmi, vel vi, vel *errore coacti, animos inclinarunt, ſint ſublevandi remedio, ita ut ſenilis ætatis, periculorum quoque & ægritudinum cæterarumque neceſſitatum habeant ſollicita conſideratione reſpectum.* *terrore.
7 *Ut hi qui ab hæreticis baptizati ſunt, ſola ſancti Spiritus invocatione firmentur.*

Leo Epiſcopus, Nicetæ Aquilejenſi Epiſcopo ſalutem.

REgreſſus ad nos filius meus Adeodatus Diaconus Sedis noſtræ, dilectionem tuam popoſciſſe memoravit, ut de his a nobis authoritatem Apoſtolicæ Sedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem dijudicationis videntur adferre. Sed pro inſpectione temporalium neceſſitatum adhibenda curatio eſt, ut vulnera, quæ hoſtilitatis adverſitate illata ſunt, religionis maxime ratione ſanentur.

CAPUT I.

CUM ergo per bellicam cladem, & per graviſſimos hoſtilitatis incurſus, ita quædam dicatis diviſa eſſe conjugia, ut abductis in captivitatem viris fœminæ eorum remanſerint deſtitutæ, quæ viros proprios aut interemptos putarint, aut nunquam a dominatione crediderint liberandos, & ad aliorum conjugium, * ſolitudine cogente, tranſierint, cumque nunc ſtatu rerum, auxiliante Domino, in meliora converſo, nonnulli eorum qui putabantur periiſſe, remeaverint, merito Charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis junctæ ſunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus ſcriptum, quod a Deo jungitur mulier viro, & iterum præceptum agnovimus, ut quod Deus junxit, homo non ſeparet: neceſſe eſt, ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis malis, quæ hoſtilitas intulit unicuique, hoc quod legitime habuit, reformetur: omnique ſtudio procurandum eſt ut recipiat unuſquiſque quod proprium eſt.

* ſollicitudine.

Prov. 19. Matth. 19.

CAPUT II.

NEc tamen culpabilis judicetur, & tanquam alieni juris pervaſor, qui perſonam ejus mariti, qui jam non eſſe æſtimabatur, aſſumpſit. Sic enim multa, quæ ad eos qui in captivitatem ducti ſunt pertinebant, in jus alienum tranſire potuerunt: & tamen plenum juſtitiæ eſt, ut eiſdem reverſis propria reformentur. Quod ſi mancipiis, vel in agris aut etiam in domibus, ac poſſeſſionibus rite ſervatur: quanto magis in conjugiorum redintegratione faciendum eſt? ut quod bellica neceſſitate turbatum eſt, pacis remedio reformetur.

CAPUT III.

ET ideo, ſi viri poſt longam captivitatem reverſi, ita in dilectionem ſuarum conjugum perſeverant, ut eas cupiant in ſuum redire conſortium, omittendum eſt, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit, & reſtituendum quod fides poſcit.

CAPUT IV.

SI autem aliquæ mulieres ita poſteriorum virorum amore ſunt captæ, ut malint his cohærere, quam in legitimum redire conſortium, merito ſunt notandæ, ita ut etiam Eccleſiaſtica communione priventur, * quia inexcuſabiliter contaminationem criminis elegerunt, oſtendentes ſibimet pro ſua incontinentia placuiſſe, quod juſta remiſſio potuit expiare. Redeant ergo in ſuum ſtatum voluntaria redintegratione conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio neceſſitatis extorſit; quia ſicut hæ mulieres, quæ reverti ad viros ſuos nolunt, impiæ habendæ ſunt, ita illæ, quæ in affectum initum ex Deo redeunt, merito ſunt laudandæ.

CAPUT V.

DE his autem Chriſtianis qui inter eos a quibus fuerant captivati, immolatitiis cibis aſſeruntur eſſe polluti, conſolationi Charitatis tuæ hoc etiam reſpondendum eſſe credidimus: ut pœnitentiæ ſatisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione penſanda eſt. Et ſive hoc terror extorſerit, ſive fames ſuaſerit, non dubitetur abolendum, cum hujuſmodi cibus, pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione ſit ſumptus.

CAPUT VI.

HIs vero, de quibus dilectio tua ſimiliter nos credidit conſulendos, qui ad iterandum baptiſmum vel metu coacti ſunt vel errore traducti, & nunc ſe contra Catholicæ fidei ſacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, qua in ſocietatem noſtram non niſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus, communionis recipiant unitatem, temporis pœnitudinis habita moderatione, tuo conſtituenda judicio prout converſorum animos perſpexeris eſſe devotos, pariter etiam habens ſenilis ætatis intuitum, & periculorum quorumcumque aut ægritudinis reſpiciens neceſſitates, in quibus ſi quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœniteret, de ſalute ipſius deſperetur, oportet ei per ſacerdotalem ſollicitudinem communionis gratia ſubveniri.

26. q. 9. Tempora pœnitudinis.

CAPUT VII.

NAm hi, qui baptiſmum ab hæreticis acceperunt cum baptizati antea non fuiſſent, ſola invocatione Spiritus ſancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt, quia formam tantum baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſumpſerunt. Et hanc regulam (ut ſcitis) ſervandam omnibus Eccleſiis prædicamus, ut lavacrum ſemel initum nulla iteratione violetur, dicente Apoſtolo: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Cujus ablutio nulla iteratione temeranda eſt, ſed (ut diximus) ſola ſanctificatio Spiritus ſancti invocanda eſt: ut quod ab hæreticis nemo accepit, a Catholicis ſacerdotibus conſequatur. Hanc autem Epiſtolam noſtram, quam ad conſultationem tuæ Fraternitatis emiſimus, ad omnes fratres & comprovinciales tuos Epiſcopos facies pervenire, ut in omnium obſervantia data proſit authoritas. Data 12. Kalendarum Aprilium, Majorano Auguſto primum Conſule.

1. q. 1. Hi qui baptiſma.

1. q. 1. Hanc regulam.

Epheſ. 4.

EPISTOLA LXXX.

Ad univerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos.

Leo univerſis Epiſcopis per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutis.

MAgna indignatione commoveor, & multo dolore contriſtor, quod quoſdam ex vobis comperi ita eſſe Apoſtolicæ traditionis oblitos, & ſtudio ſui erroris intentos: ut præter Paſchæ feſtum, cui ſola Pentecoſtes ſolemnitas comparatur, audeat ſibimet, non aliqua humanæ infirmitatis neceſſitate cogente, ſed ſola indiſciplinati arbitrii libertate, jus Baptiſmatis vindicare, & in Natalibus Martyrum, quorum finis aliter honorandus eſt, quam dies Dominicæ Paſſionis, regenerationis celebrare myſteria, ac ſine ullis ſpiritualium eruditionibus præparationum, ita rudibus & imperitis tradere ſacramentum, ut circa renovandos nihil doctrinæ Eccleſiaſticæ, nihil in exorciſmis impoſitio manuum, nihil ipſa jejunia, quibus vetus homo deſtruitur, operentur, neque in tanto myſterio ſalutis humanæ ulla ejus diei habeatur exceptio, quo ipſum donum eſt conditum renaſcentibus. Admonemus igitur, & non ſine periculo ſtatus eorum qui hoc faciunt, proteſtamur: ut ab hac præſumptione ceſſetur, & ſummam hanc potentiſſimamque Dei gratiam, non niſi in Paſchali & Pentecoſtes die deſiderantibus & credentibus conferatis: manente quolibet tempore gravium neceſſitatum, ac periculorum conſideratione, ſecundum quam oporteat ſubvenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas neceſſaria liberatione fraudetur, cum ſervata (ſicut prælocuti ſumus) duarum tantummodo feſtivitatum reverentia, propter multa pericula ſit cavendum, ne cuiquam aut in deſperata ægritudine, aut in hoſtilitatis incurſu, aut in timore naufragii, per Sacerdotem Domini regeneratio denegetur. Si quis vero poſt hoc interdictum, in eadem fuerit uſurpatione detectus, dignam pertinaciæ ſuæ incidet ultionem; quoniam oſtendit ſe turpe potius lucrum quam religionis cultum eſſe ſectatum. Illam etiam, contra Apoſtolicam regulam, præſumptionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri (de pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus poſtulatur) ne de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publice recitetur: cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſio-

An. Chriſti 461. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 21. ſcripta eſt.

Confeſſio auricularis & ſecreta. De pœnitentia diſt. 1. Quamvis plenitudo.

ne ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tameo quia non omoium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur: dum aut erubeſcunt, aut metuunt ioimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam ſacerdoti, a quo pro delictis pœnitentiam peccator accipit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis. Datum pridie Nonas Martii, Recimero Conſule.

Reliquarum epiſtolarum, quæ carent vel data, vel conſulibus, ſituatio & ordo, quia latet ob diſtinctam cauſam, relinquitur alii cuicumque in poſterum diligentius ſcrutanti, vel collectori melius ſentienti. Nihilominus continuatur numerus epiſtolarum, etiam circa ſequentes: quatenus lectori facilius commodiuſque occurrant, cum aliquam earum ipſum quærere contigerit.

EPISTOLA LXXXI.

Ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum.

Capita Epiſtolæ ſequentis.

1 *De ordinatione Presbyteri aut Diaconi, ut Sabbato ſancto celebretur, id eſt, die Dominico.*
2 *De feſtivitatibus, ut ſi una agenda, id eſt Miſſæ celebratio, populis non ſuffecerit, nulla ſit dubitatio iterari ſacrificium.*

Leo Epiſcopus, Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino ſalutem.

QUantum dilectioni tuæ Dominicæ charitatis impendamus affectum ex hoc poteris approbare, quod tua firmius * deſideramus fundare initia, ne quid charitati tuæ ad perfectionem deeſſe videatur, cum tibi * ſpecialis gratiæ merita (ut probavimus) ſuffragentur. Paterna igitur & fraterna collatio debet Sanctitati tuæ eſſe gratiſſima, & a te taliter ſuſcipi, quemadmodum a nobis eam intelligis proficiſci. Unum enim nos ſentire oportet & agere, ut (ſicut legimus) io nobis quoque unum eſſe cor & anima comprobetur. Cum enim beatiſſimus Petrus Apoſtolicum a Domino acceperit principatum, & Romana Eccleſia in ejus permaneat inſtitutis, nefas eſt credere quod ſanctus diſcipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primus Eccleſiam gubernavit, aliis regulis traditionum ſuarum decreta formaverit, cum ſine dubio de eodem fonte gratiæ unus ſpiritus fuerit & diſcipuli & magiſtri, nec aliud ornatus tradere potuerit quam quod ab ordinatore ſuſcepit. Non ergo patimur, ut cum unius nos eſſe corporis & fidei fateamur, in aliquo diſcrepemus, & alia doctoris, alia diſcipuli inſtituta videantur.

feſtinamus. *ſpiritualis.*

Act. 4. 24. quæſt 1. Cum beatiſſimus.

CAPUT I.

QUod ergo a Patribus noſtris propenſiore cura novimus eſſe ſervatum, a vobis quoque volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati luceſcit, exordia deligantur, *hoc eſt, ſub lege divini officii ſubſtituantur*, in quibus his, qui conſecrandi ſunt, jejuniis, & jejunantibus ſacra benedictio conferatur. Quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo Dominico die continuato ſabbati jejunio celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem reſurrectionis, ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt. Nam præter authoritatem conſuetudinis, quam ex Apoſtolica novimus venire doctrina, etiam Sacra Scriptura manifeſtat, quod cum Apoſtoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus ſancti ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes & orantes impoſuerunt eis manus, ut intelligamus quanta & dantium & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo pie & laudabiliter Apoſtolis morem geſſeris inſtitutis, ſi hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Eccleſias, quibus Dominus præeſſe te voluit, etiam ipſe ſervaveris: ut his qui conſecrandi ſunt, nunquam benedictiones, niſi in die reſurrectionis Dominicæ tribuantur, cui a veſpere ſabbati initium conſtat adſcribi, & quæ tantis divinarum diſpenſationum myſteriis eſt conſecrata, ut quicquid eſt a Domino inſignius conſtitutum, io hujus diei dignitate ſit geſtum. In hac mundus ſumpſit exordium, in hac per Reſurrectionem Chriſti, & mors interitum & vita accepit initium. In hac Apoſtoli a Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam ſumunt, & ioferendum univerſo mundo ſacramentum regenerationis accipiunt. In hac (ſicut beatus Joannes Evangeliſta teſtatur) congregatis in unum diſcipulis, januis clauſis, cum ad eos Dominus introiſſet, inſufflavit, & dixit. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum detinueritis, detenta erunt. In hac denique promiſſus a Domino Apoſtolis Spiritus ſanctus advenit: ut cœleſti quadam regula inſinuatum & traditum noverimus, in illa die celebranda nobis eſſe myſteria Sacerdotalium benedictionum, io quo collata ſunt omnia dona gratiarum.

In decret. Ivonis lib. 3. Act. 13.

Joan. 20.

Joan. 13. & 16.

CAPUT II.

UT autem in omnibus obſervantia noſtra concordet, illud quoque volumus cuſtodiri: ut cum ſolemnior feſtivitas conventum populi numeroſioris indixerit, & ad eam tanta fidelium multitudo convenerit, quam recipere Baſilica ſimul una non poſſit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur: ne his tantum admiſſis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui poſtmodum confluxerint, non recepti, cum plenum pietatis atque rationis ſit, ut quoties Baſilicam, in qua agitur, præſentia novæ plebis impleverit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur. Neceſſe eſt autem, ut quædam pars populi ſua devotione privetur, ſi unus tantum Miſſæ more ſervato, ſacrificium offerre non poſſint, niſi qui prima diei parte convenerint. Studioſe ergo dilectionem tuam & familiariter admonemus, ut quod noſtræ conſuetudini ex forma paternæ traditionis inſedit, tua quoque cura non negligat * ut per omnia nobis & fide & actibus congruamus. Propter quod remeanti filio noſtro Poſſidonio Presbytero hanc ad fraternitatem tuam epiſtolam dedimus perferendam, qui noſtris proceſſionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos miſſus, quid in omnibus Apoſtolicæ Sedis authoritatis teneremus, agnovit. Data Kalendis Julii.

De conſec. diſt. 1. Neceſſe eſt.

ut omnia nobis ex fide & actibus congruans.

EPI-

EPISTOLA LXXXII.

Ad Julianum Coenſem Epiſcopum.

Leo Epiſcopus, Juliano Coenſi Epiſcopo.

LItteras dilectionis tuæ, quas per filium meum virum illuſtrem Iſichium direxiſti, eo tempore accepi, quo recentioribus epiſtolis tuis iterata jam occaſione reſponderam. Unde quia etiam in his alloquiis tuis eadem de impiiſſimis hæreticis juſto dolore conqueſtus es, congruum fuit, quoad ſcribendum opportunitas extitit, non tacere. In cauſa itaque fidei, quicquid pro noſtro officio oportuit, ac poteſt, juvante Domino, & ſolicite & libenter exequimur: ut Evangelio Chriſti irreprehenſibiliter ſerviamus, ne per deſidiam noſtram ulla pars Eccleſiæ Catholicæ neglecta videatur. Propter quod ſicut omnibus notum eſt, non deſtiti laborare, ut manifeſtata atque defenſa Incarnationis Dominicæ veritate, omnis fraternitas, quid ubique, ſecundum doctrinam Apoſtolicam, & tenendum & docendum eſſet, agnoſceret, accedente glorioſiſſimorum Principum ſtudio divinitus inſpirato, ut in civitate Chalcedonenſi Synodo congregata, hæretica damnaretur impietas, ne vel quiſquam ſectator Neſtorii, vel ullus diſcipulus Eutychis liberum poſſit cum Catholicis habere conſortium: cum (quod ad ſancti Concilii authoritatem pertinet) nulla uſquam remanſerit diſcordia. Si qui autem ſua obduratione cæcati, ita in reprobi ſenſus amentiam tranſierunt, ut mallent furere, quam ſanari, ad Imperialem pertinet poteſtatem, ut perturbatores Eccleſiæ, pacis, & Reipublicæ, qua Chriſtianis Principibus merito gloriatur, inimici ſollicitius comprimantur. Ut autem Imperialis eſt, (ut diximus) poteſtatis, tumultus publicos ac ſeditiones ſacrilegas ſeverius coercere: ita authoritatis eſt ſacerdotalis, monachis prædicandi aliquam contra fidem licentiam non præbere, & omni virtute reſiſtere, ne ea, quæ ad ſacerdotes pertinent, ſibi audeant vindicare. Unde miramur fratrem Talaſium Epiſcopum, quod Georgio neſcio cui, qui præſumendo illicita, & propoſitum monachi, & nomen amiſit, ſcribendi, vel prædicandi aliquam permiſerit facultatem. Ad quem Epiſcopum (ſi dilectioni tuæ viſum fuerit) ex hac parte competentia ſcripta mittamus. Agat itaque Fraternitas tua opportunis ſuggeſtionibus ut clementiſſimus Princeps, quæ Domino ſunt placitura, præcipiat, & incentores cruentarum ſeditionum jubeat competentius coerceri: ut nec illi impuniti ſint, quorum manus ſcelera perpetrarunt, nec illi qui talium utuntur inſania. Si autem inquiſitio judiciaria & confeſſio reorum ad eas perſonas pervenit, quarum vel conſilio vel impulſu mala tanta commiſſa ſunt, nullius favoris eis ſunt præſtanda ſolatia. Quantum enim meliora de ipſis ſunt credita, tantum ſunt amplius deteſtandi, quorum nunc impietas, quæ per hypocriſim fuerat velata, detegitur. Et ideo agat Chriſtianiſſimus & piiſſimus Imperator, quod paci Eccleſiaſticæ intelligit profuturum. Quem ſuperna inſpiratione ita inſtruendum eſſe confido: ut & diſciplina inquietos revocare, & a ſanguine eorum jubeat abſtineri: quamvis nil ultionum non mereantur ſubire, qui auſi ſunt & divinis & humanis conſtitutionibus repugnare.

EPISTOLA LXXXIII.

Ad Palæſtinos Epiſcopos.

Leo Epiſcopus, univerſis Epiſcopis per Palæſtinam conſtitutis.

Cap. 1.

SOllicitudini meæ, quam univerſali Eccleſiæ, omnibuſque ejus filiis debeo, multorum relatione patefactum eſt dilectionis veſtræ animis quiddam offenſionis illatum, dum aut imperiti (ut apparet) interpretes, aut maligni, quædam vos aliter intelligere, quam a me ſunt prædicta, fecerunt, non valentes in Græcum eloquium apte & proprie Latina transferre, cum in rebus ſubtilibus, & difficilibus explicandis, vix ſibi etiam in ſua lingua diſputator quiſque ſufficiat. Quod tamen apud me eo profecit, ut dum ea quæ Catholica fides reſpuit improbatis, intelligamus vos veris amiciores eſſe, quam falſis, & id merito refugere, quod ex antiquæ inſtitutione doctrinæ etiam * ipſe deteſtor. Quamvis enim epiſtola mea, ad ſanctæ memoriæ Flavianum Epiſcopum data ſatis ſibi ad manifeſtationem ſui ipſa ſufficiat: neque in aliquo, aut purgationis, aut expoſitionis indigeat, & alia tamen cum eadem mea ſcripta concordant, in quibus ſimiliter prædicationis meæ ſenſus in aperto eſt: neceſſitatem enim habens contra hæreticos, qui multos Chriſti populos conturbaverant, differendi, & clementiſſimis Principibus, & Sancto Concilio Synodali, & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, quid de Incarnatione Verbi, ſecundum Evangelicam Apoſtolicamque doctrinam, deberemus ſapere ac ſentire, patefeci, & in nullo a ſanctorum Patrum confeſſione diſceſſi: quia una eſt, vera, ſingularis, perfecta, inviolabilis Catholica fides, cui nihil addi, nec minui poteſt. Quam Neſtorius prius, & nunc Eutyches diverſa quidem aſſertione, ſed ſimili impietate impugnare conati ſunt, & Eccleſiæ Dei duas hæreſes ſibimet contrarias inferre tentarunt, ut uterque a diſcipulis veritatis merito damnaretur: quia inſanum nimis & ſacrilegum fuit, quod varia falſitate ambo cenſuerunt. Anathematizetur ergo Neſtorius, qui beatam virginem Mariam hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret deitatis, nec unum Chriſtum in Verbo Dei & carne ſentiret, ſed ſeperatim atque ſejunctim, alium Filium Dei, alium hominis prædicaret: cum tamen manente illa incommutabilis Verbi eſſentia, quæ ei cum Patre & Spiritu ſancto intemporalis atque coæterna eſt, ita intra virginea viſcera Verbum caro ſit factum, ut uno conceptu, unoque partu eadem Virgo ſecundum unionem utriuſque ſubſtantiæ & ancilla Domini eſſet & mater. Quod etiam Eliſabeth (ſicut Lucas Evangeliſta declarat) intellexit & dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Eutyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit: ut negata humanæ carnis atque animæ veritate totum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unius aſſerat eſſe naturæ, tanquam Verbi deitas ipſa ſe in carnem animamque converterit, & concipi, & naſci, & nutriri, & creſcere, crucifigi ac mori, ſepeliri ac reſurgere, & aſcendere in cœlum & in Patris dextera, unde ad judicandos vivos & mortuos veniet, conſidere, divinæ ejus tantum eſſentiæ fuerit, quæ nihil horum in ſe ſine carnis veritate recipit: quoniam natura unigeniti, natura eſt Pa-

Cum hac epiſtola conveniunt plenaque in Epiſt. 97.

* *ipſa Eutyches deteſtatur.*

Neſtorius, Eutyches hæretici.

Marc. 16.

Luc. 1.

Patris, natura eſt Spiritus ſancti, ſimulque impaſſi-
bilis, ſimul eſt incommutabilis, ſempiternæ Trinitatis
individua unitas, & conſubſtantialis æqualitas. Unde
ſi ab Apollinaris perverſitate hæreticus iſte deſci-
ſcit, ne convincatur deitatem paſſibilem ſentire at-
que mortalem, & tamen Verbi incarnati, id eſt, Ver-
bi & carnis unam audet pronunciare naturam, non
dubie in Manichæi & Marcionis tranſit inſaniam,
& mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum
Chriſtum ſimulatorie omnia credit egiſſe, nec hu-
manum in ipſo corpus, ſed phantaſticam corporis
CAP. III. ſpeciem oculis apparuiſſe cernentium. Quæ impie-
tatis mendacia quoniam olim fides Catholica de-
teſtatur, & talium ſacrilegia concordibus per to-
tum mundum beatorum Patrum ſunt damnata ſen-
tentiis: quicumque illi ſunt ita obcæcati, & a lu-
mine veritatis alieni, ut Verbo Dei a tempore incar-
nationis, humanam, id eſt, noſtram negent ineſſe na-
turam, oſtendam in quo ſibi Chriſtianum nomen
uſurpent, & cum Evangelio veritatis, qua ratione
concordent, ſi per beatæ virginis partum, aut caro ſi-
Joan. 1. ne deitate, aut deitas eſt orta ſine carne. Sicut enim
negari non poteſt quod Verbum caro factum eſt,
& habitavit in nobis: ita negari non poteſt quod
2. Cor. 5. Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. Quę
autem reconciliatio eſſe poteſt, qua humano generi
propitiaretur Deus, niſi omnium cauſam mediator
Dei hominumque ſuſciperet. Qua vero ratione ve-
ritatem mediatoris impleret, niſi qui in forma Dei
æqualis erat Patri, in forma ſervi particeps eſſet &
noſtri: ut per unum novum hominem fieret renova-
tio vetuſtatis, & mortis vinculum unius prævarica-
tione contractum, unius morte, qui ſolus morti ni-
hil debuit, ſolveretur? Effuſio enim pro injuſtis ſan-
guinis juſti tam potens fuit ad privilegium, tam di-
ves ad pretium: ut ſi univerſitas captivorum in
Redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vin-
Rom. 5. cula retinerent: quoniam (ſicut Apoſtolus ait) *ubi
abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia.* Et
cum ſub peccati præjudicio nati, poteſtatem accepe-
rint ad juſtitiam renaſcendi, validius factum eſt do-
num libertatis, quam debitum ſervitutis. Quam itaq;
CAP. IV. ſibi in hujus ſacramenti pręſidio ſpem relinquunt, qui
in Salvatoris noſtri corpore negant humanæ ſubſtan-
tiæ veritatem? Dicant quo ſacrificio reconciliati, di-
Epheſ. 5. cant quo ſanguine ſint redempti? quis eſt qui tradi-
dit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam
Deo in odorem ſuavitatis? Aut quod unquam ſa-
crificium ſacratius fuit, quam quod verus Pontifex
Altari Crucis per immolationem ſuę carnis impoſuit?
Pſal. 115. Quamvis enim multorum ſanctorum in conſpectu
Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſon-
tis occiſio propitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti,
non dederunt coronas, & de fortitudine Fidelium
exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Sin-
gulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alte-
rius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit, cum in-
ter filios hominum unus ſolus Dominus noſter Je-
ſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, om-
nes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt etiam ſuſci-
Joan. 12. tati. De quibus ipſe dicebat: *Cum exaltatus fuero a ter-
ra, omnia traham ad me.* Fides etenim vera juſtificans
impios, & creans juſtos, ad humanitatis ſuæ tracta
participem, in illo acquiſivit ſalutem, in quo ſolo ho-
mo ſe invenit innocentem, liberum habens per gra-
tiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hoſtem
ſuperbum in carnis noſtræ humilitate congreſſus, his
victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore trium-
CAP. V. phavit. Quamvis ergo in uno Domino noſtro Jeſu
Chriſto, vero Dei atque hominis filio, Verbi & car-
nis una perſona ſit, & utraque eſſentia communes ha-
beat actiones: intelligendæ tamen ſunt ipſorum ope-
rum qualitates, & ſinceræ fidei contemplatione cer-
nendum eſt, ad quæ provehatur humilitas infirmi-
tatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid ſit,
quod caro ſine Verbo non agit, & quid ſit quod
Verbum ſine carna non efficit. Sine Verbi enim po- Luc. 1.
tentia, nec conciperet virgo, nec pareret: & ſine ve- Luc. 2.
ritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret. Si- Matth. 2.
ne Verbi potentia non adorarent Magi puerum novo
ſidere declaratum: & ſine veritate carnis non jube-
retur transferri in Ægyptum puer, & ab Herodis per-
ſecutione ſubduci. Sine Verbi potentia non diceret Matth. 3.
vox Patris miſſa de cœlo: *Hic eſt filius meus dilectus,* Marc. 1.
in quo mihi bene complacui: & ſine veritate carnis non Joan. 11. Matth. 4.
proteſtaretur Joannes: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit* Joan. 1.
peccata mundi. Sine Verbi potentia non fieret redin- Joan. 16.
tegratio debilium, & vivificatio mortuorum: & ſine Joan. 15.
veritate carnis, nec cibus jejuno, nec ſomnus eſſet
neceſſarius fatigato. Poſtremo, ſine Verbi potentia,
non ſe Dominus Patri profiteretur æqualem, & ſine
veritate carnis non idem diceret patrem ſe eſſe ma-
jorem: cum Catholica fides utrumque ſuſcipiat,
utrumque defendat, quæ ſecundum proprietatem
divinæ humanæque ſubſtantiæ unum Dei Filium, &
hominem credit, & Verbum. Quamvis ergo ab illo CAP. VI.
initio, quo in utero virginis Verbum caro factum eſt,
nihil unquam inter divinam humanamque ſubſtan-
tiam diviſionis extiterit, & per omnia incrementa
corporea, unius perſonæ fuerint totius temporis
actiones: ea ipſa tamen, quæ inſeparabiliter facta
ſunt nulla permixtione confundimus, ſed quid cujus
formæ ſit ex operum qualitate ſentimus. Nec divi-
na enim humanis præjudicant, nec humana divi-
nis, cum ita in idipſum utraque concurrant, ut in iis
nec proprietas abſumatur, nec perſona geminetur.
Dicant igitur iſti phantaſmatici Chriſtiani, quæ ſub- Joan. 19.
ſtantia Salvatoris affixa ſit ligno, quæ jacuerit in ſe- Ibidem.
pulchro, & revoluto monumenti lapide, quæ tertio Matth. 28.
die caro ſurrexit, vel quale corpus Jeſus diſcipu- Luc. 23. Joan. 20.
lorum viſui, clauſis ad eos oſtiis ingreſſus, intulerit: Ibidem.
cum ad abigendam cernentium diffidentiam, inſpici
oculis, digitiſque tractari, patentes adhuc fixuras cla-
vorum & recens compuncti lateris vulnus exigeret.
At ſi in tanta luce veritatis tenebras ſuas hæretica ob-
duratio non relinquit: oſtendant, unde ſibi ſpem vitæ
polliceantur æternæ, ad quam niſi per mediatorem
Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum, non
poteſt perveniri. Non enim eſt aliud nomen datum Act. 4.
hominibus ſub cœlo, in quo oporteat ſalvos fieri: nec
eſt redemptio captivitatis humanæ, niſi in ſanguine
ejus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omni-
bus. Qui (ſicut prædicat beatus Apoſtolus) *Cum in
forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqua-* 1. Tim. 2.
lem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi ac- Philip. 2.
*cipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu in-
ventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obe-
diens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter
quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen
quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu
flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & om-
nis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in
gloria eſt Dei Patris.* Quamvis ergo unus ſit Dominus CAP. VII.
Jeſus Chriſtus, & veræ deitatis, veræque humanitatis
in ipſo una prorſus eademque perſona ſit, neq; hujus
unitionis ſoliditas ulla poſſit diviſione ſejungi: exalta-
tionem tamen, qua illum exaltavit Deus, & donavit
illi nomen, quod ſuper omne nomen excellit, ad eam
intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat
tantę glorificationis augmento. In forma quippe Dei
æqualis erat Filius Patri, & inter genitorem atque
unigenitum nulla erat in eſſentia diſcretio: nulla in
ma-

majeſtate diverſitas, nec per Incarnationis myſterium, aliquid deceſſerat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. Forma autem ſervi, per quam impaſſibilis deitas ſacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas eſt, quæ in gloriam divinæ poteſtatis evecta eſt, in tantam unitatem ab ipſo conceptu Virginis deitate & humilitate connexa, ut nec ſine homine divina, nec ſine Deo agerentur humana. Propter quod ſicut Dominus majeſtatis dicitur crucifixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt Deo, dicitur exaltatus. Nec intereſt ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur; cum inſeparabiliter manente unitate perſonæ, idem ſit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei Filius propter unam cum Patre deitatem. Quicquid ergo in tempore accepit Chriſtus, ſecundum hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Nam ſecundum potentiam Verbi indifferenter omnia, quæ habet Pater, etiam Filius habet, & quæ in forma ſervi a Patre accepit, eadem in forma Patris etiam ipſe donavit, & idem ipſe & dives
1. Cor. 8. & pauper. Dives, quia in principio erat Verbum, &
Joan. 1. Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Pauper vero, quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.
Ibidem. Quæ autem ejus exinanitio, quæve paupertas, niſi formæ ſervilis acceptio, per quam, Verbi majeſtate velata, diſpenſatio humanæ redemptionis impleta eſt? Nam quia captivitatis noſtræ reſolvi originalia vincula non poterant, *& ab hoſtis imperio relaxari*, niſi exiſteret homo noſtri generis, noſtræque naturæ, quæ veteris debiti præjudicia non teneret, & qui immaculato ſanguine ſuo chyrographum lethale dilue-
Coloſſ. 2. ret, ſicut ab initio erat divinitus præordinatum; *& prophetarum oraculis prænunciatum*: ita eſt in plenitudine præfiniti temporis factum, ut multis modis ſignificata promiſſio, in diu expectatum veniret effe-
Cap. VIII. ctum, nec poſſet eſſe ambiguum, quod continuis ſignificationibus ſemper fuerat nunciatum. Deſtructis itaque tot hæreſibus, quæ per ſanctam devotionem præſidentium Patrum, a corpore ſunt Catholicæ uni-
1. Petr. 2. tatis abſciſſæ, quæque ideo extorres a Chriſto eſſe meruerunt, quia Verbi Incarnationem, quæ ſingularis eſt recte credentium ſalus, fecerunt ſibi lapidem offenſionis & petram ſcandali: miror dilectionem veſtram, in diſcernendo veritatis lumine laborare. Et cum multis manifeſtationibus declaratum ſit, quam recte & Neſtorium & Eutychen cum Dioſcoro fides Chriſtiana damnaverit, nec Chriſtianus poſſit vocari, qui vel illius, vel horum impietati præbet aſſenſum: doleo vos Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ (ut audio) reſultare, exagitando ſeditionibus civitates, conturbando Eccleſias, nec ſolum injurias, ſed etiam cædes Presbyteris atque Epiſcopis inferendo: ut præ furore & ſævitia, propoſiti veſtri & profeſſionis ſitis immemores. Ubi eſt regula manſuetudinis & quietis? Ubi longanimitas patientiæ, ubi tranquillitas pacis, ubi firmamentum dilectionis, & tolerantiæ fortitudo? Quæ vos ab Evangelio Chriſti aut perſuaſio abduxit, aut perſequutio ſeparavit, vel quæ tanta extitit decipientis aſtutia, ut obliti Prophetarum & Apoſtolorum, obliti Symboli ſalutaris & confeſſionis, quam pronunciantes coram multis teſtibus, ſacramentum baptiſmi ſuſcepiſtis, diabolicis vos illuſionibus ſubderetis? Quid apud vos acturæ fuerant ungulæ, quid ſæva tormenta, ſi ad expugnandam fidei veſtræ integritatem tantum vana hæreticorum commenta valuerunt? Pro fide vos agere creditis, & fidei contraitis. Eccleſiæ nomine armamini, & contra Eccleſiam dimicatis. Hoc a Prophetis, hoc ab Evangeliſtis, hoc ab Apoſtolis didiciſtis, ut negantes veram Chriſti carnem, & ipſam Verbi eſſentiam paſſioni mortique ſubdentes, alienam faciatis noſtram a ſuo Reparatore naturam, totumque quod crux intulit, quod lancea vulneravit, quod ſepulchri lapis ſuſcepit & reddidit, ſolum fuiſſe opus divinæ potentiæ, non etiam humilitatis humanæ? Propter quam Apoſtolus dicit, *Non enim erubeſco Evangelium*: quoniam nove- Rom. 1.
rat, quale Chriſtianis objiceretur opprobrium ab inimicis. Et ideo etiam Dominus proteſtabatur, dicens: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego Marc. 8.
confitebor illum coram Patre meo. Hi enim non Luc. 12.
erunt digni confeſſione Filii & Patris, quibus nunc caro Chriſti verecundiam facit: probabuntque ſe nullam de ſigno crucis ſumpſiſſe virtutem, qui quod præferendum frontibus acceperunt, promere labiis erubeſcunt. Declinate filii ab his diabolicis perſuaſionibus, declinate. Veritatem Dei nulla res violat, ſed Cap. IX.
veritas nos niſi in noſtra carne non ſalvat. Veritas quippe (ſicut Propheta ait) de terra eſt, & ſic Ver- Pſalm. 84.
bum Maria virgo concepit, ut uniendam *ſibi carnem *ſibi*.
de ſua ſubſtantia miniſtraret: nec cum adjectione perſonæ, nec cum evacuatione naturæ, quoniam qui erat in forma Dei, ita accepit formam ſervi, ut unus atque idem in forma utraque eſt Chriſtus, inclinante ſe Deo uſque ad infima hominis, & proficiente homine uſque ad ſumma deitatis: dicente Apoſtolo: Quorum Pa- Rom. 6.
tres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula, Amen.

EPISTOLA LXXXIV.

Ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum.

Capita epiſtolæ ſequentis.

1 *Quod ſemper Theſſalonicenſes Antiſtites vicem Apoſtolicæ Sedis impleverint.*
2 *Ut Metropolitanis ſua jura ſerventur.*
3 *Ut a Metropolitanis, non laici, non bigami, non viduarum mariti, ſed irreprehenſibiles ordinentur Epiſcopi.*
4 *Quod Subdiaconis carnale conjugium denegetur.*
5 *Ut nullus invitus ordinetur Epiſcopus.*
6 *Ut Metropolitanus Epiſcopus de electo, quem eſt ordinaturus Epiſcopum, ad Theſſalonicenſem Pontificem referat, & de Metropolitano electo ſimiliter Provinciales Epiſcopi faciant.*
7 *Ut bina per annum provincialia Epiſcoporum Concilia celebrentur. Et ſi res difficilis emerſerit, nec fuerit Theſſalonicenſis Epiſcopi judicio terminata, ad Romanum referatur Antiſtitem.*
8 *Ut ſi quis Epiſcopus ſuam deſerens civitatem, majorem ſedem ambitus cauſa petierit, nec illam obtinere poterit, & ſua carere debebit.*
9 *Ut nullus alienum clericum ſollicitare vel tenere præſumat, ſuo Epiſcopo non præbente conſenſum.*
10 *Ut in evocandis provincialibus Epiſcopis, a Theſſalonicenſi Pontifice moderatio conſervetur, ne ſub hoc colore, ſacerdotalis honor contumeliis addicatur. Nec amplius quam bini de provinciis Epiſcopi, quos Metropolitani probaverint, dirigantur. Et non amplius a ſtatuto Concilii tempore, quam dies quindecim remorentur Epiſcopi.*
11 *Ut ſi inter eos de negotio fuerit oborta contentio, cuncta Romano Pontifici ſub geſtorum inſinuatione pandantur, ut ab eo, quod Deo placuerit, ordinetur.*

Leo

Digitized by Google

Leo Epiſcopus urbis Romæ, Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi.

Quanta Fraternitati tuæ a beatiſſimi Petri Apoſtoli * authoritate ſint commiſſa, *Sede.* & qualia etiam noſtro tibi favore ſint credita, ſi vera ratione perſpiceres, & juſto examine ponderares, multum poſſemus de injunctæ tibi ſollicitudinis devotione gaudere.

CAPUT I.

Quoniam ſicut præceſſores mei præceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi: ut curam, quam univerſis Eccleſiis principaliter ex divina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adjuvares, & longinquis ab Apoſtolica Sede provinciis præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes: * quia *ſiquidem.* de continenti opportunoque proſpectu promptum tibi eſſet agnoſcere, quid in quibuſque rebus, vel tuo ſtudio componeres, vel noſtro judicio reſervares. Nam cum majora negotia & difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet, ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſpendere, nec ratio tibi, nec neceſſitas fuit, io id, quod menſuram tuam excederet, deviandi. *monimentorum.* Abundant enim apud te * monitorum ſcripta noſtrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter inſtruximus: ut commendatas tibi Chriſti Eccleſias, per exhortationem charitatis, ad ſalubritatem obedientiæ provocares. Quia etſi plerumque exiſtant inter negligentes vel deſides fratres, qoæ oporteat majore * authoritate curari: *auſteritate.* ſic tamen eſt adhibenda correctio, ut ſemper ſit ſalva dilectio. Unde & beatus Apoſtolus Paulus, ad Eccleſiaſticum regimen Timotheum imbuens, dicit, *1. Tim. 5.* *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem: juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut ſorores in omni caſtitate.* Quæ moderatio ſi quibuſcumque inferioribus membris ex Apoſtolica inſtitutione debetur, quanto magis fratribus & Coepiſcopis noſtris ſine offenſione reddenda eſt? Et licet nonnunquam accidant, quæ in ſacerdotalibus ſint reprehendenda perſonis, plus tamen erga corrigenda agat benevolentia, quam ſeveritas: plus cohortatio, quam commotio, plus charitas, quam poteſtas. *Philip. 2.* Sed, qui quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, facile ab hac lege diſcernuntur, & dum dominari magis quam conſulere ſubditis quærunt, placet honor, inflat ſuperbia, & quod proviſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam. Quod ut neceſſe habeamus ita dicere, non de pravo animi dolore procedit. Me ipſum enim quodammodo in culpa ſentio, cum te a traditis tibi regulis immodice deviaſſe cognoſco. Qui ſi tuæ exiſtimationis parum diligens eras, meæ ſaltem famæ parcere debueras, ne quæ tuo tantum facta ſunt animo, noſtro viderentur geſta judicio. Relegat Fraternitas tua paginas noſtras, omniaque ad tuos miſſa majores Apoſtolicæ Sedis præſulum ſcripta percurrat, & vel a me, vel a præceſſoribus meis inveniet ordinatum, quod a te cognovimus eſſe præſumptum. Venit namque ad nos cum Epiſcopis provinciæ ſuæ frater noſter Atticus, veteris Epiri Metropolitanus Antiſtes, & de indigniſſima afflictione, quam pertulit, lachrymabili actione conqueſtus eſt coram adſtantibus Diaconibus tuis, qui querelis fidelibus nihil contra referendo, ea quæ nobis ingerebantur, fide non carere monſtrabant. Legebatur quoque in litteris tuis, quas iidem Diaconi detulerunt, quod frater Atticus Theſſalonicam veniſſet, quodque conſenſum ſuum etiam ſcripturæ profeſſione ſignaſſet, ut de illo non aliud a nobis intelligi poſſet, quam proprii arbitrii & ſpontaneæ devotionis fuiſſe quod venerat, quod chartulam de obedientiæ ſponſione conſcripſerat, in cujus tamen chartulæ mentione ſignum prodebatur injuriæ. Non enim neceſſarium fuerat, ut obligaretur ſcripto, qui obedientiam ſuam ipſo jam volontarii adventus probabat officio. Unde deplorationibus ſupradictis hæc verba epiſtolæ tuæ teſtimonium præbuere, & per hoc, quod non eſt tacitum, nudatum eſt illud, quod ſilentio fuerat adopertum, adhibitam ſcilicet Illyrici præfecturam & ſublimiſſimam inter mundanos apices poteſtatem in exhibitionem inſontis Antiſtitis incitatam; ut miſſa exequutione terribili, quæ omnia ſibi officia publica ad effectum præceptionis adjungeret, a ſacris Eccleſiæ adytis, nullo, vel falſo inſimulatus crimine, extraheretur Sacerdos, cui non ob moleſtiam ægritudinis, non ob ſævitiam hyemis darentur induciæ, ſed iter aſperum & periculis plenum per invias * nives agere cogeretur. *cautes.* Quod tanti laboris, tantique diſcriminis fuit, ut ex his, qui Epiſcopum comitati ſunt, quidam defeciſſe dicantur. Multum ſtudeo, frater chariſſime, ſed & plurimum doleo; quod in eum, *3.q.6. Multum ſtupeo.* de quo nihil amplius indicaveras, quam quod evocatus adeſſe differret, & excuſationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter, & tam vehementer potueris commoveri, præſertim cum etſi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat, quid ad tua * conſulta reſcriberemus. *conſulti.* Sed ut video, bene de moribus meis exiſtimaſti, & quam civilia pro conſervanda ſacerdotali concordia reſponſurus eſſem, veriſſime prævidiſti, & ideo motus tuos exequi ſine dilatione properaſti, ne cum moderationis noſtræ aliud diſponentia ſcripta ſumpſiſſes, faciendi id quod factum eſt, licentiam non haberes. An forte aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & Metropolitanum Epiſcopum novi apud te criminis pondus urgebat? At hoc quidem alienum ab illo eſſe etiam tu nihil ei obiiciendo confirmas. Sed etiam, ſi quid grave intolerandumque geſſiſſet, noſtra erat expectanda cenſura: *3.q.6. Multum.* ut nihil prius ipſe decerneres, quam quid nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ credidimus Charitati, ut in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non io plenitudinem poteſtatis. Unde multum nos ea, quæ a te pie ſunt geſta, contriſtant, & neceſſe eſt, poſt multarum experimenta cauſarum ſollicitius proſpici, & diligentius præcaveri: quatenus per ſpiritum charitatis & pacis omnis materia ſcandalorum de Eccleſiis Domini (quas tibi commendavimus) auferatur, præeminente quidem in illis provinciis Epiſcopatus tui faſtigio, ſed amputato totius uſurpationis exceſſu.

CAPUT II.

3.q. 6. Igitur. Igitur ſecundum ſanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos Metropolitanos ſingularum provinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita ut a regulis præſtitutis nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedant.

CAPUT III.

In civitatibus, quarum rectores obierint, de ſubſtituendis Epiſcopis hæc forma ſervetur: ut is qui or-

Digitized by Google

ordinandus eſt (etiamſi bonæ vitæ teſtimonio fulciatur) non laicus, non neophytus, nec ſecundæ conjugis ſit maritus, aut qui vel unam quidem habeat, vel habuerit, ſed nec qui ſibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellens eſt electio: ut hæc, quæ in aliis Eccleſiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

Dict. 3. Omnium ſacerdotum.

CAPUT IV.

NAM cum extra Clericorum ordinem conſtitutis, nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur: ut & qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in ordine, qui quartus a capite eſt, dignum eſt cuſtodiri: quanto magis in primo, aut ſecundo, vel tertio ſervandum eſt, ne aut Levitico miniſterio, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus exiſtimetur, qui ſe a voluptate uxoria nec dum frenaſſe detegitur?

1. Cor. 7.

CAPUT V.

CUM ergo de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtularit: ita ut ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis: tantum ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne plebs invita Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religioſa, quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit.

In decret. Ivo. lib. 3. diſtin. 63. Si forte.

CAPUT VI.

DE perſona autem conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in provincia bene placuit, ſcire te faciat: ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet authoritas. Quæ rectis diſpoſitionibus nihil moræ aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diu deſit cura paſtorum, Metropolitano vero defuncto, cum in locum ejus alius fuerit ſubrogandus, provinciales Epiſcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debent: ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate diſcuſſa, ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur, de cujus nomine ad tuam notitiam provinciales referant Epiſcopi, impleturi vota poſcentium, ſi quod ipſis placuit, tibi quoque placuiſſe cognoverint. Sicut enim juſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præſumi.

Diſtinct. 65. De perſona autem

Diſtinct. 36. Metropolitano. Et diſt. 77. in princip. diſtinct.

CAPUT VII.

DE Conciliis autem Epiſcopalibus non aliud indicimus, quam ſancti Patres ſalubriter ordinarunt: ut ſcilicet bini Conventus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diverſos Eccleſiæ ordines naſci adſolent, indicetur. At ſi forte inter ipſos, qui præſunt, de majoribus (quod abſit) peccatis cauſa naſcatur, quæ provinciali nequeat examine definiri: fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit inſtruere, & ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita judicio, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, transferatur.

Diſt. 18. De Conciliis. Et in decr. Ivo. lib. 4.

CAPUT VIII.

SI quis Epiſcopus, mediocritati civitatis ſuæ deſpecta, adminiſtrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem ſe plebem quacumque occaſione tranſtulerit, non ſolum a cathedra quidem pellatur aliena, ſed carebit & propria: ut nec illis præſideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per ſuperbiam ſprevit. Suis igitur terminis contentus ſit quiſque, nec ſupra menſuram juris ſui affectet augeri.

7. q. 1. Si quis Epiſcopus.

CAPUT IX.

ALienum Clericum, invito Epiſcopo ipſius, nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet: niſi forte ex placito charitatis id inter dantem accipientemque conveniat. Nam gravis injuriæ reus eſt, qui de fratris Eccleſia id quod eſt utilius, aut pretioſius, audet vel allicere, vel tenere. Itaque ſi intra provinciam res agatur, transfugam clericum ad ſuam Eccleſiam Metropolitanus redire compellet. Si autem longius proceſſit, tui præcepti authoritate revocabitur, ut nec cupiditati, nec ambitioni occaſio relinquatur.

19. q. 2. Alienum clericum.

CAPUT X.

IN evocandis autem ad te Epiſcopis moderatiſſimum te eſſe volumus, ne per majoris diligentiæ ſpeciem, fraternis videaris gloriari injuriis. Unde ſi cauſa aliqua major extiterit, ob quam neceſſarium ſit fraternum advocare conventum, binos de ſingulis provinciis Epiſcopos, quos Metropolitani crediderint eſſe mittendos, ad fraternitatem tuam venire ſufficiat: ita ut præſtituto tempore non ultra quindecim dies * quo convenerint, retardentur. *qui*

CAPUT XI.

SI autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diverſa eorum fuerit a tua voluntate ſententia, ad nos omnia ſub geſtorum teſtificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Ad hunc enim finem, omnem affectum noſtrum, curamque dirigimus, ut quod ad unitatem concordiæ, & quod ad cuſtodiam pertinet diſciplinæ, nulla diſſenſione violetur, nulla deſidia negligatur. Et te igitur, frater chariſſime, & eos fratres noſtros, qui de tuis offenduntur exceſſibus, cum tamen non ſimilis ſit omnium materia querelarum, hortor & moneo, ut quæ pie ſunt ordinata, ſalubriterque diſpoſita, nulla concertatione turbentur. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius, ſicut Apoſtolus ait: *Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bono ad ædificationem.* Nec enim poterit unitatis noſtræ firma eſſe compago, niſi nos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum charitatis adſtrinxerit: quia ſicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis unam ſanitatem, unam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, ſed præcipue exigit concordiam ſacerdotum. Quibus etſi dignitas non ſit communis, eſt tamen ordo generalis: quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in

Philip. 2.

Rom. 15.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

ſimi

Digitized by Google

ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis; & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt ut cæteris præmineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vindicarent: ſed eſſent in ſingulis provinciis ſinguli,
2.q.6. Qui ſcit ſe. quorum inter fratres haberetur prima ſententia: &
rurſus quidam in majoribus urbibus conſtituti, ſol-
Matth. 23. licitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil uſquam a ſuo capite diſſideret. Qui ergo ſcit ſe quibuſdam eſſe præpoſitum, non moleſte ferat, aliquem ſibi eſſe præpoſitum, ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependat. Et ſicut non vult gravis oneris ſarcinam ferre, ita non audeat alis importabile pondus imponere. Diſcipuli enim
Matth. 11. ſumus humilis & mitis magiſtri, dicentis: *Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Quod quomodo experie-
Matth. 20. Marc. 10. Luc. 22. Luc. 24. mur, niſi & illud in obſervantiam veniat, quod idem Dominus ait: *Qui major eſt veſtrum, erit miniſter veſter. Qui autem ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

EPISTOLA LXXXV.

Ad Septimium Altinum Epiſcopum.

Leo Epiſcopus, Septimio Epiſcopo ſalutem.

LEctis Fraternitatis tuæ litteris, vigorem fidei tuæ, quam olim noveramus, agnovimus, congratulantes tibi, quod ad cuſtodiam gregum
Matth. 7. 1.q.7. Saluberrimum enim Et 1. q. 1. Omnis cujuſlibet. Et ſi quis hæretica. Et indec. Ivo. l.2. cum litteræ variatione.
Chriſti paſtoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi, qui ſub ſpecie ovium ſubintrarunt, beſtiali ſævitia ſimplices quoſque dilacerent, & non ſolum ipſi nulla correctione proficiant, ſed etiam ea quæ ſunt ſana corrumpant. Quod ne viperea poſſit obtinere fallacia ad Metropolitanum Epiſcopum provinciæ Venetiæ ſcripta direximus, quibus ad ſtatus ſui periculum cognoſceret pertinere, ſi quiſquam de Pelagianorum & Cœleſtianorum conſortio veniens, in communione Catholica ſine profeſſione legitimæ ſatisfactionis habeatur. Saluberrimum enim eſt, & ſpiritalis medicinæ utilitate pleniſſimum, ut ſive Presbyteri, ſive Diaconi, ſive alii cujuslibet ordinis clerici, qui ſe correctos videri volunt, errorem ſuum, & ipſos erroris authores damnari a ſe ſine ambiguitate fateantur: ut ſenſibus pravis, & dudum peremptis, nulla ſperandi ſuperſit occaſio, ne ullum membrum Eccleſiæ talium poſſit ſocietate violari, cum per omnia illis profeſſio propria cœperit obviare. Circa quos etiam illam canonum conſtitutionem præcipimus cuſtodiri, ne ab his Eccleſiis, ad quas proprie pertinet, ſinantur abſcedere, & pro ſuo arbitrio ad loca ſibi non deputata tranſire. Quod cum recte non permittitur inculpatis, multo minus debeat licere ſuſceptis. Proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam ſuam diſpoſitionibus noſtris, & cum ſupradicto Metropolitano det operam, ut circumſpecte ac velociter impleantur ea, quæ ad totius Eccleſiæ incolumitatem & laudabiliter ſunt geſta, & ſalubriter ordinata.

EPISTOLA LXXXVI.

Ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum.

* *Leo Epiſcopus Romæ, Nicetæ Aquilejenſi Epiſcopo ſalutem.* Item ad Metropolitanum. Venetiæ. CAP. I.

RELatione ſancti fratris & Coepiſcopi noſtri Septimii, quæ in ſubditis habetur, agnovimus quoſdam Presbyteros, Diacones, ac diverſi ordinis Clericos, quos Pelagiana, ſive Cœleſtiana hæreſis habuerit implicatos, ita in veſtra provincia ad communionem Catholicam perveniſſe: ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris, & paſtoralibus excubiis nimium dormitantibus, lupus ovium pellibus tectus in ovile Dominicum, non depoſitis beſtialibus animis introiret: & quod per authoritatem canonum decretorumque noſtrorum ne inſontibus quidem conceditur uſurpa- Pſal. 7.
re, ut relictis Eccleſiis, in quibus Clericatum aut acceperant, aut receperant, inſtabilitate ſua per diverſa circumferantur, amantes ſemper errare, & nunquam in fundamento Apoſtolico permanere. Quoniam qui nullo diſcuſſi examine, nullo ſunt præjudicio ſuæ profeſſionis obſtricti, hunc maxime expetunt fructum, ut ſub velamento communionis plures domos adeant, & per falſi nominis ſcientiam multorum corda corrumpant. Quod utique efficere non poſſent, ſi Eccleſiarum Præſules neceſſariam diligentiam, in talium receptione ſer-
varent: ne cuiquam eorum evagari in diverſa licuiſſet. CAP. II.
Ne ergo hoc ulterius audeatur, neve per quorumdam negligentiam introducta pernicies, ad everſionem multarum tendat animarum, hac noſtri authoritate præcepti, induſtriæ tuæ Fraternitatis indicimus: ut congregata apud vos Synodo provincialium Sacerdotum, omnes ſive Presbyteri, ſive Diaconi, ſive cujuſque ordinis Clerici, qui de Pelagianorum Cœleſtianorumque conſortio in communionem Catholicam ea imprudentia ſunt recepti, ut non prius ad damnationem ſui coarctarentur erroris, nunc, ſaltem poſteaquam hypocriſis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipſis prodeſſe, & nullis poſſit nocere cogantur. Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris authores, & quicquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur; omniaque decreta Synodalia, quæ ad exciſionem hujus hæreſeos Apoſtolicæ Sedis confirmavit authoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc iſtorum eſſe verſutiam, ut *in* quacumque particula dogmatis execrandi, *qua* ſe a damnatorum ſocietate diſcreverint,
nihil ſenſuum ſuorum exiſtiment eſſe non ſalvum. CAP. III.
Cumque omnes diffinitiones ſuas ad tantam facilitatem improbare ſe ſimulent, atque deponere, hoc tibi tota arte fallendi, niſi intelligantur, excipiant, ut gratia Dei ſecundum meritum dari accipientium ſen-
tiatur. Quæ niſi gratis detur, non eſt gratia, ſed Epheſ. 2.
merces, retributioque meritorum, dicente beato Apoſtolo: *Gratia ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Jeſu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Omnis itaque bonorum operum * donatio divina præparatio devotio.
eſt, nec propria quiſquam juſtificatur virtute, quoniam

niam gratia unicuique principium juſtitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum eſt. Sed ab iſtis ideo per naturalem induſtriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam proprio data ſit ſtudio, nullo videatur peccati originalis vulnere ſauciata; falſumque ſit quod veritas ait: Quoniam filius hominis venit quærere & ſalvare quod perierat. Ideo etiam parvulos dicunt, ſi ſine baptiſmo hinc de ſæculo exierint, non poſſe damnari, neque reos in peccato Adæ teneri, ſed ad regnum Dei, vel ad vitam æternam, ſine ulla cunctatione venire, cum Apoſtolus dicat: *Per unum hominem peccatum intra-*
Rom. 5.
vit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, propter quod & ipſi parvuli baptizantur. Quamvis in illo uno poſſint intelligi plura peccata, ſi unum ipſum in ſua quaſi membra ſingula dividatur. Nam & ſuperbia eſt illic, quia in ſua domo potius eſſe, quam in Dei poteſtate dilexit: & ſacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia ſe præcipitavit in mortem: & fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanæ ſerpentina ſuaſione corrupta eſt: & furtum, quia prohibitus uſurpatus eſt cibus: & avaritia, quia plus quam ſufficere illi debuit, appetivit: & ſi quid aliud in hoc uno admiſſo diligenti conſideratione poterit inveniri. Parentum quoque peccatis parvulos obli-
Cap. IV.
gari, non ſolum primorum hominum, ſed etiam ſuorum, de quibus ipſi nati ſunt, non improbabiliter di-
Exod. 20.
citur. Illa quippe ſententia: *Reddam peccata patrum in filios*, tenet eos utique, antequam per regenerationem ad Teſtamentum novum incipiant pertinere: quod Teſtamentum prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata
Ezech. 18.
patrum ſuorum, nec ulterius futuram in Iſrael pa-
Hier. 31.
rabolam illam, Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Ideo enim quiſque renaſcitur, ut ſolvatur in eo quicquid peccati eſt, cum quo naſcitur. Nam peccata, quæ male agendo poſtea committuntur, poſſunt, & pœnitendo ſanari, ſicut etiam poſt baptiſmum fieri videmus. Ac per hoc non eſt inſtituta regeneratio, niſi quia vitioſa eſt generatio, uſque adeo, ut etiam de legiti-
Pſal. 50.
Rom. 5.
mo matrimonio procreatus dicat: *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis mater mea in utero me aluit*. Neque hic dixit, in iniquitate, vel in peccato, cum hoc recte dici poſſet; ſed iniquitates & peccata dicere maluit: quia & in illo uno, quod in omnes homines pertranſivit, quodque jam magnum eſt, ut ea mutaretur & converteretur in neceſſitatem mortis humana natura (ſicut ſupra diſſerui) reperiuntur plura peccata, & alia parentum, quæ licet non poſſunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, niſi gratuita gratia & miſericordia divina ſub-
De conſec. diſtinct. 4. A parvulo.
veniat. A parvulo enim recens nato, uſque ad decrepitum ſenem, quamlibet corporis ætatem generant, ſicut nullus prohibendus eſt a baptiſmo, ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in baptiſmo. Sed parvuli tantum originali, majores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque male vivendo addiderunt ad illud quod naſcendo traxe-
Cap. V.
runt. Cavendum ergo dilectioni tuæ eſt, magnaque diligentia providendum, ne per hujuſmodi homines extincta dudum ſcandala ſuſcitentur: & de exciſo olim dogmate aliquod in provincia tua ejuſdem mali germen oriatur: quod non ſolum in radicibus ſuis creſcat, ſed etiam ſanctæ Eccleſiæ ſobolem veneno ſui odoris inficiat. Qui correctos ſe videri volunt, ab omni ſuſpicione ſe purgent, & obediendo nobis, probent ſe eſſe noſtros. Quorum ſi quiſquam ſalubribus præceptis ſatisfacere detrectarit, ſive ille clericus, ſive ſit laicus, ab Eccleſiæ ſocietate pellatur, ne perditor animæ ſuæ ſaluti inſidietur alienæ. Illam quoque partem Eccleſiaſticæ
Cap. VI.
diſciplinæ, qua olim a ſanctis Patribus, & a nobis ſæpe decretum eſt, nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, ut nec in ſubſequenti officio
In Concil Hiſpal. 2. cap. 3.
clericorum ab Eccleſia *ad Eccleſiam* cuiquam tranſire ſit liberum: ut in integrum revoces, admonemus. Et unuſquiſque non ambitione illectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum depravatus, ubi ordinatus eſt, perſeveret: ita ut ſi
Diſt. 86. Inferiorum culpa.
quis ſua quærens, non quæ Jeſu Chriſti, ad *plebem, &* Eccleſiam ſuam redire neglexerit: & ab honoris privilegio, & a communionis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua, nos, ſi (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro cuſtodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides negligenteſque Rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorem diſſimulant adhibere medicinam.

EPISTOLA LXXXVII.

Ad Epiſcopos Africanos per Mauritaniam Cæſarienſem conſtitutos.

Capita Epiſtolæ ſequentis.

1 *Ne illicitæ perſonæ ad Epiſcopatum promoveantur.*
2 *De ſtatutis canonum conſervandis.*
3 *De Donato Novatianorum Epiſcopo, & de Maximo ex Donatiſtis.*
4 *De Aggaro & Tiberiano, qui ex laicis fuerunt ordinati.*
5 *De virginibus ſacris, quæ vim barbaricam pertulerunt.*

Leo Epiſcopus, univerſis Epiſcopis per Cæſarienſem Mauritaniam in Africa conſtitutis in Domino ſalutem.

CAPUT I.

CUm de ordinationibus Sacerdotum quædam apud vos illicite uſurpata crebrior ad nos commeantium ſermo perferret, ratio pietatis exegit ut pro ſollicitudine, quam univerſæ Eccleſiæ divinæ ex divina inſtitutione dependimus, rerum fidem ſtuderemus agnoſcere, vicem curæ noſtræ proficiſcenti a nobis fratri, & conſacerdoti noſtro Potentio, * in-
delegantes.
jungentes, qui ſecundum ſcripta, quæ per ipſum ad vos direximus, de Epiſcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret, nobiſque omnia fideliter indicaret. Unde quia idem pleniſſime notitiæ noſtræ cuncta reſeravit, & ſub quibus, qualibuſque rectoribus quædam Chriſti plebes in partibus provinciæ Cæſarienſis habeantur ſincera nobis relatione patefecit: neceſſarium fuit ut dolorem cordis noſtri, quo pro Dominicorum gregum periculis æſtuamus, datis nunc quoque ad dilectionem veſtram litteris promeremus: mirantes tan-
Diſt. 61. Miramur tantum.
tum apud vos, per occaſionem temporis impacati, aut ambientum præſumptionem, aut tumultum valuiſſe popularem: ut indignis quibuſque & longe extra ſacerdotale meritum conſtitutis paſtorale faſtigium & gubernatio Eccleſiæ crederetur. Non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere: nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Integritas enim præſidentium, ſalus eſt ſubditorum, & ubi eſt incolumitas obedientiæ,

q. 1. Principatus quem. tiæ, ibi ſana eſt forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupavit, etiamſi moribus atque actibus non offendit, ipſius tamen initii ſui eſt pernicioſus exemplo. Et difficile eſt ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.

Quod ſi in quibuslibet Eccleſiæ gradibus providenter, ſcienterque curandum eſt, ut in Domini domo nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum; quanto magis elaborandum eſt, ut in electione ejus, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Ubi eſt illa beati Pauli Apoſtoli per Spiritum Dei emiſſa præceptio, qua in perſona Timothei omnium Sacerdotum Chriſti numerus eruditur, &

Diſt. 87. Quid eſt manus.

proinde unicuique noſtrum dicitur: Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis? Quid eſt cito manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt communicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantem, qualis eſt ille qui non * meruit ordinari? Sicut enim boni operis ſibi comparat fructum, qui rectum * ſectatur in eligendo Sacerdotes judicium: ita gravi ſemetipſum afficit damno, qui ad ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum. Non enim in cujuſquam perſona prætermittendum eſt, quod inſtitutis generalibus continetur: nec putandus eſt honor ille legitimus, qui fuerit de prævaricatione collatus. Dicente enim Apoſtolo, ut inter alias electionis regulas, is Epiſcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuiſſe aut eſſe conſtiterit, tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, ut etiam de muliere Sacerdotis eligendi eadem intelligatur ſervanda conditio, ne forte illa, priuſquam in ma-

meruit. *tenet.*

1. Tim. 3. Lev. 21. Ezech. 44. Epheſ. 5. 1. Cor. 11.

trimonium ejus veniret, qui aliam non habuiſſet uxorem, alterius viri eſſet experta conjugium. Quis ergo diſſimulare audeat, quod in tanti ſacramenti perpetratur injuriam: cum huic magno venerandoque myſterio, ne divinæ quidem legis ſtatuta defuerint, quibus evidenter eſt definitum, ut virginem Sacerdos accipiat, & alterius thorum neſciat conjugis, quæ uxor eſt futura Pontificis? Jam tunc enim in Sacerdotibus figurabatur Chriſti Eccleſiæ ſpirituale conjugium: ut quoniam vir caput eſt mulieris, diſcat ſponſa * Verbi non alium virum noſſe quam Chriſtum, qui merito unam elegit, unam diligit, & aliam præter ipſam ſuo conſortio non adjungit. Si ergo etiam in veteri Teſtamento hæc ſacerdotalium conjugiorum forma ſervata eſt: quanto magis ſub revelata jam gratia conſtituti, Apoſtolicis debemus inſervire præceptis, ut quamlibet quis bonis moribus præditus, & ſanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen, vel ad Diaconii gradum, vel ad Presbyterii honorem, vel ad Epiſcopatus culmen aſcendat, ſi aut ipſum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuiſſe claruit? Monente vero Apoſtolo, atque dicente:

Chriſti.

Lev. 21. Ezech. 44.

1. Tim. 3. *Et hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent,* quid aliud intelligendum in hoc putamus, niſi ut in his provectionibus non ſolum matrimoniorum caſtimoniam, ſed etiam laborum merita cogitemus, ne aut a baptiſmo rudibus, aut a ſæculari actu repente converſis, officium paſtorale credatur, cum omnis gradus militiæ Chriſtianæ de incrementis profectuum debeat æſtimari, an poſſint cuiquam majora committi? Merito Sanctorum Patrum venerabiles ſanctiones, cum de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos ſacris admini-

Diſtinct. 61. Miramur tantum.

ſtrationibus cenſuerunt, quorum omnis ætas, a puerilibus exordiis uſque ad provectiores annos per diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtipendia cucurriſſet, ut unicuique teſtimonium prior vita præberet: nec poſſet de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro caſtis moribus, pro actibus ſtrenuis, celſioris loci præmium deberetur. Si enim ad honores mundi ſine ſuffragio temporis, ſine merito laboris, indignum eſt pervenire, & notari ambitus ſolent, quos probitatis documenta non adjuvant: quam diligens & quam prudens habenda eſt diſpenſatio divinorum munerum & cœleſtium dignitatum, ne in aliquo Apoſtolica & canonica decreta violentur, & his Eccleſia Domini regenda credatur, qui legitimarum inſtitutionum neſcii & totius humilitatis ignari, non ab infimis ſumere incrementum, ſed a ſummis volunt habere principum, cum valde iniquum ſit & abſurdum, & imperiti magiſtris, novi antiquis, & rudes præferantur emeritis? In domo quidem magna neceſſe eſt (ſicut Apoſtolus diſſerit) ut vaſa diverſa ſint: quædam aurea & argentea, quædam vero lignea & fictilia: ſed horum miniſterium pro materiæ qualitate diſcernitur, nec qui eſt pretioſorum, idem uſus eſt & vilium. Nam inordinata erunt omnia, ſi fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut autem in ligneis & fictilibus eorum hominum ſpecies figurantur, qui nullis adhuc virtutibus nitent, ita in auris & argenteis hi ſine dubio declarantur, qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatum & argentum purum eſſe meruerunt. Quibus ſi merces pro devotione non redditur, omnis Eccleſiaſtica diſciplina reſolvitur, omnis ordo turbatur: dum in Eccleſia, qui nullum ſubiere miniſterium perverſo eligentium judicio, indebitum obtinent principatum. Cum ergo inter vos tantum valuerint aut ſtudia popularium, aut ambitus ſuperborum, ut non ſolum laicos, ſed etiam ſecundarum uxorum viros, aut viduarum maritos ad officium cognoſcamus paſtorale provectos: nonne * aptiſſime exigunt cauſæ, ut Eccleſiæ, in quibus iſta commiſſa ſunt, judicio ſeveriore purgentur, & non ſolum in tales Præſules, ſed etiam in ordinatores eorum ultio competens proferatur? Sed circumſtant nos hic manſuetudo clementiæ, hinc cenſura juſtitiæ. Et quia univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, cogimur ſecundum Sedis Apoſtolicæ pietatem, ita noſtram temperare ſententiam ut trutinato pondere delictorum, quæ conſtat non unius eſſe menſuræ, quædam definiamus utcumque toleranda, quædam vero penitus amputanda. Eos enim, qui vel ſecundas nuptias inierunt, vel viduarum ſe conjugio ſociarunt, nec Apoſtolica, nec legalis authoritas, ſacerdotium obtinere permittit: & multo magis illum, ſi fuerit veſtro judicio confutatus, (ſicut ad nos relatum eſt) duarum ſimul eſt maritus uxorum, vel * iſtum, qui a prima uxore dimiſſus, alteram duxiſſe perhibetur, privandum honore decernimus. Cæteros vero, quorum provectio hoc tantum reprehenſionis incurrit, quod ex laicis ad officium Epiſcopale delecti ſunt, neque ex hoc quod uxores habeant, poſſunt eſſe culpabiles, ſuſceptum Sacerdotium tenere permittimus: non præjudicantes Apoſtolicæ Sedis ſtatutis, nec præceſſorum noſtrorum noſtriſque decretis, quibus ſalubriter ſtatutum eſt, ne primum, vel ſecundum, aut tertium in Eccleſia gradum quiſquam laicorum, quibuslibet ſuffragiis fultus aſcendat, priuſquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Quod enim nunc utcumque patimur eſſe veniale, inultum, poſt-

2. Tim. 2.

apertiſſime. 1. quæſt. 7. Exigunt cauſæ.

Pſal. 24. 1. quæſt. 7. Exigunt cauſæ.

illum qui prima uxore dimiſſa. 1. quæſt. 7. Exigunt cauſæ.

1. quæſt. 7. Exigunt cauſæ.

mo-

modum eſſe non poterit, ſi quicquam id, quod omnino interdicimus, uſurpare præſumpſerit: quia remiſsio peccati, non dat licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi.

CAPUT II.

CUm itaque de omnibus fere, quæ fratris noſtri Potentii relatio continebat, pleniſsime dilectionem veſtram per David fratrem, & Coepiſcopum noſtrum, qui & Sacerdotii merito nobis eſt probatus & moribus, videaus inſtructam: ſupereſt, fratres, ut concordi obedientia ſalubres ſuſcipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, ſed ad omne ſtudium devotionis unanimes, divinis & Apoſtolicis conſtitutionibus pareatis; & in nullo patiamini providentiſsima canonum decreta violari. Quæ enim

1. quæſt. 7. Donatum autem. 1. quæſt. 1. & 15. quæ. 2. Si qui Epiſcopi talem.

nunc certarum remiſimus conſideratione cauſarum, antiquis deinceps cuſtodienda ſunt regulis: ne quod ad tempus pia lenitate conceſsimus, juſta poſt hæc ultione plectamus: in eos ſpecialius & propenſius commovendi qui in Epiſcopis ordinandis ſanctorum Patrum ſtatuta neglexerint, & quos refutare debuerant, conſecrarint. Unde ſi qui Epiſcopi talem conſecraverint Sacerdotem, qualem non liceat, etiamſi aliquo modo damnum proprii honoris evaſerint, ordinationis tamen jus ulterius non habebunt, nec ei ſacramento intererunt, quod neglecto divino

Diſt. 80. Illud ſane quod ad. Cap. 6. Sardicen. Concil.

judicio immerito præſtiterunt. Illud ſane quod ad ſacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum ſtatuta ſervari: ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet caſtellis, & ubi ante non fuerunt, Epiſcopi conſecrentur: cum ubi minores ſunt plebes, minoreſque conventus, Presbyterorum cura ſufficist. Epiſcopalia autem gubernacula non niſi majoribus populis, & frequentioribus civitatibus oporteat præſidere: ne quod ſanctorum Patrum divinitus inſpirata decreta vetuerant, viculis, & poſſeſsionibus, vel obſcuris, & ſolitariis municipiis tribuatur Sacerdotale faſtigium & honor: cui debent excellentiora committi, ipſe ſui numeroſitate

Sententialiter ponitur iſte canon. 32. q. 5. 11.

vileſcat. Quod nunc in ſua dicœceſi Reſtitutus Epiſcopus factum eſſe cauſatus eſt, & rationabiliter poſtulavit, ut ſi Epiſcopi eorum locorum, in quibus non debuerant ordinari, humana conditione deceſſerint, loca ipſa ad jus ejus Antiſtitis redigantur, cujus fuerant ante priora. Et inutile eſt, ut Sacerdotalis dignitas inconſiderata Ordinantis facilitate ſuperflua multiplicatione * muniatur. De his autem

minuatur.

quæ in ſacro virginitatis propoſito conſtitutæ barbaricam pertulere violentiam, & integritatem pudoris non animo, ſed corpore perdiderunt, ea nobis ſervanda videtur moderatio, ut neque in viduarum dejiciantur gradum, neque in ſacrarum & perſeverantium virginum numero cenſeantur. Quibus, ſi in omnibus virginalibus obſervationibus perſeverant, & caſtimoniæ ſoliditatem mente cuſtodiunt, ſacramentorum non eſt neganda communio: quia injuſtum eſt, eas in eo vel argui, vel notari, quod non voluntas amiſit, ſed vis hoſtilis eripuit. Cauſam quoque Lupicini Epiſcopi illic jubemus audiri. Cui multum & ſæpius poſtulanti, communionem hac ratione reddidimus, quoniam ad noſtrum judicium provocaſſet immerito eum, quem, pendente negotio, a communione videbamus fuiſſe ſuſpenſum. Adjectum etiam illud eſt, quod huic temere ſuperordinatus eſſe cognoſcitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in præſenti poſitus, aut confutatus, aut certe confeſſus, juſtæ poſſet ſubjacere ſententiæ: ut vacantem locum, quemadmodum diſciplina Eccleſiaſtica exigit, is, qui conſecrabatur, exciperet.

CAPUT III.

1. quæſt. 7. Donatum autem.

DOnatum autem Salicinenſem ex Novatianis cum ſua (ut comperimus) plebe converſum, ita Dominico volumus gregi præſidere, ut libellum fidei ſuæ ad nos meminerit dirigendum, quo & Novatiani dogmatis damnet errorem, & pleniſsime confiteatur Catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico licet reprehenſibiliter ordinatum, tamen ſi Donatiſta jam non eſt, & a ſpiritu ſchiſmaticæ pravitatis alienus, ab Epiſcopali, quam quoquo modo adeptus eſt, non repellimus dignitate: ita ut & ipſo libello ad nos edito Catholicum ſe eſſe manifeſtet.

CAPUT IV.

1. quæſt. 1. Maximum quoque ex laico.

DE Aggaro & Tyberino, quorum a cæteris, qui ex laicis ordinati ſunt, in hoc cauſa diverſa eſt, quod eorum ordinationi atroces tumultus, & ſævæ ſeditiones memorantur eſſe famulatæ, veſtro judicio cuncta commiſimus: ut relata habiti apud vos examinis fide, quid de ſupradictis ſtatuendum ſit, ſcire poſſimus.

CAPUT V.

32 quæſt. 5. Illæ autem famulæ Dei.

ILlæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppreſſione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia: ſi ſe incontaminatis non audeant comparare virginibus. Quamvis enim omne peccatum ex voluntate naſcatur, & potuerit corruptione carnis mens invita non pollui; minus tamen hoc illis oberit, ſi quod potuerunt animo non amittere, doleant ſe vel corpore perdidiſſe. Si vero aliæ emerſerint cauſæ, quæ ad ſtatum Eccleſiarum, & ad concordiam pertineant Sacerdotum, illic ſub timore Domini volumus ventilentur, & de componendis atque compoſitis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea quæ juxta Eccleſiaſticum morem juſte & rationabiliter fuerint definita, mea quoque ſententia roborentur. Data quarto Idus Auguſti.

EPISTOLA LXXXVIII.

De privilegio Chorepiſcoporum ſive Presbyterorum ad univerſos Germaniæ atque Galliæ Eccleſiarum Epiſcopos.

Leo Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus, univerſis Germaniarum atque Galliarum regionum Epiſcopis ſalutem.

Cap. 13. Dalima Papæ in Epiſt. ad Numidiæ Epiſcopos.

CUm in Dei nomine in Romana Eccleſia Synodum Epiſcoporum ſive cæterorum conſacerdotum Chriſtique Fidelium coadunatam habuiſſemus, & de ordinationibus illicitis, ſuper quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium ſermo pervenerat, atque de aliis neceſſariis Eccleſiaſticis negotiis tractantes, ſacroſque canones relegentes, ſolerter egiſſemus, a multis lacrymabili vultu relatum eſt nobis, quod quidam Germaniarum ac Galliarum urbium Epiſcopi frequenter Chorepiſcopos, qui juxta canones Neocæſarienſes, ſive ſecundum aliorum decreta Patrum iidem ſunt, qui & Presbyteri, vel Presbyteros deſtinarent, qui abſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicaſque conſecrarent. Quod quidem non eſt mirum id præcepiſſe viros Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignaros, quod eſt cano-

nonicæ regulæ contrarium, & ſtatim a ſæculari militia, in ſacerdotale miniſterium delegatos, atque promotos. Ergo ne ultra talis a vobis licentia uſurpetur, communi ſententia ſtatuendum oportuit, ſcientes, quia ſicut Chorepiſcopo, vel Presbytero illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio. In Num. 7. Pſal. 98. divinis enim litteris, præcipiente Domino, ſolus Moſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe unxit, qui utique ſummus Sacerdos Dei erat, ſicut ſcriptum eſt de eo: *Moſes & Aaron in ſacerdotibus ejus*. Ideoque id quod tantum facere principibus Sacerdotum juſſum eſt, quorum typum Moſes & Aaron tenuerunt, omnino decretum eſt, ut Chorepiſcopi vel Presbyteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non præſumant. Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis miniſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædam novæ etiam Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint, ſicut Presbyterorum & Diaconorum, aut virginum conſecratio, ſicut conſtitutio altaris, ac benedictio, vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Eccleſias, vel altaria conſecrare licet, nec per impoſitiones manuum Fidelibus baptizandis, vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum ſanctum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontes ſignare, nec publice quidem in Miſſa quemquam pœnitentem conciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita ſunt Chorepiſcopis, qui ad exemplum & formam ſeptuaginta diſcipulorum eſſe noſcuntur, vel Presbyteris, qui eandem geſtant formam: quoniam quandam conſecrationem habent, Pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia ſolis deberi ſummis Pontificibus authoritate canonum præcipitur, ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur. Sed neque coram Epiſcopo licet Presbyteris in baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite, infantem tingere, aut ſignare, nec pœnitentem ſine præceptione Epiſcopi ſui reconciliare, nec eo præſente, niſi illo jubente, Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti conficere, nec eo coram poſito populum docere, vel benedicere, aut ſalutare, nec plebem utique exhortari.

Ex fine hujus epiſtolæ argumentum ſumitur, quod non ſit plena, ſed fragmentum duntaxat.

EPISTOLA LXXXIX.

Ad Epiſcopos per Viennenſem provinciam conſtitutos.

Dilectiſſimis fratribus, Univerſis Epiſcopis per Viennenſem provinciam conſtitutis, Leo Romæ Epiſcopus.

Diſt. 19. Ita Dominus noſter Jeſus. Cap. I. DIvinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omneſque nationes, Dei voluit gratia coruſcare, ita Dominus noſter Jeſus Chriſtus humani generis Salvator inſtituit: ut veritas, quæ antea legis & Prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem univerſitatis exiret, ſicut Pſal. 18. ſcriptum eſt: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Sed hujus muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret: ut ab ipſo quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem ſe myſterii intelligeret eſſe divini, qui auſus fuiſſet a Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium individuæ unitatis aſſumptum, Matth. 6. id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ut æterni templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri ſoliditate conſiſteret, hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verum hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Deo (ut diximus) ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis ejus poteſtatem teneat infringere, favendo cupiditatibus ſuis, & id quod accepit a veteribus, non ſequendo: cum nulli ſe ſubditum legi, nullius inſtitutionis Dominicæ credit regulis contineri, a veſtro noſtroque, per novæ uſurpationis ambitum, more deſciſcens, præſumendo illicita, & quæ cuſtodire debuit, negando. Verum hæc nos, Deo (ut credimus) aſpirante, ſervata circa vos noſtræ charitatis gratia, Cap. II. quam ſanctitati veſtræ Apoſtolica ſemper Sedes (ut meminiſtis) impendit, nitimur conſilio maturiore corrigere, & veſtrarum Eccleſiarum ſtatum, communicato vobiſcum labore, componere, non nova inſtruentes, ſed vetera renovantes: ut in ſtatus conſuetudine, quæ nobis a noſtris patribus eſt tradita, perduremus, & Deo noſtro per boni operis miniſterium, remotis perturbationum ſcandalis, placeamus. Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat Apoſtolicam Sedem, pro ſui reverentia, a veſtræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam, & pro diverſarum (quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat) appellatione cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia, adeo ut ſervata unitate ſpiritus in vinculo pacis commeantibus hinc inde litteris, quod ſancte agebatur, perpetuæ proficeret charitati. Quam ſollicitudo noſtra non ſua quærens, ſed quæ ſunt Chriſti, dignitatem divinitus datam nec Eccleſiis, nec Eccleſiarum Sacerdotibus abrogabat. Sed hunc tramitem ſemper inter majores noſtros & bene tantum, & ſalubriter conſtitutum, Hilarius Eccleſiarum ſtatum, & concordiam Sacerdotum novis præſumptionibus turbaturus Matth. 16. Joan. 12. Romanæ Eccleſiæ. exceſſit, ita ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati, ut ſe beato Apoſtolo Petro non patiatur eſſe ſubjectum, ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vindicans, & debitam Metropolitanis ſacerdotibus in ſuum jus transferens dignitatem: ipſius quoque beatiſſimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui cum præ cæteris ſolvendi & ligandi tradita ſit poteſtas, paſcendorum tamen ovium cura ſpecialius mandata eſt. Cui quiſquis principatum æſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem: ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſemetipſum in inferna demergit. Quæ igitur apud nos in cauſa Celidonii Cap. III. Epiſcopi geſta confecta ſint, & quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem, præſente ſupradicto Epiſcopo, audiretur, inditus chartis rerum ordo demonſtrat. Ubi poſtquam Hilarius rationabile, quod in ſanctorum Concilio Sacerdotum poſſet reſpondere, non habuit, ad ea ſe occulta cordi ipſius tranſtulerunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus ſacerdotum poſſet audire. Doluimus (fateor) fratres, & hunc ejus mentis tumorem medelis patientiæ noſtræ curare tentavimus. Nolebamus etenim ea illi exacerbare vulnera, quæ ſuæ animæ inſolentibus ſubinde ſermonibus infligebat, & quem ſuſceperamus, ut

fratrem

fratrem, delinire magis ipſum (quamvis ipſe ſe ſuis reſponſionibus implicaret) quam contriſtare noſtris interlocutionibus nitebamur. Abſolutus eſt Celidonius Epiſcopus quoniam ſe injuſte Sacerdotio fuiſſe dejectum, manifeſta teſtium reſponſione, ipſo etiam præſente, monſtraverat, ita ut quod Hilarius nobiſcum reſidens poſſet opponere, non haberet. Remotum eſt ergo judicium, quod prolatum in hac ſententia legebatur, quod tanquam viduæ maritus Sacerdotium tenere non poſſet. Quod nos quidem, ſervantes legalia conſtituta, ſollicitius volumus cuſtodiri, non ſolum circa Sacerdotes, ſed circa Clericos quoque minoris officii, ne ad ſacram militiam hi permittantur accedere, quibus ſic tale conjugium, vel contra Apoſtolicam diſciplinam non unius tantum uxoris viri fuiſſe monſtrentur. Sed ſicut eos, quos factum ſuum non poteſt excuſare, aut non admittendos, aut ſi fuerint, decernimus removendos: ita quibus hoc falſo objicitur, ab ea neceſſe eſt examinatione purgemus, & ſuum officium perdere non ſinamus. Manſiſſet namque in illum prolata ſententia, ſi objectorum veritas extitiſſet. Redditus itaque eſt Eccleſiæ ſuæ & huic, quam amittere non debuit, dignitati Coepiſcopus noſter Celidonius, ſicut geſtorum ſeries, & poſt decurſam cognitionem ſententia, quæ a nobis eſt prolata, te-

Cap. iv.

ſtatur. Huic negotio ſic finito, fratris & Coepiſcopi noſtri Projecti querela ſucceſſit: cujus ad nos litteræ lachrymabiles, & dolendæ de ſuperordinato ſibi Epiſcopo ſunt directæ. Epiſtola quoque ingeſta eſt civium ipſius, & numeroſa ſubſcriptione ſingulorum firmata, invidioſiſſimis contra Hilarium plena querimoniis, quod Projecto Epiſcopo ſuo ægrotare liberum non fuiſſet, ejuſque Sacerdotium in alium præter ſuam notitiam eſſe translatum, & tanquam in vacuam poſſeſſionem ab Hilario pervaſore hæredem viventis inductum. Quid hic fraternitas veſtra ſentiat, cuperemus audire. Quamquam de veſtris animis noſtra non debeat ſententia dubitare: cum fratrem in lectulo conſtitutum, non tam infirmitate corporis aggravari, quam alio videatis dolore torqueri. Quæ ſpes illi de vita relinquitur, cui de Sacerdotio ſuo, dum illi alter ſubſtititur, irrogatur deſperatio? Apparet ergo quam mitis ſit corde Hilarius, qui obeſſe præſumptioni ſuæ fraternæ mortis credidit tarditatem. Quantum enim in ſe fuit, ille ſubſtraxit lucem, abſtulit vitam, qui hunc dolorem, in locum ejus alterum ſubrogando, ne ad ſalutem illi recurſus eſſet, injecit. Eſto ut brevis fratri inventa fuerit humanæ conditionis conſueta migratio, quid ſibi Hilarius quærit in aliena provincia: & id quod nullus deceſſorem ipſius, ante Patroclum habuit, cur uſurpat? cum & ipſum, quod Patroclo a Sede Apoſtolica temporaliter videbatur eſſe conceſſum, poſtmodum ſit ſententia meliore ſublatum. Expectarentur certe vota civium, teſtimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum ſolent ordinationibus ab his qui norunt patrum regulas, cuſtodiri, ut Apoſtolicæ auctoritatis norma in omnibus ſervaretur, qua præcipitur ut Sacerdos Eccleſiæ præfuturus, non ſolum atteſtatione Fidelium, ſed etiam eorum qui foris ſunt, teſtimonio muniatur, neque ullius ſcandali relinquatur occaſio, cum per pacem, & Deo placitam concordiam conſonis omnium ſtudiis, qui doctor pacis futurus eſt, ordina-

Cap. v.

tur. Sed ille inſperatus neſcientibus ſupervenit, & improviſus abſceſſit curſu (ut didicimus) celeri, itinera multa conficiens, & per longinquas provincias tanta immaturitate diſcurrens, ut videatur, gloriam de ſcurrili velocitate potius, quam de Sacerdotali moderatione captaſſe. Hæc enim directarum ad nos civium verba ſunt litterarum *ante abſceſſit, quam eum veniſſe noſſemus*. Non eſt hoc redire, ſed fugere, nec ſalubritatem impendere diligentiæ paſtoralis, ſed vim inferre latronis & furis, dicente Domino: *Qui non intrat per januam in cohortem ovium, ſed aſcendit aliunde, hic fur & latro eſt*. (Joan. 10.) Non ergo Hilarius tam ſtuduit Epiſcopum conſecrare, quam eum potius, qui ægrotabat, occidere, & ipſum quem ſuperpoſuit, male ordinando decipere. Nos tamen, quod vobis credimus Deo judice placiturum, in commune cunctis fratribus conſulentes, & male ordinatum ſubmoveri, & Epiſcopum Projectum in ſuo Sacerdotio permanere debere decrevimus: id ſtatuentes, ut ſi quiſquam fratrum noſtrorum in quacumque provincia deceſſerit, is ſibi ordinationem vindicet Sacerdotis, quem illius provinciæ Metropolitanum eſſe conſtiterit: quia (ut videmus) cauſæ tranſactæ ſunt, in quibus etiam multa ſunt, quæ præter rationem Eccleſiaſticam videantur eſſe commiſſa, & juſti judicii debeant expectare cenſuram. Sed nos diutius hic non poſſumus immorari, cum ad alia, quæ nobis cum veſtra ſanctitate conferenda ſunt, provocemur.

Cap. vi.

Militaris manus (ut didicimus) per provincias ſequitur ſacerdotem, & armati præſidii præſumptione ſuffulto ad invadendas per tumultum famulatur Eccleſias, quæ proprios amiſerint Sacerdotes. Traduntur ordinandi ad hoc officium, his, quibus præficiendi ſunt, civitatibus ignoti. Ut enim notus, qui fuerit probatus, per pacem petitur: ita per vim, neceſſe eſt, qui ignotus adducitur, imponatur. Obtetor & obſecro, & ſub Dei vos invocatione convenio, prohibete fratres talia, & omnem diſcenſionis materiam de veſtris provinciis removete. Certe nos ante Deum abſolvimus, qui vos ne permittatis ultra hæc fieri, convenimus. Per pacem & quietem, Sacerdotes qui præfuturi ſunt poſtulentur. Teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus & plebis. Qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur. Ordinationem ſibi (ut ante jam diximus) ſinguli Metropolitani ſuarum provinciarum cum his qui cæteros ſacerdotii antiquitate præveniunt, reſtituto ſibi per nos jure defendat. Alienum jus alter ſibi non audeat vindicare. Suis limitibus, ſuis terminis ſit unuſquiſque contentus. Et privilegium ſibi debitum in alium transferre ſe poſſe, noverit non licere. Quod ſi quis negligens Apoſtolicas ſanctiones plus gratiæ tribuens perſonali, ſui honoris deſertor eſſe voluerit, privilegium ſuum in alium transferre poſſe ſe credens, non is, cui ceſſerit, ſed is, qui intra provinciam antiquitate Epiſcopali cæteros prævenit ſacerdotes, ordinandi ſibi vindicet poteſtatem, non quæ paſſim, ſed die legitimo celebretur. Nec ſibi conſtare ſtatus ſui noverit firmitatem, qui non die ſabbati veſpere, quod luceſcit in primam ſabbati, vel ipſo Dominico die fuerit ordinatus. Solum enim majores noſtri reſurrectionis Dominicæ diem hoc honore dignum judicavere, ut ſacerdotes, qui

Cap. vii.

ſumuntur, hoc die potiſſimum tribuantur. Suis unaquæque provincia ſit contenta Conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere Synodales, & Sacerdotum Domini judicia, ſe interſerendo, turbare, qui non tantum noverit ſe ab alieno jure depulſum, ſed etiam Viennenſis provinciæ (quam male uſurpaverat) poteſtate privatum. Dignum eſt enim, fratres, antiquitatis ſtatuta reparari, cum is, qui ſibi ordinationem provinciæ indebite vindicabat, talis in præſenti etiam probatus fuerit: cum ipſe frequentius temeratis & inſolentibus verbis ſententiam damnationis expeteret, ſuæ tantum civi-

tatis illi ſacerdotium, pro Sedis Apoſtolicæ pietate, præceptio noſtra ſervaverit. Non ergo ſit illi ordinatio, quæ meriti ſui conſcius, cum quæreretur ad accuſandum, turpi fuga ſe credidit ſubtrahendum, exors Apoſtolicæ communionis, cujus particeps eſſe non meruit, Deo (ut credimus) hoc agente, qui illum, inopinantibus nobis, & ad judicia noſtra pertraxit, & inter examinationes habitas, ne communionis noſtræ conſors fieret, ut

Sententia excommunicationis non temere ferenda eſt.

abſcederet latenter, effecit. Nulli Chriſtianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus, & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognovimus enim, pro commiſſis, & levibus verbis quoſdam a gratia communionis excluſos, & animam, pro qua Chriſti ſanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſævi ſupplicii ſauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incurſibus, ut facile caperetur, objectam. Certe quando cauſa talis emerſerit, ut pro commiſſi criminis qualitate aliquem juſte faciat communione privari: is tantum pœnæ ſubdendus eſt, quem reatus involuit, nec particeps debet eſſe ſupplicii, qui conſors non docetur fuiſſe commiſſi. Sed quid mirum eum in laicos talem exiſtere, qui ſoleat de Sacerdotum

Cap. VIII.

damnatione gaudere? Unde quia noſtra longe alia videtur intentio (nam omnium Eccleſiarum ſtatum, & concordiam cuſtodiri cupimus ſacerdotum) ad unitatem vos vinculo charitatis hortantes, & obteſtamur, & affectione congrua commonemus: ut ea, quæ a nobis Deo inſpirante, & beatiſſimo Petro Apoſtolo, diſcuſſis probatiſque nunc omnibus cauſis, decreta ſunt, pro veſtra pace & dignitate ſervetis: certi non tam noſtro quam veſtro honori proficere, quod talia ſtatuiſſe cognoſcimur. Non enim nobis ordinationes veſtrarum provinciarum defendimus, quod poteſt forſitan ad depravandos veſtræ ſanctitatis animos Hilarius pro ſuo more mentiri: ſed vobis per veſtram ſollicitudinem vindicamus, ne quid ulterius liceat novitati, nec præſumptori locus ultra jam pateat privilegia noſtra caſſandi. Noſtræ enim gratulationi hoc ſolum accreſcere profitemur, ſi Apoſtolicæ Sedis diligentia apud vos illibata ſervetur: & per ſacerdotalis diſciplinæ cuſtodiam honori veſtro perire, quod ſuum eſt, pro noſtris uſurpationibus non ſinamus. Et quoniam honoranda eſt ſemper antiquitas, fratrem & Coepiſcopum noſtrum Leontium probabilem Sacerdotem, hac (ſi vobis placet) dignitate volumus decorari: ut præter ejus conſenſum alterius provinciæ non indicatur a veſtra ſanctitate Concilium, & a vobis omnibus quemadmodum vetuſtas ejus & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis privilegii ſui dignitate ſervata. Æquum eſt enim, nec ulli de fratribus fieri videtur injuria: ſi his, qui ſacerdotii vetuſtate præcedunt, pro ætatis ſuæ merito in ſuis provinciis a Sacerdotibus cæteris deferatur. Deus vos incolumes cuſtodiat, Fratres chariſſimi.

EPISTOLA XC.

Ad Ravennium Arelatenſem Archiepiſcopum.

Domino fratri Ravennio, Leo Romæ Epiſcopus.

PRovectionem dilectionis tuæ, quæ ſummi Sacerdotii adepta eſt dignitatem, ita nobis placere cognoſce: ut non ſolum tibi de honoris augmento, ſed etiam Arelatenſi Eccleſiæ, cui te Dominus præpoſuit, gaudeamus. Ad omnium enim Fidelium decus atque utilitatem redundat, cum talis habetur Antiſtes, cujus plurimi & adjuventur præſidio, & incitentur exemplo. Unde quia non ignoras, quid de ſinceritate animi tui ſecundum præſentem notitiam ſenſerimus, juſtiſſime nos agnoſcis exigere, ut quod præſumimus, hoc probemus, Frater chariſſime. Modeſtiæ igitur tuæ non authoritas conſtantiam, ſed manſuetudo commendet juſtitiam; lenitas temperet, patientia contineat libertatem: & declinata ſuperbia, cui proximum eſt, ut decidat, ametur humilitas, cui ſemper debetur, ut creſcat. Eccleſiaſticarum legum non ignara eſt dilectio tua, ut intra earum regulas atque menſuras omnia poteſtatis tuæ jura contineas. Juſto 1. Tim. 1.
quippe ideo dicitur lex non eſſe poſita, quia normam præceptionis implet judicio voluntatis: cum verus recti amor in ſemetipſo habeat, & Apoſtolicas authoritates, & canonicas ſanctiones. Quarum devotus ſectator, & diligens executor, in eorum proculdubio conſortio gloriaberis, qui de creditorum ſibi profectibus talentorum audire meruerunt: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* (Matth. 25. Luc. 19.) Ut autem fiduciam dilectionis erga te noſtræ habere non dubites, ſæpius nos de proceſſu actuum tuorum facias certiores: quoniam judicii noſtri memores, cupimus ſemper de tuis profectibus in Domino gloriari. Deus te incolumem cuſtodiat, Frater chariſſime.

EPISTOLA XCI.

Ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum, ut his, qui in exitu ſunt, pœnitentia & communio negentur.

Leo Epiſcopus, Theodoro Epiſcopo Forojulienſi ſalutem.

SOllicitudinis quidem tuæ is ordo eſſe debuerat, Cap. 1.
ut cum Metropolitano tuo primitus de eo, quod quærendum videbatur eſſe, conferres: ac ſi id, quod ignorabat dilectio tua, etiam ipſe neſciret, inſtrui vos pariter poſceretis: quia in cauſis, quæ ad generalem obſervantiam pertinent, omnium Domini ſacerdotum, nihil ſine primatibus oportet inquiri. Sed ut quoquomodo inſtruatur ambiguitas conſulentis, quid de pœnitentium ſtatu Eccleſiaſtica habeat regula, non tacebo. (De pœnitentia diſt. 1. Multiplex.) Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenire, ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent: eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utique operi inceſſabiliter ipſe Salvator intervenit, nec unquam ab his eſt, quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi:* (Matth. 28. De pœnitentia diſt. 1. Multiplex.) ut ſi quid per ſervitutem noſtram bono ordine, & gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum Sanctum fuiſſe donatum. Si autem aliquis

eo-

Digitized by Google

eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo, a munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit: quod manens in corpore non receperit, conſequi, exutus carne, non poterit. Nec neceſſe eſt nos, eorum qui ſic obierint merita, actuſque diſcutere: cum Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit, ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic error omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur

De pœnitentia diſt. 1 Multiplex. Et 26. qu. 6. His qui tempore. CAP. IV. Eſa. 30. Eſa. 43. Pſal. 123.

His autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio; dicente ſpiritu Dei per Prophetam: *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris*. Et alibi: *Dic tu iniquitates tuas prior, ut juſtificeris*. Et iterum: *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio*. In diſpenſandis itaque Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe lacrymas, gemituſque negligere, cum ipſam * pœnitentiam ex Dei credamus inſpiratione conceptam, dicente Apoſtolo: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipſius voluntatem*. Unde

pœnitendi affectionem

2. Tim. 2.

CAP. V.

oportet unumquemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat: nec ſatisfactionis ſibi tempus in fine vitæ ſuæ coſtituat, quem periculoſe ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum ſpatium ſe reſervet incertum: cum poſſit pleniore ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo vix inveniat ſpatium, vel confeſſio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis. Verum (ut dixi) [illegible] auxiliandum eſt, ut nec act[illegible]llis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, ſi eam etiam [illegible]miſſo ab eis vocis officio, per indicium integri ſenſus quærere comprobentur. Quod ſi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis Fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur: ſervata tamen regula canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum a fide diſcedendo, peccarunt. Hæc autem, frater, quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideo reſpondi, ne aliquid contrarium ſub ignorantiæ excuſatione gereretur, in Metropolitani tui notitiam facies pervenire: ut ſi qui forte ſunt fratrum, qui de his anteputaverunt ambigendum, per ipſum de omnibus, quæ ad te ſcripta ſunt, inſtruantur. Data 4. Idus Junii, Herculano viro clariſſimo Conſule.

De pœnitentia diſt. 1. Multiplex. 26. quæſt. 6. His qui tempore nec.

EPISTOLA XCII.

Ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum.

Capitula epiſtolæ ſequentis.

1 *Quod non habeantur Epiſcopi, quos nec Clerus elegit, nec populus expetivit, nec provinciales Epiſcopi conſecrarunt. Si qui autem clerici ab his Pſeudoepi-*

ſcopis ordinantur, rata poteſt talis ordinatio exiſtere.

2 *Quod Presbyteri aut Diaconi ſi in aliquo crimine dejecti fuerint, non poſſint per manus impoſitionem pœnitentiæ remedium conſequi.*

3 *Quod Diaconi, ſicut Epiſcopus & Presbyter, ceſſare debeant ab opere conjugali, non tamen repudiare conjugium.*

4 *Quod aliud ſit uxor, aliud concubina. Nec erret, quiſquis filiam ſuam in matrimonium tradiderit ei, qui habuit concubinam.*

5 *Quod non ſit conjugis duplicatio, quando ancilla relicta, uxor aſſumitur.*

6 *De his qui communione privantur & ita moriuntur.*

7 *De his qui pœnitentiam agere differunt.*

8 *Quod oporteat eum, qui pro illicitis veniam poſcit, etiam a multis licitis abſtinere.*

9 *Quod pœnitenti, nulla negotiationis lucra exercere conveniat.*

10 *Quod ad malitiam ſæcularem poſt pœnitentiam redire non debeant.*

11 *Quod adoleſcens, ſi urgente quocumque periculo, pœnitentiam geſſit, & non ſe continet, uxoris poteſt remedio ſuſtineri.*

12 *Quod ſi quis propoſitum Monachi deſeruerit, publica ſit pœnitentia ſatisfactione purgandus.*

13 *Quod puellæ, quæ non coactæ, ſed voluntate propria virginitatis propoſitum ſuſceperunt, peccant, ſi nupſerint, licet nondum fuerint conſecratæ.*

14 *De his quæ jam conſecratæ ſunt, ſi nupſerunt.*

15 *De his quibus dubium eſt, utrum baptiſma perceperint, neceſſe eſt ut renaſcantur.*

16 *Quod ſi, qui ſe baptizatos agnoſcunt, ſed in qua fidei profeſſione neſciunt, per manus impoſitionem ſuſcipiantur.*

17 *De his qui convivio gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt.*

Leo Epiſcopus, Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo.

EPiſtolas Fraternitatis tuæ, quas Hermes Archidiaconus tuus detulit, libenter accepi, diverſarum quidem cauſarum connexione multiplices; ſed non ita patientiæ legentis oneroſas, ut aliquid earum per intercurrentes undique ſollicitudines fuerit prætermiſſum. Unde totius ſermonis tui allegatione comperta, & geſtis quæ in Epiſcoporum, honoratorumque examine confecta ſunt, recenſitis, Sabiniano & Leonis Presbyteris actionis tuæ, intelleximus fiduciam defuiſſe: nec eis juſtam Superesse querimoniam, qui ſe ab inchoatis diſceptationibus ſponte ſubduxerint. Circa quos quam formam, quamve menſuram debeas tenere juſtitiæ, tuo relinquo moderamini: ſuadens tamen charitatis hortatu, ut ſanandis ægris ſpiritualem adhibere debeas medicinam, & dicente Scriptura: *Noli eſſe nimium juſtus*, mitius agas Eccl. 7.
cum eis, qui pudicitiæ zelo videntur modum exceſſiſſe vindictæ: ne diabolus qui decipit adulteros, de adulterii exultet ultoribus. Miror autem dilectionem tuam in tantum ſcandalorum quacumque occaſione naſcentium adverſitate turbari: ut vacationem ab Epiſcopatus laboribus optare te dicas, & malle in ſilentio atque otio vitam degere, quam in his quæ tibi commiſſa ſunt, permanere: dicente vero Domino: *Beatus qui perſeveraverit uſque in finem*: unde beata erit perſeverantia, niſi ex virtute patientiæ? Nam ſecundum Apoſtolicam prædicationem: *Omnis qui voluerit pie vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patietur*. Quæ non in eo tantum computanda eſt, quod contra Chriſtianam pietatem, aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuſcunque

Matth. 24.

2. Tim. 3.

ſup-

ſuppliciis: cum perſecutionum ſævitiam ſuppleant & diſſimilitudines morum, & contumaciæ inobedientium, & malignarum tela linguarum: quibus conflictationibus cum omnia ſemper Eccleſiæ membra pulſentur, & nulla piorum portio hic a tentatione ſit libera, ita ut periculis nec otia careant, nec labores, quis inter fluctus maris navim diriget, ſi gubernator abſcedat? Quis ab inſidiis luporum oves

Joan. 10.

cuſtodiet, ſi paſtoris cura non vigilet? Quis denique latronibus obſiſtet & furibus, ſi ſpeculatorem in proſpectu explorationis locatum, ab intenſione ſollicitudinis amor quietis abducat? Permanendum ergo in opere eſt credito, & in labore ſuſcepto. Conſtanter tenenda eſt juſtitia, & benigne præſtanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines.

Diſt. 86. Odio habeantur peccata.

Nunc corripiantur tumidi, nunc tolerentur infirmi: & quod in peccatis ſeverius caſtigari neceſſe eſt, non ſævientis plectatur animo, ſed medentis. At ſi vehementior tribulatio incubuerit, non ita expaveſcamus, quaſi illi adverſitati proprius ſit viribus reſiſtendum, cum & conſilium noſtrum, & fortitudo noſtra ſit Chriſtus, ut ſine quo nihil poſſumus, per ipſum cuncta poſſimus: qui confirmans prædicatores Evangelii, & ſacramentorum miniſtros: *Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Et iterum: *Hæc*, inquit, *locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo autem tribulationem habebitis*. Sed bono animo eſtote, quia ego vici mundum.

Joan. 15.
Matth. 28.
Joan. 16.

Quæ pollicitationes quia ſine dubitatione manifeſtæ ſunt, nullis debemus ſcandalis infirmari: ne electioni Dei videamur ingrati, cujus tam potentia ſunt adjutoria, quam vera promiſſa. De conſultationibus autem dilectionis tuæ, quas ſeparatim conſcriptas Archidiaconus tuus detulit, quid ſentiendum ſit inter præſentes opportunius quæretur, ſi nobis tui conſpectus copia perveniret. Nam cum quædam interrogationes modum diligentiæ videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores eſſe, quam ſcriptis. Quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione convelli, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitudine rerum oporteat temperari: illa ſemper conditione ſervata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum Patrum inveniatur adverſum.

Diſt. 14. Sicut quædam.

Incipiunt ad inquiſitiones ejuſdem Epiſcopi ſubjecta reſponſa.

CAPUT I.

Diſtin. 62. Nulla ratio.

NUlla ratio ſinit ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati. Unde cum ſæpe quæſtio de male accepto honore naſcatur, quis ambigat, nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum? Si qui autem Clerici ab iſtis pſeudoepiſcopis in eis Eccleſiis ordinati ſunt, quæ ad proprios Epiſcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum conſenſu & judicio Præſidentium facta eſt, poteſt rata haberi: ita ut in ipſis Eccleſiis perſeverent. Aliter autem vana habenda eſt ordinatio, quæ nec loco fundata eſt, nec authoritate munita.

2. quæſt. 1. Si quia pſeudoepiſc.

CAPUT II.

ALienum eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi: quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro eo?* Unde hujuſmodi lapſis, ad promerendam miſericordiam Dei, privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.

Diſt. 50. Alienum eſt a conſuetud.
1. Reg. 2.

CAPUT III.

LEx continentiæ eadem eſt miniſtris altaris, quæ Epiſcopis atque Presbyteris. Qui cum eſſent laici ſive lectores, licite & uxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Unde, ut de carnali fiat ſpirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quaſi non habeant, ſic habere, quo & ſalva ſit charitas * conjugiorum & ceſſet opera nuptiarum.

* connubiorum.

CAPUT IV.

Gen. 25.

NOn omnis mulier juncta viro, uxor eſt viri: quia nec omnis filius hæres eſt patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales, multo prius hoc ipſum Domino conſtituente, quam initium Romani juris exiſteret. Itaque aliud eſt uxor, aliud concubina: ſicut aliud ancilla aliud libera. Propter quod etiam Apoſtolus ad manifeſtandam harum perſonarum diſcretionem, teſtimonium ponit ex Geneſi, ubi dicitur Abrahæ: *Ejice ancillam & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ*. Unde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, dubium non eſt, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuiſſe myſterium. Igitur cujuslibet loci Clericus, ſi filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi conjugato eam dederit, niſi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honeſtata videatur. Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, ſi mulieres, quæ a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt, quia aliud eſt nupta, aliud concubina.

Galat. 4.
Geneſ. 21.
32. quæſt. 2. Cum ſocietas. Et in decret. Ivo lib. 6.
Epheſ. 5.

CAPUT V.

ANcillam a thoro abiicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, ſed profectus eſt honeſtatis. Culpanda eſt ſane talium negligentia, ſed non pœnitus deſperanda: ut crebris cohortationibus incitati, quod neceſſarie expetierunt, fideliter exequantur. Nemo enim deſperandus eſt, dum in hoc corpore conſtitutus eſt: quia nonnunquam, quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur.

32. quæſt. 2. Ancillam a thoro.
De pœnitentia. diſt. 7. Nemo deſ.

CAPUT VI.

HOrum cauſa Dei judicio reſervanda eſt, in cujus manu fuit, ut talium obitus uſque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.

CA-

CAPUT VII.

De pœnitentia diſt. 1. Pœnitentia quæ.

DIſſimulatio hæc poteſt non de contemptu eſſe remedii, ſed de metu gravius delinquendi, Unde pœnitentia quæ dilecta eſt, cum ſtudioſius petita fuerit, non negetur: ut quoquomodo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat.

CAPUT VIII.

ALiud quidem eſt debita juſta repoſcere, aliud propria perſectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam poſtulantem oportet a multis etiam licitis abſtinere, dicente Apoſtolo: Omnia mihi licet, ſed non omnia expediunt. Unde ſi pœnitens habet cauſam, quam negligere forte non debeat, melius expetit Eccleſiaſticum, quam forenſe judicium.

CAPUT IX.

De pœnit. diſt. 5. Qualitas lucri.

QUalitas lucri negotiantem aut excuſat, aut arguit: quia eſt & honeſtus quæſtus & turpis. Verum tamen pœnitenti utilius eſt etiam diſpendia pati, quam periculis negotiationis obſtringi: quia difficile eſt, inter ementis vendentiſque commercium non intervenire peccatum.

CAPUT X.

COontrarium eſt omnino Eccleſiaſticis regulis, poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem, eum Apoſtolus dicat: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Unde non eſt libera laqueis diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare.

CAPUT XI.

IN adoleſcentia conſtitutus, ſi urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam geſſit, & poſtea, timens lapſum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur feciſſe venialem, ſi præter conjugem, nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius, æſtimamus. Nam ſecundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam geſſit, quam caſtitas perſeverans & mentis & corporis.

CAPUT XII.

De pœnit. diſt. 1. Contrarium. 2. Tim. 2. 10. qu. 3. Propoſitum. Deut. 23. Pſ. 49. & 115. Eccleſ. 5. Jonæ 2.

PRopoſitum monachi proprio arbitrio aut voluntate ſuſceptum, deſeri non poteſt abſque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Unde qui relicta ſingularitatis profeſſione, ad militiam, vel ad nuptias devolutus eſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt: quia etſi innocens militia & honeſtum poteſt eſſe conjugium, electionem tamen meliorum deſeruiſſe, tranſgreſſio eſt.

CAPUT XIII.

20. quæſt. 1. Puellæ.

PUellæ, quæ non coactæ parentum imperio, ſed ſpontaneo judicio virginitatis propoſitum atque habitum ſuſceperunt, ſi poſtea nuptias eligunt prævaricantur, etiamſi conſecratio non acceſſit, cujus utique non fraudarentur munere, ſi in propoſito permanerent.

CAPUT XIV.

Ubi ſupra 20. quæſt. 1. Puellæ quæ non.

AMbigi vero non poteſt crimen magnum admitti, ubi & propoſitum deſeritur, & conſecratio violatur. Nam ſi humana pacta non poſſunt impune violari, quid eis manebit, qui corruperint fœdera divini ſacramenti?

CAPUT XV.

De communione diſp. 4. Si nulla ex. Et in decret. Ivo. l. 2.

SI nulla exiſtant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur, agendum eſt, ut renaſcantur: ne manifeſte pereat, in quibus, quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum. Qui autem poſſunt meminiſſe, quod ad Eccleſiam veniebant cum parentibus ſuis, poſſunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed ſi hoc etiam ab eorum memoria alienum eſt, conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur: quia non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.

CAPUT XVI.

De commu. diſt. 4. Hi de quibus. Et in decret. Ivo. l. 2.

HI autem, de quibus ſubſcripſiſti, qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cujus fidei fuerint, qui eos baptizavere, ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, rebaptizandi non ſunt, ſed per manus impoſitionem, invocata virtute Spiritus ſancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi ſunt.

CAPUT XVII.

QUi convivio ſolo gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis & manus impoſitione purgari: ut deinceps ab idolothytis abſtinentes, ſacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem aut idola adoravere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos, niſi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.

EPISTOLA XCIII.

Ad Turribium Auſtrienſem Epiſcopum.

Capita Epiſtolæ ſequentis.

1 *Contra Priſcillianiſtas, qui ſanctam Trinitatem, non perſonis, ſed tantum nominibus diſtinguunt.*
2 *Adverſus id, quod Dei Filium poſteriorem credunt, quam Patrem.*
3 *Adverſus id, quod dicunt, ideo unigenitum dici Chriſtum quia ſolus de Virgine natus.*
4 *De natali Domini, in eo quod Priſcillianiſtæ jejunia celebrent.*
5 *Adverſus id, quod ajunt animam hominis ex divina eſſe ſubſtantia.*
6 *Contra id, quod ajunt, diabolum ex ſe, vel ex chao eſſe, & propriam habere naturam.*
7 *Contra illud, quod nuptias, & procreationes filiorum adſtruant eſſe peccatum.*
8 *Contra id quod corpora humana diaboli dicunt eſſe figmenta, & a dæmonibus in utero formari.*
9 *Contra id, quod filios repromiſſionis ex Spiritu ſancto dicunt eſſe conceptos.*

Digitized by Google

10 *Contra id, quod animas in cæleſtibus peccare dicunt, & ſecundum qualitatem peccati in hoc mundo accipere ſortem vel bonam, vel malam.*
11 *Contra id, quod fatalibus ſtellis dicunt animas hominum obligatas.*
12 *Contra id, quod ſub aliis poteſtatibus partes animæ, ſub aliis corporis membra deſcribunt.*
13 14 *Contra id, quod duodecim ſigna, quæ mathematici obſervant, per corpus omne diſtinguunt.*
15 *De Apocryphis eorumdem Priſcillianorum.*
Dictinii. 16 *De libro * Dictinii.*

Leo Epiſcopus, Turribio Epiſcopo ſalutem.

QUam laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate movearis, & quam ſollicite Dominico gregi devotionem officii paſtoralis impendas, tradita nobis per Diaconum tuum fraternitatis tuæ ſcripta demonſtrant, quibus notitiæ noſtræ inſinuare curaſti, qualis in regionibus veſtris de antiquis peſtilentiæ reliquiis errorum morbus exarſerit. Nam & epiſtolæ ſermo, & commonitorii ſeries, & libelli tui textus demonſtrant Priſcillianiſtarum fœtidiſſimam apud vos recaluiſſe ſentinam. Nihil eſt enim ſordium in quorumque ſenſibus impiorum, quod in hoc dogma non conſtruxerit: quoniam de omnium terrenarum opinionum luto, multiplicem ſibi fæcem commiſcuerunt: ut ſoli totum biberent, quicquid alii ex parte guſtaſſent. Denique ſi univerſæ hæreſes, quæ ante Priſcilliani tempus exortæ ſunt, diligentius retractentur, nullus pene invenitur error, de quo non traxerit impietas iſta contagium: quæ non contenta eorum recipere falſitates, qui ab Evangelio Chriſti ſub Chriſti nomine deviarunt, tenebris ſe etiam paganitatis immerſit, ut per magicarum artium prophana ſecreta, & mathematicorum vana mendacia, religionis fidem, morumque rationem in poteſtate dæmonum, & in effectu ſiderum collocarent. Quod ſi credi liceat & doceri: nec virtutibus præmium, nec vitiis pœna debetur, omniaque non ſolum humanarum legum, ſed etiam divinarum conſtitutionum decreta ſolventur: quia neque de bonis, neque de malis actibus ullum poterit eſſe judicium, ſi in utramque partem fatalis neceſſitas motum mentis impellit; & quicquid ab hominibus agitur, non eſt hominum, ſed aſtrorum. Ad hanc inſaniam pertinet prodigioſa illa totius humani corporis per duodecim cœli ſigna diſtinctio, ut diverſis partibus diverſæ præſideant poteſtates: & creatura quam Deus ad imaginem ſuam fecit, in tanta ſit obligatione ſiderum, in quanta eſt connexionem membrorum. Merito patres noſtri, ſub quorum temporibus hæreſis hæc nefanda prorupit, per totum mundum inſtanter egere, ut impius furor ab univerſa Eccleſia pelleretur: quando etiam mundi princeps ita hanc ſacrilegam amentiam deteſtati ſunt ut authorem ejus ac pleroſque diſcipulos legum publicarum enſe proſternerent. Videbant enim omnem curam honeſtatis auferri, omnem conjugiorum copulam ſolvi, ſimulque divinum jus humanumque ſubverti, ſi hujuſmodi hominibus uſquam vivere cum tali profeſſione licuiſſet. Et profuit diu iſta diſtrictio Eccleſiaſticæ lenitati, quæ etſi ſacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, ſeveris tamen Chriſtianorum Principum conſtitutionibus adjuvatur dum ad ſpiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale ſupplicium. Ex quo autem multas provincias hoſtilis occupavit irruptio, & executionem legum tempeſtates interdixere bellorum, ex quo inter Sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt eſſe conventus: invenit ob publicam perturbationem ſecreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium ſubverſionem his malis eſt incitata, quibus debuit eſſe correcta. Quæ vero illic aut quanta pars plebium a contagione peſtis hujus aliena eſt, ubi (ſicut charitas tua indicat) lethali morbo etiam quorundam Sacerdotum corda corrupta ſunt, & per quos opprimenda falſitas, & defendendas veritas credebatur, per ipſos doctrinæ Priſcilliani, Evangelium ſubditur Chriſti, ut ad profanos ſenſus pietate ſanctorum voluminum depravata, ſub nominibus Prophetarum & Apoſtolorum non hoc prædicetur, quod Spiritus ſanctus docuit, ſed quod diaboli miniſter inſeruit. Quia ergo dilectio tua fideli, quantum potuit, diligentia damnatas olim opiniones decem & ſeptem Capitulis comprehendit: nos quoque ſtrictim omnia retractemus, ne aliquid harum blaſphemiarum aut tolerabile videatur, aut dubium.

CAPUT I.

PRimo itaque capitulo demonſtratur, quam impie ſentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, unam atque eandem aſſerunt eſſe perſonam, tanquam idem Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus ſanctus nominetur: nec alius ſit qui genuit, alius qui genitus eſt, alius qui de utroque proceſſit; ſed ſingularis unitas in tribus quidem vocabulis, ſed non tribus ſit accipienda perſonis. Quod blaſphemiæ genus de Sabellii opinione ſumpſerunt, cujus diſcipuli etiam Patripaſſiani merito nuncupantur; quia ſi ipſe eſt Filius, qui & Pater, crux Filii, Patris eſt paſſio: & quidquid in forma ſervi Filius Patri obediendo ſuſtinuit, totum in ſe Pater ipſe ſuſcepit. Quod Catholicæ fidei ſine ambiguitate contrarium eſt; quæ Trinitatem unitatis ſic ὁμούσιον confitetur, ut Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum ſine confuſione indiviſos, ſine tempore ſempiternos, ſine differentia credat æquales: quia unitatem in Trinitate non eadem perſona, ſed eadem implet eſſentia.

CAPUT II.

IN ſecundo capitulo oſtenditur ineptum vanumque commentum, de proceſſionibus quarundam virtutum ex Deo, quas habere cœperit, & quas eſſentia ſua ipſe præceſſerit: quo Arrianorum quoque ſuffragantur errori, dicentium quod Pater prior Filio ſit, quia fuerit aliquando ſine Filio, & tunc Pater eſſe cœperit, quando Filium genuerit. Sed ſicut illos Catholica Eccleſia deteſtatur; ita & iſtos, qui putant unquam Deo id, quod ejuſdem eſt eſſentiæ, defuiſſe. Quem ſicut mutabilem, ita & proficientem dicere nefas eſt. Quam enim mutatur, quod minuitur: tam mutatur etiam, quod augetur.

CAPUT III.

TErtii vero capituli ſermo deſignat, quod iidem impii aſſerant, ideo unigenitum dici Filium Dei, quia ſolus ſit natus ex Virgine. Quod utique non auderent dicere, niſi Pauli Samoſateni & Photini virus hauſiſſent: qui dixerunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, antequam naſceretur ex Virgine Maria, non fuiſſe. Si autem iſti aliud de ſuo ſenſu intelligi volunt, neque principium de matre dant Chriſto, aſſerant neceſſe eſt non unum eſſe Filium

Dei

Digitized by Google

Dei, ſed alios quoquo ex ſummo patre progenitos, quorum hic unus ſit natus ex fœmina; & hic ob hoc appelletur unigenitus, quia hanc naſcendi conditionem alius filiorum Dei nemo ſuſceperit. Quaquaverſum igitur ſe contulerint, in magnæ tendini impietatis abruptum, ſi Chriſtum Dominum, vel ex matre volunt habere principium, vel Patris, Dei unigenitum diffitentur: cum & de matre is natus ſit, qui erat Deus Verbum, & de Patre nemo ſit genitus præter Verbum.

CAPUT IV.

Joan. 1. Vide hujus S. Leonis ſerm. 2. in Natali Do. c.5.&ſer.7. c. 3.4.5.6. Item de Epiph. ſer. 4. in fine c. 4.

QUarto autem capitulo continetur, quod natalem Chriſti, quem ſecundum ſuſceptionem veri hominis Catholica Eccleſia veneratur, quia Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis, non vere iſti honorent, ſed honorare ſe ſimulent: jejunantes eodem die, ſicut & die Dominico, qui eſt dies reſurrectionis Chriſti. Quod utique ideo faciunt, quia Chriſtum Dominum in vera hominis natura natum eſſe non credunt, ſed per quandam illuſionem oſtentata videri volunt, quæ vera non fuerint; ſequentes dogma Cerdonis atque Marcionis, & cognatis ſuis Manichæis per omnia concordantes. Qui ſicut in noſtro examine detecti atque convicti ſunt, Dominicum diem, quem nobis Salvatoris noſtri reſurrectio conſecravit, exigunt in mœrore jejunii, Solis (ut prædictum eſt) reverentiæ hanc continentiam devoventes, ut per omnia ſint a noſtræ fidei unitate diſcordes, & dies qui a nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatur. Unde dignum eſt ut inimici crucis Chriſti & reſurrectionis, talem excipiant ſententiam, qualem elegerunt doctrinam.

CAPUT V.

QUinto capitulo refertur, quod animam hominis divinæ aſſerant eſſe ſubſtantiæ, nec a natura creatoris ſui conditionis noſtræ diſtare naturam. Quam impietatem ex Philoſophorum quorundam, & Manichæorum opinione manantem, Catholica fides damnat: ſciens nullam tam ſublimem, tamque præcipuam eſſe facturam, cui Deus ipſa natura ſit. Quod enim de ipſo eſt, idem eſt quod ipſe. Nec id aliud eſt, quam Filius, & Spiritus ſanctus. Præter hanc autem ſummæ Trinitatis unam conſubſtantialem, & ſempiternam, atque incommutabilem deitatem nihil omnium creaturarum eſt, quod non in exordio ſui ex nihilo creatum ſit. Non autem, quicquid inter creaturas eminet, Deus eſt, nec ſi quid magnum eſt, atque mirabile, hoc eſt, quod ille, *qui facit mirabilia magna ſolus*. Nemo hominum veritas, nemo ſapientia, nemo juſtitia eſt, ſed multi participes ſunt veritatis & ſapientiæ atque juſtitiæ. Solus autem Deus nullius participationis indigus eſt. De quo quicquid digne utcumque ſentitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit: quia eſſe illi, quod eſt ſempiternum, ſemper eſt proprium. Unde in ſe manens innovat omnia, & nihil accepit, quod ipſe non dederit. Nimium igitur ſuperbi, nimiumque ſunt cæci, qui cum dicant humanam animam divinæ eſſe ſubſtantiæ, non intelligunt nihil ſe aliud dicere, quam Deum eſſe mutabilem, & ipſum perpeti quicquid poteſt naturæ ejus inferri.

Pſal. 71. & 135.

CAPUT VI.

SExta adnotatio indicat eos dicere quod diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura ejus opificium Dei ſit, ſed eum ex chao & tenebris emerſiſſe: quia ſcilicet nullum ſui habeat authorem, ſed omnibus mali ipſe ſit principium atque ſubſtantia: cum fides vera, quæ eſt Catholica, omnium creaturarum ſive ſpiritualium, ſive corporalium bonam confitcatur ſubſtantiam, & mali nullam eſſe naturam: quia Deus qui univerſitatis eſt conditor, nihil non bonum fecit. Unde & diabolus bonus eſſet, ſi in eo quod factus eſt, permaneret. Sed quia naturali excellentia male uſus eſt, *& in veritate non ſtetit*, non in contrariam tranſiit ſubſtantiam, ſed a ſummo bono, cui debuit adhærere, deſcivit: ſicut ipſi, qui talia aſſerunt, a veris in falſa proruunt, & naturam in eo arguunt, in quo ſponte delinquunt, ac pro ſua voluntaria perverſitate damnantur. Quod utique in ipſis malum erit, & ipſum malum non erit ſubſtantia, ſed pœna ſubſtantiæ.

Joan. 8.

CAPUT VII.

SEptimo loco ſequitur, quod nuptias damnant & procreationem naſcentium perhorreſcunt. In quo (ſicut pene in omnibus) cum Manichæorum prophanitate concordant, ideo (ſicut ipſorum mores probant) conjugalem copulam deteſtantur, quia non eſt illic libertas turpitudinis, ubi & pudor matrimonii ſervatur, & ſpes ſobolis.

CAPUT VIII.

OCtavum ipſorum eſt, plaſmationem humanorum corporum diaboli dicere eſſe figmentum, & ſemina conceptionum, opera dæmonum in mulierum uteris figurari: propterea reſurrectionem carnis non eſſe credendam, quia concreatio corporis non ſit congruens animæ dignitati. Quæ falſitas ſine dubio opus diaboli eſt, & talia prodigia opinionum figmenta ſunt dæmonum, qui non in fœminarum ventribus formant homines, ſed in hæreticorum cordibus tales fabricantur errores. Quod immundiſſimum virus de Manichææ impietatis ſpecialiter fonte procedens, olim fides Catholica deprehendit atque damnavit.

CAPUT IX.

NOna autem annotatio manifeſtat quod filios promiſſionis, ex mulieribus quidem natos, ſed ex Spiritu ſancto dicant eſſe conceptos, ne illa ſoboles, quæ de carnis ſemine naſcitur, ad Dei conditionem pertinere videatur. Quod Catholicæ fidei repugnans atque contrarium eſt, quæ omnem hominem in corporis animæque * ſubſtantia a conditore univerſitatis formari, atque animari intra materna viſcera confitetur: manente quidem illo peccati mortalitatiſque contagio, quod in prolem a primo parente tranſcurrit, ſed regenerationis ſacramento ſubveniente, quo per Spiritum ſanctum promiſſionis filii renaſcuntur, non in utero carnis, ſed in virtute baptiſmatis. Unde & David, qui utique erat promiſſionis filius, dicit ad Deum: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me*. Et ad Hieremiam Dominus ait: *Priuſquam te formarem in utero, novi te*.

* *ſubſiſtentia*

Pſal. 118. Job. 10. Hier. 1.

CAPUT X.

DEcimo autem 'capitulo referuntur aſſerere animas, quæ humanis corporibus inſeruntur, fuiſſe in corpore, & in cœleſti habitatione peccaſſe, atque ob hoc a ſublimibus ad inferiora delapſos, in diverſæ qualitatis principes incidiſſe, & per aerias ac ſidereas poteſtates alia duriores, alias mitiores corporibus eſſe incluſas, forte diverſas & conditione diſſimili, ut quicquid in hac vita varie & inæqualiter provenit, ex præcedentibus cauſis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum ſibi erroribus texuerunt, ſed omnes eos Catholica fides a corpore ſuæ unitatis abſcidit conſtanter prædicans atque veraciter, quod animæ hominum priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere; nec ab alio incorporentur, niſi ab opifice Deo, qui & ipſarum eſt creator & corporum. Et quia per primi hominis prævaricationem tota humani generis propago vitiata ſit, neminem poſſe a conditione veteris hominis liberari, niſi per ſacramentum baptiſmatis Chriſti, in quo nulla eſt diſcretio renatorum, dicente Apoſtolo: *Quicumque enim in*
Gal. 5. *Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina, omnes enim unum eſtis in Chriſto Jeſu.* Quid ergo hic agunt curſus ſiderum, quid figmenta fatorum? quid mundanarum rerum mobilis ſtatus, & inquieta diverſitas? Ecce tot impares gratia Dei facit æquales, qui inter quoslibet vitæ hujus labores, ſi fideles permanent, miſeri eſſe
Rom. 8. non poſſunt, Apoſtolicum illud in omni tentatione dicentes: *Quis nos ſeparabit a charitatem Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut ſcriptum eſt, quia propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus ut oves occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus in eo, qui nos dilexit.* Et ideo Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti, nihil de mundi inæqualitatibus metuit, quia nihil de bonis corporalibus concupiſcit. Nec timet inani ſtrepitu fatorum gravari, quæ patientia tribulationum novit augeri.

CAPUT XI.

UNdecima ipſorum blaſphemia eſt, qua fatalibus ſtellis & animas hominum, & corpora opinantur adſtringi, per quam amentiam, neceſſe eſt ut omnibus paganorum erroribus implicati, & faventia ſibi (ut putant) ſidera colere, & adverſantia ſtudeant mitigare. Verum iſta ſectantibus nullus in Eccleſia Catholica locus eſt: quoniam qui ſe talibus perſuaſionibus dedit, a Chriſti corpore totos abſceſſit.

CAPUT XII.

DUodecimum inter hæc illud eſt, quod ſub aliis poteſtatibus partes animæ, ſub aliis corporis membra deſcribunt, & qualitates interiorum præſulum in patriarcharum nominibus ſtatuunt, quibus e diverſo ſigna ſiderea, quorum virtuti corpora ſubiiciantur, opponunt. Et in his omnibus inextricabili ſe errore præpediunt, non audientes di-
Coloſſ. 2. centem Apoſtolum: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti,*
Coloſſ. 2. *qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.* Et iterum: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.* Quid ergo opus eſt in cor admittere, quod lex non docuit, quod prophetia non cecinit, quod Evangelii veritas non prædicavit, quod Apoſtolica doctrina non tradidit? Sed hæc operta ſunt eorum mentibus, de quibus Apoſtolus dicit: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Nihil itaque * nobiſcum commune habeant, *vobiſcum.*
qui talia audent, vel docere, vel credere, & quibuslibet modis nituntur aſtruere, quod ſubſtantia carnis ab ſpe reſurrectionis aliena ſit, atque ita omne ſacramentum Incarnationis Chriſti reſolvunt; quia indignum fuit integrum hominem ſuſcipi, ſi indignum erat integrum liberari.

CAPUT XIII.

TErtio decimo loco poſitum eſt eoſdem dicere, quod omne corpus Scripturarum canonicarum ſub Patriarcharum nominibus accipiendum ſit, quia ille duodecim virtutes, quæ reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis indicentur, ſine qua ſcientia nullam animam poſſe aſſequi, ut in eam ſubſtantiam, de qua prodiit, reformetur. Sed hanc impiam vanitatem deſpectui habet Chriſtiana ſapientia, quæ novit veræ deitatis inviolabilem & incorruptibilem eſſe naturam: animam autem, ſive in corpore viventem, ſive a corpore ſeparatam, multis paſſionibus ſubjacere. Quæ utique ſi divinæ eſſet eſſentiæ, nihil adverſi poſſet incidere. Et ideo ineffabiliter aliud creator eſt, aliud creatura. Ille enim ſemper idem eſt, & nulla varietate mutatur: hæc autem mutabilis eſt etiam non mutata, quia ut non mutetur, datum poterit habere, non proprium.

CAPUT XIV.

SUb quarto-decimo vero capitulo, de ſtatu corporis ſentire dicuntur, quod ſub poteſtate ſiderum atque ſignorum pro terrena qualitate teneatur, & ideo multa in ſanctis libris, quæ ad exteriorem hominem pertineant, reperiri, ut in ipſis ſcripturis inter divinam, terrenamque naturam quædam ſibi repugnet adverſitas, & aliud ſit quod ſibi vindicent animæ præſules, aliud quod corporis conditores. Quæ fabulæ ideo diſſeruntur, ut & anima divinæ affirmetur eſſe ſubſtantiæ, & caro credatur malæ eſſe naturæ; quoniam & ipſum mundum cum elementis ſuis non opus Dei boni, ſed conditionem mali profitentur authoris: atque ut hæc mendaciorum ſuorum ſacrilegia bonis titulis colorarent, omnia pene divina eloquia ſenſuum nefandorum immiſſione violarunt.

CAPUT XV.

DE qua re quinti-decimi capituli ſermo conqueritur, & præſumptionem diabolicam merito deteſtatur, quia & nos iſtud veracium teſtium relatione comperimus, & multos corruptiſſimos eorum codices, qui canonici titulantur, invenimus. Quomodo enim decipere ſimplices poſſent, niſi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne uſquequaque ſentirentur inſuavia, quæ eſſent futura mortifera? Curandum ergo eſt, & ſacerdotali diligentia

Digitized by Google

gentia maxime providendum ut falſati codices, & a ſincera veritate diſcordes, in nullo uſu lectionis habeantur. Apocryphæ autem ſcripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolum interdicendæ, ſed etiam penitus auferendæ ſunt, atque ignibus concremandæ. Quamvis enim ſint in illis quædam, quæ videantur ſpeciem habere pietatis, nunquam tamen vacuæ ſunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione ſeductos, laqueis cujuſcumque erroris involvant. Unde ſi quis Epiſcoporum, vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel ſub canonicorum nomine eos codices in Eccleſia permiſerit legi, qui Priſcilliani adulterina ſunt emendatione corrupti, hæreticum ſe noverit judicandum, quoniam qui alium ab errore non revocat, ſeipſum errare demonſtrat.

CAPUT XVI.

Dictinii. *Dictinio.* *Dictinium.*

POſtremo autem capitulo hoc prodidit juſta querimonia, quod * Dicticinii tractatus, quos ſecundum Priſcilliani dogma conſcripſit, a multis cum veneratione legerentur, cum ſi aliquid memoriæ * Dicticinio tribuendum putant, reparationem ejus magis debeant amare, quam lapſum. Non ergo * Dicticinium, ſed Priſcillianum legunt, & illud probant, quod errans docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo hoc impune præſumat, nec inter Catholicos cenſeatur, quiſquis utitur ſcripturis, non ab Eccleſia ſolummodo Catholica, ſed etiam a ſuo authore damnatis. Non ſit perverſis liberum ſimulare, quod fingunt, nec ſub velamine nominis Chriſtiani, decretorum Imperialium ſtatuta declinent. Ideo enim ad Eccleſiam Catholicam cum tanta cordis diverſitate conveniunt, ut & quos poſſunt, ſuos faciant, & legum ſeveritatem, dum ſe noſtros mentiuntur, effugiant. Faciunt hoc Priſcillianiſtæ, faciunt hoc Manichæi, quorum cum iſtis tam fœderata ſunt corda, ut ſolis nominibus diſcreti, ſacrilegiis autem ſuis inveniantur uniti: quia etſi vetus Teſtamentum, quod iſti ſe ſuſcipere ſimulant, Manichæi refutant, ad unum tamen finem utrorumque tendit intentio, cum quod iſti recipiendo corrumpunt, illi abdicando impugnant. In execrabilibus autem myſteriis eorum, quæ quanto immundiora ſunt, tanto diligentius occultantur: unum prorſus nefas eſt, una eſt obſcœnitas, & ſimilis turpitudo. Quam etſi eloqui erubeſcimus, ſollicitiſſimis tamen inquiſitionibus indagatam, & Manichæorum, qui comprehenſi ſunt, confeſſionibus detectam, ad publicam fecimus pervenire notitiam: ne ullo modo poſſit dubium videri, quod in judicio noſtro, cui non ſolum frequentiſſima præſentia Sacerdotum, ſed etiam illuſtrium virorum dignitas: & pars quædam Senatus ac plebis interfuit, ipſorum qui omne facinus perpetrarant, ore reſeratum eſt; ſicut ea, quæ ad dilectionem tuam nunc direximus, geſta demonſtrant. Quod autem de Manichæorum fœdiſſimo ſcelere, hoc etiam de Priſcillianiſtarum infeſtiſſima conſuetudine olim compertum, multumque vulgatum eſt. Qui enim per omnia ſunt impietate ſenſuum pares, non poſſunt in ſacris ſuis eſſe diſſimiles. Decurſis itaque omnibus quæ libelli ſeries comprehendit, & a quibus commonitorii forma non diſcrepat, ſufficienter (ut opinor) oſtendimus, quid de his quæ ad nos Fraternitas tua retulit, cenſeamus, & quam non ſit ferendum, ſi tam prophanis erroribus etiam quorumdam ſacerdotum corda conſentiunt, vel (ut mitius dixerim) non reſiſtunt. Qua conſcientia honorem ſibi debitum vindicant, qui pro animabus ſibi creditis non laborant? Beſtiæ irruunt, & ovium ſepta non claudunt: fures inſidiantur & excubias non prætendunt: morbi crebreſcunt, & remedia nulla proſpiciunt. Cum autem etiam illud addunt, ut his, qui ſollicitius agunt, conſentire detrectent, & impietates olim toto orbe damnatas, ſubſcriptionibus ſuis ſe anathematizare diſſimulent: quid de ſe intelligi volunt, niſi quod de numero fratrum non ſunt, ſed de parte hoſtium?

CAPUT XVII.

IN eo vero, quod extrema familiaris epiſtolæ tuæ parte poſuiſti, miror cujuſquam Catholici intelligentiam laborare, tanquam incertum ſit, an deſcendente ad inferna Chriſto, caro ejus requieverit in ſepulchro: quæ ſicut vere & mortua eſt & ſepulta, ita vere eſt die tertio reſuſcitata. Hoc enim ipſe Dominus denunciaverat, dicens ad Judæos: *Solvite templum hoc, & in triduo reſuſcitabo illud.* Ubi Evangeliſta ſubjungit: *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Cujus rei veritatem etiam David Propheta prædixerat, loquens ſub perſona Domini Salvatoris, & dicens: *Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Quibus utique verbis manifeſtum eſt, quod caro Domini, & vere ſepulta requievit, & corruptionem non ſubiit: quia celeriter vivificata reditu animæ reſurrexit. Quod non credere ſatis impium eſt, & ad Manichæi Priſcillianique doctrinam pertinere non dubium eſt: qui ſacrilego ſenſu ita ſe Chriſtum ſimulant confiteri, ut Incarnationis & Mortis, & Reſurrectionis auferant veritatem. Habeatur ergo inter vos Epiſcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus ſit, vicinarum provinciarum conveniant Sacerdotes: ut ſecundum ea, quæ ad tua conſulta reſpondimus, pleniſſimo diſquiratur examine, an ſint aliqui inter Epiſcopos, qui hujus hæreſeos contagio polluantur, a communione ſine dubio ſeparandi, ſi nefandiſſimam ſectam per omnium ſenſuum pravitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum eſt ut qui prædicandæ fidei ſuſcepit officium, is contra Evangelium Chriſti, contra Apoſtolicam doctrinam, contra univerſalis Eccleſiæ Symbolum audeat diſputare. Quales illic erunt diſcipuli, ubi tales docebunt magiſtri? Quæ illic religio populi, quæ ſalus plebis, ubi contra humanam ſocietatem pudoris ſciſſi verecundia tollitur, conjugiorum fœdera auferuntur, propagatio generationis inhibetur, carnis natura damnatur, contra verum autem veri Dei cultum Trinitas deitatis negatur, perſonarum proprietas confunditur, anima hominis divina eſſentia prædicatur, & eadem ad diaboli arbitrium carne concluditur, Dei Filius per id, quo ex Virgine ortus, non per id, quo ex Patre natus eſt, unigenitus prædicatur, idemque nec vera Dei proles, nec verus filius Virginis aſſeritur, ut per falſam paſſionem, mortemque non veram, mendax etiam reſurrectio reſumptæ de ſepulchro carnis habeatur? Fruſtra autem utuntur Catholico nomine, qui iſtis impietatibus non reſiſtunt. Poſſunt hæc credere, qui poſſunt talia patienter audire. Dedimus itaque litteras ad fratres & Coepiſcopos noſtros Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicos, eiſque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis ſollicitudinem pertinebit, ut noſtræ ordinationis authoritas ad prædictarum provinciarum Epiſcopos deferatur. Si autem aliquid (quod abſit) ob-

Joan. 2.

Pſal. 19.

ſtiterit, quominus poſſit celebrari generale Concilium, Galliciæ ſaltem in uno conveniant ſacerdotes, quibus congregatis fratres noſtri Hydacius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis inſtantia tua, quo citius vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur. * Data XII. Kalendas Auguſtas, Calipio, & Ardabure VV. CC. Coſſ.

Conſul. addit. ex MSS. Corſi. Barbar.

EPISTOLA XCIV.

Ad Ruſticum, Ravennium, Venerium, & cæteros Epiſcopos Galliarum.

Leo Epiſcopus Romæ, Ruſtico, Ravennio, Venerio, cæteriſque Galliarum Epiſcopis.

IMpletis per miſericordiam Dei communibus votis, dignum eſt fraternitatem veſtram ſanctorum gaudiorum habere conſortium. Nam fratres mei, qui vice mea Orientali Synodo præſederunt, quæ acta retulerint, ſignifico, confirmata Catholica fide & glorificato Apoſtolicæ prædicationis triumpho, quod etiam hi, qui ad deviandum vel ſeducti fuerant, vel impulſi, recepta veritatis luce, lætantur. Siquidem omnes Domini ſacerdotes in una ſententia, ſancto Spiritu docente, conſenſere. Et de ſacramento Dominicæ Incarnationis, in quo multorum intelligentia caligabat, ita tenebræ erroris ablatæ ſunt, ut in uno Domino noſtro, vero Dei & hominis filio, nec de humanitatis ambigatur natura, nec de deitatis eſſentia. In impios autem nefandi erroris authores, qui indignos Dei ſe gratia judicantes, correctionis uti remediis noluere, qualis ſit lata ſententia, exemplaria quæ miſimus, edocebunt: ut agnoſcat veſtra dilectio, fratres chariſſimi, in ſancto examine divinum non defuiſſe judicium, quia & vindicta retributa eſt obduratis, & pax impenſa correctis. Dominus vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi.

EPISTOLA XCV.

Ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum de Paſcha.

Dilectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis Catholicis per Galliam & Hiſpaniam conſtitutis, Leo Romæ Epiſcopus.

CUm in omnibus divinorum præceptorum regulis exequendis ſacerdotalem obſervantiam oporteat eſſe concordem, maxime nobis principaliter providendum eſt, ne in Paſchalis feſti die, vel ignorantia, vel præſumptio peccatum diverſitatis incurrat. Unde quia tempus ſacratiſſimæ ſolemnitatis ita diſpoſitos habet limites ſuos, ut ſalutare Sacramentum nunc citius, nunc tardius oporteat celebrari, non deſinit Apoſtolicæ Sedis ſollicitudo proſpicere, ne devotio Eccleſiaſtica aliquo turbetur incerto. Cum igitur in quibuſdam adſcriptionibus patrum futurum proxime Paſcha Domini ab aliis in diem quintum decimum Kalendas Maii, ab aliis in diem octavum Kalendas eaſdem inveniretur adſcriptum: tantum me diverſitas iſta permovit, ut clementiſſimo Principi Martiano curam de hac re animi mei panderem, ut præcipiente ipſo ab his qui habent hujus ſupputationis peritiam, diligentius illi diſcuſſa ratione quæreretur, quo die poſſet veneranda ſolemnitas rectius celebrari. Quo reſcribente, octavo Kalendas Maii definitus eſt dies. Quia ergo ſtudio unitatis & pacis malui Orientalium definitioni acquieſcere, quam in tanta feſtivitatis obſervantia diſſidere: noverit Fraternitas veſtra die octava Kalendas Majas ab omnibus Reſurrectionem Dominicam celebrandam, & hoc ipſum per vos aliis eſſe fratribus intimandum: ut divinæ pacis conſortio, ſicut una fide jungimur, ita una ſolemnitate feriemur.

EPISTOLA XCVI.

Ad Epiſcopos & Presbyteros intra Thraciam provinciam conſtitutos.

Dominis fratribus merito beatiſſimis, in Chriſto venerabilibus, Samartioni, Charathoni, Deſiderio Epiſcopis, & Presbyteris omnium Eccleſiarum quæ ſunt intra provinciam Thraciam conſtituta, Leo, Victorius, Euſtachius Epiſcopi.

TAnta ſæculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reverentia prævaluere, etiam hi, quos ſub Imperiali nomine terris divina potentia præeſſe præcepit, ut jus diſtinguendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis juxta divalia conſtituta permiſerint. Quod cum & juris antiqui formulis, & illibatis frequentius ſit legibus confirmatum, præſenti tamen tempore a pleriſque invenimus fuiſſe calcatum. Nam prætermiſſo ſacerdotali judicio, paſſim ad examen ſæculare transferre. Quocirca nobis viſum eſt, ut hanc & ſacræ legis, & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens ulciſceretur plena diſtrictio, & obſervandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſemus itaque ut quicumque, prætermiſſo Sacerdote Eccleſiæ ſuæ, ad diſceptationem venerit ſæcularium, ſacris liminibus expulſus, a cœleſti arceatur altari, neque ullus poſt hanc definitionem, qui communi ſedit arbitrio, quicquam ſibi ultra præſcriptum vindicare nitatur: ita fiet ut hi qui ante erravere, congrua emendatione ſe corrigant, & qui ſub obſervatione clericali cœleſti probatur ſervire officio, ex clero abjiciendum, ſi prætermiſſo ſacerdorum judicio, ſæcularem adierit poteſtatem. Quod ideo ſingulos univerſoſque volumus agnoſcere, ut quod pleno juſtitiæ & juris ordine conſtitutum eſt, effectum totius firmitatis in omnibus clericorum negotiis ſortiatur. Sane ſi clericus laicum pulſet, prius ſe audiri ab Epiſcopis poſcat, tum ſi petitioni ſuæ laicum viderit obviare, ex permiſſu Epiſcopi ſui, in ſæculi moderatores diſceptatione confligat. Leo Epiſcopus ſcribit. Victorius Epiſcopus ſcribit. Euſtachius Epiſcopus ſcribit.

EPISTOLA XCVII.

Ad Leonem Auguſtum.

Capita Epiſtolæ ſequentis.

1 *De blaſphemiis Neſtorii & Eutychetis, eorumque digno anathemate.*

2 *Quod in una Domini Jeſu perſona, gemina ſit deitatis & humanitatis aſſerenda natura.*

3 *De capitulis fidei ex ſanctorum Patrum libris collectis.*

Leo

Digitized by Google

Leo Romæ & univerſalis Catholicæque Eccleſiæ Epiſcopus, Leoni ſemper Auguſto ſalutem.

PRomiſiſſe me memini, venerabilis Imperator, in cauſa fidei, de qua clementiam tuam novi pie eſſe ſollicitam, pleniorem humilitatis meæ dirigendum eſſe ſermonem: quem nunc (auxiliante Domino) fideli occaſione perſolvo, ut ſancto pietatis tuæ ſtudio utilis (quantum arbitror) deeſſe non poſſit inſtructio. Quamvis enim ſciam clementiam tuam humanis inſtructionibus non egere, & ſinceriſſimam de abundantia Spiritus ſancti hauſiſſe doctrinam; officii tamen mei eſt, & patefacere quod intelligis, &

Luc. 1.

prædicare quod credis: ut ignis ille, quem Dominus veniens miſit in terram, motu crebræ meditationis agitatus, ſic concaleſcat, ut ferveat: & ſic inflammetur, ut luceat.

CAPUT I.

Joan. 12.

MAgnas enim caligines Eutychiana hæreſis Orientis partibus inferre molita eſt: & ab illa luce, quæ (ſicut Evangelium loquitur) *lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt*, imperitorum oculos tentavit avertere. Cumque ipſa in ſuam reciderit cæcitatem, nunc in diſcipulis recrudeſcit, quod in authore defecit. Non longo namque temporis intervallo Catholica fides, quæ eſt ſingularis & vera, cuique nihil addi, nihilve minui poteſt, a duobus eſt hoſtibus appetita: quorum

Duo hoſtes Neſtorius & Eutyches.

prior Neſtorius, Eutyches ſecundus emerſit, qui Eccleſiæ Dei duas hæreſes ſibimet contrarias inferre voluerunt: ut uterque a prædicatoribus veritatis merito damnaretur, quia inſanum nimis & ſacrilegum fuit, quod varia falſitate ambo ſenſerunt. Anathematizetur ergo Neſtorius, qui beatam vir-

Neſtorius.

ginem Mariam non Dei, ſed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret deitatis: nec unum Chriſtum in Verbo Dei & carne ſentiret, ſed ſeparatim atque ſejunctim alterum filium Dei, alterum hominis prædicaret: cum manente illa incommutabili Verbi eſſentia, quæ ei cum Patre & Spiritu ſancto intemporalis atque coæterna eſt, ita intra virginea viſcera Verbum caro ſit factum, ut per id quod ineffabile eſt ſacramentum, uno conceptu, unoque partu, ſecundum veritatem utriuſque naturæ ea Virgo & ancilla Domini eſſet &

Luc. 1.

mater. Quod etiam Eliſabeth (ſicut Lucas Evangeliſta declarat) intellexit & dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Eutyches quoque eodem

Eutyches.

percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores, tertium Apollinaris

Apollinaris.

dogma delegit: ut negata humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unius aſſereret eſſe naturæ, tanquam Verbi deitas ipſa ſe in carnem animamque converterit, & concipi ac naſci, nutriri & creſcere, crucifigi ac mori, ſepeliri ac reſurgere, & aſcendere in cœlum, & in Patris dextera, unde ad judicandos vivos & mortuos veniet, conſidere, divinæ tantum eſſentiæ fuerit, quæ nihil horum in ſe ſine carnis recipit veritate, quoniam natura unigeniti natura eſt Patris, natura eſt & Spiritus ſancti, ſimulque impaſſibilis, ſimul eſt incommutabilis, ſempiterna Trinitatis indiviſa unitas, & conſubſtantialis æqualitas. Unde ſi ab Apollinaris

Valentini & Manichæi inſania.

perverſitate Eutychianus quiſque deſciſcit, ne convincatur deitatem paſſibilem ſentire atque mortalem, & tamen Verbi incarnati, id eſt Verbi & carnis unam audet pronunciare naturam, manifeſte in Valentini & Manichæi tranſit inſaniam, & mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum ſimulatorie credit omnia egiſſe, nec humanum in ipſo corpus, ſed phantaſticam corporis ſpeciem oculis apparuiſſe cernentium. Quæ impietatis mendacia, quoniam olim fides Catholica deteſtatur, & aliarum aſſertionum ſacrilegia concordibus per totum mundum beatorum Patrum dudum ſunt damnata ſententiis, non dubium eſt eam non fidem prædicare atque defendere quam ſancta Synodus Nicena confirmavit, dicens: Credi-

Niceni Synodi Symboli.

mus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem: Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc eſt, de ſubſtantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius ſubſtantiæ cum Patre (quod Græci dicunt *ὁμοούσιον*) per quem omnia facta ſunt, ſive quæ in cœlo, ſive quæ in terra. Qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: Et incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die. Aſcendit ad cœlos, inde venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. In qua profeſſione hoc evidentiſſime continetur, quod etiam nos de Domini Incarnatione confitemur & credimus, qui ad ſalutem humani generis reformandam, veram carnem noſtræ fragilitatis non de cœlo ſecum detulit, ſed in utero Virginis matris aſſumpſit.

CAPUT II.

QUicumque ergo ſunt ita obcæcati, & a lumine veritatis alieni, ut Verbo Dei a tempore Incarnationis, humanæ carnis denegent veritatem; oſtendant, in quo ſibi Chriſtianum nomen uſurpent, & cum Evangelio veritatis qua ratione concordent, ſi per beatæ Virginis partum, aut caro ſine deitate, aut deitas eſt orta ſine carne. Sicut enim negari

Joan. 1.

non poteſt (Evangeliſta dicente,) quod *Verbum caro factum eſt: & habitavit in nobis*: ita negari non poteſt

2. Cor. 5.

(beato Paulo Apoſtolo prædicante) quod *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. Quæ autem reconciliatio eſſe poſſet, in qua humano generi propitiaretur Deus, niſi omnium cauſam mediator Dei, hominumque ſuſciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, niſi qui in forma Dei æqualis eſt Patri, in forma ſervi particeps eſſet & noſtri? ut mortis vinculum, unius prævaricatione contractum, unius morte (qui ſolus morti nihil debuit) ſolveretur. Effuſio enim pro injuſtis ſanguinis juſti Chriſti tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut ſi univerſitas captivorum in redemptorem ſuum crederet, nullum diaboli vincula retinerent,

Rom. 5.

quoniam ſicut Apoſtolus ait: *Ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia*. Et cum ſub peccati præjudicio nati poteſtatem acceperint ad juſtitiam renaſcendi, validius factum eſt donum libertatis, quam debitum ſervitutis. Quam itaque ſibi in hujus ſacramenti præſidio ſpem relinquunt, qui in Salvatore noſtro negant humani corporis veritatem? Dicant, quo ſacrificio reconciliati: dicant, quo ſangui-

Epheſ. 5.

ne ſint redempti? *Quis eſt* (ut ait Apoſtolus) *qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis?* Aut quod unquam ſacrificium ſacratius fuit, quam quod verus & æternus Pontifex altari crucis, per immolationem ſuæ carnis, impoſuit?

Pſal. 115.

Quamvis enim multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio redemptio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas, & de fortitudine Fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ.

Sin-

Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec
alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit, cum
inter filios hominum unus ſolus Dominus noſter Je-
ſus Chriſtus, qui vere erat agnus immaculatus, ex-
titerit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, om-
nes ſepulti, omnes ſunt etiam ſuſcitati. De quibus
Joan. 12. ipſe dicebat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia*
traham ad meipſum. Fides etenim vera juſtificans
impios, & creans juſtos, ad humanitatis ſuæ tra-
cta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo
homo ſe invenit innocentem, liberum habens per
gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra
hoſtem humani generis in carnis noſtræ humilitate
congreſſus, his victoriam ſuam tribuit, in quorum
corpore triumphavit. Licet ergo in uno Domino
Jeſu Chriſto, vero Dei atque hominis filio Verbi
& carnis una perſona ſit, quæ inſeparabiliter atque
indiviſe communes habeat actiones: intelligendæ
tamen ſunt ipſorum operum qualitates, & ſynce-
ræ fidei contemplatione cernendum eſt, ad quæ
provehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur
Luc. 1. altitudo divinitatis. Quid ſit quod caro ſine Verbo
Luc. 2. non agit, & quid ſit quod Verbum ſine carne non
efficit. Sine Verbi enim potentia, nec conciperet
Virgo, nec pareret, & ſine veritate carnis obvo-
Matth. 2. luta pannis infantia non jaceret. Sine Verbi poten-
tia non adorarent Magi puerum, ſtella indice decla-
ratum: & ſine veritate carnis non juberetur in Ægy-
ptum transferri puer, & ab Herodis perſecutione
Ibidem. ſubduci. Sine Verbi potentia non diceret vox Pa-
Matth. 13. tris miſſa de cœlo: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo*
Joan. 5. *mihi bene complacui, ipſum audite*: & ſine veritate
Joan. 11. carnis non proteſtaretur Joannes: *Ecce agnus Dei,*
ecce qui tollit peccata mundi. Sine Verbi potentia
non fieret redintegratio debilium, vivificatio mor-
tuorum: & ſine veritate carnis, nec cibus jejuno,
nec ſomnus eſſet neceſſarius fatigato. Poſtremo, ſi-
Joan. 14. ne Verbi potentia non ſe Dominus Patri profiteretur
æqualem: & ſine veritate carnis non idem diceret
Patrem ſe eſſe majorem: cum Catholica fides utrum-
que ſuſcipiat, utrumque defendat: quæ ſecundum
Matth. 16. confeſſionem beati Apoſtoli Petri, unum Chriſtum
Dei vivi Filium, & hominem credit, & Verbum.
Quamvis itaque ab illo initio, quo in utero Vir-
ginis Verbum caro factum eſt, nihil unquam inter
utramque formam diviſionis extiterit, & per omnia
incrementa corporea unius perſonæ fuerint totius
temporis actiones, ea ipſa tamen, quæ inſeparabi-
liter facta ſunt, nulla commixtione confundimus;
ſed quid cujus formæ ſit ex operum qualitate ſen-
timus. Nec divina enim humanis præjudicant, nec
humana divinis: cum ita in idipſum utraque con-
currant, ut in eis nec proprietas abſumatur, nec
Joan. 19. perſona geminetur. Dicant ergo iſti hypocritæ, qui
Ibidem. cæcis mentibus lumen nolunt recipere veritatis, in
Matth. 26. qua forma crucis ligno Dominus Majeſtatis Chriſtus
Luc. 24. affixus ſit? quid jacuerit in ſepulchro? & revoluto
monumenti lapide, quæ tertia die caro reſurrexit?
& in qua poſt reſurrectionem ſuam non credentes
quoſdam diſcipulos arguebat, & hæſitationem cun-
ctantium confutabat, cum diceret, *Palpate & vi-*
Luc. ult. *dete, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut*
me videtis habere? Et Apoſtolo Thomæ, *Infer ma-*
num tuam in latus meum, & vide manus meas &
Joan. 20. *pedes, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis?* Qua utra-
que manifeſtatione corporis ſui jam hæreticorum
mendacia deſtruebat: ut univerſa Eccleſia, Chriſti
imbuenda doctrinis, hoc ſibi non dubitaret cre-
dendum, quod Apoſtoli ſuſceperant prædican-
dum. At ſi in tanta luce veritatis tenebras ſuas hære-
tica obduratio non relinquit, oſtendat, unde ſibi
ſpem polliceantur æternæ, ad quam niſi per me-
diatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chri-
ſtum, non poteſt perveniri. Sicut enim ait beatus
Petrus Apoſtolus: *Non eſt aliud nomen datum homi-* Act. 4.
nibus ſub cælo, in quo oporteat nos ſalvos fieri, nec 1. Tim. 2.
eſt redemptio captivitatis humanæ, niſi in ſanguine
ejus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro om-
nibus; & qui (ſicut prædicat beatus Apoſtolus Pau-
lus) *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitra-* Philip. 2.
tus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinani-
vit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem homi-
num factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit
ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mor-
tem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit
illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne
nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæ-
leſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lin-
gua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria
eſt Dei Patris. Cum ergo unus ſit Dominus Jeſus Ibidem.
Chriſtus, & veræ deitatis, veræque humanitatis, in
ipſo una prorſus, eademque perſona ſit, exaltatio-
nem tamen, qua illum (ſicut Doctor gentium dicit)
exaltavit Deus, & donavit illi nomen, quod ſuper
omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertine-
re formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis
augmento. In forma quippe Dei æqualis erat Filius
Patri, & inter genitorem atque unigenitum nulla in
eſſentia erat diſcretio, nulla in majeſtate diverſitas,
nec per Incarnationis myſterium aliquid deceſſerat
Verbo, quod ei Patris munere redderetur. For-
ma autem ſervi, per quam impaſſibilis deitas ſa-
cramentum magnæ pietatis implevit, humana hu-
militas eſt, quæ in gloriam divinæ poteſtatis eve-
cta eſt in tanta unitate, ab ipſo conceptu Virginis,
deitate & humanitate conſerta, ut nec ſine homi-
ne divina, nec ſine Deo agerentur humana. Pro-
pter quod ſicut Dominus majeſtatis dicitur cruci-
fixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt Deo,
dicitur exaltatus: quia inſeparabiliter (manente
unitate perſonæ) unus atque idem eſt, & totus
hominis filius propter carnem & totus Dei Filius
propter unam cum patre deitatem: Quicquid enim
in tempore accepit Chriſtus, ſecundum hominem
accepit, cui, quæ non habuit, conſerrentur. Nam
ſecundum potentiam deitatis indifferenter omnia
quæ habet Pater, etiam Filius habet, & quæ in
forma ſervi a patre accepit, eadem in forma Dei Joan. 10.
etiam ipſe donavit. Secundum formam enim Dei,
ipſe & Pater unum ſunt: ſecundum formam autem Joan. 2.
ſervi, *non venit facere voluntatem ſuam, ſed vo-*
luntatem ejus, qui miſit eum. *Secundum formam*
Dei, ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit
& Filio vitam habere in ſemetipſo. Secundum for-
mam ſervi, *Triſtis eſt anima ejus uſque ad mortem*.
Et idem ipſe eſt (ſicut ait Apoſtolus) & dives, & Matth. 26.
pauper. Dives quia Evangeliſta dicente, *In princi-* 2. Cor. 8.
pio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Joan. 1.
Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum.
Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt ni-
hil. Pauper vero, quia propter nos Verbum caro Ibidem.
factum eſt, & habitavit in nobis. Quæ autem eſt ejus
exinanitio, quæve paupertas, niſi formæ ſervilis ac-
ceptio? per quam Verbi majeſtate velata, diſpenſa-
tio humanæ redemptionis impleta eſt. Nam quia Coloſſ. 1.
captivitatis noſtræ reſolvi originalia vincula non po-
terant, niſi exiſteret homo noſtri generis, noſtræ-
que naturæ, quem peccati præjudicia non tenerent;
& qui immaculato ſanguine ſuo chirographum le-
thale dilueret, ſicut ab initio erat divinitus præor-
dinatum; ita eſt in plenitudine præfiniti temporis
factum, ut multis modis ſignificata promiſſio, in diu

Ex-

Digitized by Google

expectatum veniret effectum, nec poſſet eſſe ambiguum, quod continuis teſtificationibus ſemper fuerat nunciatum. In magno autem ſacrilegio ſe verſari, hæreticorum manifeſtat impietas, cum ſub ſpecie deitatis honorandæ, humanæ carnis in Chriſto denegant veritatem, & religioſe exiſtimant credi, ſi dicatur In Salvatore noſtro, verum non eſſe, quod ſalvat, cum ita ſecundum promiſſionem omnia ſæcula percurrentem, mundus ſit Deo reconciliatus in Chriſto, ut niſi Verbum dignaretur caro fieri, nulla poſſet caro ſalvari. Omne enim ſacramentum
2. Cor. 3. fidei Chriſtianæ, magno (ut hæretici volunt) decoloratur obſcuro, ſi lux veritatis ſub mendacio putatur latuiſſe phantaſmatis. Non ergo quiſquam ſibi erubeſcendum exiſtimet Chriſtianus de noſtri in Chriſto corporis unitate: quia omnes Apoſtoli, Apoſtolorumque diſcipuli, & præclari Eccleſiarum quinque doctores, qui ad Martyrii coronam, vel ad confeſſionis meruere gloriam pervenire, in hujus fidei lumine ſplenduere, conſonis ubique ſententiis intonantes, quod in Domino Jeſu Chriſto deitatis & carnis una ſit confitenda perſona. Qua autem rationis ſimilitudine, qua divinorum voluminum portione, hæretica impietas ſe exiſtimat adjuvari, quæ veritatem negat corporis Chriſti: cum hanc non lex teſtificari, non prophetia præcinere, non Evangelia docere, non ipſe deſtiterit Chriſtus oſtendere? Quærant per omnem ſeriem Scripturarum, quo tenebras ſuas fugiant, non quo verum lumen obſcurent, & per omnia ſæcula ita veritatem invenient coruſcantem, ut magnum hoc & mirabile ſacramentum, ab initio videant creditum, quod eſt in fine completum. De quo cum ſanctarum litterarum nulla pars ſileat, ſufficit quædam conſona veritatis ſigna poſuiſſe, quibus diligentia fidei ſplendidiſſima latitudine dirigatur, & ſincera intelligentiæ luce perſpiciat: quod in filio Dei, qui ſe inceſſabiliter filium hominis & hominem prnfitetur, non ſit Chriſtianis erubeſcendum, ſed conſtantiſſime gloriandum. Ut autem pietas tua cum venerabilium patrum prædicationibus nos concordare cognoſcat, aliquantas eorum ſententias huic eredidi ſubiiciendas eſſe ſermoni. Quibus ſi digneris attendere recenſitis, non aliud nos prædicare reperies, quam quod ſancti Patres noſtri toto orbe docuerunt: nec quemquam ab illis, niſi ſolos impios hæreticos diſcrepare. His igitur, glorioſiſſime & venerabilis Imperator, quanta potui brevitate perſtrictis, cum inſpirata tibi divinitus fide etiam noſtram prædicationem unitam eſſe cognoſce, nec in aliquo nos ab Evangelica Apoſtolicaque doctrina, vel a Catholicæ profeſſionis Symbolo diſcrepare. Quoniam ſicut docet beatus Apoſtolus Paulus,
1. Tim. 3. *Magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.* Quid igitur tuæ utilius ſaluti, quid tuæ congruentius poteſtati, quam ut paci Eccleſiarum Domini tua conſtitutione proſpicias, & in omnibus tibi ſubditis Dei dona defendas, neque ulla ratione patiaris per invidiam diaboli miniſtros ipſius in cujuſquam ſævire perniciem, ut qui in hoc ſæculo temporali emines regno, in æternum merearis regnare cum Chriſto. Data XIII. Kalendas Septemb. Leone, & Majoran. Auguſt. Coſſ.

CAPUT III.

S*ancti Hilarii Pictavienſis Epiſcopi & Confeſſoris, in libro ſecundo inter cætera*: Unum igitur hoc eſt immobile fundamentum, una hæc fœlix fidei petra,
Matth. 16. Petri ore confeſſa: *Tu es* (inquit) *Chriſtus Filius Dei vivi*, tanta in ſe argumenta ſuſtinens veritatis, quantæ perverſitatum quæſtiones & infidelitatis calumniæ movebuntur. Iam in ceteris diſpenſatio voluntatis paternæ eſt. Virgo, partus, & corpus, poſtque crux, mors, inferi, ſalus noſtra eſt. Humani enim generis cauſa, Dei Filius natus ex Virgine eſt, & Spiritu ſancto, ipſo ſibi in hac operatione famulante, & ſua, Dei videlicet, inumbrante virtute, corporis ſibi initia conſevit, & exordia carnis inſtituit, ut homo factus ex Virgine, naturam in ſe carnis acciperet, perque hujus admixtionis ſocietatem ſanctificatum in eo univerſi generis humani corpus exiſteret: ut quemadmodum omnes in ſe, per id, quod corporeum ſe eſſe voluit, conderentur, ita rurſum in omnes ipſe, per id, quod ejus eſt, inviſibile referretur. Dei igitur imago inviſibilis pudorem humani exordii non recuſavit, & per conceptionem, partum, vagitum, & cunas, omnes naturæ noſtræ contumelias tranſcurrit. Quid tandem dignum a nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis a Deo originis, unus unigenitus Deus, in corpuſculi humani formam ſanctæ Virginis utero inſertus, accreſcit. Qui omnia continet, & intra quem, & per quem cuncta ſunt, humani partus lege profertur; & ad cujus vocem Archangeli atque Angeli tremunt, cœlum & terra & omnia hujus mundi reſolventur elementa, vagitu infantiæ auditur. Qui Joan. 1.
inviſibilis & incomprehenſibilis eſt, non viſu, ſenſu, tactuque moderandus cunis eſt obvolutus. Hæc ſi quis indigna Deo recolit: tanto ſe majoris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei convenerint majeſtati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus eſt: ſed nos eguimus ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis, id eſt aſſumptione carnis unius membra univerſæ carnis incoleret. Humilitas ejus noſtra nobilitas eſt: contumelia ejus, noſter honor eſt. Quod ille eſt Deus in carne conſiſtens, hoc nos viciſſim in Deum ex carne renovati. *Item ejuſdem in libro nono inter cætera*: Plane vitam tuam neſcit, qui Idem Hilarius lib. 9. ubi ſupra.
Chriſtum Jeſum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat. Et ejuſdem periculi res eſt, Chriſtum Jeſum, vel ſpiritum Deum, vel carnem noſtri corporis denegare. *Omnis ergo*, inquit, *qui confitebitur me* Matth. 10.
coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cælis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui eſt in cælis. Hæc Verbum caro factu loquebatur, & homo Jeſus Chriſtus Dominus majeſtatis docebat: mediator ipſe in ſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus, & ipſo illo inter Deum & homines mediatoris ſacramento utrumque unus exiſtens, dum ipſe ex unitis in idipſum naturis, naturæ utriuſque res eadem eſt: ita tamen, ut neutra careret in utroque, ne forte Deus eſſe homo naſcendo deſineret, & homo rurſus Deus manendo non eſſet. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera eſt, Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri: neque Deum neſcire, quod homo ſit: neque carnem ignorare, quod Verbum ſit. *Item ejuſdem in eodem libro inter cætera*: Natus igitur unigenitus Deus ex Virgine homo, & ſecundum plenitudinem temporum in ſemetipſo provecturus in Deum hominem, hunc per omnia Evangelici ſermonis modum tenuit, ut ſe Filium Dei credi doceret, & hominis filium prædicari admoneret
* loquens deinde & gerens homo univerſa quæ Dei ſunt, loquens deinde & gerens Deus univerſa quæ *locutus.*
hominis ſunt: ita tamen ut in ipſo illo utriuſque generis ſermone, nunquam niſi cum ſignificatione & hominis loquutus & Dei ſit. *Item alio loco in eodem libro, inter cætera*: Hinc itaque fallendi ſimplices atque ignorantes hæreticis occaſio eſt: ut quæ ab eo Idem ubi ſupra.
ſecundum hominem dicta ſunt, dicta eſſe ſecun-

dum

dum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur: & quia unus atque idem eſt loquens omnia quæ loquitur de ſemetipſo, omnia cum locutum eſſe contendant. Nec ſane negamus, torum illum qui ejus manet naturæ ſuæ eſſe ſermonem: ſed ſi Jeſus Chriſtus & homo & Deus eſt, & neque cum homo, tum primum Deus; neque cum homo, tum non etiam & Deus; neque poſt hominem, in Deo non totus homo, totus Deus, unum atque idem neceſſe eſt dictorum ejus ſacramentum eſſe, quod generis. Et cum in eo ſecundum tempus diſcernit hominem a Deo, Dei tum atque hominis diſcernere ſermonem. Et cum Deum atque hominem in tempore confiteberis, Dei atque hominis in tempore dicta dijudica. Cum vero ex homine & Deo rurſum totius hominis, totius jam Dei tempus intelligis. Si quid aliud ad demonſtrationem ejus temporis dictum eſt, tempori coaptato quæ dicta ſunt, ut cum aliud ſit ante hominem Deus, aliud ſit homo & Deus, aliud ſit poſt hominem & Deus totus homo, & totus Deus: non confundas temporibus & generibus diſpenſationis ſacramentum, cum pro qualitate generum ac naturarum, alitem ei ſacramento hominis neceſſe eſt ſermonem ſuiſſe, non nato, alium adhuc morituro, alium jam in æterno. Noſtri igitur cauſa hæc omnia Jeſus Chriſtus manens & corporis noſtri homo natus, ſecundum conſuetudinem naturæ noſtræ loquutus eſt: non tamen omittens naturæ ſuæ eſſe, quod Deus eſt. Nam tametſi in partu, & paſſione, & morte naturæ noſtræ rem peregerit, res tamen ipſas omnes virtute naturæ ſuæ geſſit: & reliqua. *Item alio loco in eodem libro inter cætera*: Videſne ita Deum & hominem prædicari, ut mors homini, Deo vero carnis excitatio deputetur? Non tamen ut alius ſit, qui mortuus eſt, & alius ſit per quem mortuus reſurgit. Spoliata enim caro, Chriſtus eſt mortuus, & rurſum Chriſtum a mortuis excitans, idem Chriſtus eſt carne ſe expolians. Naturam Dei in virtute reſurrectionis intellige, diſpenſationem hominis in morte cognoſce. Et cum ſint utraque ſuis geſta naturis, unum tamen Chriſtum Jeſum eum memento eſſe, qui utrumque eſt *Item poſt pauca*: Hæc igitur demonſtranda a me paucis fuerunt, ut utriuſque naturæ formam tractari in Domino Jeſu Chriſto meminiſſemus, quia qui in forma Dei manens formam ſervi accepit, ipſe divinitatem nequaquam amiſit.

CAPUT IV.

Athan. Alexan. ex epiſt. ad Epictetum Epiſcopum. Corinth. *Deus quidem ex.*

S*ancti Athanaſii Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi & Confeſſoris ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum*: Quomodo autem vel dubitare auſi ſunt, qui dicuntur Chriſtiani, ſi is Dominus qui ex Maria virgine proceſſit, * filius quidem ſubſtantia & natura Dei, id vero, quod eſt ſecundum carnem, ex ſemine David eſt & carne ſanctæ Mariæ?

CAPUT V.

Amb. Mediol. lib. 2. de fide c. 4. ad Gratianum Imperatorem.

S*ancti Ambroſii Epiſcopi & Confeſſori Mediolanenſis Eccleſiæ, quod miſit ad Imperatorem Gratianum in libro ſecundo de fide, inter cætera*: Unde illud quod lectum eſt, Dominum majeſtatis crucifixum eſſe, non quaſi in majeſtate ſua crucifixum putemus. Sed quia idem Deus, idem homo, per divinitatem Deus per ſuſceptionem carnis homo, Chriſtus Jeſus Dominus majeſtatis dicitur crucifixus, quia conſors utriuſque naturæ, id eſt, humanæ atque divinæ, in natura hominis ſubiit paſſionem, ut indiſcrete, & Dominus majeſtatis dicatur eſſe, qui paſſus eſt, & Filius hominis, ſicut ſcriptum eſt: Qui deſcendit de cœlo. *Item alio loco in eodem libro inter cætera*. Sileant igitur inanes de ſermonibus quæſtiones, quia *regnum Dei* (ſicut ſcriptum eſt) *non in perſuaſione verbi eſt, ſed in oſtenſione virtutis*. Servemus diſtinctionem divinitatis & carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura eſt. Et ſi idem loquitur, non uno ſemper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis paſſiones. Quaſi Deus loquitur, quæ ſunt divina, quia Verbum eſt: quaſi homo dicit, quæ ſunt humana, quia in ea ſubſtantia loquebatur. *Item ejuſdem in libro de Incarnatione Domini contra Apollinariſtas*. Sed dum hos redarguimus, emergunt alii qui carnem Domini dicant, & divinitatem unius naturæ. Quæ tantum ſacrilegium inferna vomuerunt? Jam tolerabiliores ſunt Arriani, quorum per iſtos perfidiæ robur adoleſcit: ut majore contentione aſſerant Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unius non eſſe ſubſtantiæ, quia iſti divinitatem Domini & carnem ſubſtantiæ unius dicere tentaverunt. *Infra*: Et hi mihi frequenter Nicæni Concilii tractatum ſe tenere commemorant. Sed in illo tractatu Patres noſtri non carnem, ſed Dei Verbum unius ſubſtantiæ cum Patre eſſe dixerunt, & Verbum quidem ex paterna proceſſiſſe ſubſtantia, carnem autem ex Virgine eſſe confeſſi ſunt. Quomodo igitur Nicæni Concilii nomen obiicitur, & nova inducuntur, quæ nunquam noſtri ſenſere Majores? & reliqua. *Item ejuſdem ad * Sabinum Epiſcopum inter cætera*. Unde pulchre Apoſtolus ejuſdem verbi repetitione uſus eſt, dicens de Domino Jeſu Chriſto: *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*. Quid eſt in forma Dei, niſi in plenitudine deitatis, in illa perfectionis divinæ expreſſione? ergo cum eſſet in plenitudine divinitatis, exinanivit ſe, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis conſummationi, ut eſſet perfectus in utraque forma. Unde & David dicit: *Specioſus forma præ filiis hominum*. Concluditur Apollinariſta, nec quo ſe vertat habet, ſuis clauditur retibus. Ipſe enim dicit: Formam ſervi accepit, non ſervus locutus eſt. Iterum ergo interrogo: Quid eſt in forma Dei? Reſpondit, in natura Dei. Sunt enim (ait Apoſtolus) qui non ſunt in natura dii. Quæro, quid ſit formam ſervi accipiens? Sine dubio perfectionem naturæ, & conditionis, ut dixi, humanæ, ut eſſet in hominum ſimilitudine. Et pulchre, non carnis, ſed hominum dixit ſimilitudinem, quia in carne eadem eſt. Sed quia ſine peccato erat ſolus, omnis autem homo in peccato, in ſpecie hominis videbatur. Unde & Propheta ait: *Et homo eſt, & quis cognoſcit eum?* Homo ſecundum carnem, ſed ultra homines, divina operatione. Denique cum leproſum tangeret, homo videbatur; ſed ultra hominem, cum mundaret. Et cum Lazarum mortuum fleret, mortuum quaſi homo flebat, ſed ſupra homines erat: cum mortuum vinctis juberet pedibus exire, homo videbatur, cum penderet in cruce: ſed ſupra hominem, cum reſeratis tumulis mortuos ſuſcitaret.

Idem in eodem libro.

De Incar. Domini contra Apollinariſtas.

Irenenſem. Lib. 7. epiſt. 47. epiſtolaris ejuſdem. Philipp. 2.

Pſalm. 44.

Hier. 17.

CAPUV VI.

Ex epiſt. B. Auguſt. Hipp. ad Dardanium cap. 6.

S*ancti Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis Eccleſiæ ad Dardanum inter cætera*: Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum, unde venturus eſt, memoriterque recole, & fideliter tene Chriſtianam confeſſionem, quoniam reſurrexit a mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, nec aliunde quam inde ad judicandos venturus eſt vivos, & mortuos. Et ſic venturus eſt, illa Angelica voce

te-

Digitized by Google

teſtante, quemadmodum eſt ire viſus in cœlum, id eſt, in eadem forma carnis atque ſubſtantia cui profecto immortalitate dedit, naturam non abſtulit. *Item in ejuſdem epiſtola ad Voluſianum inter cætera*:

Ejuſdem Epiſtol. ad Voluſianum.

Nunc vero ita inter Deum & homines mediator apparuit, ut unitate perſonæ copulans utramque naturam, & ſolita ſublimaret inſolitis, & inſolita ſolitis temperaret. *Item ejuſdem in expoſitione Evangelii ſecundum Joannem inter cætera*:

Tract. 78 poſt medium.

Quid igitur hæretice? Cum Chriſtus Deus ſit & homo, loquitur ut homo, & calumniaris Deo? Ille in ſe naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam? *Et iterum infra*:

Ubi ſupra ſtatim poſt.

Agnoſcamus geminam ſubſtantiam Chriſti, divinam ſcilicet, qua æqualis eſt Patri; humanam, qua major eſt Pater. Utrumque autem ſimul, non duo ſed unus eſt Chriſtus: ne quaternitas, non Trinitas Deus. Sicut enim unus eſt homo anima rationalis & caro, ſic unus eſt Chriſtus Deus & homo: ac per hoc Chriſtus eſt Deus anima rationalis, & caro, Chriſtum in his omnibus, Chriſtum in ſingulis confitemur. Quid eſt ergo, per quem factus eſt mundus? Chriſtus Jeſus, ſed in forma Dei. Quis eſt ſub Pontio Pilato crucifixus? Chriſtus Jeſus, ſed in forma ſervi. *Item ejuſdem, cujus ſupra*. Quis non eſt derelictus in inferno? Chriſtus Jeſus, ſed in anima ſola: Quis reſurrecturus, triduo jacuit in ſepulchro? Chriſtus Jeſus, ſed in carne ſola. Dicitur ergo in his ſingulis Chriſtus. Verum hæc omnia non duo, vel tres; ſed unus eſt Chriſtus. Ideo ergo dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*. Quoniam naturæ humanæ gratulandum eſt, eo quod ſic aſſumpta eſt a Verbo unigenito, ut immortalis conſtitueretur in cœlo, atque ita fieret terra ſublimis, ut incorruptibilis pulvis ſederet ad dexteram Patris.

Joan. 14.

CAPUT VII.

Joan. Chryſ. Epiſcopi Conſtan. ex Homil. de Cruce & Latrone cap. 6.

S*ancti Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi & Confeſſoris in Homilia de Cruce & Latrone*: Sed cur cum cruce veniat, videamus. Scilicet ut hi, qui eum crucifixerunt, ſuæ ſentiant dementiæ cæcitatem: & ideo impudentiæ eorum ſignum portatur. Ideo Propheta ait: tunc lamentabuntur omnes tribus terræ, videntes accuſatorem, & agnoſcentes peccatum. Et quid mirum eſt, ſi crucem portans adveniet quando & vulnera corporis ipſa demonſtrat? tunc enim (inquit) videbunt, quem *confixerunt. Et ſicut poſt reſurrectionem, Thomæ voluit diffidentiam confutare, & illi clavorum loca monſtravit, & lateris vulnera declaravit, & dixit, Mitte manum tuam, & vide quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me vides habere: ſic & tunc oſtendet vulnera, crucemq; demonſtrabit, ut oſtendat illum ſe eſſe, qui fuerat crucifixus. *item ejuſdem in Homilia de Aſcenſione Domini*: Nam ſicut duobus jurgio ſeparatis, unus in medio poſitus altercantium litem diſcordiamque diſſolvit: ita & Chriſtus nobis fecit, Deus nobis juſte iraſcebatur, & nos contemnebamus iratum, & clementem Dominum declinabamus: & ſe remedium Chriſtus ingeſſit, & ſociavit utramque naturam, & nobis quod imminebat ſupplicium, ipſe ſuſtinui. *Item ejuſdem in eadem Homilia inter cætera*: Chriſtus igitur noſtræ naturæ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus eſt Pater, quod & tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam & ſuis manibus ſuſcepit oblatum, & ſuæ Sedis fecit eſſe participem, & quod plus eſt, ad partem ſuæ dexteræ collocavit. Cognoſcamus quis eſt ille, qui audivit: *Sede ad dexteram meam*. Quæ natura eſt, cui dixit: *Eſto meæ particeps ſedis*; illa natura eſt quæ audivit, *Terra es, & in terram ibis*. *Item ejuſdem in eadem Homilia inter cætera*: Quod ſermone utar, quo verbo dicam, reperire non poſſum. Natura fragilis, natura contempta, & omnibus monſtrata deterior, omnia vicit, omnia ſuperavit, & omnibus hodierna die meruit excelſior reperiri. Hodie Angeli diu vota deſiderata receperunt, hodie Archangeli, quod multo tempore cupiebant, inſpicere valuerunt. Naturam noſtram ipſi in ſede Dominica immortali fulgentem gloria perviderunt.

Zachar. 12. *compunxerunt*. Joan. 19. Joan. 20. Luc. 14.

Ejuſdem Joannis Chryſoſt. ex hom. de Aſcenſ. c. 3.

Ante medium illius hom. cujus ſupra c. 4.

Pſalm 109. Matth. 22.

Geneſ. 2. In hom. medio ſibi ſupra c. 5.

CAPUT VIII.

Theophili Alexandrini ex epiſt. per Ægyptum miſſa. Pſalm. 148.

S*ancti Theophili Epiſcopi Alexand. de Epiſtola Paſchali, quam per Ægyptum deſtinavit*: Cujus rei teſtis eſt ille, qui loquitur: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt*. Et Prophetæ Chriſti auxilium deprecantes: *Domine, inclina cœlos tuos, & deſcende*. Non ut mutaret locum, in quo omnia ſunt, ſed propter ſalutem noſtram, carnem humanæ fragilitati aſſumeret, Paulo Apoſtolo eadem concinente: *Cum eſſet dives, pro nobis egenus factus eſt, ut nos illius paupertate ditaremur*: venitq; in terras & de virginali utero, quem ſanctificavit, egreſſus homo, interpretationem nominis ſui Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus, diſpenſatione confirmans, mirum in modum cœpit eſſe, quod nos ſumus, & non deſiit eſſe, quod erat: ſic aſſumens naturam noſtram; ut quod erat ipſe non perderet. Quanquam enim Joannes ſcribat, Verbum caro factum eſt, id eſt, aliis verbis: Deus homo factus eſt. Verbum tamen non eſt verſum in carnem, quia nunquam Deus eſſe ceſſavit. Ad quem & Spiritus ſanctus loquitur: *Tu autem idem ipſe es*. Et Pater de cœlo conteſtatur, & dicit: *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Ut & homo factus noſtra confeſſione permanere dicatur id, quod fuit priuſquam homo fieret, Paulo nobiſcum eadem prædicante: *Jeſus Chriſtus heri & hodie, idem ipſe & in æternum*. In eo enim quod ait ipſe, oſtendit eum priſtinam non mutaſſe naturam, nec divinitatis ſuæ minuiſſe divitias, quia propter nos pauper effectus, plenam ſimilitudinem noſtræ conditionis aſſumpſerat. *Item ejuſdem in alia epiſtola Paſchali contra Originem, inter cætera*: Unus Filius Patris, noſtrique Mediator, nec æqualitatem ejus amiſit, nec a noſtro conſortio ſeparatus: Inviſibilis Deus, & viſibilis homo, forma ſervi abſconditus, & Dominus gloriæ confeſſione credentium comprobatus. Neque enim privavit eum Pater naturæ ſuæ nomine, poſtquam pro nobis homo, & pauper effectus eſt, nec in Jordane fluvio baptizatum altero appellavit vocabulo, ſed Filium unigenitum, *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Nec ſimilitudo noſtra in divinitatis eſt mutata naturam, nec divinitas in noſtræ naturæ verſa eſt ſimilitudinem.

2. Cor. 8.

Matth. 1.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Heb. 13.

Matth. 3. Marc. 2. Luc. 3.

CAPUT IX.

Gregor. Nazian. In hom. de Epiphania poſt medium.

S*ancti Gregorii Epiſcopi Nazianzeni in Homilia de Epiphania inter cætera*: Dum ergo proceſſiſſet ex virgine Deus, in ea quam aſſumpſerat, humana natura, unum e duobus ſibi invicem contrariis, exiſtens carne & ſpiritu, aliud in Deum aſſumitur, aliud deitatis gratia præſtat. *Item infra*: Miſſus eſt quidem, ſed ut homo: Duplex enim erat in eo natura. Inde denique & laboravit ex itinere: inde & eſuriit, & ſitivit, & contriſtatus eſt, & flevit humani corporis lege.

Idem ubi ſupra, circa medium medii & finis.

CA-

CAPUT X.

SAancti Baſilii Epiſcopi Cappadocis: Cum ergo quædam in Chriſto ita videmus humana, ut nihil a communi mortalium fragilitate diſtare videantur, quædam ita divina, quæ nulli alii, niſi illi ineffabili naturæ conveniant deitatis, hæret humani intellectus anguſtia, & tantæ admirationis ſtupore perculſa, quo declinet, quid teneat, quo ſe vertat ignorat. Si hominem putet, devicto mortis regno, cum ſpoliis redeuntem a mortuis cernit: Propter quod cum omni metu & reverentia contemplandum eſt, ut in uno eodemque ita utriuſque naturæ veritas demonſtretur, ut neque aliquid indignum & indecens de divina illa & ineffabili ſubſtantia ſentiatur: neque rurſum quæ humanitus geſta ſunt falſis illuſa imaginibus æſtimentur.

CAPUT XI.

Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

SAncti Cyrilli Epiſcopi Alexandrini: Homo nominatus eſt, cum ſit natura Deus Dei Patris Verbum quoniam ſimiliter ac nos ſanguini communicavit & carni. Sic enim in terris apparuit, non amittens id quod erat, ſed aſſumens humanitatis naturam in ſua rationa perfectam. *Item ejuſdem in libro, qui dicitur Golio*: Unus igitur eſt, & ante incarnationem Deus verus, & qui in divinitate manſit in qua erat, eſt, & erit. Non diſcernendum igitur unum Dominum Jeſum Chriſtum in hominem ſeorſum, & ſeorſum in Deum; ſed unum eundemque Jeſum Chriſtum eſſe dicimus, non ignorantes differentias naturarum, ſed eas inconfuſas inter ſe ſervantes. *Item cujus ſupra*. Dicitur namque tanquam aliud in alio inhabitare, id eſt, divinam naturam in humilitate non perpeſſam commixtionem, ut eſſet, quod non erat. Quicquid enim in alio habitare dicitur, non ipſum fit tale, quale eſt id, in quo habitat, ſed aliud in eo magis intelligitur. At vero in Verbi perſona & humanitatis, nobis ſolam differentiam deſignat diverſitas naturarum: unus enim ex utraque intelligitur Chriſtus. Ergo inconfuſione (ut anta dixi) ſervata inhabitaſſe ait Verbum in nobis. Scit enim unum eſſe Filium unigenitum, carnem factum & hominem. *Item cujus ſupra ad Neſtorium*: Ait igitur ſancta & magna Synodus ipſum, qui eſt ex Deo Patre natus naturaliter, Filium unigenitum Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem, & cum quo omnia fecerit Pater, hunc deſcendiſſe, Incarnatum eſſe, & hominem factum, paſſum eſſa, reſurrexiſſe tertia die, & aſcendiſſe rurſus ad cœlos.

Ejuſdem ex libro dicto Golio.

Idem Cyrillus in epiſt. ad Neſtorium & habetur tempore Epheſini Conſilii ſub. Cæleſt. Papa.

Hæc nos ſequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, conſiderantes quid ſit incarnatum eſſe, & hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus, quod Dei natura converſa, vel immutata, facta ſit caro; nec quod in totum hominem, qui eſt ex anima & corpore transformata ſit; ſed illud magis, quod carnem animatam anima rationali, ſibi copulaverit Verbum, & ſubſtantialiter, ineffabiliter, & irreprehenſibiliter factus ſit homo & nuncupatus ſit etiam filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, ſed nec aſſumptione ſola perſonæ; ſed quod diverſæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Chriſtus & filius, non evacuata aut ſublata diverſitate naturarum per conjunctionem, ſed quia ſimul nobis effecerunt unum Dominum, & Chriſtum, & filium, id eſt, divinitas & humanitas per arcanam illam, ineffabilemque copulationis adunationem. Itaque is, qui ante ſæcula omnia eſt natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus in tempore. Non quia divina ipſius natura de ſacra Virgine ſumpſit exordium, nec quod propter ſeipſum opus habuit ſecundo naſci poſt illam nativitatem, quam habebat ex Patra (eſt enim ineptum, & ſtultum hoc dicere, quod is, qui ante omnia ſæcula eſt conſempiternus Patri, ſecundæ generationis eguerit, ut eſſe inciperet) ſed quia propter nos & propter noſtram ſalutem, naturam ſibi copulavit humanam, & proceſſit ex muliere, idcirco dicitur natus eſſe carnaliter. Neque enim prius natus eſt homo communis de ſancta Virgine, & tunc demum habitavit in eo Verbum, ſed in ipſa vulva uteroque virginali, ſa cum carne conjunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem, carnis ſui nativitatem ſuam faciens. Sic illum dicimus & paſſum eſſe & reſurrexiſſe, non quia Deus Verbum in ſua natura paſſus ſit, aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera ſuſceperit, (Deus namque incorporalis extra paſſionem eſt) ſed quia corpus illud quod ipſius proprium factum eſt, paſſum eſt, ideo hæc omnia pro nobis ipſe dicitur paſſus. Intrat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipſius intelligimus. Immortale enim & incorruptibila eſt naturaliter, & vita, & vivificans Dei Verbum. Sed quia corpus ipſius proprium, *gratia Dei*, juxta Pauli vocem, *pro omnibus mortem guſtavit*, idcirco ipſe dicitur mortem paſſus eſſe pro nobis. Non quod in ſe mortem eſſet expertus, quantum ad ipſius naturam pertinet (inſania eſt enim hoc vel ſentire, vel dicere) ſed quod (ut ſupra diximus) caro ipſius mortem guſtavit. Ita & reſurgente carne, ipſius rurſus reſurrectionem dicimus: non quia in corruptionem ceciderit (abſit) ſed quia ejus reſurrexit corpus. Ita Chriſtum unum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum Verbo coadorantes, ne diviſionis quædam ſpecies inducatur: ſed unum jam & eundem adorantes, quia non eſt alienum a Verbo corpus ſuum, cum quo ipſi etiam aſſidet Patri. Nec hoc ita dicimus, quaſi duobus filiis aſſidentibus, ſed uno cum carne per unitatem: quia ſi talem copulationem factam per ſubſtantiam, aut quaſi paſſibilem, aut quaſi parum decoram, voluerimus accipere: in id incidimus, ut duos filios eſſe dicamus. Neceſſe eſt enim diſcernere, & dicere hominem ſeparatim fuiſſe ſola filii appellatione honoratum, & rurſum Verbum, quod eſt ex Deo, & homine, & veritate, Filium Dei; ſed diſcernere in duos filios non debemus unum Dominum Jeſum Chriſtum. Neque enim id adjuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli neſcio quam perhibeant copulationem perſonarum. Non dixit enim Scriptura, Verbum Dei perſonam hominis ſibi aſſumpſiſſe, ſed carnem factum eſſe. Id autem eſt oſtendere Dei Verbum ſimiliter * ac nos participationem habuiſſe carnis & ſanguinis, & corpus noſtrum proprie ſuum feciſſe, & hominem ex muliere proceſſiſſe, non abjecta nec depoſita deitate, aut generatione illa quam habebat ex Patre, ſed manſiſſe etiam in aſſumptione carnis Deum, quod erat. Hoc itaque rectæ fidei ratio proteſtatur. In tali ſenſu ſanctus Patres fuiſſe comperimus. Ideo illi non dubitaverunt ſanctam Virginem dicere Θεότοκον, non quod Verbi natura, deitaſque in ſancta Virgine ſumpſit exordium; ſed quod ex ea natum ſit ſacrum illud corpus animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum eſſe dicitur.

Hebr. 1.

Joann. 1.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XCVIII.

Ad Fauſtum Presbyterum.

Dilectiſſimo Fauſto Presbytero, Leo Epiſcopus ſalutem.

GRatum ſemper eſt mihi tuam alloqui charitatem, & effectum ſalutationis exolvere: quoniam ſcio te & probabilem & ſinceriſſimæ fidei eſſe cuſtodem, & qui non circumducitur omni vento doctrinæ, ſed in fundamento Prophetarum & Apoſtolorum (qui Chriſtus eſt) firme conſiſtere: ut cum venerit filius hominis in divinitate ſua ad purgationem totius mundi, in electione reperiaris frumentum æternitatis, qui dignus theſaurizari poſſis in horreis. Suſceptis itaque litteris per filium meum Parthenium reciprocam ſalutationem exolvens, exhortor tuam beatitudinem, fili chariſſime, ut non confundaris de Evangelio generationis Domini Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham ſecundum carnem, quoniam hæc fides vincit mundum, quando quis credit quia Chriſtus eſt Filius Dei. Si quæ vero fidei quæſtiones inveniuntur, admonemus ut de his, quæ ad communem utilitatem pertinent, latius nobis ſcribas, libenter ſuſcipientibus qui iſta detulerint.

EPISTOLA CERETII,

Salonii, & Verani Epiſcoporum Gallorum ad Leonem Papam.

Domino ſancto, beatiſſimo Patri, & Apoſtolicæ Sedis digniſſimo Papæ Leoni, Ceretius, Salonius, & Veranus.

REcenſita epiſtola Beatitudinis veſtræ, quam de fidei inſtructione conſcriptam ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum deſtinaſtis, dignum eſſe cenſuimus, ut tantæ doctrinæ ubertate ditati, debitas gratias ſaltem oblato litterarum officio redderemus. Paternæ ſiquidem erga nos pietatis veſtræ ſollicitudinem comprobantes, anticipationi curationis veſtræ hoc magis obnoxios confitemur, quod remediorum beneficia ante malorum experimenta cognovimus. Scientes namque pene ſera eſſe remedia, quæ adactis jam vulneribus apponuntur, ut Apoſtolicis illis munitionibus induamur, providæ pietatis vocibus præmoneatis. Agnoſcimus plane, beatiſſime Papa, qua ad nos interiora peculiari affectione tranſmiſeritis, quorum incolumitati aliorum curatione ſuccurritis: & dum ex aliorum præcordiis infuſa antiqui ſerpentis venena producitis, quaſi in quodam charitatis ſpeculo conſtituti, Apoſtolica illa cura ac ſollicitudine conclamatis, ne inopinantibus improviſus hoſtis adveniat, ne vulneri locum præbeat incauta ſecuritas, Domine ſancte beatiſſime Pater & Apoſtolica Sede digniſſime Papa. Magna præterea & ineffabili quadam nos peculiares tui gratulatione ſuccreſcimus, quod illa ſpecialis doctrinæ veſtræ pagina ita per omnium Eccleſiarum conventicula celebratur, ut vere conſona omnium ſententia, declaretur merito illic principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum, unde adhuc Apoſtolici ſpiritus oracula referentur. Idcirco ſi dignanter admittitis, precamur ut opus & præſentibus, & futuris temporibus profuturum, quod nos aſſervandi ſtudio foliis mandare curavimus, Sanctitas veſtra percurrere, & ſi quid librarii errore defuerit, emendare dignetur, vel ſi ſalutarem lecturis omnibus paginam aliquo ſtudii veſtri accumulatis augmento, idipſum addi libello huic ſollicita pietate jubeatis, ut non ſolum plures ſancti Epiſcopi fratres noſtri per Gallias, verum etiam multi ex laicis filii veſtri, qui epiſtolam iſtam magnopere pro veritatis manifeſtatione deſiderant, remiſſam ad nos, & ſancta manu veſtra emendatam tranſcribere, legere, & tenere mereantur. In rem miſſos ſi dignum ducitis redire mox cupimus, ut quia incolumitas veſtra, exultatio & ſalus noſtra eſt, citius ad nos relatu deſiderabili ſalutis veſtræ gaudia recurrant. *Et alia manu*: Memorem coronam veſtram humilitatis noſtræ Chriſtus Dominus longæva ætate conſervet, Domine ſancte beatiſſime Pater, & Apoſtolica Sede digniſſime Papa. Ceretius ſuſceptus veſter Apoſtolatum veſtrum ſaluto, commendans me orationibus veſtris. Salonius venerator veſter Apoſtolatum veſtrum in Domino ſaluto, orationum veſtrarum ſubſidia depoſcens. Veranus cultor veſtri Apoſtolatus, beatitudinem veſtram ſaluto, & ut pro me oretis, peto.

EPISTOLA XCIX.

Ad Leonem Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Leoni Auguſto.

SI glorioſum pietatis veſtræ in fidei defenſione propoſitum tanta proſequi laude cupiamus, quanta rerum ipſarum magnitudo depoſcit, inveniemur impares in actione gratiarum, ſi noſtri tantum oris anguſtiis univerſalis Eccleſiæ gaudia celebremus. Sed dignius illius remuneratio veſtris actibus meritiſque ſervabitur *, in cujus cauſa & ſpeciali excellitis animo, & optato triumphatis eventu gloriæ. Sciat igitur Clementia veſtra omnes Eccleſias Dei cum laudi veſtra exultare pariter & lætari, quod ab Alexandrinæ Eccleſiæ jugo improbus parricida depulſus

Timotheum Ælurum dicit.

eſt & populus Dei, cui prædo nefarius incubabat, in antiquam fidei libertatem reductus, poteſt jam in ſalutis viam fidelium ſacerdotum prædicatione revocari, cum videat omne ſeminarium venenorum in ipſo authore projectum. Nunc ergo quia hoc conſtanti propoſito & magna mente peregiſtis, conſummato operi fidei illud adjungite, ut de Catholico civitatis illius præſule quod Deo placet decernatis, qui nulla damnatæ toties impietatis ſit infectus adſpergine, ne fortaſſe tectum vulnus ſub ſpecie obductæ cicatricis increſcat, & plebs Chriſtiana, quæ vobis agentibus aperte ab hæreticorum perverſitate liberata eſt, lethalibus iterum obnoxia ſit venenis. Vides autem, venerabilis Imperator, & evidenter agnoſcis, quod in perſona, de cujus abſciſſione agitur, non ſola eſt fidei integritas intuenda: quæ etiamſi ullis correctionibus profeſſionibuſque purgari, & in integrum valeret qualibet conditione reſtitui, nequaquam tamen quæ ſceleſte cruenteque commiſſa ſunt, poſſunt probabilium verborum proteſtationibus aboleri:

Locus mendoſus.

quia in Pontifice Dei, ac maxime tantæ Eccleſiæ ſacerdote, non ſufficit ſonus linguæ & ſermo labiorum, & nihil prodeſt ſi Deus voce prædicatur, & mens impietate convincitur. De talibus enim per Apoſtolum Sanctus Spiritus loquitur

quitur

1. Tim. 3. Tim. 1.

quitur: *Habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. Et iterum alibi: *Deum profitentur ſe ſcire, factis autem negant*. Unde cum omni Eccleſiæ membro & integræ fidei veritas, & bonorum operum plenitudo quæratur: quanto magis in ſummo Pontifice debent utraque præcellere, quia alterum ſine altero non poteſt cum Chriſti corpore habere compagem? Nec neceſſe eſt nunc omnia, quæ Timotheum execrabilem faciunt, enarrare, cum copioſe atque manifeſte in totius mundi notitiam, quæ per ipſum, propter ipſum ſunt geſta, proceſſerint; & ſi quid ab impoſito vulgo contra juſtitiam perpetratum eſt, in hujus omnia verticem confluant, cujus deſideriis manus furentium ſervierunt. Unde ſi etiam in profeſſione fidei nihil hic negligat, nihil fallat, aptiſſimum gloriæ veſtræ eſt ab hoc appetitu illum prorſus excludere: quia in tantæ urbis antiſtite univerſa Eccleſia videtur deeſſe, membra decet ſancta exultatione gaudere, ut vera pax Domini non ſolum prædicatione fidei, ſed etiam morum clarificetur exemplo. Data 15. Kalendarum Juliarum, Magno & Apollonio Conſulibus, per Philoxenum agentem in rebus.

Is eſt annus ſalutis 460. Pontificatus S. Leonis 21.

EPISTOLA C.

Ad Gennadium Epiſcopum Conſtanſtantinopolitanum.

Leo Epiſcopus, Gennadio Epiſcopo Conſtantinopolitano.

DIlectionis tuæ litteris, & fratrum Coepiſcoporumque noſtrorum Domitiani & Geminiani ſermone agnovi, Timotheum poſtquam Eccleſiæ Alexandrinæ civitatis expulſus eſt ſede, Conſtantinopolim (nonnullis hoc fidei adverſariis agentibus) venire permiſſum: ut quantum datur intelligi, quia univerſorum Domini ſacerdotum ſententus coarctatus, invitus ſaltem ad Catholicum ſe dogma convertat, & tanquam propter hanc tantummodo culpam videatur ejectus, hæreticæ perverſitatis errore damnato, doctrinæ Apoſtolicæ, ut ad Alexandrinam redeat, acquieſcat, cum illi, etiamſi Catholicus probaretur, hoc vehementer obſiſtat, quod vivente Epiſcopo, tantæ ſedis invaſor eſt, & author apparuit inauditæ crudelitatia admiſſæ. Et ideo dilectio tua ſollicitudine, qua claret, eniti & elaborare debebit, ne cum tam nefario homine ſermo aliquis privatim, vel publice miſceatur, neve ſub ſpecie correctionis ejus, quorundam conventui præbeatur occaſio, ne redeundi integram capiat libertatem, de quo jam edictis ſuis princeps Chriſtianiſſimus judicavit. Omni igitur labore & circumſpectione pervigili unitati Eccleſiaſticæ profuturus enitere, frater chariſſime, ut ſpes ſuffragatoribus ipſius adimatur, & Alexandrinis ex clero ſuo Catholicus Epiſcopus, ſecundum morem veterem per orthodoxo Epiſcopos conſecretur: quia parricida ille non alias a ſuis defenſoribus deſeritur, niſi Alexandrina Eccleſia, quæ patrum honori & ſuæ teſtituenda eſt libertati, rectorem ſanandis omnibus, quæ male geſta ſunt, probatiſſimum fuerit conſecuta. Datum 15. Kalend. Julias, Magno & Apollonio Conſulibus, per Philoxenum agentem in rebus.

Leon ia De cæde Proteriı Epiſcopi dic it.

EPISTOLA CI.

Ad Timotheum Epiſcopum Alexandrinum.

Leo Epiſcopus, Timotheo Epiſcopo Catholico Alexandrinæ Eccleſiæ.

EVidenter apparet ſub Apoſtolicæ ſplendore ſententiæ, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & divinæ diſpenſatione pietatis, ubi excipiuntur adverſa, ibi donantur & proſpera, quod Alexandrinæ Eccleſiæ experimenta demonſtrant, in qua multos ſibi patientiæ theſautos humilitas, modeſtia, & tolerantia congregavit: quia *juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit*: glorificata in omnibua inclyti principis fide per quem *dextera Domini fecit virtutem*, ne in Thronum beatorum Patrum Antichriſti diutius ſederet opprobrium, cujus impietas nemini magis quam ſibi nocuit: quia etſi aliquos ad ſocietatem facinoris impulit, ſe tantum denique inexpiabiliter cruentavit. Unde de eo, quod inſtinctu fidei in Fraternitatem tuam cleri & plebis, atque omnium Fidelium egit electio, univerſam mecum Eccleſiam Domini gaudere reſcribo, utque hoc benignitas divinæ pietatis multiplicata gratia confirmet expopto: ita ipſi per omnia tua devotione famulante, ut etiam eos, qui veritate aliquatenus reſtiterunt, reconciliandos Deo per Eccleſiæ preces inſtanter acquiras, & ſacramenta Catholicæ fidei, cujus ſoliditas nullam diviſionem recipit, ſollicitus rector adjungas: illum imitatus verum piumque paſtorem, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & errantem unam ovem non flagellis coercuit, ſed in ovile proprium ſuis humeris reportavit. Agat ergo dilectio tua, frater chariſſime, ne vel Neſtoriani dogmatis, vel Eutychiani erroris ullum in Dei populo poſſit veſtigium reperi: quia *nemo poteſt fundamentum ponere, præter id quod poſitum eſt, qui eſt Chriſtus Jeſus*: qui univerſum mundum non reconciliaret Deo Patri, niſi per fidei generationem omnes in noſtræ carnia veritate ſuſciperet. Cum ergo ſcribendi opportunitates, quibus Fraternitas tua utatur, extiterint, ſicut neceſſarie & ex more feciſtis, ut per filios noſtros Danielem Presbyterum, & Timotheum Diaconum ordinationis tuæ ad nos ſcripta dirigeres: ita in tempore in hoc officio perſeveres, ut de provectibus pacis ſæpe, quantum fidei poteſt, ſollicitudini noſtræ mittantur indicia, ut per alterna colloquia ſentiamus, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Datum 15. Kal. Septemb. Magno & Apollonio Conſulibus.

Ia eſt Timotheus Salophaciolus, qui in Timothei Æluri locum ſubrogatus eſt.
Rom. 8.
Pſalm. 33.
Joan. 10.
Luc. 15.
1. Cor. 3.
Rom. 5.

EPPISTOLA CII.

Ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Alexandrinæ.

Leo Epiſcopus Presbyteris & Diaconibus Eccleſiæ Alexandrinæ, dilectiſſimis filius in Domino ſalutem.

GAudeo exultanter in Domino de piiſſimo, quem inter vos habetis affectu, dum ſicut ſcripta veſtra manifeſtant, & paſtor gregem, & grex oſtenditur amare paſtorem. *Sollicits ergo in invicem*

Epheſ. 4.

Digitized by Google

ut poſſitis. cem, ſicut Apoſtolus ait, *ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*, properate * ad fructum veræ pervenire patientiæ. Quid enim dignius aut velle poteſtis, aut agere, quam ut auxiliante Dei gratia, glorioſiſſimi principis fide ad profectum ſolidiſſimæ pacis utamini, remota procul ea beſtia, quæ

Pſalm. 79. vineam plantationis Dominicæ, ſicut Pſalmus propheticus canit, ſingulari feritate vaſtabat? Quia ergo in ovili Dominico nec furum jam inſidiæ, nec latronum timentur incurſus, redeat univerſitas veſtra in concordiam, & magiſterio Spiritus ſancti illa in omnibus unitas expetatur, propter

2. Cor. 10. quam dicit Apoſtolus: *Non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant*. Idipſum dicant & ſentiant omnes, nulla ſint ſenſuum diſputationumque certamina. Quod uſque ad Catholicos præſules in Alexandrina Eccleſia diſcipuli veritatis didicerunt atque docuerunt, eadem a cunctis fidelibus confeſſione promatur; quia varietatem veritas (quæ eſt ſimplex atque una) non recipit. Si quos autem cujuslibet ordinis Chriſtianos impia hæreticorum conturbavere mendacia, ad ſatisfactionis remedia * probitate & in ſpiritu manſuetudinis cum benignitate corripite: quia ſicut ait beatus Apoſtolus Petrus, *non tardat Dominus promiſſum, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam converti*. Agendum ergo eſt, ne difficultas veniæ curationem faciat tardiorem. Data decimo quinto Kalend. Septem. Magno & Apollonio Conſulibus.

Veritas ſimplex & una.

* *legendum videtur provocate.*

2. Petr. 3.

EPISTOLA CIII.

Ad quoſdam Ægypti Epiſcopos.

Leo Epiſcopus, Theophilo, Joanni, Athanaſio, Abrahæ, Danieli, Joabæ, Paphnutio, Muſæo, Pannvio, & Petro, Epiſcopis Ægyptiis.

Litteris Fraternitatis veſtræ, quas ad me filii noſtri Daniel Presbyter & Tymotheus Diaconus detulerunt, cognoviſſe me gaudeo, quod glorioſi & venerandi Principis fides, Propheticis & Evangelicis unita doctrinis, ad ſanctos & Deo placitos diſpoſitionum ſuarum devenit effectus, ut cruentiſſimo Alexandrinæ Eccleſiæ pervaſore dejecto, & in longinquiora translato, dignum ſua gubernatione rectorem totius civitatis mereretur electio: ad cujus vos conſecrationem nullus ambitus traheret, nulla ſeditio impelleret, nulla iniquitas incitaret: ſed in medio conſtituta meritorum ſanctitate, eum cunctis non dubitaret præponere, quem ſibi univerſitas cuperet præſidere. Unde reddita populis Chriſtianis Dei pace gaudentes, commendamus vobis invicem veſtri operis dignitatem; ut religioſe per omnia ordinatus antiſtes, fraterno ſe vivere experiatur aſſenſu, & ad abolenda ſcandala, quæ error hæreticus excitaverat, cooperatione veſtra gaudeat adjuvari. Excluſo enim qui imitator diaboli fuit, & in veritate non ſtetit, male utens ſpecie perſuaſi honoris & nominis, congruit ut Alexandrina Eccleſia eum veneretur, & diligat, quem & probitate morum, & integritate Catholicæ fidei, dignum tanto ſacerdotio comprobavit: cui mutuæ charitatis plenum animi noſtri præbemus affectum, cohortantes, fratres chariſſimi, & fiducialiter exigentes, ut in prædicatione Verbi, in eruditione præcepti illam formam cuſtodiatis charitatis, ſine qua nullæ poſſunt prodeſſe virtutes. Quod autem fratri, & Coepiſcopo noſtro Tymotheo de revocandis his, qui a veritatis itinere deviantes, inconſultus ſe ferociuſque geſſerunt, ſcriptum eſſe cognoſcitis, dilectio quoque veſtra ad curam ſuam intelligat pertinere, ut quia late ſeſe peſtilens illa ægritudo diffudit, ubique omnibus eadem adhibeatur medicina vulneribus, ut per diligentiam paſtoralem in cunctis Eccleſiis Domini ovile reparetur, & per ſollicitudinem charitatis atque doctrinæ, omnes Chriſti oves unum ſentiant ſe habere paſtorem. Data Kalend. Septembris, Magno & Apollonio Conſulibus.

SEQUENTES EJUSDEM S. LEONIS Papæ Epiſtolæ, per R. D. Doct. Gerardum Voſſium recenter ſuperioribus adjectæ, ſuiſque argumentis ac Notis illuſtratæ ſunt.

EPISTOLA CIV.

Ejuſdem S. Leonis Papæ, ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos.

Univerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis ſcribit, & conſtitutione perpetua ab Epiſcoporum uſurpatione reſecandum decernit, quod in duabus Siciliæ Eccleſiis improbe geſtum, injuſteque per Epiſcopos ibidem præſumptum eſt, in Eccleſiarum ſuarum bonis illicite alienandis. Quare & DECRETUM *hic perpetuum interponit, de rebus Eccleſiæ non alienandis: pœnaſque adverſus contraventuros decernit.*

LEO Papa univerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis in Domino ſalutem. Occaſio † ſpecialium querelarum curam nobis providentiæ generalis indicit, ut quod in duabus provinciæ veſtræ Eccleſiis improbe geſtum, injuſteque præſumptum eſt; id Conſtitutione perpetua ab † omni Epiſcoporum uſurpatione reſecemus. † Tauromínitanis enim Clericis, Eccleſiæ deplorantibus nuditatem, eo quod omnia ejus prædia, vendendo, donando, & diverſis modis alienando, Epiſcopus diſſiparet: etiam Panormitani Clerici, quibus nuper eſt ordinatus Antiſtes, ſimilem querimoniarum, in ſancta Synodo, cui † præeſſe debebamus, de uſurpatione prioris Epiſcopi, cauſam detulerunt. Quamvis ergo ordinatum a nobis ſit, quemadmodum utriuſque Eccleſiæ utilitatibus conſulatur; ne tamen hoc pernicioſum nequiſſimæ deprædationis exemplum cuiquam poſthac fiat imitabile, hanc præcepti noſtri formam apud dilectionem veſtram volumus eſſe perpetuam: qua ſine exceptione decernimus, ut ne quis Epiſcopus de Eccleſiæ ſuæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere; niſi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium Eccleſiæ profuturum. Nam Presbyteri, vel Diaconi, aut cujuſcumque ordinis Clerici, qui conniventiam in Eccleſiæ damna miſcuerint, ſciant ſe & ordine & communione privandos: quia plenum juſtitiæ eſt, fratres chariſſimi, ut non ſolum Epiſcopi, ſed etiam totius Cleri ſtudio, Eccleſiaſticæ utilitatis incrementa ſerventur, &

eorum

Ex antiquo M.S. cod. Car. Sirleti

† al. Spiritalium.

† al. omnium.

† al. Taurimenianis.

† al. cui præſidebamus.

Decretum de rebus Eccleſiæ non alienandis.

Digitized by Google

eorum munera illibata permaneant, quæ pro animarum ſuarum ſalute, Fideles de propria ſubſtantia Eccleſiis contuleruot. Data 11. Kalend. Novembris † Calypio V. C. Coſſ.

† al. Gallepio, & al. Alypio.

Notæ in præcedentem Epiſtolam.

Hanc, ut & proxime hic ſequentem ad Julianum Epiſcopum, ſancti Leonis epiſtolas antea non editas, Cardinali Sirletobonæ mem. Bibliothechario Apoſtolica eruditiſſimo, & proborum atqae eruditorum hominum fautori benevolentiſſima acceptas referre debemus, ex cajus MS. Cod. eas deſcriptas habuimus. Eſſe autem illas vere S. Leonis noſtri Magni epiſtolas, præter phraſim ac dictionem, etiam convincit Conſulatus: cujus in pluribus etiam aliis de ejuſdem S. Leonis Papæ primi epiſtolis ſit mentio: ſicut imprimis patet ex epiſtola ejus tertia in ordine, ad Januarium Aquilejenſem Epiſcopum, quæ incipit: Lectis fraternitatis litteris, &c. *in cujus Data, ad finem, etiam Conſulatus Alypii, & al. Calypii, ſive Callepii ſit mentio, ſicut & hic, quemadmodum etiam poſtea in ejuſdem S. Leonis epiſtola quarta, ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos; cujus principium eſt:* Divinis præceptis, & Apoſtolicis monitis incitamur, &c. *Et in epiſtola ejaſdem nonageſimatertia, qaa eſt ad Turribium Aſturicenſem Epiſcopum, eajus initium eſt:* Quam laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate movearis, &c. *ia cujus epiſtolæ Data, etiam exprimitur Alypii (& al. Calypii, ſive Callepii) Conſulatus. Herculani porro Conſulatus (de quo ia proxime ſequente hic epiſtola, ad Julianum Epiſcopum) mentio ſit, pluribus quoque S. Leonis epiſtolis; videlicet, Epiſt. 52. ad omnes Epiſcapos Galliarum:* Optaſſemus quidem, &c. *& Epiſt. 53. ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum.* Manifeſtato, ſicut optavimus, &c. *item Epiſt. 54. ad Martianum Augaſtum:* Magno munere, &c. *Epiſt. 55. ad Pulcheriam Augaſtam:* Sanctis & Deo placitis, &c. *necnon Epiſt. 91. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum:* Sollicitudinis quidem tuæ, &c. *in quarum omnium epiſtolarum Datic, Conſulatus Herculani, ut in conſequente hic epiſtola ad Julianum Epiſcopum ſit mentio, ut nulla de hiſce, quin S. Leonis ſint, oriri queat dubitatio.*

Hanc præcepti noſtri formam, apud dilectionem veſtram volumus eſſe perpetuam, qua ſine exceptione decernimus, ut ne quis Epiſcopus, &c.

Quia in duabus Siciliæ Eccleſiis indebite atque illicite per Epiſcopos bona Eccleſiarum alienata ac diſſipata erant, hinc præſens iſtud ſuum Decretum de rebus Eccleſiæ non alienandic interponit S. Leo Papa; conſtitutioneque perpetaa eavet ac prohibet, ne quiſquam Epiſcoporum præſumat quidquam de bonis Eccleſiæ ſaæ alienare vel vendere, niſi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat: & cum totius Cleri tractatu atque conſenſu id eligat, quod Eccleſiæ profaturum certa conſtiterit, &c. Conſonantque optime hiſce, quæ Hilarius Pontifex, proximus S. Leonis Papæ in Pontificio throno ſucceſſor, de rebus Eccleſiæ aon alienandis, ſub finem cujuſdam epiſtolæ ſaæ ad Metropolitanos diverſarum Provinciarum Galliæ (cajus principium eſt: Quamquam notitiam dilectionis veſtræ, &c.*) ſic ſcribit:* Simul etiam ſuper hoc univerſam fraternitatem veſtram volumus eſſe commonitam, ne prædia, quæ neque deſerta, neque damnoſa ſunt, & ad Eccleſiam pertinent, ex quibus plurimorum conſueverit neceſſitatibus ſubveniri, aliquo jure io alterum transferantur, niſi prius apud Concilium alienationis ipſius cauſa doceatur; ut quid fieri debeat, communionum deliberatione tractetur, &c. *ita in ea epiſtola Papa Hilarius. In quam rem, etiam epiſtolam, de non aliendis bonis Eccleſiæ ſcripſit Agapetas Papa ad Cæſarium Epiſcopum Arelaenſem; quæ incipit:* Tanta eſt, Deo propitio, circa tuæ fraternitatis affectum noſtra devotio, &c. *ubi inter alia ſic habet:* Sed revocant nos veneranda Patrum manifeſtiſſima conſtituta, quibus ſpecialiter prohibemur prædia juris Eccleſiæ, cui nos omnipotens Dominus præeſſe conſtituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre, &c. *Poſt finem vero epiſtolæ, idem Pontifex ejuſmodi appoſait Decretum editum in Romano Concilio ſub Symmacho Papa, c. 4. totidem verbis exſcriptum, appoſito hujuſmodi titulo:*

Ex conſtituto Synodali inter cætera, & ad locum. His ergo perpenſis, manſuro cum Dei noſtri conſideratione Decreto ſancimus, ut nulli a præſenti die (donec diſponente Domino Catholicæ fidei manſerit doctrina † Salvatoris) liceat prædium ruſticum, quantæcumque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, ſub qualibet alienatione ad cujuſlibet jura transferre, &c. *Ac non longe ibidem poſt:* † Quicumque oblitus Dei, & decreti hujus immemor, cujus Romanæ civitatis Sacerdotes volumus religioſis nexibus devinciri, contrafacere, aut aliquid alienare tentaverit, honoris ſui amiſſione mulctetur. Præterea † qui petierit, aut acceperit, vel qui presbyterorum aut diaconorum, ſeu Defenſorum danti ſubſcripſerit, anathemate feriatur, &c. *additurque ibidem poſtea:* † Sed etiam liceat quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis vocem contradictionis afferre, & Eccleſiaſtica auctoritate ſulciri, ita ut cum fructibus poſſint alienata repoſcere, &c. *ita inter alia Agapetus ex dicto Romano Concilio, ad Cæſarium Epiſcopum Arelat.*

† al. Salutaris.

† Eodem Concil. c. 6. in 17. q. 4. Quicumque Dei.

† Eod. Reconc. c. 7.

† Eod. Reconc. 3. c. 3.

Hinc & S. Gregorius Papa Magnus pracavere & impedire volens, ne Eccleſiæ depauperarentur, res diſtractas, & venditas, per Defenſorem S. R. E. recaperari jubebat. Ut videre licet apud eum, l. 1. Epiſt. 66. Diſtrahentes vero puniebat, ſicut ibidem habetur. Quin & Vaſa Eccleſiæ direpta, undique per Siciliam diſperſa recolligi mandavit Rectori ejuſdem Provinciæ, & Eccleſiic propriis reſtitui, inventario eorumdem vaſorum apud ſe remanente, &c. lib. 3. Epiſt. 16. Juſſitque Defenſori, ut non pateretur aliquid juris Eccleſiaſtici ſuper quibuſdam prædiis ſubripi, pro quorum tuitione etiam privilegia Imperatoris tranſmiſit, &c. lib. 8. Epiſt. 53. Bona quoque Eccleſiæ per Epiſcopum dilapidata, ex bonis ipſius Epiſcopi, quæ ante Epiſcopatum poſſederat, reſtitui voluit, &c. lib. 10. Epiſt. 33. Apud eumdem etiam S. Gregorium legimus, quod Archidiaconi Eccleſiarum reſiſtebant Epiſcopis dilapidantibus & diſtrahentibus bona Eccleſiarum, &c. lib. 2. Indict. 10. Epiſt. 15. & 16. Quæ omnia hic fuſius adducere viſum eſt, ut ex illis quivis intelligat, quam adverſi & prorſus alieni ſemper fuerint S. Pontifices a rerum Eccleſiæ alienatione; quamobrem & merito ſuum in hac præſente epiſtola Decretum interpoſuit Magnus Leo Pontifex, de rebus Eccleſiæ non alienandis.

EPI-

EPISTOLA CV.

Ejuſdem S. Leonis Papæ, ad Julianum Coenſem Epiſcopum.

Nicæni Concilii authoritas quanti facienda ſit, demonſtrat. Julianum Coenſem Epiſcopum, cui hic ſcribit, graviter prudenterque quod Anatolii Conſtantinopolitani Epiſcopi plures Eccleſias ambitioſe affectantis deſiderio faverit, coarguit: amanterque eundem, ut major apud ipſum ſit univerſalis Eccleſiæ ſtatus, quam quod in cujuſquam gratiam ab ipſo velit poſtulare, qua ſine reatu utriuſque ipſorum, nec ſibi concedere, nec ei liceat obtinere, admonet.

Ex MS. cod. Card. Sirleti. Nicæni Concilii auctoritas.

L*Eo Papa Juliano Coenſi Epiſcopo.* Dilectio tua non ignorat quam conſtanti fixoque propoſito Sanctorum Nicænorum Canonum ſtatuta cuſtodiam, diſſolvi omnes Eccleſiaſticas regulas æſtimans, ſi quicquam ex illa ſacroſancta Patrum conſtitutione violetur. Quare miror talia te per fratrem & Coepiſcopum noſtrum Lucianum dirigere ſcripta potuiſſe, quibus in tantum pro appetitu novæ litterarum † greſſionis intervenis, ut tibi putes, aliquid ſpeciale præſtandum, ſi his qui illicite † concupiſcunt, annuero. Quantumlibet autem te affectione complectar, nullo tamen modo poteris obtinere, ut me in excidium Eccleſiaſtici ſtatus, vel † ſuadendo impellas, vel ſupplicando traducas. Frater enim & Coepiſcopus noſter Anatolius, ſi divina beneficia, & mei favoris aſſenſum ſapienter intelligit, ſatis illi ſuffecerit, obtinuiſſe, quod ſummus Antiſtes de honore Epiſcopatus ſui gratias Deo referat, & ſe ab illicitorum cupiditate contineat; & quicunque illum ſpecialiter diligunt, tali eum debent confirmare conſilio: ut impoſſibilia omnino non quærat; & ſibi, talia concupiſcendo, non noceat: quia † nullus apud me patrociniis ita poterit adjuvari, ut his quæ poſtulat, calcata Patrum conſtitutione, conſentiam. Reſcribens itaque ad epiſtolas tuas, pro ea qua diligo affectione, te moneo, ut major apud te ſit uoiverſalis Eccleſiæ ſtatus, ſaluberrima olim, vera ordinatione munitus, quam ut in cujuſquam gratiam a me velis poſtulare, quæ ſine reatu utriuſque noſtrum nec mihi concedere, nec tibi liceat obtinere. Data 11. Kalend. Junias, Herculano viro clariſſimo Conſule.

† al. tranſgreſſionis.
† concupiſcuntur.
† al. ſuperaddendo.
† al. nullis.

N O T Æ.

Concordant, quæ ab eodem Sancto Leone Papa in epiſtola quinquageſima tertia, ad ipſum Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum adducuntur: ubi intr alia eum arguit quod contra Nicæna Synodi decreta, Alexandrinam atque Antiochenam Eccleſias ſibi ambitioſe ſubdere voluiſſet. Quare inter multa, eum ibi compellando, ſic ait: Abſit a conſcientia mea, ut tam prava cupiditas meis ſtudiis adjuvetur: ac non potius & meo, & omnium qui non alta ſapiunt, ſed humilibus conſentiunt, opere *(al. ope)* ſubruatur, &c. *Subditque ibidem poſtea:* Quæ enim ad perpetuam utilitatem generaliter ioſtituta ſunt, nulla commutatione varientur: nec ad pivatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa; & manentibus terminis quos conſtituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum, &c. *Pauciſque interjectis ibidem poſtea de eodem ſic:* Noli, frater, altum ſapere, ſed time, & Chriſtianiſſimorum Principum piiſſimas aures improbis petitionibus inquierare deſiſte: quibus, certum habeo, modeſtia te magis quam elatione placiturum, &c. *Quin & Luciani Epiſcopi (de quo hic ſit mentio) ejuſque Legationis meminit ſub finem ejuſdem epiſt. 53. & quidem ſub eadem, quæ hic. Data 11. Kalend. Junii, & eodem Herculano Conſule. Similiterque in epiſt. 54. in fine, & epiſt. 55. ſub iiſdem, Dat. & Conſule: ubi & cum hiſce multa habentur conformia, ſicut etiam poſtea epiſt. 60. & 61. circa finem utriuſque: ut dubitandum non ſit, quin præſens hæc, vera ſit ejuſdem S. Leonis Papæ epiſtola quam, γνήσιον illius eſſe etiam ex reliquis ejus ad eundem Julianum Coenſem Epiſcopum datis epiſtolis, ſatis convincitur, oſtenditurque.*

EPISTOLA CVI.

Ejuſdem S. Leonis Papæ, ad Epiſcopos per Arelatenſem Galliæ Provinciam conſtitutos.

Gaudet S. Leo Pontifex de bona ac pacifica electione Epiſcopi Arelatenſis facta. Laudatque in eo Comprovinciales Epiſcopos, quod poſt defunctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, concordibus votis ac animis Ravennium, virum vita ac moribus probatum, in ejuſdem locum ſubrogaverint: Cui ideo bonum in ſuo regimine ſucceſſum precatur, & ut bonæ de ſe conceptæ opinioni atque expectationi ſatisfaciat, exoptat.

D*ilectiſſimis Patribus, Conſtantino, Audentio, Ruſtico, Auſpicio, Nicetæ, Nectario Floro, Aſclepio, Juſto, Auguſtali, Hymnantio & Chryſaphio Leo Papa.* Juſta & rationabilis nobis cauſa gaudendi eſt, cum a Sacerdotibus Domini ea geſta cognoſcimus, quæ & paternorum Canoonum regulis & Apoſtolicis congruant inſtitutis. Neceſſe eſt enim ut omne corpus Eccleſiæ ſalubri creſcat augmento, ſi membra quæ præſunt, & vigore excellant auctoritatis, & tranquillitate moderaminis. Quod ergo in Arelatenſium civitate, defuncto ſanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum fratrem Ravennium, ſecundum deſideria Cleri, honoratorum & plebis, unanimiter conſecratis, bonum fraternitatis veſtræ opus noſtro judicio roboramus. Quia electionem pacificam atque concordem, cui nec merita morum, nec ſtudia civium defuerunt, poſtulationis quidem humanæ, ſed inſpirationis credimus fuiſſe divinæ. Utatur itaque, fratres chariſſimi, Dei munere memoratus Antiſtes, & ſecundum conſonantia omnium Ordinum vota, quid ex ipſo devotionis expectetur, intelligat: ut diſpenſationis ſibi creditæ diligens ac temperans executor, veſtro teſtimonio non inferior, & noſtro favore per omnia ſit dignior. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi. Dat. 11. Kalend. Septemb. Aſterio & Protogene Coſſ.

Ex MS. antiq. cod. Eccleſiæ Arelatenſis apud Bar. ann. 449. num. 61.

EPISTOLA CVII.

Ejuſdem S. Leonis Papæ, ad Ravennium Arelatenſem Epiſcopum.

Petroniani vagi atque erronei hominis temeritati obviandum monet, & ab omnium Eccleſiarum communione, ne ulterius fallaciter alios decipere pergat, eundem expellendum ſeriò mandat.

Ex MS. Arelatens. apud Baron. 449. n. 26.

D*ilectiſſimo Fratri Ravennio Leo Papa.* Circumſpectum te volumus eſſe atque ſolicitum, ne quid ſibi plectenda poſſit vendicare præſumptio; quæ cum aditum falſa ſubreptione repererit, ad majorem ſe temeritatem nomine uſurpatæ dignitatis extendit. Petronianum quendam vagum & ſemper erroneum, certa nos Clericorum tuorum ſuggeſtione didicimus per Gallias ſe noſtrum eſſe Diaconum jactitaſſe, & ſub hujus honoris obtentu, diverſas ejus provinciæ Eccleſias circuire. Cujus audaciæ tam nefandæ, Dilectionem tuam, frater chariſſime, ita volumus obviare, ut eum, admonitis etiam totius provinciæ Epiſcopis, in ſua falſitate detectum, ab omnium Eccleſiarum communione, ne ulterius hoc uſurpet, expellas. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Dat. ſub die 7. Kalend. Septembr. Aſterio & Protogene, VV. Clariſſimis Conſulibus.

Epiſt. 20.

EPISTOLA COMPROVINCIALIUM

Epiſcoporum Metropolis Arelatenſis ad S. Leonem Papam.

Epiſcopi Comprovinciales legationem (occaſione Ravennii recenter in Epiſcopum Arelatenſem electi) ad S. Leonem Papam inſtituerunt, pro recuperandis antiquis juribus ac privilegiis Arelatenſis Eccleſiæ, illud in primis depoſcentes, ut de more antiquo Provinciæ Viennenſis eidem Eccleſiæ Arelatenſi ſubjiceretur.

Ex MS. Arelatens. Baron. an. 450. n. 52.

P*Reces miſſæ ab univerſis Epiſcopis Metropolis Arelatenſis ad S. Leonem Papam.* Memores, quantum honoris & reverentiæ, beatiſſimæ ſedi Apoſtolicæ, cui vos Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro meritis ſanctitatis voluit præſidere, ſemper debitum fuerit, ſemperque debeatur: ordinationem, qua ſanctus frater, & Coepiſcopus noſter Ravennius in civitate Arelate poſt tranſitum beatæ recordationis Hilarij Epiſcopi, concordantibus omnium votis, ad ſummum Pontificium, Domino favente, provectus eſt, miſſis continuo litteris Apoſtolatui veſtro indicare curavimus. Quibus a beatitudine veſtra, tanta dignatione & charitate fuiſſe reſponſum immenſas gratias agimus; etſi tantas, quantas debemus, referre non poſſumus.

Coronæ Epitheton Papæ attribuitur.

Notum licet nobis ante jam fuerit, prædictum Sanctum fratrem, & Coepiſcopum noſtrum maxime coronæ veſtræ gratia morum ſuorum manſuetudinem & ſanctitatem meruiſſe: perceptis nunc tamen beatitudinis veſtræ litteris, quanta cum charitate complectamini, evidenter agnovimus. Unde præmiſſis officiis, quæ Apoſtolatui veſtro jure debentur, ſuggeſtionem noſtram, quæ juſtitiæ partibus fungitur, audiendam a corona veſtra, minime dubitamus. Quippe cum non aliqua nova inſtitui, ſed priſca per vos optemus & antiqua reparari. Nec enim juſtum eſt ut honorem ejus, quem (ut probavimus) impenſe diligitis, illa res minuat, quæ pietatem veſtram alter oſtendit. Et ſine manifeſtum eſt Eccleſiæ Arelatenſi divinæ gratiæ favorem adeſſe, cui talem habere contigit Sacerdotem, per quem privilegia dignitatis antiquæ, quæ dolebat ſibi pro tempore diminuta, gauderet in perpetuum recentioribus Apoſtolicæ ſedis authoritatibus reformata.

Arelatenſis civitatis olim prærogativa.

Omnibus etenim regionibus Gallicanis notum eſt, ſed nec Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatenſis civitas miſſum a beatiſſimo Petro Apoſtolo ſanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum donum fidei & religionis infuſum, priuſquam alia loca ab hoc rivo fidei, quem ad nos Apoſtolicæ inſtitutionis fluenta miſerunt, meruiſſe manifeſtum eſt Sacerdotem, quam Viennenſis civitas, quæ ſibi nunc impudenter ac notabiliter primatus expoſcit indebitos. Iure enim ac merito ea Urbs ſemper apicem ſanctæ dignitatis obtinuit, quæ in ſancto Trophimo primitias noſtræ religionis prima ſuſcepit, ac poſtea intra Gallias hoc quod divino munere fuerat conſecuta, ſtudio doctrinæ ſalutaris effudit. Cujus honoris obtentu Eccleſiam Arelatenſem omnes deceſſores prædeceſſoreſque noſtri velut matrem debito ſemper honore coluerunt, tenenteſque traditionem totam ab hac ſibi civitatis noſtræ ſede Epiſcopos poſtularunt. Ab huius Eccleſiæ Sacerdote tam deceſſores noſtros, quam nos ipſos conſtat in ſummum Sacerdotium, donante Domino, conſecratos. Quam quidem antiquitatem ſequentes prædeceſſores Beatitudinis veſtræ, hoc quod erga privilegia Arelatenſis Eccleſiæ inſtitutio vetuſta tradiderat, promulgatis (ſicut & ſcrinia Apoſtolicæ Sedis procul dubio continent) auctoritatibus confirmarunt: eredentes plenum eſſe rationis atque iuſtitiæ, ut ſicut per beatiſſimum Petrum Apoſtolorum principem ſacroſancta Eccleſia Romana teneret ſupra omnes totius mundi Eccleſias principatum, ita etiam intra Gallias Arelatenſis Eccleſia, quæ ſanctum Trophimum ab Apoſtolis miſſum ſacerdotem habere meruiſſet, ordinandi Pontificium vendicaret. His ſecundum religionem utitur privilegiis Eccleſia memorata.

S. Trophimus primus Arelatæ Epiſcopus.

Scrinia Apoſtolica Sedis.

Cæterum multa ſunt, quibus ſecundum inſtituta Principum cunctis intra regiones noſtras civitatibus præferatur. Hæc in tantum a building glorioſiſſimæ memoriæ Conſtantino peculiariter honorata eſt, ut ab eius vocabulo præter proprium nomen, quo Arelas vocitatur, Conſtantina nomen acceperit. Hanc clementiſſimæ recordationis Valentinianus & Honorius fideliſſimi Principes ſpecialibus privilegiis & ut verbo ipſorum utamur, matrimonium Galliarum appellando decorarunt. In hac Urbe, quicumque intra Gallias ex tempore prædictorum oſtentaſe voluit inſignia dignitatis, Conſulatum ſuſcepit & dedit: hanc ſublimiſſima præfectura, hanc reliquæ poteſtates, velut communem omnibus patriam ſemper inhabitarunt.

Arelas alias Conſtantina eſt appellata, & alias *Mater omnium* Galliarum.

Ad hanc ex omnibus civitatibus multarum utilitatum cauſa concurritur: & plane ita ſibi erga privilegia memoratæ vel Eccleſiæ, vel civitatis, diuina (ut credimus) diſpenſatione, omnia conſenſerunt, ut ſemper ſicut Eccleſia Arelatenſis intra Gallias primatum in Sacerdotio antiquitatis merito, ita etiam civitas ipſa principatum in ſæculo, opportunitatis gratia poſſederit. Unde factum eſt ut non ſolum provinciæ Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium provinciarum, contemplatione ſancti Trophimi (ſicut & Sanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefacta ſibi teſtatur auctoritas) Arelatenſis

Eccle-

Eccleſiæ Sacerdos ad ſolicitudinem ſemper ſuam, curamque revocarit. Cui id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, ut non tantum has provincias poteſtate propria gubernaret, verum etiam omnes Gallias, ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandata, ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret.

His itaque omnibus intimatis, & in notitiam Beatitudinis veſtræ fidei aſſertione perlatis, quæſumus & obſecramus coronam Sanctimoniæ veſtræ per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui in vobis juſtitiam, patientiam, tranquillitatem, & bona totius ſanctitatis ac perfectionis elegit, & per beatiſſimum Apoſtolum Petrum, quem vita & converſatione veſtra nobis divino munere redditum credimus, ut quicquid Arelatenſis Eccleſia (ſicut ſuperius indicavimus) vel ab antiquitate ſuſcepit, uti poſtea auctoritate Sedis Apoſtolicæ vindicavit, id omne ad ſuum Pontificium revocare ejuſdem Eccleſiæ Sacerdotem Beatitudinis veſtræ auctoritas in perpetuum manſura præcipiat. Ipſi autem vel officiorum cauſa, vel ejus legationis obtentu, Sanctimoniæ veſtræ nos præſentaſſemus aſpectibus, niſi alios infirmitas, alios anni præſentis penuria ab hac votorum noſtrorum cupiditate revocaſſet. Sed confidimus in Domino Jeſu Chriſto, qui precibus & deſideriis noſtris effectum promptiſſimæ pietatis veſtræ præſtitit, quod qui nunc legationis officio fraudamur, gratiarum poſtea referendarum per noſmetipſos actione fungemur.

N O T Æ.

Hæ notæ ex Baron. 450. n. 56. *Hæ Epiſcoporum comprovincialium erant preces ad Papam Leonem directæ, ſine die & conſule: verum Valentiniano Auguſt. & Abieno Coſſ. datas eas eſſe, ex hic proxime ſubjecta S. Leonis epiſtola ad ipſos reddita plane innoteſcit: ex qua ſimiliter palam fit, Eccleſiam quoque Viennenſem eadem de cauſſa Romam ad S. Leonem Papam legationem miſiſſe. Juribus porro utrinſque partis auſcultatis ac diligenter examinatis, perſtitit Leo Pontifex in ea ſententia, ut Arelatenſis Eccleſia nihil ſibi eorum aſſumeret, quæ Viennenſis Eccleſiæ eſſent, quare etiam immediate hic conſequentem ad eos dedit epiſtolam.*

E P I S T O L A CVIII.

Ejuſdem S. Leonis Papæ ad comprovinciales Epiſcopos Metropolis Arelatenſis.

Sententia atque Decretum ſuum S. Leo interponit ſuper antiqua quæſtione juriſdictionis inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſias: ſingulaſque ſuis limitibus contentas eſſe debere decernit.

Ex MS. Arelatenſ. Baron 450 num. 57. D*ilectiſſimis fratribus Conſtantino, Armantario, Audientio, Severiano, Valeriano Urſo, Stephano, Nectario, Conſtantio, Maximo, Aſclepio, Theodoro, Juſto, Ingenuo, Auguſtali, Superventori, Ynantio, Fontejo, Palladio, Leo Papa.* Lectis Dilectionis veſtræ litteris, quas ad nos filij noſtri Petronius Presbyter & Regulus Diaconus detulerunt, quam benevolum fratri & Coepiſcopo noſtro Ravennio impendatis affectum, evidenter agnovimus; ſi quidem poſtulatis ut ei quod deceſſor ipſius merito nimiæ præſumptionis amiſerat, reformetur. Sed petitionem fraternitatis veſtræ Viennenſis Epiſcopus, miſſis litteris & Legatis, ſua ſuggeſtione prævenerat, conquerens Arelatenſem Epiſcopum ordinationem ſibi † Vaſenſis Antiſtitis uſurpaſſe. Cum itaque nobis

† al. Vaſa. tenſis.

ita & paternarum reverentia ſanctionum & omnium veſtrum ſervanda ſit gratia, ut in Eccleſiarum privilegiis nihil convelli, nihil patiamur exſcindi: conſequens fuit ut ad conſervandam intra Viennenſem & Arelatenſem provincias pacem, adhiberetur juſtitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis uſum, nec deſideria veſtra negligeret.

Conſideratis enim allegationibus utriuſque partis præſentium Clericorum, ita ſemper intra provinciam veſtram & Viennenſem & Arelatenſem civitates claras fuiſſe reperimus, ut quarumdam cauſarum alterna ratione, nunc illa in Eccleſiaſticis privilegiis, nunc iſta præcelleret, cum tamen eiſdem commune jus quondam fuiſſe, a gentibus proderetur. Unde Viennenſem civitatem, quantum ad Eccleſiaſticam juſtitiam pertinet, inhonoratam penitus eſſe non patimur, præſertim cum de receptione privilegij, auctoritate jam noſtræ diſpoſitionis utatur. Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo oblatam, Viennenſi Epiſcopo credimus deputandam, qui ne repente ſemetipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt, Valentiæ & Tharantaſiæ, Genevæ, & Gratianopoli; ut cum eis ipſa Vienna ſit conjuncta, ad cujus Epiſcopum omnium prædictarum Eccleſiarum ſolicitudo pertineat: reliquæ vero civitates ejuſdem provinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis authoritate, & ordinatione conſiſtant: quem pro modeſtiæ ſuæ temperantia, ita futurum credimus ſtudioſum charitatis & pacis, ut nequaquam ſibi credat ablatum quod fratri videat eſſe conceſſum. Dat. 3. Non. Maij, Valentiniano Auguſto VII. & Avieno V.C. Coſſ.

Sententia Papæ Leonis ſuper antiqua controverſia juriſdictionis inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſias.

Quatuor oppida Viennenſi Epiſcopo ſubiecta.

In fine hujus epiſtolæ, hæc quæ ſequuntur verba habentur: Hoc præceptum Domni Leonis confirmatum eſt a ſede Apoſtolica, præſidente Symmacho Papa, Probo V. C. Conſule.

N O T Æ.

Habes, lector, ex hac S. Leonis Papæ epiſtola, ex vetuſtiſſimo MS. exemplari ipſius Eccleſiæ Arelatenſis Archivii deſcripta, ſuper antiqua quæſtione juriſdictionis inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſias, determinationem atque ſententiam ipſius magni Leonis Pontificis: cui quidem epiſtolæ vel eo plus autoritatis ac fidei tribuendum eſt, quod S. Leonis Papæ primi ac magni ſit; quodque, licet, quæ contra ipſam eſſe probarentur Arelatenſem Eccleſiam, contineat; quæ tamen ut reliquæ, integra ac ſalva hactenus in illius archivio fideliter aſſervata cuſtodiatur: ubi & ſub eodem die ac anno data ad Ravennium Arelatenſem Archiepiſcopum alia adhuc eiuſdem S. Leonis in eodem MS. Cod. reperitur epiſtola, quam hic opportune ſubiecimus. Ex Baron. ann. 450.

Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam, Viennenſis Epiſcopo eredimus deputandam: qui vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, *id eſt*: Valentiæ, & Tharantaſiæ, & Genevæ, & Gratianopoli, &c.

Huic Decreto S. Leonis Papæ inhærendum cenſuit & Symmachus Papa, illudque confirmavit in ſua ad univerſos Galliæ Epiſcopos epiſtola; cujus initium eſt: Sedis Apoſtolicæ inſtituta prædicanda ſolicitant, ut de concordia univerſalis Eccleſiæ, pervigili cura tractemus, *&c. ubi inter alia ſic habetur:* Idcirco quemadmodum deceſſor noſter Leo Papa dudum, cognitis allegationibus partium, definivit Parochiarum numerum vel quantitatem Arelatenſi & Viennenſi ſacerdotibus deputandum, & nos præcipimus nullius uſurpatione tranſgredi. Sed (ut ante prædiximus) juxta indulgentiam ſupradicti Pontificis, Valentiam, Tharantaſiam, Genevam, Gratia-

 nopo-

nopolim oppida Viennenſis Antiſtes juri ſuo vendicet: nec quidquam amplius ab his quæ ſemel ab Apoſtolica ſibi ſede conceſſa ſunt, æſtimet præſumendum, &c. *Ita in ea epiſtola Symmachus Papa. Suffragaturque iiſdem Hilarius Pontifex in epiſtola ſua 14. poſtea hic addita; cujus initium:* Solicitis admodum nobis &c. *ubi inter alia habet:* Non dignitatem Viennenſis Eccleſiæ Mamertus Epiſcopus meminit, Arelatenſis Antiſtitis quondam tranſgreſſione ereviſſe, & pro corrigendis quæ perperam gerebantur, inviolabili poſtea definitione compoſitum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per vitium prædeceſſoris reperiretur exutus, &c. *Ubi ad præſens Leonis noſtri Decretum plane Hilarius Papa reſpexiſſe videtur, cui prorſus inſiſtendum cenſuit.*

EPISTOLA CIX.

Ejuſdem S. Leonis Papæ, ad Ravennium Arelatenſem Archiepiſcopum.

Mittit Ravennio famoſam & inſignem illam ſuam dogmaticam epiſtolam de Incarnatione Verbi Dei adverſus hæreticos: ut pro defenſione fidei, per eum doctrina ejuſdem epiſtolæ cunctis Galliæ Epiſcopis fideliter innoteſcat atque clareſcat.

Ex MS. Arelatenſ. Baron an. 450. n. 59

D*ilectiſſimo fratri Ravennio, Leo Papa.* Diu filios noſtros, Petronium Presbyterum, & Regulum Diaconum in urbe tenuimus, quoniam & de noſtra hoc gratia merebantur, & fidei, quæ nunc quorundam errore vexata eſt, ratio poſtulabat. Volumus enim eos intereſſe tractatui, & univerſa cognoſcere, quæ per te cupimus ad omnium fratrum & conſacerdotum noſtrorum notitiam pervenire: elariſſimæ hoc dilectioni tuæ ſpecialiter delegantes, ut ſolicitudine vigilantiæ tuæ epiſtola noſtra, quam ad Orientem pro fidei defenſione direximus, vel ſanctæ memoriæ Cyrilli, quæ noſtris ſenſibus tota concordat, univerſis fratribus innoteſcat, ut certiores effecti contra eos qui Incarnationem Domini pravis perſuaſionibus æſtimant temerandam, ſpirituali ſe virtute præmuniant. Habes probabilem facultatem, qua cunctis Eccleſiis, & Domino noſtro, Epiſcopatus tui poſſis commendare primordia; ſi hæc ita, ut credimus atque mandavimus, impleveris, frater chariſſime. Quæ autem committenda litteris non fuerunt, cum prædictorum filiorum noſtrorum inſinuatione didiceris, frater chariſſime, Domini fretus auxilio efficaciter (ut diximus) aut laudabiliter exequeris. Deus te incolumen cuſtodiat, frater ehariſſime. Dat. 3. Non. Maii, glorioſiſſimo Valentiniano Aug. 7. & Avieno V. C. Coſſ.

NOTÆ.

Ex hac epiſtola clare liquet, S. Leonem Papam etiam ad Gallicanos Epiſcopos miſiſſe famoſam illam & inſignem dogmaticam epiſtolam Flaviano Conſtantinopolitano Epiſcopo inſcriptam, quam in Orientem pro fidei defenſione direxerat: ut non ſolum Orientalibus, ſed etiam Occidentalibus innoteſcerent quæ de Verbi incarnatione teneret hactenus atque tenuiſſet ſemper ſancta & Catholica Dei Eccleſia. Qua per illos accepta, & bene intellecta epiſtola, ejuſque in omnibus cum fide Catholica, quam hactenus fideliter cuſtodierant, conſenſione explorata atque probata, reſcripſerunt ad eundem S. Leonem epiſtolam illam, quæ ſine die & Conſule data, habetur inter epiſtolas S. Leonis, & ſic inchoatur: Perlata ad nos epiſtola Beatitudinis veſtræ, quam ad Orientem pro Catholicæ fidei aſſertione miſiſtis, &c. *Eam autem ſub dictis ejuſdem temporis Conſulibus (quorum hac ſua ad Ravennium epiſtola S. Leo meminit) datam eſſe, colligitur manifeſtiſſime.*

EPISTOLA CX.

Ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum.

SYNOPSIS.

1. *Ut bonus paſtor ad ſolicitudinem Coepiſcoporum litteris compelli amat.*
2. *Vices ſuas per Illyricum Anaſtaſio committit, Siricii ſecutus exemplum.*
3. *Canonum obſervantiam, præſertim in ordinationibus, commendat: a quibus arceantur bigami & viduarum mariti.*
4. *A Metropolitano comprovinciales Epiſcopi conſcio Exarcho ordinentur; Metropolitani, ab ipſo Exarcho.*
5. *Ut omnes conveniant ad Synodos; harum utilitas & autoritas.*
6. *Tam Presbyteros & Diaconos, quam Sacerdotes, non niſi diebus Dominicis eſſe conſecrandos.*

Dilectiſſimo Fratri Anaſtaſio Leo.

OMnium quidem litteras Sacerdotum grato nos relegere animo, fraterni collegii caritas facit, cum per ſpiritalem gratiam tanquam præſentes amplectimur, quibus ſermone epiſtolis mutuo commeantibus ſociamur. Sed major in his videtur eſſe affectio, in quibus de ſtatu Eccleſiarum certiores effecti, ad exercendæ ſolicitudinis vigilantiam officii noſtri conſideratione compellimur: ut in ſpeculis, quemadmodum Deus voluit, conſtituti, & pro voto noſtro currentibus rebus noſtrum commodemus aſſenſum, & ea quæ depravari aliqua uſurpatione perſpicimus, adhibitæ correctionis remediis corrigamus: ſperantes jacti ſeminis reſponſurum nobis uberem fructum, ſi non ſinamus creſcere, quæ in meſſis detrimenta Dominicæ cœperint pullulare. Cap. I. Fraternum Epiſcoporum collegium.

Poſtquam itaque nobis petitio tuæ dilectionis innotuit per filium noſtrum Nicolaum Presbyterum, ut tibi quoque a nobis, ſicut deceſſoribus tuis, per Illyricum cum noſtra vice propter cuſtodiam regularum autoritas præſtaretur; præbentes aſſenſum, noſtra adhortatione compellimus, ut nulla diſſimulatio, negligentia nulla proveniat circa Eccleſiarum regimen per Illyricum poſitarum, quas dilectioni tuæ vice noſtra committimus, beatæ recordationis Siricii exemplum ſecuti: qui ſanctæ memoriæ Anyſio prædeceſſori tuo bene de Apoſtolica ſede tunc merito, & rebus poſt ſequentibus approbato, certa tum primum ratione commiſit: ut per illam provinciam poſitis, quas ad diſciplinam teneri voluit, Eccleſiis ſubveniret. Glorioſa inſtantius exempla ſequenda ſunt, ut quorum privilegiis uti cupimus, eorum nos ſimiles in omnibus approbemus. Imitatorem te tam prædeceſſoris tui, quam deceſſoris qui pari modo hoc & meruiſſe & egiſſe cognoſcitur, Cap. II. Vices Pontificis per Illyricum propter cuſtodiam canonum. Siricius vicarium inſtituit per Illyr.

eſſe

eſſe volumus: ut de profectu Eccleſiarum, quas tibi vice noſtra committimus, gaudeamus. Ut enim bene agenti, & quæ Sacerdotali autoritati conveniunt, ſolertius exequenti ad honorem proficit res tributa; ita huic oneri eſſe cognoſcitur, qui commiſſa ſibi poteſtate, qua debet moderatione non utitur.

CAP. III.

Tota Vicarii Apoſtolici cura de canonum cuſtodia eſt.

Quales ſint ordinandi.

Credita itaque tibi, frater cariſſime, gubernacula pervigil tene, & mentis tuæ oculos per omnia, quæ curæ tuæ videas injuncta, circumfer; in mercedem tuam profutura cuſtodiens, & his qui diſciplinam canonum labefactare nituntur obſiſtens. Divinæ legis ſanctio veneranda, & canonum ſpecialius decreta ſerventur. Per commiſſas tibi provincias tales Domino Sacerdotes, quibus ſola vitæ & clericalis ordinis ſuffragentur merita, conſecrentur. Nihil gratiæ perſonali, nihil ambitioni, nihil redemtis permittas licere ſuffragiis. Examinentur diligentius, & per longum vitæ tramitem diſciplinis Eccleſiaſticis, qui ordinandi fuerint, imbuantur. Si tamen illis omnia, quæ a ſanctis Patribus ſunt conſtituta, conveniant, & quæ beatum Apoſtolum Paulum de talibus legimus præcepiſſe, cuſtodierint: ut unius uxoris vir ſit, & hanc virginem, ut autoritas divinæ legis cavet, acceperit. Quod ſolicitius volumus cuſtodiri, ut omnibus excuſationibus locum adimamus: ne ſe quiſquam credat poſſe ad ſacerdotium pervenire, qui uxorem antequam Chriſti gratiam conſequeretur accepit, qua deficiente, alteram poſt baptiſmum conjunxerit ſibi.

Verum matrimonium etiam ante baptiſmum

Cum negari uxor illa non poſſit, nec prioris conjugii numerus aboleri; & eorum ita ſit pater filiorum, quos ante baptiſmum ex illa ſuſceperit, quemadmodum & illorum, quos ex altera poſt baptiſmum noſcitur ſuſcepiſſe. *Sicut enim* peccata & quæ illicita eſſe noſcuntur, per lavacrum baptiſmatis abolentur, ita quæ ſunt legis præcepto conceſſa, vel licita, non delentur.

CAP. IV. Ad Primatem ordinationes referendæ. *al.* quiſquis vero de Metropolitanis epiſcopis.

Nullus, te inconſulto, per illas Eccleſias ordinetur Antiſtes: ita enim fiet, ut ſint de eligendis matura judicia, dum tuæ dilectionis examinatio formidetur. Quiſquis vero a metropolitanis Epiſcopus contra noſtram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam ſibi apud nos ſtatus ſui eſſe noverit firmitatem, eoſque uſurpationis ſuæ rationem, qui hoc præſumſerint, redditturos. Singulis autem Metropolitanis ſicut poteſtas iſta committitur, ut in ſuis provinciis jus habeant ordinandi; ita eos Metropolitanos a te volumus ordinari, maturo tamen & decocto judicio.

Metropolitani a Primate ſeu vicario ordinandi.

Leo Allat. leg. decoro.

Quamvis enim omnes Antiſtites probatos & Deo placitos deceat conſecrari, hos tamen præcellere volumus, quos præfuturos his, qui ad ſe pertinent, conſacerdotibus, noverimus. Quod dilectionem tuam ſolicitius agere præmonemus & cautius, ut illud Apoſtolicum cuſtodire, quod ſcriptum eſt, approberis: *Manus cito nemini impoſueris.*

Tim. 5. 22.

CAP. V. Quanta Synodorum utilitas.

Ad Synodum quiſquis fratrum fuerit evocatus occurrat, nec ſanctæ congregationi ſe deneget: in qua maxime conſtituendum eſſe noverit, quod ad diſciplinam poterit Eccleſiaſticam pertinere. Melius enim culpa vitabitur, ſi inter Sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur: & emendationi pariter & caritati plurimum præſtat adunata ſocietas. Illic, ſi quæ cauſſæ natæ fuerint, præſtante Domino, ita poterunt terminari, ut contentio nulla reſideat; ſed ſolida inter fratres caritas coaleſcat.

Cauſſam majorem ſibi Leo reſervat.

Si qua vero cauſſa major evenerit, quæ a tua fraternitate illic præſidente non poterit definiri, relatio tua miſſa nos conſulat: ut revelante Domino, cujus miſericordiæ profitemur eſſe quod poſſumus, quod ipſe nobis aſpiraverit, reſcribamus: ut cognitioni noſtræ pro traditione veteris inſtituti & debita Apoſtolicæ ſedis reverentia, noſtro examine vindicemus: ut enim autoritatem noſtram vice noſtra exercere te volumus; ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiſerit, reſervamus.

Jus ex veteri inſtituto & ſedis prærogativa cieatum.

CAP. IV.

Hæc itaque in omnium fratrum facies notitiam pervenire; ut nullus deinceps per ignorationem in obſervandis his, quæ præcepimus, excuſandi ſe reperiat facultatem. Ad ipſos etiam Metropolitanos ſingularum provinciarum noſtra, quibus eos moneremus, ſcripta direximus: ut noverint Apoſtolicis obediendum eſſe ſententiis: & tunc ſe nobis parere, cum fraternitati tuæ ex noſtra delegatione cœperint, ſecundum ea quæ ſcripſimus, obedire. Cognovimus ſane, quod non poſſumus ſilentio præterire, a quibuſdam fratribus ſolos Epiſcopos tantum, diebus Dominicis ordinari; Presbyteros vero & Diaconos, circa quos par conſecratio fieri debet, paſſim quolibet die dignitatem officii ſacerdotalis accipere; quod contra canones & traditionem Patrum uſurpatio corrigenda committit, cum mos quibus eſt traditus circa omnes ſacros ordines debeat omnimodis cuſtodiri: ita ut per longa temporum curricula, qui Sacerdos vel levita ordinandus eſt, per omnes clericalis officii ordines provehatur: ut diuturno diſcat tempore, cujus & doctor ipſe futurus eſt. Data pridie Idus Januarias Theodoſio XVIII. & Albino Coſſ.

Par conſecratio Ep. Presbyt. & Diacon.

Die Dominica conſecratio celebranda ex canon. & traditione. *Vide Epiſt. X. ad Dioſcorum & ad eam obſervata.*

Ordinum interſtitia.

Non ordin. per ſaltum.

EPISTOLA CXI.

Ad Epiſcopos Metropolitanos per Illyricum conſtitutos.

SYNOPSIS.

1. *Illicitos contra canones conatos prudenter monitis præveniri.*
2. *Vices ſuas per Illyricum Anaſtaſio Theſſalonicenſi more prædeceſſorum ſuorum committit.*
3. *Bigamos, viduarum maritos, aut repudiatarum a Sacerdotio, canonibus obtemperans, arceri jubet.*
4. *Ut Provinciales Epiſcopi ad Metropolitanos, ſic Metropolitanos ad Exharchum ſeu Vicarium pertinere.*
5. *Eorumdem eſſe Metropolitanos ordinare, & de provinciarum ſtatu ad ſedem Apoſtolicam referre.*

Dilectiſſimis fratribus Epiſcopis Metropolitanis per Illyricum conſtitutis Leo.

CAP. I.

OMnis admonitio ſalutaris, quam Domino credimus aſpirante contingere, in mercedem proficit monentis & moniti: & ideo nos hoc libenter arripimus, quoniam placere Deo noſtro, non ſolum noſtris, ſed omnium fratrum conſacerdotumque noſtrorum actibus feſtinamus. In noſtram enim recurrit gratiam, ſi Eccleſiæ ſic regantur, ut nullus querimoniis aditus reſeretur. Sit itaque dilectioni veſtræ, fratres cariſſimi, dulcis & jucunda præceptio, quam de ſedis Apoſto-

licæ autoritate, ſervata caritatis gratia, manare noſcatis; nec vobis aliquid juris credatis imminui, ſi tam præſentibus quam futuris rebus videatis, ne illicitis præſumptionibus reſeretur aditus, præcaveri. Cautius enim uſurpationibus, antequam tententur, obſiſtere, quam quæ uſurpata fuerint vindicare.

Cap. II. 1. Primatus Petri, merces ejus fidei. *apud Holſten.* ſui. *Forte* iſtius Omnes Epiſcopi Collegii caritate juncti.

Et quia per omnes Eccleſias cura noſtra diſtenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui Apoſtolicæ dignitatis beatiſſimo Apoſtolo Petro primatum fidei ſuæ remuneratione commiſit, univerſalem Eccleſiam in fundamenti ipſius ſoliditate conſtituens, neceſſitatem ſolicitudinis, quam habemus, cum his, qui nobis collegii caritate juncti ſunt, ſociamus. Vicem itaque noſtram fratri & coepiſcopo noſtro Anaſtaſio, ſecuti eorum exemplum, quorum nobis recordatio eſt veneranda, commiſimus; & ut ſit in ſpeculis, ne quid illicitum a quoquam præſumatur, injunximus: cui in his quæ ad Eccleſiaſticam pertinent diſciplinam, ut dilectio veſtra pareat, admonemus. Non enim tam illi obtemperabitur, quam nobis, qui hoc illi pro noſtra ſolicitudine per illas provincias cognoſcimur commiſiſſe.

Cap. III. Ordinationes ſecundum canones faciendæ. *Tim.* 3. 2. 3. *Apud Holſten.* accipiant. *Levit.* 21. 13. *Ezech.* 44. 21. Baptiſmus Bigamiam non eluit.

Volumus enim tales fieri Domino Sacerdotes, quibus cuncta conveniant, quæ ſunt Eccleſiaſticis canonibus definita: ut Epiſcopi, Presbyteri, atque Diaconi *unius uxoris viri* ſint, ſecundum beati Apoſtoli ſententiam, & hanc ſecundum legis præcepta virginem acceperint, non viduam, non repudiatam, ſicut legis ſcriptura teſtatur. Nec ſe quiſquam æſtimet poſſe ad ſacerdotium pervenire, qui ante baptiſmum, deficiente quam habebat uxore, alteram rurſum poſtquam per gratiam baptiſmatis eſt renovatus, acceperit: cum in baptiſmate peccata deleantur, non uxorum numerus abrogetur. Adeo autem in excuſationem ſui hoc obtendere non poterit, ut eorum ſe patrem filiorum, quos ante baptiſmum ſuſceperit, negare non poſſit. Neque enim uxor, quæ ex legis præcepto ducitur, inter peccata, quæ abluuntur baptiſmate, poterit numerari.

Cap. IV.

Ad Synodum quicumque fuerit evocatus occurrat, nec congregationi ſe deneget, in qua ad Deum pertinentes cauſſas noverit eſſe tractandas. Quicquid cauſſarum, ut aſſolet, inter conſacerdotes evenerit, ejus, cui vicem noſtram commiſimus, examini reſervetur: ut illo ſub Dei timore præſule, omnis ambiguitas finiatur. Nihil in ejus aut noſtram, contra hæc quæ conſtituimus, præſumatur injuriam. Ejus nobis relatione, ſi quid ad nos referendum fuerit, innoteſcat: ita enim vos ad illum pertinere volumus, ut ad vos provinciarum veſtrarum pertinent Sacerdotes. Qui ergo jure ſibi debito uti cupiunt, Apoſtolicæ ſedi autoritatem conceſſam per ſuam contumaciam imminuere non nitantur.

Cap. V.

Ut vero veſtræ dilectioni provinciæ ſuæ ordinatio permittitur Sacerdotum, ita fratrem & Coepiſcopum noſtrum Anaſtaſium de ordinando Antiſtite volumus conſulatis. Cui Metropolitani Epiſcopi conſecrationem ſtatuimus reſervari: ut eo inquiſitore atque cuſtode, cum certius licentiæ modus imponitur, Eccleſiaſticæ diſciplinæ in omnibus ordo ſervetur. Ipſum vero ſecundum definita canonum hoc veſtra dilectio noſtris epiſtolis ammonitum eſſe cognoſcat: ut de ſtatu Eccleſiarum veſtrarum certiores ſubinde ſua relatione nos faciat: ſciturus ſibi a nobis imputandum, ſi quid de his, quæ ſtatuimus, a quoquam fuerit temeratum.

Cap. VI.

Si quæ vero cauſſæ graviores vel appellationes emerſerint, eas ſub ipſius relatione ad nos mitti debere decrevimus: ut noſtra ſecundum Eccleſiaſticum morem ſententia finiantur. Hæc vero, quæ per filium meum Nicolaum Presbyterum ſcripta direximus, recurrentibus litteris, ut vos eadem ſciamus accepiſſe, reſcribite. Data pridie Idus Januarias Theodoſio XVIII. & Albino Conſulibus.

Cauſſæ graviores & appellationes Illyrici, reſervatæ.

NOVELLA VALENTINIANI
Auguſti de Manichæis.

Imperatores Theodoſius & Valentinianus Auguſti Albino P. P. & Patricio.

SUperſtitio Paganorum ſuperioribus quoque damnata temporibus, inimica publicæ diſciplinæ, & hoſtis fidei Chriſtianæ, ad excidium ſui Clementiam noſtram non immerito provocavit. Manichæos loquimur, quos execrabiles, & toto orbe pellendos omnium retro Principum ſtatuta judicarunt. Nec diſſimulationem crimina nuper detecta patiuntur. Quæ enim, & quam dictu audituque obſcœna in judicio beatiſſimi Papæ Leonis, coram Senatu ampliſſimo manifeſta ipſorum confeſſione pateſacta ſunt! Adeo ut eorum quoque qui diceretur Epiſcopus, & voce propria proderet, & omnia ſcelerum ſuorum ſecreta perſcriberet. Quod notitiam noſtram latere non potuit, quibus tutum non eſt negligere tam deteſtandam divinitatis injuriam, & impunitum relinquere ſcelus, quo non ſolum corpora deceptorum, ſed etiam animæ inexpiabiliter polluuntur. Unde, Albine Parens cariſſime Auguſtorum, illuſtris & magnifica autoritas tua hac nos in æternum victura lege ſtatuiſſe cognoſcat, quam in omnium provinciarum faciet notitiam edictis propoſitis pervenire: Ut ubicunque terrarum quiſquam Manichæorum fuerit deprehenſus, pœnas, quas in ſacrilegos jura ſanxerunt, autoritate publicæ ſeveritatis excipiat. Sitque publicum crimen, & omni volenti ſine accuſationis periculo tales arguere ſit facultas. Nec cuiquam licitum tutumque ſit aut celare tales, aut talibus connivere: cum omnia de his a nobis confirmata ſint retro Principum ſtatuta, ut noverint univerſi hac edictali lege propoſita, Manichæos dignitate militiæ, & urbium habitatione privandos: (ne quis innocens talium converſatione, aut ſocietate capiatur) Succeſſiones nec capiant, nec relinquant, (ſed fiſci noſtri viribus aggregentur. Nec eis quod palam interdicimus ulla fraude quæratur. Injuriarum careant actione, contractos liberos omnino non habeant.) Primates uniuſcujuſque militiæ, (vel officii mox exigenda per apparitionem veſtram) x. librarum auri mulcta percellat, ſi quem hac ſuperſtitione pollutum ſiverint militare: neque enim aliquid nimium in eos videtur poſſe decerni, quorum inceſta perverſitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota, (vel pudenda) committit. Dat. XIII. Kal. Jul. Romæ Valent. A. VI. & Numo V. C. Coſſ.

Cari, atque amantiſſime *MS. Oxon.*
illuſtr. & præclara magnificentia tua. *Ibid.*
edictis propoſitis *deſid. Oxon. MS.*
militia dignitate. *Id MS.*
deſunt hæc in MS.
Hæc incluſa deſid. in MS.
Hæc pariter deſunt.
Si aliquem ex his ſiver. milit. *ib. Deſid. MS. Oxon.*

LPI-

EPISTOLA CXII.

Ad Epiſcopos Gallicanos Provinciæ Viennenſis.

SYNOPSIS.

Quæritur Hilarium Arelatenſem Epiſcopum Roma, non expectato Sedis Romanæ judicio, diſceſſiſſe. Monet Gallicanos Epiſcopos ſe Arelatenſis Sedis privilegium ad Viennenſem tranſtuliſſe: Terminos a ſanctis Canonibus præſcriptas tranſiliendos non eſſe.

Dilectiſſimis Fratribus per Gallias & Viennenſem Provinciam Epiſcopis conſtitutis, Leo Epiſcopus.

QUali pertinacia Hilarius Arelatenſis Epiſcopus judicium noſtrum effugerit, ſancta veſtra fraternitas non ignorat. Unde & juſtum eſſe videmus, ut quia Principis Apoſtolorum magnam in judiciis moderationem, quam in poteſtate per Vicarios ſuos ſemper exhibet, Arelatenſis Epiſcopus non expectavit, a privilegio ſuæ civitatis ſubmotus humili loco diſcat, quod in magno gratis munere prædeceſſorum noſtrorum conceſſo tenere noluit. Sitque redintegratum Viennenſi Archiepiſcopo privilegium, & jus antiquum, quod Apoſtolica benignitas ad Arelatenſem, ex parte tranſtulit civitatem, ut tali ſeveritate Hilarius coercitus, diſcat non temere transgredi terminos antiquos Canonica prolatione fundatos. Data octavo Idus Januarii Valentiniano Auguſto IV. & Avieno Conſulibus.

al. fundatos. *Bibl. Florent.* *al.* tertio.

EPISTOLA CXIII.

Ad Epiſcopos Metropolitanos per Achajam Provinciam conſtitutos.

SYNOPSIS.

1. *Gratulatur Achajæ Metropolitanis conſentientibus autoritati datæ Anaſtaſio, in majoribus præſertim cauſſis.*
2. *Ut vocati ad concilium ab Anaſtaſio venire non renuant, hortatur.*
3. *Ut nemo ſine conſenſu plebis ordinetur Epiſcopus.*
4. *Ut nullus Epiſcopus alterius inviti clericum ſibi vindicet.*

Dilectiſſimis fratribus Senecioni Caroſo, Theodulo, Lucæ, Antiocho & Vigilantio Metropolitanis per Achajam Provinciam conſtitutis, Leo.

CAP. I. GRato animo epiſtolas noſtras a veſtra dilectione ſuſceptas, recurrentis paginæ ſermo teſtatus eſt, quas nos pro Eccleſiarum ſtatu & pace ſoliciti, ne quid novella præſumtio erroris afferret, noſcimur direxiſſe: volentes a Sacerdotibus Domini cuſtodiri, quæ ſedis Apoſtolicæ autoritas crebra conſtituit; ſcilicet ut per Illyricum Eccleſiæ conſtitutæ ad curam fratris & Coepiſcopi noſtri Anaſtaſii Theſſalonicenſis urbis antiſtitis pertinerent. Ut ſi quæ majores inter Epiſcopos cauſſæ ſunt, quæ in provinciis ſuis nequeant terminari ad ejus notitiam referantur, & eodem arbitrio ſub divini timore judicii componantur. Servetur hic ordo Sacerdotali concordiæ profuturus, ut Eccleſiæ Domini concordi, quemadmodum cupimus, conſilio conſtruantur, & nullum, inſidiante diabolo, aditum poſſit præbere diſſenſio, per quam valeat diſſipare, quæ nos magno ſtudio habita cupimus moderatione connectere.

Majores cauſſæ per Illyricum Epiſcopo Theſſ. commiſſæ.

Invitati fratres in cauſſis maximis, & quæ intra provincias ſuas finire nequeant terminandis, ſi nulla gravi neceſſitate retinentur fraterno ſe ſtudio pro Eccleſiæ utilitate non denegent: maxime cum moderatio noſtra providerit, ut non frequens, neque pro levibus cauſſis conveniendi neceſſitas indicatur; & binos ternoſve Epiſcopos de ſingulis provinciis adeſſe ſufficiat, ut leve fiat paucis, quod multis eſſet oneroſum; atque ita efficiatur ſtudio caritatis, ut Sacerdotalis tractatus ea, quæ ad diſciplinam poſſunt Eccleſiaſticam pertinere, ſancto ſibi Spiritu revelante, conſtituat. Id enim nos, volentes quorundam inobedientiam juſta correctione corrigere, veſtra noverit dilectio definiſſe: ut quiſquis ſuperbo animo, cum nulla corporis vel cauſſæ fuerit neceſſitate detentus, fraternum ſæpius voluerit vitare conventum, ſe ſciat eſſe judicandum. CAP. II.

Ep. 52. c. 10. Synodi congregandæ modus & conditiones. S. Spiritus etiam provincialibus Synodis revelat. Non licet abeſſe a Synodo.

Et quia memorati fratris noſtri ſolicita relatione cognovimus Achajæ provinciæ Metropolitanum illicitas & Conſtitutis Patrum noſtriſque autoritatibus interdictas ordinationes ſæpe celebraſſe, illudque ſuis auſibus addidiſſe, ut Theſpienſibus invitis & repugnantibus incognitum & ante non viſum Epiſcopum conſecraret; illi prorſus Metropolitano hoc licere non permittimus, ut ſuo tantum arbitrio, ſine cleri & plebis aſſenſu quemquam ordinet Sacerdotem; ſed eum Eccleſiæ Dei præficiat, quem totius civitatis conſenſus elegerit. Ut itaque nos deſides non ſumus in monendo, quæ cuſtodiri debeant, quæque vitari; ita in exequendis illis atque ſervandis neminem eſſe patimur negligentem: cum cuſtodientem talis laus digniſſima comitetur, & fructus, ut ſperamus, a Domino uberior obſequatur: devium vero & Apoſtolicæ conſtitutionis oblitum, obnoxium habitura ſit & Eccleſiaſtica & divina cenſura. CAP. III.

Conſenſus cleri & plebis ordinationibus.

Illud quoque pari obſervantia ad ſacerdotalis concordiæ vinculum ab omnibus volumus cuſtodiri, ut nullus Epiſcopus alterius Epiſcopi Clericum ſibi audeat vindicare, ſine illius ad quem pertinet ceſſione, quam tamen evidentia ſcripta contineant: quoniam hoc & Canonum definivit autoritas, & ipſa ſervandæ unitatis ratio docet: ne omnis ordo Eccleſiaſticus per hanc licentiam efficiatur inſtabilis. Altius itaque, Fratres cariſſimi, quæ a nobis piæ mentis affectu decerni perſpicitis, in pectora veſtra deſcendant: ut nos qui ſolicite cupimus *ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*, præceptionis noſtræ fructum percipiamus, & veſtræ dilectionis operibus gratulemur. Volumus enim tam veſtrum eſſe, quam noſtrum eſt, ut per charitatis gratiam conſtituatur, quod nulla inſidiantis diaboli arte violetur. Plenius vero obſervare debent, quæ caveri ad ipſum fratrem & Coepiſcopum noſtrum Anaſtaſium ſcripſimus, eaque in veſtram notitiam litteris ipſius volumus pervenire: a quibus fraternitatem noſtram nolumus deviare; ut charitatem Dominicam cuſtodita Patrum ſanctione ſervemus. Data octavo Idus Januarii, Aetio III. & Symmacho viris clariſſimis Conſulibus. CAP. IV.

Alterius Clericus ab altero non retinendus. Litteræ dimiſſoriæ.

EPISTOLA CXIV.

Ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

SYNOPSIS.

Flavianum de receptis ejus litteris monet; Geſta per eum adverſus Eutychen laudat; ſolicitudinem ſuam ſpondet.

Leo Flaviano Epiſcopo Conſtantinopolitano.

PErveniſſe ad nos tuæ dilectionis epiſtolas, ut primum venientis filii noſtri honorabilis viri Rodani opportunitatem reperimus, indicamus; quæ nos de cauſſa facerent certiores, quam apud vos pravo dolemus errore commotam: Quoniam aliter de fide, quam convenit, hic qui dudum religioſi videbatur propoſiti eſſe, ſentiret: quem a Traditione catholica non decuerat deviare: ſed in eadem quæ tenetur ab omnibus credulitate perſiſtere. Verum de hac re plenius per eum, qui ad nos tuæ dilectionis portavit epiſtolas, reſcribimus: ut fraternitatem tuam, quid de tota cauſſa conſtitui debeat, inſtruamus. Non enim patiemur, aut illum in ſuæ perſuaſionis pravitate perſiſtere, aut Dilectionem tuam, quæ zelo fidei, pravo & ſtulto reſiſtit errori, diutina adverſæ partis impugnatione turbari. Supradictum vero filium noſtrum, per quem has epiſtolas dedimus, hac volumus qua dignum eſt affectione ſuſcipias, & eo ad nos remeante ſcribas. Data duodecimo Calendas Junias Aſterio & Protogene Coſſ.

EPISTOLA CXV.

Ad Fauſtum & Martinum Presbyteros.

SYNOPSIS.

1. *Intolerabile eſſe ſcribit Occidentalibus Epiſcopis, quod Epheſi contra fidem actum eſt.*
2. *Antichriſto militare tam Neſtorium quam Eutychen: Contra quos Eccleſia profitetur non unam naturam, ſed unam ſe adorare perſonam.*

Leo Fauſto & Martino Presbyteris.

A PARI.

PER MAXIMINUM COMITEM.

OMnes ſcribendi occaſiones libenter amplectens, alloqui dilectionem veſtram ſacerdotali affectione non deſino: ut ex ipſa frequentia litterarum poſſitis agnoſcere, quantam curam Eccleſiæ Univerſalis habeamus; pro cujus piiſſima fide ſtudioſius defendenda veſtram quoque devotionem oportet laborum noſtrorum eſſe conſortem. Nam & per fratres noſtros Epiſcopos atque Presbyteros quos pro Chriſtianæ religionis ſtatu miſimus, quoſque dudum vobiſcum eſſe confidimus, pleniſſime ex omni inſtructione, quam dedimus, potuiſtis advertere, quam intolerabile habeatur apud cunctos noſtrarum partium Sacerdotes quod profana quorundam inſipientia contra ſacramentum redemptionis humanæ inferre molita eſt. Et nunc per filium noſtrum Maximinum Comitem continuatim vos alloquiis cohortamur, ut quia propitio Domino multum Catholicorum eſt aucta libertas, ſumatis conſtantiam ſpiritalem contra Antichriſti præcurſores; dicente beato Joanne: *Omnis Spiritus, qui confitetur* Jeſum Chriſtum *in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis Spiritus, qui ſolvit* Jeſum Chriſtum, *ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* *1. Joan. 4. 2.*

Cap. II. Cui Neſtorius & Eutyches ſub diverſa quidem erroris ſpecie, ſed ſub eodem ſpiritu falſitatis militare voluerunt, cum Catholica fides Apoſtolicis atque Evangelicis imbuta doctrinis utrumque deteſtetur, utrumque condemnet; quæ, ex quo æternum Patris *Verbum caro factum eſt*, quem credit Filium Dei, eundem etiam filium hominis confitetur; & in uno vero Deo ac vero homine Domino Jeſu Chriſto non unam naturam, ſed unam ſe profitetur adorare perſonam. *Joan. 1. 14.* In hac fide nobiſcum inſeparabiliter atque indifferenter uniti, ſtate confidenter, & viriliter agite: ac ſi quæ ſunt moræ de his, quæ poſcimus, ordinandis, per occaſiones tamen, quas fidas gratia divina providerit, litteris nos veſtræ dilectionis inſtruite. Quia multum ſolatii eſt, cum ſolicitis animis rerum deſideratarum actio nunciatur. Volumus autem ut hæ litteræ noſtræ, quas ad veſtram dilectionem miſimus, etiam cæteris Catholicis innoteſcant. Quo intelligant, ſe quoque ad defenſionem fidei hiſce noſtris exhortationibus incitari. Data ſexto Idus Novembris, Valentiniano Auguſto ſepties & Avieno Conſulibus.

EPISTOLA CXVI.

Ad Julianum Coenſem Epiſcopum.

SYNOPSIS.

Pro communi amicitia & Eccleſiæ bono ſolicitudinem Juliani Legatorum ſuorum curæ jungi poſtulat ad reliquias hæreticorum extinguendas.

Leo. Juliano Epiſcopo.

QUam gratum mihi ſemper eſt epiſtolas tuæ dilectionis accipere, tam etiam noſtra ad te congruum eſt ſcripta deferri, præſertim cum hoc non pro amicitia tantum communi; ſed multo magis pro ſtatu univerſalis Eccleſiæ faciamus. Unde per fratres noſtros Lucentium Epiſcopum & Baſilium Presbyterum, quos Conſtantinopolim indicaveramus nos eſſe miſſuros, debitum reddo colloquium; admonens ut ſtudium diligentiæ tuæ eiſdem hominibus ſociare digneris; ut reliquiæ ſcandalorum, ſi quæ adhuc ſuperſunt, ſagaciter auferantur. Quamvis enim, ubique jam Catholicæ fidei lumen eluceat; &, quod eſt validiſſimum, Chriſtianorum principum divinis autoritatibus corda famulentur; quædam tamen ſunt, quæ ita Epheſinus ille turbo confudit, ut magno moderamine ſit agendum: ne mala diſſentionum, quæ inde ſunt orta, permaneant. Quid itaque Legatis noſtris injunctum atque commiſſum ſit, ipſorum inſinuatione cognoſces, cum mihi atque

illis

illis impenſurus affectum, ut quæcumque ipſis mandata ſunt, dilectionis tuæ ſtudio & ſolicitudine ſociata, adjuvante Domino, perveniant ad eum, quem optamus, effectum. Data VI. Idus Junii Adelphio viro Clariſsimo Conſule.

EPISTOLA CXVII.

Ad Paſchaſinum Epiſcopum Lylibætanum.

SYNOPSIS.

1 *Mittit ad Paſcaſinum celebrem ſuam ad Flavianum CP. epiſtolam: qua Legatus in Synodo futurus inſtrueretur.*

2 *Duplicem in Chriſto aſſerit naturam adverſus Eutychen.*

3 *Teſtimonia SS. Patrum de Incarnatione Domini mittit, nuntiatque Orientalis diœceſis Epiſcopos ſubſcripſiſſe eidem epiſtolæ ad Flavianum.*

4 *De Paſcate anno 455. diligentius inquiri poſtulat.*

Leo Paſchaſino Epiſcopo.

Cap. I.

QUamvis non dubitem fraternitati tuæ omnem originem ſcandalorum, quæ de Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti in Orientalibus Eccleſiis commota ſunt, ad plenum eſſe comperta; tamen ne quid forte ſolicitudinem tuam latere potuiſſet, epiſtolam noſtram, quam ad ſanctæ memoriæ Flavianum de hac re pleniſsimam miſimus, quamque Eccleſia univerſalis amplectitur, diligentius tibi recenſendam cognoſcendamque direxi: ut intelligens qua plenitudine totius hujus erroris impietas, Deo adjuvante, deſtructa ſit, ipſe quoque eundem ſpiritum pro tuo in Deum amore ſuſcipias, ſciaſque penitus deteſtandos, qui ſecundum Eutychis impietatem atque dementiam in Domino noſtro unigenito Filio Dei ſuſcipienti in ſe reparationem ſalutis humanæ, dicere auſi ſunt duas non eſſe naturas, hoc eſt, perfectæ divinitatis & perfectæ humanitatis; & putant quod poſſint diligentiam noſtram fallere, cum ajunt: Se unam verbi naturam credere Incarnatam: cum utique Verbo Dei in divinitate Patris, & ſua, & Spiritus ſancti, una natura ſit; ſuſcepta autem veritate carnis noſtræ illi inconvertibili ſubſtantiæ noſtram quoque unitam eſſe naturam: nam nec Incarnatio dici poſſet, niſi caro ſuſciperetur a Verbo. Quæ ſuſceptio tanta & talis unitio eſt, ut a carne animata, non ſolum in partu beatæ Virginis, ſed etiam in conceptu nulla divinitatis ſit credenda diviſio: quoniam in unitate perſonæ divinitas atque humanitas & conceptu Virginis convenit & partu.

Epiſtola ad Flavianum ab Eccleſia univerſali recepta.

Error Eutychis.

Cap. II. Eutychis hæreſis jam olim damnata.

Abominanda ergo eſt Eutychis impietas, quæ olim a Patribus in præcedentibus hæreticis damnata fuit atque deſtructa: quod huic ſtultiſſimo homini prodeſſe debuerat: quod non poterant ſenſu apprehendere, id præcedenti caveret exemplo; nec ſalutis noſtræ ſingulare ſacramentum, veritatem carnis humanæ in Chriſto Domino noſtro negando, vacuaret. Quoniam ſi vera & perfecta in illo humanitatis natura non eſt, nulla eſt noſtra ſuſceptio; & totum quod credimus, quod docemus, ſecundum ipſius impietatem vanitas eſt atque mendacium. Sed quia nec mentitur veritas, nec paſſibilis eſt divinitas, manet in Deo Verbo utraque ſubſtantia in una perſona, & ita ſalvatorem ſuum Eccleſia confitetur, ut eum & divinitate impaſſibilem, & carne paſſibilem fateatur, dicente Apoſtolo: *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed vivit ex virtute Dei.* 2.Cor.13.4.

Salvator Divinitate impaſſibilis, carne paſſibilis.

Cap. III.

Ut autem in omnibus plenius tua ſit inſtructa dilectio, ſanctorum Patrum noſtrorum, de ſacramento Incarnationis Domini quid ſenſerint, & quid Eccleſiis prædicaverint, ut evidentur agnoſceres, aliqua ad dilectionem tuam ſcripta tranſmiſi, quæ quoque apud Conſtantinopolim cum mea epiſtola allegarunt: Et totam Conſtantinopolitanam Eccleſiam cum Monaſteriis omnibus & multis Epiſcopis noveris præbuiſſe conſenſum, & ſubſcriptionibus ſuis Neſtorium atque Eutychen cum ſuis anathematizaſſe dogmatibus. Noveris etiam proxime me epiſtolam Conſtantinopolitani Epiſcopi accepiſſe, quæ refert Antiochenum Epiſcopum miſſis per provincias ſuas tractoriis univerſos Epiſcopos & epiſtolæ meæ præbuiſſe conſenſum, & Neſtorium & Eutychen pari ſubſcriptione damnaſſe.

Vid. Epiſt. LIII. LIV. & LV.

Forte ad univerſos: *vel aliquid aliud deeſſe videtur.*

Orientalis diœceſis ſubſcribit epiſtolæ ad Flavianum & damnat Eutychen.

Cap. IV. De Paſchatis die controverſia. A. 455.

Illud quoque curæ tuæ credimus injungendum, ut quia ratio Paſchalis feſti experientiam tuam non latet, de eo quod in Theophili annotatione invenimus, quodque nos permovet, diligentius requiras illic, atque pertractes cum his qui poſſunt ſupputationis & regulæ iſtius habere peritiam: qualiter quarti anni futuri Dominicæ Reſurrectionis dies ſit tenendus. Nam cum venturum Paſcha; propitio Deo, decimo Kalendarum Aprilium die ſit tenendum, ſequenti autem pridie Idus April. Tertio pridie nonas Aprilis; quarto ſanctæ memoriæ Theophilus octavo Kalendas Maii conſtituit obſervandum: quod a regula Eccleſiaſtica penitus invenimus alienum. In noſtris autem Paſchalibus cyclis, quod bene noſſe dignaris, decimo quinto Kalend. Maii ejuſdem anni Paſcha celebrandum eſſe ſit ſcriptum. Et ideo, ut modis omnibus ambiguitas auferatur, cum periti quibuſque diligentius hoc tua ſolicitudo pertractet, ut in futurum hujuſmodi caveamus errorem. Data octavo Kalend. Julii Adelphio viro clariſſimo Conſule.

A. 452. die 23. Martii. A. 453. die 12. Aprilis. A. 454. 4. April. 455. Paſch. ſecundum Alexand. 24. April. Sec. Rom. 17.

EPISTOLA CXVIII.

Ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

SYNOPSIS.

Etſi brevius ſpatium cogendo Concilio datum eſſet, ſe tamen Legatos mittere vicem ſuam impleturos.

Leo Anatolio Epiſcopo.

COgnita clementiſſimi principis ex his quas ad nos miſit litteris voluntate, mirati ſumus congregandæ Synodo tam anguſtum tempus appoſitum; cum etſi nulla neceſſitas hoſtilitatis exiſteret, ipſa, interjectorum dierum paucitas neceſſarios ſacerdotes nos evocare non ſineret. Quando enim per diverſas longinquaſque provincias mitteremus, ut vere poſſit fieri univerſale Concilium? Sed quia clementiſſimi principis eo affectu amplectimus voluntatem, ut huic diſpoſitioni ipſius noluerimus obſiſtere, maxime cum magno deſiderio a nobis hoc etiam ipſe depoſcas, fratrem & Coepiſcopum noſtrum Paſchaſinum nobis probabilem

Concilium vere univerſale quod?

virum de ſecuriore provincia fecimus navigare: cui fratrem & Presbyterum meum Bonifacium de Urbe conjunximus; illos quoque eiſdem ſociantes, qui prius fuerant ordinati, ot participe in omnibus actionibus fratre & Coepiſcopo noſtro Joliano, cujus fidem ſæpe probavimus, noſtra vice utantur in futuro concilio. Neque enim illic ullis contentionum difficultatibus credimus laborandum, cum & ipſe indicare dignatus ſis, quod in ſuſcipienda Catholica fide & damnatione Eutychis atque Neſtorii omnes Orientales ſubſcripſerint Sacerdotes. Data ſexto Kalendas Julii, Adelfio viro clariſſimo Conſule.

Adverſus Eutychen omnes Orientales ſubſcripſerant ante Concil. Chalcedonenſe. *Vide & Ep. 61.*

EPISTOLA CXIX.

Ad Julianum Coenſem Epiſcopum.

SYNOPSIS.

Ut Julianus Legatis ad Concilium generale miſſis curam ſuam conſiliumque jungat, mandat Pontifex.

Leo, Juliano Epiſcopo.

QUid de dilectionis tuæ animo judicemus, ſæpius agnoviſti: præceſſerunt enim plurima, quæ nos facerent iſta præſumere. Unde cum ob hoc, ſecundum chriſtianiſſimi principis voluntatem in urbe Nicæna Sacerdotalis habenda ſit Synodus, ut omnium ſcandalorum ſtrepitus auferatur; neceſſarie fraternitati tuæ quod omni Eccleſiæ proſit injungimus, ut cum fratribus & coepiſcopis noſtris Paſchaſino & Lucentio, ſed & fratribus & compresbyteris noſtris Bonifacio & Baſilio, quos vice noſtra ad prædictum conventum ire præcipimus, curam tuam actionemque conjungas in omnibus, autoritate noſtræ præceptionis uſurus: quoniam ſcimus omnium illic autorum rerum majorem te quam noſtros habere notitiam: ut dum curam tuam illis conſiliumque ſociaveris, in nulla parte fallantur; ſed omnia, Deo adjuvante, veniant in effectum, quæ fidei & paci probaveris convenire. Data ſexto Kalendas Julii, Adelphio viro clariſsimo conſule.

Synoda Chalcedone habita, prius Nicæam convocata erat.

EPISTOLA CXX.

Ad Ravennium Arelatenſem Epiſcopum.

De ſolemnitate Paſchali anni ſequentis 452.

SYNOPSIS.

Unitatem in celebrando Paſchate maxime ſervandam: quam ſolemnitatem ad Romanum Pontificem pertinet indicare.

Dilectiſſimo fratri Ravennio Epiſcopo, Leo Epiſcopus.

AD præcipuum religionis noſtræ pertinet ſacramentum, ut in feſtivitate Paſchali nulla ſit toto orbe diverſitas. Et quia hoc divina inſtitutio & paterna traditio ad noſtram ſollicitudioem voluit pertinere, fraternitatem tuam ſolemniter admonemus, ot Paſcha Domini celebrandum nobis die decima Kalendarum Aprilium recognoſcas: quod manifeſta ratio patetecit ſacræ obſervantiæ hunc diem eſſe legitimum: cujus notitiam per dilectionem quoque tuam, frater chariſsime, omnibus voluimus declarari, ut quorum in fide eſt una confeſsio, ſit etiam in hac feſtivitate una devotio.

EPISTOLA CXXI.

Ad Julianum Coenſem Epiſcopum.

SYNOPSIS.

1 *Nicæni Concilii autoritas quanti facienda ſit.*
2 *Julianum arguit, quod Anatolio CP. faveat.*
3 *Contra univerſalis Eccleſiæ ſtatum, ſine reatu utriuſque ipſorum, nec ſibi licere quicquam concedere, nec ei obtinere.*

Leo Papa, Juliano Ceonſi Epiſcopo.

CUm frequentibus experimentis probaverit Dilectio tua, quam conſtanti fixoque propoſito ſanctorum Nicænorum Canonum ſtatuta cuſtodiam, diſſolvi omnes Eccleſiaſticas regulas æſtimans, ſi quicquam ex illa ſacroſancta Patrum conſtitutione violetur; miror talia te per fratrem & Coepiſcopum noſtrum Lucianum dirigere ſcripta potuiſſe, quibus in tantum pro appetitu novæ tranſgreſſionis intervenis: ut tibi putes aliquid ſpeciale præſtandum, ſi his quæ illicite concupiſcuntur, annuero. Quantumlibet autem te affectione complectar, nullo tamen modo poteris obtinere, ut me in excidium Eccleſiaſtici ſtatus, vel ſuadendo impellas, vel ſupplicando traducas. Frater enim & Coepiſcopus noſter Anatolius, ſi divina beneficia & mei favoris aſſenſum ſapienter intelligit, ſatis illi ſufficit obtinuiſſe, quod ſummus Antiſtes de honore Epiſcopatus ſui gratias Deo referat, & ſe ab illicitorum cupiditate contineat; & quicumque illum ſpecialiter diligunt, tali eum debent confirmare conſilio: ut impoſsibilia omnino non quærat; & ſibi talia concupiſcendo non noceat: quia nullis apud me patrocinus ita poterit adjuvari, ut his quæ poſtulat, calcata Patrum conſtitutione, conſentiam. Reſcribens itaque ad epiſtolas tuas, pro ea qua diligo affectione, te moneo, ut major apud te ſit univerſalis Eccleſiæ ſtatus, ſaloberrima olim & vera ordinatione munitus, quam ut in cujuſquam gratiam a me velis poſtulare, quæ ſine reatu utriuſque noſtrum, nec mihi concedere, nec tibi liceat obtinere. Dat. 11. Kalend. Junias, Herculano viro clariſsimo Coofule.

Al. Dilectio tua non ignorat. *Ita Sirleti Codex mutilus incipiat.* Nicæni Concilii autoritas.

al. qui illicite concupiſcunt.

Forte quo.

Digna Pon. Nihil ſe contra Eccleſiaſticum ordinem ſine reatu ſuo concedere poſſe Leo agnoſcit.

EPISTOLA CXXII.

Ad Julianum Epiſcopum Coenſem.

SYNOPSIS.

1 *Se ut Imperatori ſatisfaceret & occaſionem hæreticis auferret, ad Epiſcopos Chalcedonenſes de conſenſu ſuo litteras dediſſe; etſi non neceſſarias.*
2 *De Monachis edicto Marciani repreſſis & Archimandritis Pulcheria reſponſione increpatis.*

3 De

3 *De Eudoxia a Leone monita ex ſecreto Imperatoris mandato.*

4 *Aetii dejectionem patienter habendam eſſe, ne aliarum Eccleſiarum regimini ſe immiſcens menſuram propriam videretur excedere.*

5 *Anatolium ab Illyricanis ſubſcriptionem in ſui ambitus patrocinium elicere voluiſſe. De epiſtola ad Chalcedonenſes Epiſcopos ſcripta.*

Leo, Juliano Epiſcopo.

CAP. I.

QUam vigilanter, quamque devote pro Catholica fide fraternitas tua excubet, litterarum tuarum textus oſtendit, quibus intervenientibus multum mea ſolicitudo relevatur; accedente religioſi Imperatoria religioſiſſima pietate, quam evidenter apparet ad univerſalis Eccleſiæ firmamentum a Domino præparatam: ut dum ſancto ſtudio pro fide agunt Chriſtiani Principes, fidente pro eorum regno ſupplicent Domini Sacerdotes. (Quod ergo neceſſarium credidit clementiſſimus Imperator, libenter implevi, ut ad omnes fratres, qui Chalcedonenſi Synodo interfuerunt, ſcripta dirigerem, quibus placuiſſe mihi, quæ a ſanctis fratribus noſtris de regula fidei confirmata ſunt, demonſtrarem:) propter eos ſcilicet qui ad occaſionem velandæ perfidiæ ſuæ, infirma vel dubia videri volunt ſtatuta concilii, quæ nulla ſunt conſenſus mei ſententia roborata: cum tamen poſt reverſionem fratrum, quos vice mea miſeram, ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum epiſtolas dederim: ut, ſi eas publicare voluiſſet, abunde ex ipſis potuiſſet agnoſci, quanto gaudio ea quæ de fide ſanxerant, approbarem. Sed quia in eiſdem continebatur quale reſponſum accepiſſet ambitio, ignorari voluit, quod de fraternis conſtitutionibus ſentiebam; ne ſimul cognoſceretur, quod pro inviolabili Nicænorum canonum autoritate reſcripſeram. Unde ſtudeat dilectio tua piiſſimum Principem crebris ſuggeſtionibus commonere, ut adjunctis affatibus ſuis ad ſingularum provinciarum Sacerdotes deferri Apoſtolicæ Sedis ſcripta præcipiat; ne ulterius quiſquam veritatis inimicus de ſilentio meo ſe excuſare præſumat.

Hæc uncis incluſa referuntur in epiſtola Pelagii PP. II ad Eliam &c. e. 6.

CAP. II.

De edicto autem Chriſtianiſſimi Imperatoris, quo imperita quorumdam monachorum inſania quid mereretur oſtendit, & de reſponſione piiſſimæ Auguſtæ, qua Monaſteriorum præſules increpavit, multum me gaudere ſignifico; non ignorans hunc ipſis fervorem fidei divina inſpiratione conferri, ut omnibus excellentiam ipſorum non ſolum regii culminis, ſed etiam ſacerdotalis eſſe appareat ſanctitatis, apud quos ut fraternitati tuæ familiarior eſſet fiducia, & nunc & antea poſtulavi, confidens de eorum benevolentia, quod neceſſariis ſuggeſtionibus non difficulter dignabuntur annuere.

Sacerdotalis Imperatorum pietas.

CAP. III.

Et quia ſecretius mihi clementiſſimus Imperator per filium noſtrum Paulum mandare dignatus eſt, de admonenda filia noſtra clementiſſima Auguſta Eudoxia; feci quod voluit, ut litteris meis quam fructuoſum ipſi foret, ſi Catholicæ fidei faveret, agnoſceret, & ut clementiſſimi Principis filii ſui litteris ſuper hoc admoneretur, obtinui: non ambigens ipſam quoque pio ſtudio elaboraturam, ut autores ſeditionum propoſitum ſuæ profeſſionis agnoſcant, & ſi non intelligunt docentium prædicationem, ſaltem vindicantium timeant poteſtatem. Quem itaque profectum hæc noſtra cura obtineat, protinus litteris dilectionis tuæ opto cognoſcere, & utrum tandem rebellis imperitia conquieſcat; quæ ſi de noſtra putat ambigendum eſſe doctrina, ſaltem beatæ memoriæ Athanaſii, Theophili & Cyrilli Alexandriæ Sacerdotum ſcripta non renuat: cum quibus ita fidei noſtræ forma concordat, ut in nullo a nobis diſcrepet, qui ſe illis conſentire profitetur.

Nota ex hoc unico monumento, unde Eudoxia in melius mutata, Catholicæ fidei favere cœperit.

Eccleſiarum ſuarum traditioni attendant Epiſcopi.

CAP. IV.

Filio noſtro Aetio presbytero in ſuo mœrore compatimur; & cum in locum officii ejus is fuerit aſcitus, qui reprobatione dignus fuerat judicatus, non eſt dubium hanc commutationem ad Catholicorum injuriam pertinere. Sed patienter interim iſta toleranda ſunt, ne menſuram ſolidationis ſolitæ videamur excedere: cum poſſit pro tempore ſatis eſſe prædicto, quod clementiſſimorum Principum favore munitur, quibus eum proxime litteris meis ita commendavi, ut apud religioſiſſimas mentes gratiam ipſius augendam eſſe non dubitem.

Timet Leo menſuram ſuam excedere.

CAP. V.

Illud etiam noſſe te volumus, Anatolium Epiſcopum poſt coercitionem noſtram in ſuæ præſumtionis adeo temeritate perſiſtere, ut Illyricanos Epiſcopos, ut ſibi ſubſcriberent, conveniret; quod nobis Epiſcopus qui a Theſſalonicenſi ordinationis nuncius miſſus eſt, intimavit: cui ideo ſcribere noluimus, quamvis ipſe hoc peteres debere fieri, quia eum corrigi nolle perſpeximus. Duas a pari Synodum epiſtolas feci: unam cui exemplaria epiſtolæ meæ ad Anatolium Epiſcopum datæ ſubdi feci, alteram, quæ exemplaria ſubdita non haberet; tuo permittens arbitrio, ut quam dandam eſſe clementiſſimo Principi duxeris, hanc tradas, altera apud te retenta. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilione viro clariſſimo Conſule.

Epiſcopus ordinationis nuncius.

EPISTOLA CXXIII.

Ad Julianum Coenſem Epiſcopum.

PER COMITEM RODANUM.

De ſilentio Juliani amice expoſtulat: De omnibus vult inſtrui.

Leo Epiſcopus, Juliano Epiſcopo.

SÆpiſſime dilectionem tuam ad hanc curam & diligentiam meis ſum litteris cohortatus: ut de his, quæ circa fidem aguntur ſolicitudinem meam indeſinenter inſtrueres. Et cum omnibus occaſionibus ſcribere non quieſcam, quibuſdam tamen ſcriptis meis id eſt, per filium noſtrum Subadjuvam Rodanum, domeſticum filii noſtri, viri illuſtriſſimi Aſparacii datis, nullum reſponſum tuæ fraternitatis accepi: tanquam ratio temporis non habuerit, ut quid poſt mea ſcripta ſit geſtum, potueris indicare. Et ideo per filium meum comitem Rodanum his litteris te ſaluto: & ut nullam opportunitatem ſcribendi negligas, quo æſtus ſolicitudinis meæ relevetur, admoneo. Cum enim in te quamdam mei Conſtantinopolitani habeant portionem, dignum eſt & pro communi amicitia, & pro totius Eccleſiæ dilectione, inceſſabili te vigore proſpicere, ne quid poſſit de ſtatu fidei me latere. Quæ ergo per prædictos, vel ad glorioſiſſimum Principem, vel ad tuam dilectionem ſcripſi, ut celerrime tradantur effectui, opportunis ſuggeſtionibus elabora. Et quicquid fuerit, Deo auxiliante, diſpoſitum, ſcire me facito: ut perductis in effectum his, quæ ratio-nabili-

Vox ex mſ. Grim. addita; quæ ſignificat: ſatellitem ex eorum ordine, qui Adjutores adjuvant. *Syneſius Ep.* 144 Vide & Pancirol. comm. ad notit. Imp. c. 16. Vide eumdem de Comitis officio.

Loc. inſigniter emend.

nabiliter ordinata ſunt, pax fidei canonumque cuſtodia & ſecurior ubique habeatur & fortior. Data ſeptimo Kalendas Julii, Opilione viro clariſſimo Conſule.

Pax fidei & canonum cuſtodia.

EPISTOLA CXXIV.

Ad Marcianum Auguſtum.

SYNOPSIS,

Gratias agit pro ſedatis Palæſtinæ tumultibus, & reſtituto in ſuam ſedem Juvenali Jeroſolymitano; Dioſcorum etiam ejuſque ſequaces Ægyptio perſtringens.

Leo, Marciano Auguſto.

GEminis Clementiæ veſtræ lætificatus alloquiis, cum debita gratiarum actione ſcribo, gaudens de miſericordia Dei, qui in virtutibus providentiæ veſtræ, & ad utilitatem Romanæ Reipublicæ, ad Catholicæ Eccleſiæ pacem, glorioſiſſimum præſidium collocavit. Unde confido utramque nunc Pietatis veſtræ ſaluberrimam curam ita divinitus adjuvandam, ut plena tranquillitas & Chriſtianæ religioni & veſtro imperio. Quod ergo in provinciis Palæſtinis plebes Dei ad unitatem ſunt fidei revocatæ, & compreſſis errantium motibus ad Evangelicam Apoſtolicamque doctrinam omnium, ut indicare dignamini, corda directa ſunt, quodque fratri & Coepiſcopo meo Juvenali ad Sacerdotii ſedem tandem licuit, non jam reſultante populo, ſed deſiderante, remeare; veſtræ fidei opus, veſtræ pietatis eſt fructus. Pro cujus argumento per omnes Chriſti Eccleſias concors multiplicatur oratio: ut ſi qua adhuc apud Ægyptum caligo reſedit, quæ nodum recepit radios veritatis, totium mundi precibus remedia illuminationis accipiat & execrabilis Dioſcori ultra contagiis non gravetur: nec in illo Dominicæ oves imprudentiæ defectu perſonam diligant paſtoralem, quem experti ſunt ſæviſſimum fuiſſe morum & fidei vaſtatorem. Et ideo in ſancto & mirabili ſtudio ſuo perſeveret, Veſtra clementia, ut ſi quid uſquam aut ægrum invenitur aut turbidum, & ſanitati reddatur & paci: quia dignum eſt ita vos præſidere rebus humanis, ut gaudeatis ſacramentis ſervire divinis. Data quinto Idus Januarii Actio & Stutio viris clariſſimis Conſulibus.

Supple danda ſit *vel quid ſimile.*

Dioſcorus fidei & morum vaſtator.

EPISTOLA CXXV.

Ad Marcianum Auguſtum.

SYNOPSIS.

Laudata principis fide ac religione teſtatur ſe libenter Anatolium in gratiam ſuam recepturum, modo ſatisfaciat canonibus, & Sacerdotum jura non convellat.

Leo, Marciano Auguſto.

SI quantum veſtra clementia pro Evangelicæ fidei integritate ſolicita eſt, tantum Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopus in cuſtodiendis Eccleſiaſticis regulis vellet eſſe devotus omnia compreſſis diſſentionum ſcandalis ad ſtatum proprium jam rediiſſet; nec quicquam ſibi, vobis in imperio conſtitutis, quia omnia juſta defenditis, & erroribus obviatis, eorum adhuc pravitas vindicaret, qui curationem ſibi non patiuntur adhiberi. Sed veſtræ manſuetudine hæc palma ſervatur, ut vobis omnium, qui ad Chriſtum Dominum noſtrum per Catholicam fidem revocantur aut redeunt, ſanitas debeatur. Sicut itaque gloriamur in vobis, ita contriſtamur in eos, quibus carnali æmulatione præoccupatis vos pro ſtatu Eccleſiarum & pace omnium Sacerdotum, ſpiritu tam Chriſtiano, quam regio, in tantum videmus eſſe ſolicitos, ut interventionum veſtrarum pro his quos deviare cognoſcitis, commodetis; adhortando me veſtris epiſtolis, ut Coepiſcopo meo Anatolio animi mei gratiam fraterna charitate reſtituam, quam illi & amabiliter, ut meminiſtis, impendi, & præbere ſemper opto; ſi tamen, ut hortatus ante ſum, ab ea, quæ illum gravavit, ambitione deſciſceret; & eos, qui ipſum obſuſcabant, in ſuo conſortio non haberet. Sed ad epiſtolas meas piæ affectione tranſmiſſas hactenus reſpondere nihil voluit; & cum de perſona Actii, & Andræ qui illi fuerat ſubſtitutus, ea ſecuta ſint quæ debeant improbari, notioſum eſt, quod de his, quæ maxime fuerant curanda, reticetur. præceptioni itaque pietatis veſtræ parere volueram & litteras dare ad Epiſcopum ſupradictum, ſi priores, quas ad illum direxi, vel effectu rerum, vel ſcriptis ipſius proficere aliquid probaviſſem. At cum nihil de ambitionis pœnitudine voluerit profiteri, nihilque ad hæc reſpondere, quæ a me ſunt ſcripta, curaverit; colloquia quidem mea ab illo ſuſpendi, ſed animum, quo illum corrigi & meliorem eſſe deſidero, non mutavi. Proinde, ſi placet Veſtræ Clementiæ, imo quia id vobis placere cognoſco, ſatisfaciat canonibus, & omnium gratiam Sacerdotum pacifica humilitate ſervaturum ſe eſſe reſcribat, ambitumque culpabilem ſe abjeciſſe ſignificet, ego me illum in eam gratiam ſpondeo recepturum, ut in omnibus, quæ ſunt Domino placitura, conſortium ejus amplectar: quoniam illa pax vera, illa charitas erit firma in qua ſimul ſtudebimus & Catholicam fidem, & Nicænorum canonum decreta ſervare. Data ſeptimo Idus Martii, Actio & Studio viris clariſſimis Conſulibus.

*Supple fa*vorem *vel quid ſimile.*

Nihil ergo Leo niſi canonum obſervantiam.

EPISTOLA CXXVI.

Ad Julianum Epiſcopum Coenſem.

SYNOPSIS.

1 *Julianum de receptis Proterii Alex. litteris monet; ſuam ad Flavianum epiſtolam ex Latino in Græcum ab eodem transferri cupit ac mandat, quam ſub ſignaculo Auguſti miſſam Alexandrinæ plebi in Eccleſia recitari vult.*

2 *De Paſchate ſequentis anni ut reſcribatur.*

Leo, Juliano Epiſcopo.

Cap. 1. SUmtis fratris & Coepiſcopi Proterii Alexandrini Antiſtitis litteris, indubitanter agnovi Catholicæ eum ſtudere doctrinæ, & recto corde hæretici obviare: ut merito ſperare poſſimus eum Eccleſiæ, cui præſidet, & exemplo morum, & inſinuatione fidei profuturum. Sed quia non pa-

rum

rium ipſi laboris Eutychianorum factionibus excitatur, qui epiſtolam meam ad beatæ memoriæ Flavianum datam, fallaci interpretatione corruptam ſimplicibus quibuſque aut indoctis ita dicuntur ingerere, ut quædam loca Neſtoriano congruere videantur errori; ut hæc malignitas non poſſit de conturbatione fidelium gloriari, hoc fraternitati tuæ laboris injungo, ut eandem epiſtolam meam, quam in omnibus Apoſtolicæ concordare doctrinæ conſonantia majorum exempla teſtantur, diligenti interpretatione ex Latino in Græcum transferre digneris, quam glorioſiſſimus & fideliſſimus princeps ad Alexandrinos judices, ſicut popoſci, ſub ſignaculi ſui impreſſione tranſmittat, Chriſtianæ plebi in Eccleſia recitandam, cum prædicationibus ſanctorum virorum, qui ipſi Eccleſiæ præfuerunt: quo facilius hi, qui ignoranter fluctuare dicuntur, veritate comperta, pravis perſuaſionibus in errorem ulterius non trahantur. Ne autem fraternitatem tuam aliquid præteriret, qualia ad clementiſſimum Imperatorem, vel ad ipſum Alexandrinæ urbis Epiſcopum ſcripta direxerim, ſubdita huic epiſtolæ exempla monſtrabunt.

Epiſtolæ Leonis ſenſum Neſtorianum aſfingunt hæretici.

Sub ſignaculo principis miſſa Leonis Epiſt.

CAP. II.

De futuro Paſchate, ut ſæpe jam ſcripſi, eſto ſolicitus, & clementiſſimo principi meo nomine opportunius intimato; ut quid ſibi reſcriptum ſit, faciat certiorem, quoniam imminent dies, ut noſſe poſſimus quem diem Formatis adſcribere debeamus, & omnium ex hac parte ſuſpicio evidentius poſſit abſolvi. Data ſeptimo Idus Martii, Aetio & Studio viris clariſſimis Conſulibus.

Formatæ litteræ Diei Paſchalis Indices.

EPISTOLA CXXVII.

Ad Proterium Epiſcopum Alexandrinum.

SYNOPSIS.

1 *Epiſcoporum eſſe vigilare, ne fides unita violetur, quod vel litterulæ immutatione fieri poteſt.*

2 *Ex traditione SS. PP. & ſuam Epiſtolam Catholicam, & docendos eſſe populos, aſſerit.*

3 *Fidem, diſciplinam & privilegia Eccleſiarum ex norma vetuſtatis eſſe ſervanda.*

Leo, Proterio Epiſcopo Alexandrino.

CAP. I.

Al. Nectarius. *Beda.*

1. *Initium hujus Epiſtolæ ad hæc uſque verba refert Beda l. de rat. temp. c. 42.* *Act. 4. 12.*

LÆtificaverunt me litteræ dilectionis tuæ, quas frater & Coepiſcopus noſter Neſtorius pio adportavit officio. Oportebat enim ut ab Alexandrinæ præſule Eccleſiæ talia ſcripta ad Sedem Apoſtolicam mitterentur, quæ oſtenderent magiſterio Beatiſſimi Petri Apoſtoli hoc ab initio per beatum Marcum ejus diſcipulum didiciſſe Ægyptios, quod conſtat crediſiſſe Romanos: quoniam præter Dominum Jeſum Chriſtum *non eſt datum hominibus aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat ſalvos fieri*. Sed quia non omnium eſt fides, & inſidioſus ille tentator nullis magis corda hominum gaudet ſauciare vulneribus, quam ut incautas mentes his inficiat erroribus, qui ſint Evangelicæ veritatis inimici; magna ſancti Spiritus eruditione nitendum eſt, ut diabolicis falſitatibus nequeat intelligentia Chriſtiana violari. Contra quod periculum præcipue convenit vigilare Eccleſiarum Rectores, & quadam veriſimilitudine colorata mendacia ab animis ſimplicis plebis avertere. *Anguſta enim & ardua via eſt quæ ducit ad vitam*; nec tantum laqueorum in actionum obſervantia, quantum inter diſcrimina ſenſuum latet, dum vis ſententiarum breviſſima adjectione aut commutatione corrumpitur; & confeſſio, quæ operabatur ſalutem, ſubtili nonnunquam tranſitu vergit in mortem. Cum autem dicat Apoſtolus: *Oportet hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant in vobis*: ad totius Eccleſiæ tendit profectum, quoties contrariorum ſenſuum ſe prodit impietas, ne quæ ſunt noxia, ſint occulta; & aliorum lædant incolumitatem, quæ revocari non poterunt ad ſalutem: Unde ſibi imputent ruinas & obcæcationes ſuas, qui imprudenti pertinacia jacere in reatu ſuo, quam oblatum remedium ſumere, maluerunt. Quorum merito fraternitati tuæ diſplicet obduratio; & laudabiliter eam doctrinam, quæ a beatis Apoſtolis & ſanctis Patribus in nos manavit, amplecteris.

Math. 7. 14.

Sæpe ſub apice latet hæreſis.

Cor. 11. 19.

CAP. II.

Epiſtola ad Flaviani relationem ſcripta & traditioni conſentanea.

Non enim novæ prædicationis eſt epiſtola mea, qua ad relationem ſanctæ memoriæ Flaviani contra Eutychen de Domini noſtri Jeſu Chriſti Incarnatione reſpondi, in nullo diſcedens ab ejus fidei regula, quæ evidenter a noſtris veſtriſque eſt defenſa majoribus. Quod ſi Dioſcorus ſequi imitarique voluiſſet, in Chriſti corpore permaneret, habens & in beatæ memoriæ Athanaſii opuſculis unde inſtrueretur, & in ſanctæ recordationis Theophili & Cyrilli ſermonibus, unde damnato olim dogmati laudabiliter contrairet, potius quam conſortium Eutychianæ impietatis eligeret. Hoc igitur, frater chariſſime, pro ſolicitudine fidei communis admoneo, ut quia * inimici crucis Chriſti omnibus & verbis noſtris inſidiantur & ſyllabis, nullam illis vel tenuem occaſionem demus, qua Neſtoriano nos ſenſui congruere mentiantur. Plebem autem & Clerum, omnemque fraternitatem ita debet diligentia tua ad profectum fidei cohortari, ut nihil te novum docere demonſtres, ſed ea omnium inſinuare pectoribus quæ venerandæ memoriæ Patres conſona prædicatione docuerunt, cum quibus in omnibus noſtra concordat epiſtola. Hoc autem non ſolum tuis verbis, ſed & ipſa præcedentium expoſitione & recitatione monſtrandum eſt: ut plebs Dei noverit ea ſibi præſenti doctrina inſinuari, quæ Patres & acceperunt a præcedentibus ſuis, & poſteris tradiderunt. Unde lectis primitus prædictorum Sacerdotum aſſertionibus, tunc demum mea quoque ſcripta recitentur; ut aures fidelium probent, non aliud nos, quam quod a majoribus accepimus, prædicare. Et quia ad hæc diſcernenda minus exercitatos habent ſenſus, ex Patrum ſaltem litteris diſcant, quam antiquum hoc malum ſit, quod nunc a nobis tam in Neſtorio, quam in Eutyche, qui erubuerunt Evangelium Chriſti ſecundum ipſius Domini doctrinam prædicare, damnatur.

* Hæc uſque ad ſequ. periodum habet S. Thom. 2. 2. qu. 11. art. 2. ad 2.

De traditione plebs docenda.

CAP. III.

Antiquitas & fidei & diſciplinæ ſervanda.

Per omnia igitur & in fidei regula, & in obſervantia diſciplinæ, vetuſtatis norma ſervetur; & dilectio tua conſtantiam providi rectoris exerceat; ut proſit Alexandrinæ Eccleſiæ, quod improbæ quorundam ambitioni, ſervato verorum privilegiorum jure, ſolicitus obviavi, & Metropolitanis omnibus illæſam manere volui dignitatem, ſicut & epiſtolarum mearum, quas ad ſanctam Synodum, vel ad Chriſtianiſſimum principem, ſive ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum miſi, tenore cognoſces; manifeſteque perſpicies hoc ſpeciale eſſe ſolicitudinis meæ, ut neque a fidei regula in Eccle-

ſiis

ſiis Domini devietur, neque in privilegiis aliquid cujuſquam improbitate minuatur. Quæ cum ita ſint, teneat fraternitas tua ſuorum conſuetudinem deceſſorum, & Comprovinciales ſuos Epiſcopos, qui Alexandrinæ ſedi antiqua conſtitutione ſubjecti ſunt, congrua ſibi autoritate contineat: ut mori eccleſiaſtico non reſultent; ſed vel ſtatutis temporibus, vel cum ratio cauſſæ alicujus exegerit, ad charitatem tuam venire non differant; & ſi quid, quod Eccleſiæ ſit utilitatibus profuturum, ex communi collatione tractandum eſt, collecta in unum fraternitate unanimiter ordinetur. Non enim ulla cauſſa eſt quæ illos ab hac obedientia debeat revocare, cum talis nobis & fide & moribus innotuerit fraternitas tua, ut tibi de autoritate præcedentium deceſſorum tuorum nihil patiamur imminui, aut te impune contemni. Data ſexto Idus Martii, Aetio & Studio viris Clariſſimis Coſſ.

Speciali cura Pont. Rom.

EPISTOLA SANCTI PROTERII Alexandrini Epiſcopi,

Ad Beatiſſimum Papam Leonem Romæ urbis Epiſcopum.

DE RATIONE PASCHALI.

Domino meo dilectiſſimo fratri & conſacerdoti Leoni, Proterius in Domino ſalutem.

Cap. I.

Piiſſimus & fideliſſimus Imperator noſter Marcianus litteris ad nos nuper venerabilibus uſus eſt, quibus aſſeruit æſtimare quoſdam non diligenter adſcriptam diem feſti Paſchalis, quæ per octavam Indictionem futuram, Deo præſtante, celebranda eſt. Veruntamen non velut a ſe commotus hoc indicavit, ſed quia ſcripta tuæ ſanctitatis acceperit: & præcipiebat oportere nos cauſſam diligenter inquirere, adhibita nimis tenuiſſima ſcrutatione; quæ multum ſolicitudinis ac ſtudii contineret. Quapropter negligendum non fuit, quominus ſtatim negotium ventilarem; quando ex illo jam tempore, quo commonitorium tuæ venerationis accepi, plurimam curam rei hujus habuerim, nunc legales libros inſpiciens, nunc antiquorum doctorum inſtituta contingens, ex quibus poſſibile eſt hujuſmodi computum inveſtigare ſolertius: Sumens etiam & centenalem curſum paſchæ deſcriptum a beatiſſimo patre & Epiſcopo noſtro Theophilo, omnemque percurrens, ita reperi diligenter integreque compoſitum, ut quicunque ille ſit, autoritatem ſcripturæ hujus quolibet modo reprehendere ac vituperare non poſſit. Erat enim inconſequens, virum ita vigilantem Deoque cariſſimum, divinarum etiam ditatum ſcientia Scripturarum, in negocio tam magno ac neceſſario, prætermiſſo diligentiæ labore potuiſſe delinquere. Sed forte, ſicut tua ſanctitas ſcribit, mendoſi codicis aut ſcriptoris liberarii error eſt, & propterea nos oporteret diem ſanctæ illius feſtivitatis transferre, quod abſit. Celebratur autem ita potius, ut centenarius annorum curſus ejuſdem beatiſſimi patris noſtri & Epiſcopi Theophili continet, qui antiquorum paginis omnino concordat, id eſt XXIX. die menſis Pharmoti juxta Ægyptios, qui eſt VIII. Kalend. Majas. Et nos enim, & tota Ægyptia regio, atque Oriens univerſus, ſic ipſum diem celebraturi ſumus, Deo præſtante.

V. ep. 94. c. 1. ep. 100. c. 2. & 102. cap. 2.
fraternitatis. MS. Oxon.
teneret Idem.
docta idem.
Centenalis Theophili laterculus.
ne vituperare. del. MS.
aut ſcrip. librarii. del. MS. Oxon.
it. Oxon. al. quæ abiit.

Cap. II.

Ut autem non arbitremur abſolute quæ nobis videntur ſcribere, ſeu velle firmare, inſeruimus cauſſas huic epiſtolæ, quibus tua ſanctitas forte æſtimet non ſe debere reprehendere Ægyptiorum Eccleſiæ veritatem, quæ mater hujuſcemodi laboris extitit, diligenterque conſcripſit. Olim quidem dominus per Moyſem tempus Paſchale ſignificavit dicens: *Cuſtodi menſem novorum;* primum hunc eſſe pronuntians, ſicut iterum dicit: *Menſis iſte vobis initium menſium, primus erit in menſibus anni: &, Facies Paſcha Domino Deo tuo XIV. die menſis primi.* Sed qui hæc per Moyſem locutus eſt Dominus, plenitudo legis exiſtens, quando dignatus eſt homo fieri quinta feria xiv. luna menſis primi in cœnaculo cum diſcipulis Paſcha manducans, paulo poſt a Juda traditur, & ſequenti die xv. luna crucifigitur, id eſt vj. feria, & ad inferos deſcendens, ac diſpenſationes ſalutis noſtræ perficiens, veſpere ſabbati luceſcente Dominico reſurrexit a mortuis. In quo die lunam xvij. primi menſis juxta Hebræos extitiſſe manifeſtum eſt. Nos ergo Chriſtiani non ſolum xiv. lunam in Paſcha requirimus (hoc enim Judæi facientes ſine feſtivitate ſunt) ſed etiam reſurrectionis diem Redemptoris noſtri, qui eſt xvij. luna præfati primi menſis novorum, ſolicitius obſervamus. Quod ſi eodem modo plenilunium ſuper occurrerit quinta ſabbatorum, quando Salvator paſcha cum diſcipulis manducavit, omne tolletur ambiguum. Quia vero lunæ circulus ad ſolis curſum inæqualis eſt, & xiv. luna paſchalis in die Dominico ſæpe contingit, non eſt autem poſſibile tunc feſtum celebrare, ſed nec pridie ſabbato luna xiij. jejunium ſolvere, in ſeptimanam ſequentem differendum eſt. Maxime cum habeamus intra eam xv. Lunam, quando, ſicut ſcripſit Apoſtolus, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* xiv. namque luna primi menſis juxta Hebræos, ut ſuperius dictum eſt, Jeſus paſcha typicum manducavit, ſequenti ſexta feria xv. luna, ut ovis occiſionis, cruci pro nobis affixus eſt, & veſpere ſabbati luceſcente Dominico xvij. luna reſurrexit a mortuis.

putemus forte deeſt in cod. MS.
ſperneret ad. add. inde.
Deut. 16. 1.
Exod. 12. 2.
Levit. 23. 5.
Num. 26. 16.
pro feria leg. Sabbatorum autem MS.
ſeq. die deſunt.
ſemper occurreret. leg. Buchev. & MS. Oxon. & poſtea. tolleretur.
quod MS. Oxon.
XIV. idem
1. Cor. 5. 7.
Dominico abeſt a MS. Oxon.

Cap. III.

Quia ergo in ſolemnitate futura paſchali per octavam indictionem, xxij. die Dominico Pharmothi menſis novorum, qui eſt xv. Kalendas Majas, occurrerit xiv. luna die Dominico, in ſeptimanam differre convenit ſubſequentem. Habentes enim intra eam triduanum myſterium, hoc eſt xv. lunam, quando crucifixus eſt Chriſtus, quartæ decimæ cohærentem, necnon & ſextam decimam, & ſequentem ſeptimam decimam, vigeſimo quidem octavo die menſis Pharmothi, qui eſt ix. Kalendas Majas jejunia ſolvemus veſpere ſabbatorum, ſequenti vero luceſcente Dominico, xxix. die menſis ipſius Pharmothi, qui eſt vij. Kalendas Majas, feſtivitatem ſinceriſſime celebrabimus.

occurrit.

Cap. IV.

Nam & priſcis temporibus, ſi quando die Dominico xiv. luna reperta eſt, in ſequentem ſeptimanam eſt dilata feſtivitas, ſicut in octogeſimo nono, & nonageſimo tertio anno a Diocletiani probatur imperio. Sic enim & tunc beatiſſimi patres noſtri feciſſe declarantur. In octogeſimo quidem nono anno ab imperio Diocletiani, ſuperſtite beatæ memoriæ patre noſtro & Epiſcopo Athanaſio, cum xiv. luna paſchalis xxviij. die menſis Phaminoth, id eſt nono Kalendarum Aprilium die provenisſet, die Dominico, in ſubſequentem tranſlatum eſt hebdomaden ita ut quinta die menſis

Chriſti 373
Al. Anaſtaſio.
pro Phaminot. MS. Oxon. habet Parmothi.
In ſubſequentem Dominicam tranſlatum eſt Paſcha. Id. MS.

ſis Pharmothi, hoc eſt pridie Kalendarum Aprilium celebraretur paſcha Dominicum. In nonageſimo autem tertio anno ab imperio ejuſdem Diocletiani, cum xiv. luna paſchalis xiv. die menſis Pharmothi, qui eſt v. Idus Aprilis, die Dominico contigiſſet, in ſequentem item ſeptimanam dilatio facta eſt, ita ut Dominicum paſcha xxj. die menſis Pharmothi, qui eſt xvj. Kalend. Majar. ſolemniter ageretur. In centeſimo quoque tertio anno ab imperio præfati Diocletiani, cum luna paſchalis xiv. Pharmothi xxiij. die, qui eſt xiv. Kalend. Majar. eſſet die Dominico ſuperventura, iterum ſeptimana quæſita eſt, & Dominicum paſcha xxx. die menſis ipſius Pharmothi, qui eſt vij. Kalend. Majar. conſtat eſſe celebratum propter anguſtiam temporis imminentem. Item cum in centeſimo ſexageſimo anno a Diocletiani imperio xiv. luna paſchalis Pharmothi xxiij. die, qui eſt xiv. Calend. Majar. occurrerit tertia feria ſeptimanæ, & Dominicum paſcha xxviij. die menſis ipſius Pharmothi, qui eſt ix. Kalend. Majar. tunc celebraſſe meminimus.

Chriſti 377

Chriſti 387 Quinta die menſ. Pharmothi, hoc eſt. *deſ. hæc id. MS. Pro* Septimam *leg.* Dominicam. *id MS.*

Chriſti 444

Cap. v. CLXV. *MS. Oxon. Legendum ajunt a* 171 Chriſti 455

Neceſſe eſt igitur & in *ducenteſimo* lv. *anno* a Diocletiani imperio, in futuro paſchali feſto Indictionis octavæ, xxij. die Pharmothi, qui eſt xv. Kalend. Majar. luna xiv. occurrente die Dominico, in proximam ſeptimanam juxta præcedentem formam convenienter extendi, ut xxix. die menſis Pharmothi, qui eſt viij. Kalend. Maiar. Dominicum celebremus paſcha propter apprehendentem rurſus anguſtiam, ſicut patres noſtri fecerunt, decimas quartas lunas occurrentes die Dominico, differentes. Nam ſi xxij. die menſis Pharmothi, qui eſt xv. Kalend. Majar. luna xiv. ſicut dixi ſæpius, occurrente die Dominico paſcha celebremus, inveniemur pridie, id eſt, ſabbato xxj. die menſis ejuſdem, qui eſt xvj. Halend. Majar. xiij. luna tunc exiſtente, non rite jejunia ſolvere. Nec enim in xiij. luna comeditur paſcha. Unde quia xxij. die menſis Pharmothi, qui eſt xv. Kalend. Majar. Dominico die xiv. luna contingit, non autem convenit die Dominico jejunare, quia hoc Manichæorum eſt proprium, conſequens eſt in proximam tendere ſeptimanam, intra quam ut diximus habemus & xv. lunam, quando crucifixus eſt, & xvj. lunam, ſimul & xvij. quando reſurrexit a mortuis: ita ut xxviij. die menſis Pharmothi, qui eſt ix. Kalend. Majar. veſpere ſabbathi jejunia pro more ſolvamus, & ſequenti Dominico xxix. die menſis ipſius qui eſt viij. Kalend. Majar. feſtum paſchale celebremus.

Cap. vi. *Corrig. ut ſupra* 97. *MS. Oxon. leg.* CCLXVII Chriſti 482 *MS. Oxon.* XXII. *id.* XV.

Illud etiam neceſſario vobis innoteſcimus, quod & in futuro cclxv. anno ab imperio Diocletiani, xiv. luna rurſus occurrente xxiij. die menſis Pharmothi, qui eſt xiv. Kalend. Majar. Dominicum Paſcha xxviij. die menſis ipſius, qui eſt vij. Kalend. Majar. Deo præſtante celebrabitur.

contr. 20. Alter S. Augendi quem in emendat. citat. Bucherius habet CCLVIII. propius, inquit ille, ad lectionem veram, quæ eſt CXCVIII.

Sed nonnulli ſubtilitatem paſchalis computi forſitan ignorantes Judaicis ſeducti fabulis, æſtimabunt nos in ſecundum menſem recedere, ſi feſtivitatem eatenus exigamus. Neſcio prorſus unde hoc aſſerentes. Nam xiv. luna ipſius menſis occurrente xxij. die menſis Pharmothi, qui eſt xv. Kal. Majar. quomodo querelam ſuſtinebimus, quia in ſecundo menſe paſcha celebremus? Judæi namque ignorantes Dominum, tempus quoque paſchæ ignorant. Unde ſæpius a primo menſe recedunt, & in duodecimo menſe paſcha celebrare ſe aliquatenus arbitrantur. *Sed beatiſſimi patres noſtri cyclum decemnovennalem certius affigentes, quem violari impoſſibile eſt velut crepidinem ac fundamentum & regulam, hunc eundem decemnovennalem computum ſtatuerunt*, non juxta Judæorum nunc indoctas atque ineptas actiones, neque ſecundum exterorum putativam fictamque prudentiam, ſed ſecundum gratiam Spiritus ſancti inſtituti, in revolutione ſæpe memorati decemnovennalis circuli decimas quartas paſchales lunas diligentius annotarunt.

Cap. vii. menſ. Pharmothi. *deſ. in MS.* violari impoſſibile eſt *deſ. in MS.* rationes *inquit. Bucher.*

His itaque confectis, illud etiam oportet attendere, quod errent nimium, qui primi menſis initium lunaris curſus a xxv. die menſis Phaminoth, qui eſt xij. Kal. Aprilium, omnino eſſe conſtituunt, eo quod tunc initium verni temporis ab his qui hoc invenire voluerunt cum omni diligentia præfixum eſſe videatur. Et manifeſte quidem ſecundum curſum Solis xxv. die menſis Phaminoth, qui eſt xij. Kalendar. Aprilium, æquinoctium eſſe cognoſcitur: ſed non oportet ab hoc æquinoctio primi menſis exordium juxta curſum lunæ prorſus affigere. Alioquin per omnia Solis circulo lunæ diſcurſus concordare debuerat. Verum quia cunctis habentibus intellectum certum eſt, quod velociſſimum lunæ motum curſus Solis minime conſequatur, age jam nunc breviter, Deo præſtante, dubios inſtruamus, quod in ſecundum menſem nullomodo poſſimus excedere. Si enim in æquinoctio, id eſt xxv. die menſis Phaminoth, qui eſt xij. Kal. Aprilium juxta curſum lunæ menſis conſtitueretur initium, rationis eſſet opinari nonnullos in ſecundum menſem nos poſſe recedere. Nunc autem, quia xiv. lunæ primi menſis per viij. indictionem quæ ventura eſt, xxij. die menſis Pharmothi, qui eſt xv. Kal. Majar. invenitur, certum eſt quod initium ejuſdem menſis primi juxta lunæ curſum nono die Pharmothi, qui eſt pridie Non. April. occurrat. Cum ergo xiv. luna xxij. die menſis Pharmothi, inveniatur qui eſt xv. Kal. Majar. Dominicum paſcha xxix. die menſis ipſius Pharmothi qui eſt viij. Cal. Majar. celebrantes, in ſecundum menſem minime recedimus, cum lunam tunc xxi. indubitanter habeamus. Quomodo igitur excurremus in menſem ſecundum, quandoquidem initium primi menſis juxta lunæ curſum, ſicut paulo ante dictum eſt, ix. die menſis Pharmothi, qui eſt pridie Non. April. exiſtat, & xiv. luna xxij. die menſis ipſius, id eſt xv. Cal. Majar. die proveniat? Hoc autem ita declarato, certum eſt quod in ſecundum menſem nullatenus excurramus, xxix. die menſis Pharmothi, qui eſt viij. Cal. Majar. Dominicum paſcha celebrantes.

Cap. viii.

Cognoſcant itaque per tuam ſanctitatem, qui in illis partibus ambigunt, quod legitime per octavam indictionem paſcha peragimus. Propterea enim ſcripſi, Patrum & in hoc Eccleſiaſticas formulas ſubſequens, & exinde occaſiones rei hujus aſſumens. Sic namque & præcurſores noſtri, ſi quando dubietas orta eſt, prædicere feſtinabant, ut ubique conſonanter ageretur ſacra feſtivitas. Quod etiam nunc juxta priſcam conſuetudinem debemus in Domino prædicare in Eccleſiis, ſicut unam fidem, unum baptiſma, ita unam ſolemnitatem ſacratiſſimam paſchalem ab omnibus Chriſtianis ubique celebrari in Chriſto Jeſu Domino noſtro, quia *in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus*.

Cap. ix. Prædeceſſores *MS. Ox.* *Act.* 17. 28.

Transferre vero hanc epiſtolam in Latinæ vocis eloquium non ſatis certum eſſe putavimus, ne forte græcizantes potius apud vos (nec enim jam valemus hæc diligenter exprimere) læderent veritatem propter informem ſermonem atque incongruum: & quia forte non ita poſſit ardenter ſcienterque transferri, ſicut cauſſa poſcebat. Saluta eam quæ tecum eſt fraternitatem. Te quæ nobiſcum eſt ſalu-

Digitized by Google

ſalutat in Domino. *Et alia manu*. Valere te, & noſtri meminiſſe, Domine, precor dilectiſſime & conſideratiſſime frater.

EPISTOLA CXXIX.

AD MARCIANUM AUGUSTUM.
De Correctione Anatolii.

SYNOPSIS.

1 *Cur Anatolio ſcribere intermiſerit.*
2 *Quibus conditionibus illi reconcilietur.*
3 *De Andrea ab Archidiaconatu dejecto & Juliano commendato.*
4 *Ut Caroſus monachus compeſcatur.*

Leo Epiſcopus, Marciano Auguſto.

Cap. I. LItterarum Clementiæ veſtræ multiplex gratia debita me veneratione ſuſcepta eſt, & gratulanter agnovi, quam piam curam Chriſtianæ religionis, ut conſueviſtis, habeatis: cum inter Domini Sacerdotes eam vultis firmare concordiam, quæ & univerſali Eccleſiæ, & divino apta ſit cultui. Illa enim probabilis pax & charitas vera eſt, quam pleniſſime beatus Apoſtolus prædicat dicens: [1.Tim.1.5.] *Charitas ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Obſequens itaque & libenter aſſentiens ſanctis veſtræ pietatis hortatibus, fratris & Coepiſcopi mei Anatolii ſcriptis reciproco, ut debui, ſermone reſpondi, qui ceſſationem alloquii mei ſuo ſilentio debuit imputare: cum ad litteras meas, quibus eum fraterna charitate monueram, ut a reprehenſibili ambitione diſcederet, ulterius reſpondere neglexit. Ego vero, qui apud illum tacui, Clementiæ veſtræ pro pace univerſalis Eccleſiæ quæ eſſent profutura ſuggerere pro mea cura non deſtiti. Nam & veſtra manſuetudo inſinuationem meam libenter accepit, ut ſemper reſcribere dignaretur, & hæc agere, ut quæ nunc correcta ſunt veſtræ gloriæ debeantur: qui tales nunc miſit epiſtolas, quibus notabilem ambitus culpam aliis potius quam ſibi aſſereret deputandam.

Cap. II. Agnoſcat ergo, Auguſte venerabilis, prædictus antiſtes quanto amplius humilitate, quam elatione creſcatur, & memor limitum paternorum ſalubritatem canonum ad pacem univerſalis Eccleſiæ conditorum ea qua debet in poſterum obſervatione cuſtodiat: [Canonum obſervantia ubique a Leone commendata.] defenſioni quoque Catholicæ fidei indeſinenter invigilet, pro cuſtodia Dominici gregis diligentes prætendat excubias, utatur in omnibus devotiſſimo veſtræ pietatis auxilio, & ſi quid uſquam ſub Catholico nomine hoſtilium fraudum latet, gloriæ veſtræ id prodendum inſtanter indaget. Qui enim ſacrilegum errorem a longinquioribus quoque provinciis expuliſtis, & ad veritatis [Palæſtinis tumultus & Ægyptii.] lucem contenebrata Palæſtinorum corda revocaſtis, quomodo eum ſub veſtræ fidei radiis ſpirare patimini? cum etiam per Ægyptum, Deo vos in omnibus adjuvante, celerius credamus omnes pravi dogmatis extinguendas eſſe reliquias. Benigne enim his conſuliis, quibus licentiam execrabilis erroris auſertis.

Cap. III. Gaudeo itaque, glorioſe, quæ perturbata fuerant eſſe compoſita: cum & memoria beati Flaviani in conſolatione diſcipulorum ejus excolitur, cum Andreas ab Archidiaconi miniſterio ſubmovetur, cum poſtremo a ſanctorum Patrum injuria temperatur, & a violandis canonibus abſtinetur: ut regnum veſtrum, Chriſto denegante, tranquillum, Chriſto defendente, ſit validum. Unde cum per omnia me Clementiæ veſtræ parere delectet, fratris mei Anatolii charitatem toto corde ſuſcipio. Amabilem fidumque ſe præbeat, & ab ea quam illi ſpondeo charitate, nulla ſe deinceps varietate diſſociet, eos ſibi ſincera affectione conjungens, quos Catholicæ fidei probavimus defenſores. Habet in omnibus veſtræ pietatis, quod ſequatur, exemplum; maxime cum benignitatis veſtræ adjuvetur auxilio. Suggeſtiones autem fratris & Coepiſcopi mei Juliani, quem pietati veſtræ commendo, quæſo ut benignius, ſicut facitis, audiatis. Hoc etiam fratri meo Anatolio proderit, ſi eum, quem pro catholico dogmate illic eſſe volui, dignanter habeatis.

Illud etiam, quod Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ eſt ſaluberrimum, rogo, ut Caroſus Monachus nimis imperitus, nimiſque perverſus, qui, ut comperi, multorum corda ſubvertit, ſua venena, pietatis veſtræ beneficio, ultra non exerat: ne ubi ſancto manſuetudinis veſtræ ſtudio omnis pene hæreticorum eſt conatus extinctus, ibi per vilem ac reprobum damnatæ perfidiæ defenſorem & fidei veſtræ gloria, & Synodalis violetur auctoritas. Datum quarto Kalendas Junii, Aetio & Studio viris clariſſimis Conſulibus. [Cap. IV. Caroſus Monachus petulans.]

EPISTOLA CXXX.

Ad Marcianum Auguſtum.

SYNOPSIS.

1 *Gratias agit pro perfecta inquiſitione de die Paſchali, de qua Proterii litteras ſe accepiſſe ſignificat.*
2 *Oeconomorum Eccleſiæ rationes non judicum, ſed Sacerdotum examine diſcutiendas eſſe.*

Leo, Marciano Auguſto.

SOlicitudinem meam, quam de Paſchali obſervantia habui, ſancto clementiæ veſtræ ſtudio, pro mea petitione gratulor abſolutam; qui diligentius in Alexandrina Eccleſia juſſiſtis inquiri, utrum recte poſſit octavo Kalendarum Majarum ſecundum definitionem Theophilli Epiſcopi contra veterem obſervantiam futura Paſchalis feſtivitas celebrari; cum a paſſione Domini in omnibus noſtris annalibus, decimus quintus Kalendarum Majarum dies legatur adſcriptus. Sed cum Ægyptiis alia ratio placeat, conſenſum meum, ne qua diſcrepantia per Provincias de obſervantia tam venerabilis feſti fieret, commodavi: ut reſurrectionis Dominicæ maximum ſacramentum nuſquam die alia celebretur, & inter Domini Sacerdotes nihil in tanta ſolemnitate ſit varium; ſed per univerſas Eccleſias Deo noſtro pro veſtræ pietatis proſperitate vel regno pariter ſupplicetur. Litteras autem fratris & Coepiſcopi mei Proterii Alexandrinæ civitatis Epiſcopi me accepiſſe ſignifico, quibus apud Pietatem Veſtram de mea conſenſione reſpondi: non quia hoc ratio manifeſta docuerit; ſed quia unitatis, quam maxime cuſtodimus, cura perſuaſerit. [Cap. I.] [Romanus & Orientalis computi diverſi.] [Litteræ Proterii ad Leonem.]

Cap. II. Illud etiam rationabiliter huic epiſtolæ credidi copulandum, ut de eo, quod Pietatem Veſtram prioribus petii litteris, deprecarer, ut Oeconomos

mos Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ novo exemplo, & præcipue Pietatis veſtræ temporibus, a publicis judicibus non ſinatis audiri; & hanc quoque injuriam ſacris removeatis ordinibus: ſed rationes Eccleſiæ ſecundum traditum morem Sacerdotali examine jubeatis inquiri. Datum quarto Kalendas Junii Aetio & Studio viris clariſſimis Conſulibus.

Res Eccleſiæ ad judices publicos non pertinent.

EPISTOLA CXXXI.

Ad Julianum Epiſcopum Coenſem.

SYNOPSIS.

Faciliorem fore deincept errantium correctionem, Dioſcoro ſublato, cujus mortem Julianus Leoni nunciaverat. Eundem monet ut de ſtatu Alexandrinæ Eccleſiæ ſcribat.

Leo, Juliano Epiſcopo.

LItteras dilectionis tuæ per filium Gerontium me accepiſſe reſcribo, mihique fuiſſe pergratum, quia non omiſeris opportunitatem familiaris alloquii, quod omni occaſione inter nos convenit frequentari: ut de his, quæ ad curam noſtram pro Eccleſiæ ſtatu pertinent, nihil incognitum, nihil habeamus incertum. In hac autem ſolicitudine conſtitutis nunquam deſunt divina præſidia, quæ hypocritarum ſimulationes nihil poſſe permittunt, occultamque eorum nequitiam manifeſta destructione confundunt. Quamvis enim jampridem omnia hæreticorum machinamenta confracta ſint, & univerſas ejus vires dextera veritatis abſtulerit, nunc tamen intereunte, ut ſcripſiſtis, Dioſcoro in profundiora ceciderunt; & perfidiæ incentore ſublato, inſtabiles quædam & inſipientes animæ habent quod paveant, non habent quod ſequantur. Unde auxiliante miſericordia Dei facilius eſt errantium ſperanda correctio, & efficacior erit prædicatio Evangelii, extincto defenſore mendacii: cooperante ad hoc remedium Chriſtianiſſimi Principis pietate, cujus devotio pro omnibus Catholicæ fidei provectibus ſanctas ſemper prætendit excubias. Et ideo fraternitatem tuam hortor & moneo, ut dignatione & charitate regia ſapienter utaris, & de omnibus quæ profutura credideris, opportunas ſuggeſtiones non moreris offerre: quia multis experimentis probavimus eam eſſe glorioſiſſimi Auguſti fidem, ut tunc maxime ſe arbitretur regno ſuo conſulere, cum præcipue ſtuduerit pro integritate Eccleſiæ laborare. Si quid ſane de Alexandrinæ plebis provectibus cognoveris, ſcire nos facito: ut ſicut de Orientalium populorum pace lætamur, ita de provectibus etiam hujus populi gaudeamus. Datum octavo Idus Decembris Aetio & Studio viris clariſſimis Conſulibus.

Dioſcori obitus. *Vide diſſertationem I. ad ann.* CCCCLIV.

EPISTOLA CXXXII.

Ad Marcianum Auguſtum.

SYNOPSIS.

1 *Fide Auguſti laudata, iterum de conſenſu ſuo circa diei feſti celebrationem dato certiorem eum facit.*
2 *Gratias agit pro ablatis Caroſo & Dorotheo e ſuis Monaſteriis.*

Leo, Marciano Auguſto.

Cap. I.

QUanta ſit in veſtra Clementia dilectio Dei, cui ſerviendo regnatis, & regnando ſervitis, ipſa dignatio religioſiſſimi ſermonis oſtendit, & in hunc me affectum totius cordis inflammat, ut pro incolumitate gloriæ veſtræ vota offerre & ſupplicare non deſinam: quia multum & ſanctæ Eccleſiæ, & Romanæ Reipublicæ divinitus veſtra ſalute conſulitur. Eadem igitur occaſione, qua pietatis veſtræ apices veneranter accepi, debita ſalutationis obſequia exolvo, & inſufficienter gratias ago, quod de ſacrtaiſſima die Paſchæ Sacerdotali me ſolicitudine pietas veſtra commonuit. Licet dudum in hac obſervantiæ regula me acquieſcere ſim profeſſus, & eundem diem venerabilis feſti omnibus Occidentalium partium ſacerdotibus intimaſſe, quem Alexandrini Epiſcopi declaravit inſtructio, id eſt, ut anno præſenti octavo Kalendas Maii Paſcha celebretur, omiſſis omnibus ſcrupulis propter ſtudium unitatis & pacis.

Sacerdotalis Marciani ſolicitudo.

Proterii Alex. epiſtola de paſchate ad S. Leonem PP.

Cap. II.

De Caroſo vero & Dorotheo, qui hæretica pravitate in multorum perniciem damnatos tuebantur errores, gaudeo pietatem veſtram, ſicut mihi venerator veſter frater meus Julianus Epiſcopus indicavit, ſaluberrime præcepiſſe, ut ablati a monaſteriis ſuis apud eos degere juberentur, quibus nocere non poſſent, quod ut ſpero multis remedio erit, quos a perverſis Doctoribus liberaſtis, creſcentibus per omnia gloriæ veſtræ meritis, in amorem fidei Chriſtianæ, ob quam juſtus & miſericors Deus tribuit, ut vobis ſicut divina ſunt chara, ita ſint mundana ſubjecta. Datum tertio Idus Auguſto Valentiniano VIII. Conſule.

Adde Januarii *vel* Februarii.

EPISTOLA CXXXIII.

Ad Julianum Coenſem Epiſcopum.

SYNOPSIS.

1 *De Caroſi monachi correctione, & Joannis Decurionis in Ægyptum legatione.*
2 *De Maximo Antiocheno Epiſcopo criminis alicujus accuſato, quid evenerit, ut reſcribat.*

Leo, Juliano Epiſcopo Coenſi.

Cap. I.

PEr filium meum Gerontium litteras tuæ fraternitatis accepi, quibus devotione conſueta, quæ ad curam noſtram pro cauſſa fidei merito æſtimas pertinere, ſignificas: Caroſum ſcilicet in fidei confeſſione correctum; ſed ita contra fratrem Anatolium in ſimultate neſcio qua permanere, ut propter ipſius diſcordiam etiam nunc a communione deſciſcat. Joannem vero ſpectabilem virum & in fidei ſinceritate laudabilem ad Ægyptum cauſſa fidei fuiſſe directum, qui quantum paci emendationique profuerit, cum primum redierit, ſcire me facias, quod te etiam ſine meo monitu facturum eſſe non dubito.

Cap. II. Maximi Antiocheni cauſſa in Synodo diſcuſſa: de qua conſule Diſſert. I. ad an. 455.

De Antiocheni autem Epiſcopi ſtatu multo animi dolore contriſtor, ſi, quod abſit, vera adverſus eum ab accuſatoribus proferuntur. Sed præter ſacerdotalem diligentiam, quam curam utilitatis habituram eſſe non ambigo, maxima mihi de juſtitia & benevolentia glorioſiſſimi principis fiducia datur, qua certus ſum in quantum poteſt fieri pro-

viden-

Digitized by Google

videndum, ne in ullam partem poſſit valere fallacia. Sed ad quem finem hæc cauſſa pervenerit, cum opportunum fuerit, dignaberis indicare. Datum quinto Idus Martii Valentiniano Auguſto octies Conſule.

EPISTOLA CXXXIV.

Ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

Ne hæreticorum reliquiæ in urbe latentes nimia lenitate foveantur ac revaleſcant.

Leo Anatolio Epiſcopo.

CUræ eſſe dilectioni tuæ charitatis officia libenter accipio, & ut his crebrius utaris exhortor: quoniam ad totius Eccleſiæ pertinet utilitatem, cum quæ aguntur agnoſcimus. Io qua autem ſolicitudine dilectionem tuam vigilare conveniat, indubitanter iotelligis: quia aliquantas apud vos pravorum hominum reſediſſe reliquias recognoſcis, quibus comprimendis, vel potius, quantum Dominus auxiliatur, abolendis cupimus te inſtanter incumbere: ne, quod abſit, ſub alia ſegnitie lenitatis, quæ tardius fuerint deſtructa revaleſcant. Datum tertio Idus Martii Valentiniano Auguſto VIII. Conſule.

EPISTOLA CXXXV.

Ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

SYNOPSIS.

1 *Hæreticorum furore apud Alexandriam perpetrata in excidium Chalcedonenſis. Synodi tendere ex occaſione mortis Marciani Imp.*

2 *Se ad Leonem Aug. pro ſervandis Synodi decretis ſcripſiſſe.*

Leo, Anatolio Epiſcopo.

Cap. I. SAtis claret fraternitatis tuæ ſermone, quem ſumſimus, quam piam & probabilem curam dolori Eccleſiarum omnium nuper impenderis, manifeſtando nobis quæ apud Alexandriam in Chriſtianæ religionis opprobrium geſta didiciſti, ut glorioſus & Clementiſſimus Imperator de proſpiciendis remediis etiam meis precibus poſceretur. Cujus quidem tam laudabilis fides & tam promta devotio eſt, ut quæ paci Eccleſiaſticæ congruebant ſine interceſſione cujuſquam, ſicut ipſe indicas, ſponte præſtiterit, omnes hæreticorum inſidias repellendo; qui opportunitatem ſe inveniſſe temporis æſtimabant, quo ſanctæ Synodi Chalcedonenſis decreta caſſarent.

Cap. II. Sed gratias Deo, qui poſt exceſſum ſanctæ ac venerandæ memoriæ Marciani, talem principem omnium electione proſpexit, ut in ejus virtutibus & Romana Reſpublica, & Religio Chriſtiana gauderet. Secutus ergo tuæ dilectionis hortatum, in quantum debui glorioſo principi ſupplicavi, ne in pervaſionem Alexandrinæ Eccleſiæ aliquid ulterius ſibi poſſit hæretica audacia vindicare; ſed nefariis auſibus ſalubri fine præfixo, & libertati Eccleſiaſticæ conſuleretur & paci. Supereſt ut fraternitas tua ex opportunitate præſentiæ fideliſſimi Imperatoris animum ſtudeat enixius deprecari de ſtatutis ſanctæ Synodi Chalcedonenſis ſine ulla retractatione ſervandis; cum ea, quæ Deo aſpirante decreta ſunt, nulla ſe patiantur varietate corrumpi. In quem autem provectum hujus pietatis cura procedat, frequentibus tuæ dilectionis litteris me debebis inſtruere: ut de ſanctis Clementiſſimi principis ſtudiis pariter in Domino gloriemur. Datum quinto Idus Julii Conſtantino & Ruſo Conſulibus. Non retractanda Synod. Chalced.

EPISTOLA CXXXVI.

Ad Julianum Epiſcopum Coenſem & Aetium Presbyterum.

SYNOPSIS

1 *De ſilentio conqueſtus curam ei Eccleſiæ commendat.*

2 *Ut ſtatuta Synodi Chalcedonenſis inconcuſſa permaneant, & Alexandriæ Catholicus Epiſcopus eligatur.*

Leo, Juliano Epiſcopo & Aetio Presbytero.

A PARI.

QUamvis dudum litteras tuæ dilectionis acceperim, miror tamen eam reſcribendi opportunitatem, qua frater Anatolius neceſſarie uſus eſt, ſilentio præteriiſſe; cum pro ratione temporis atque cauſſarum crebriora oporteat eſſe colloquia. Ego ſane prædicti fratris litteris de his plenius, quæ apud Alexandriam hæretica temeritas geſſit, edoctus ad Clementiſſimum principem ſcripſi, & pro ſtatu Eccleſiæ, ſicut erat neceſſarium, ſupplicavi, ut rebus nimium perturbatis ſtudium ſuæ pietatis impendat. Unde ſicut fratrem & Coepiſcopum noſtrum Anatolium cohortatus ſum, ita etiam dilectionem tuam admonere non deſino, ut Clementiſſimi principis fidem quantis opportunum fuerit precibus ambiatis, quem pro religionis Catholicæ munimento ſponte jam quædam præſtitiſſe cognovimus; ut non difficilis apud eum ſit actio, cujus voluntaria ſolicitudine prævenimur. Cap. I.

Quod ergo in cauſſa fidei principale eſt, inceſſabilibus ſuggeſtionibus obtinete, ut ſanctæ Synodi Chalcedonenſis ſtatuta nullis hæreticorum pulſentur inſidiis, neque liceat quicquam ex illa definitione coovelli, quam ex inſpiratione divina non dubium eſt per omnia Evangelicis atque Apoſtolicis conſonare doctrinis. Tum illud omni aſſiduitate depoſcite, ut Alexandrinæ Eccleſiæ ſtatus in antiquæ fidei libertatem, refutata atque depulſa hæreticorum obcæcatione, revocetur, per Catholicorum ſcilicet Sacerdotum providentiam, ut in locum ſanctæ memoriæ Proterii probatiſſimus & de cujus fide nequeat dubitari conſtituatur antiſtes; cui cum ſecuritate concordiæ communio Sedis Apoſtolicæ præbeatur. Satis enim erit religioſo principi glorioſum, ſi diſpoſitionibus ipſius non ſolum tota reſpublica, ſed etiam Dei Cap. II.

Eccleſia ſit quieta. Datum quinto Idus Julii Conſtantino & Ruſo Conſulibus.

EPISTOLA CXXXVII.

Ad Baſilium Epiſcopum Antiochenum.

SYNOPSIS.

1 *Præmiſſa de non miſſo ordinationis nuncio querela, hortatur ut reſiſtat Eutichianorum furori, qui cæſo apud Alexandriam Proterio Epiſcopo, Synodum novam, poſthabita Chalcedonenſi, inſtaurari poſcebant.*

2 *Leone Imper. laudato, omnia in Epiſcoporum conſtantia poſita eſſe aſſerit, ne novi tractatus incantur.*

Leo, Baſilio Epiſcopo Antiocheno.

CAP. I. ORdinationem quidem dilectionis tuæ ſecundum Eccleſiaſticum morem tuo vel fratrum noſtrorum Provincialium Epiſcoporum debueramus ſermone cognoſcere: ſed quia non defuerunt cauſſæ, quæ poſſent hanc diligentiam præpedire, & ſanctæ memoriæ Marcianus princeps ſuis ſcriptis conſecrationem tuam oobis cognitam fecit; nec de tuo poſſumus merito dubitare quem novimus: de neceſſitate præſenti, ſicut aliquantos fratres noſtros, ita etiam dilectionem tuam noſtris litteris commonemus. Cognitis enim quæ apud Alexandriam Eutychianorum furore commiſſa ſunt, quæque fraternitati tuæ comperta eſſe non dubito, pro ea ſolicitudine, quam omnibus Eccleſiis Dei debeo, hæc ſcripta direxi, quibus dilectionem veſtram credidi commonendam, ut ſceleratis auſibus ſancta conſtantia reſiſtatis; ne in quoquam noſtrum communis fides aut trepida inveniatur, aut tepida: cum propitio Domino, qui Eccleſiam ſuam in quacumque tribulatione non deſerit, tam religioſum, tamque Catholicum animum piiſſimi Imperatoris habemus, ut non aliud de illo credendum ſit, quam probavimus de Auguſtæ memoriæ Matciano.

De Proterii Alexandrini cæde. *Hæc refert Pelagius II. in Ep. ad Eliam & alios.* *Pelag.* noſtra. *hucuſque Pelagius.*

CAP. II. Siquidem etiam adhuc noſtra actione ceſſante, ita fideliſſimus Imperator parricidale crimen horruerit, ut nullum aditum hæreticorum conceſſerit actioni, qui poſt immanitatem facinoris perpetrati, hoc ſibi poſſibile eſſe eredebant, ut ſanctæ Chalcedonenſis Synodi definitionibus reſolutis in alios tractatus vocaretur Epiſcopale judicium. Quod quia, frater chariſſime, abrupte inimicum eſt fidei Chriſtianæ, & non ob aliud tanta improbitate depoſcitur, niſi ut prædicatio Evangelii & Dominicæ Incarnationis myſterium ſubruatur; obſecro dilectionem veſtram, ut a Chalcedonenſis Synodi definitionibus in nullo animos relaxetis: & quæ ex divina ſunt inſpiratione compoſita, nulla patiamini novitate temerari. Certus enim ſum, quod Clementiſſimus Imperator & vir magnificus Patricius, cum omni cœtu Illuſtrium Poteſtatum, nihil in perturbationem Eccleſiæ patientur hæreticos obtinere, ſi paſtorales animos in nullo viderint fluctuare. Ut autem hæc adhortatio ad omnium fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum poſſit notitiam pervenire, diligentiæ veſtræ cura proſpiciat: quia, quod ſæpe dicendum eſt, tota religio chriſtiana turbatur, ſi quicquam de his, quæ apud Chalcedonam ſunt ſtatuta, convellatur. Datum decimo Kalendas Septembris Conſtantino & Ruſo Conſulibus.

Nihil de Chalcedonenſibus definitionibus retractandum. *Sequentia refert Pelagius II.* *al.* tuam *Pelag.* *Hucuſque Pelagius.* Epiſcopalis conſtantia quam Eccleſiæ utilis. *Hæc referunt Pelag. & Vigilius.* *Vigilius* diligens Fraternitatis.

EPISTOLA CXXXVIII.

Ad Euxitheum Epiſcopum Theſſalonicenſem & Juvenalem Jeroſolymorum.

SYNOPSIS.

Hortatur, ut ſceleratis auſibus Eutychianorum, qui Proterium Alex. Epiſc. occiderant, ſtrenue reſiſtant: nec patiantur Synodum alteram congregari; ſed ſua Chalcedonenſi firmitas aſſeratur.

Leo, Euxitheo Theſſalonicenſi Epiſcopo, & Juvenali Jeroſolymorum.

A PARI.

COgnitis quæ apud Alexandriam Eutychianorum furore commiſſa ſunt, quæque fraternitati tuæ comperta eſſe non dubito; pro ea ſolicitudine, quam omnibus Eccleſiis Dei debeo, hæc ſcripta direxi, quibus dilectionem veſtram credidi commonendam, ut ſceleratis auſibus ſancta conſtantia reſiſtatis; ne in quoquam noſtrum communis fides aut trepida inveniatur, aut tepida: cum propitio Domino, qui Eccleſiam ſuam in quacunque tribulatione non deſerit, tam religioſum tamque catholicum animum piiſſimi Imperatoris habeamus, ut non aliud de illo credendum ſit, quam probavimus de Auguſtæ memoriæ Marciano. Siquidem etiam adhuc noſtra actione ceſſante, ita fideliſſimus Imperator parricidale crimen horruerit: ut nullum aditum hæreticorum conceſſerit actioni; qui poſt immunitatem facinoris perpetrati, hoc ſibi poſſibile eſſe credebant, ut ſanctæ Chalcedonenſis Synodi definitionibus reſolutis, in alios tractatus vocaretur Epiſcopale judicium. Quod quia, frater charisſime, abrupte inimicum eſt fidei Chriſtianæ, & non ob aliud tanta improbitate depoſcitur, niſi ut prædicatio Evangelii & Dominicæ Incarnationis myſterium ſubruatur; obſecro dilectionem veſtram, ut a Chalcedonenſis Synodi definitionibus in nullo animos relaxetis, & quæ ex divina ſunt inſpiratione compoſita, nulla patiamini novitate temerari. Certus enim ſum quod Clementiſſimus Imperator, & vir magnificus Patricius cum omni cœtu illuſtrium Poteſtatum, nihil in perturbationem Eccleſiæ patientur hæreticos obtinere, ſi paſtorales animos in nullo viderint fluctuare. Ut autem hæc adhortatio ad omnium fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum per Illyricum poſſit notitiam pervenire diligentiæ veſtræ cura proſpiciat: quia, quod ſæpe dicendum eſt, tota religio chriſtiana turbatur, ſi quicquam de his, quæ apud Chalcedonam ſunt ſtatuta, convellatur. Datum decimo Kalendas Septembris. Conſtantino & Ruſo Conſulibus.

Quantum proſit Eccleſiæ conſtantia Epiſcoporum.

EPISTOLA CXXXIX.

Ad Julianum Coenſem Epiſcopum.

SYNOPSIS.

Monet ut epiſtolæ præcedentes ad Metropolitanos ſcriptæ ad unumquemque Juliani cura vel Aetii perveniant; Epiſcopalem ante omnia requiri conſtantiam; nihil eſſe in ſua epiſtola vel novi, vel obſcuri, vel dubii.

Leo, Juliano Epiſcopo.

EXiſtente occaſione filii noſtri Gerontii Conſtantinopolim revertentis, conveniens fuit ad dilectionem tuam ſcripta dirigere, quibus ſtudium tuum in cauſſis Eccleſiaſticis, & his quæ ad fidem pertinent incitamus; ut contra hæreticorum conatus conſtanter obſiſtas: confidentes Dei miſericordiam præſtituram, ut ſceleſtis auſibus etiam in hoc tempore digna reddantur. Sciat autem dilectio tua ad aliquantos fratres & Coepiſcopos noſtros Metropolitanos litteras nos dediſſe, quæ ut confeſtim ad unumquemque perveniant, tua vel filii noſtri Aetii Presbyteri debet diligentia providere. Si enim Epiſcopalis conſtantia a ſanctæ Synodi Chalcedonenſis definitionibus non recedit, certus ſum quod Clementiſſimus & Chriſtianiſſimus princeps libenter tuebitur ſententiam ſuam, & quod ſponte jam præſtitit multo magis rogatus efficiet, ne bene finita atque compoſita aliqua poſſint novitate violari. Miror ſane calumniantium vanitati aliquid adhuc in epiſtola mea, quæ univerſo mundo placuit, obſcurum videri, ut de ea putent aptius exponendum: cum illius prædicationis tam plena & ſolida ſit aſſertio, ut nihil recipiat, vel in ſenſu, vel in ſermone novitatis; quia quicquid tunc a nobis ſcriptum eſt, ex Apoſtolica & Evangelica probatur ſumtum eſſe doctrina. Datum Kalendis Septembris Conſtantino & Ruſo Conſulibus.

[Margin: Quanta Epiſcopalis conſtantiæ neceſſitas.]

[Margin: de Epiſtola S. Leonis rurſum diſputatur.]

EPISTOLA CXL.

Ad Aetium Presbyterum Conſtantinopolitanum.

SYNOPSIS.

1 *Ut litteras in Orientem ſcriptas unicuique dirigat.*

2 *Se pariter miſiſſe litteras a Gallis & Italis ad ſe ſcriptas. Item & de aliis.*

Leo, Aetio Presbytero.

Cap. I. ACcepimus dilectionis tuæ litteras, quæ diligentiam tuam in cauſſa Eccleſiæ teſtarentur: & breviter interim cohortamur ut cæptis vigilanter inſiſtas, ne hæreticorum perverſitas quicquam, quod Eccleſiam Domini turbet, obtineat. Nos autem pro diligentia noſtri & ad clementiſſimum principem, & ad magnificum virum Patricium Aſparem neceſſaria in cauſſa fidei ſcripta tranſmiſimus, quæ ſine dubio effectum congruum poterunt obtinere, ſi etiam veſtra cura pervigilet. Placuit etiam nobis, ut ad Metropolitanos Epiſcopos generales litteras mitteremus, qui animum eorum firment atque corroborent: ut ſciant ad defendendam Chalcedonenſem Synodum æquali ſtudio, & concordi unitate nitendum: De quibus epiſtolis, unam ad Antiochenum, alteram ad Jeroſolymitanum, ſi vobis in commune viſum fuerit, dirigetis. Nos autem ad Illyrios Epiſcopos ſimilia jam ſcripta tranſmiſimus.

[Margin: add. forte officii.]

Cap. II. De ſacramento vero catholicæ fidei nullis nobis jam conflictationibus eſt agendum: quia nec diligentius aliquid indagari poteſt, nec verius definiri. Exemplaria quoque litterarum, quas Galli ad nos atque Itali Epiſcopi concordi credulitate miſerunt pariter direximus; ut quam etiam illorum nobiſcum ſit fides una, non lateat. Præterea ſcripta, quæ tam clementiſſimo Principi, quam neceſſariis perſonis per filium noſtrum Gerontium miſimus, vel ad dilectionem veſtram, vel ad filium noſtrum Sporacium, ſi adhuc vobiſcum eſt, volumus offerri, & eo ſermone quo convenit adjuvari. Ut autem ea quæ ſcripſimus ſcire poſſitis, exemplaria direximus, ut de omnibus inſtructi eſſe poſſitis. Datum Kalendis Septembris Conſtantino & Ruſo Conſulibus.

[Margin: Leo fidem ſuam ex Gallicorum & Italorum ſuffragio aſſerit.]

[Margin: forte leg. per. forte leg.]

EPISTOLA CXLI.

Ad Epiſcopos Ægyptiorum.

SYNOPSIS.

Epiſcopos Ægyptios pro fide extorres conſolatur, & ut pro Incarnationis myſterio patienter adverſa tolerent, hortatur.

Leo Epiſcopis ex Ægypto Catholicis apud Conſtantinopolim conſtitutis.

LIcet laboribus dilectionis veſtræ, quos pro obſervaotia Catholicæ fidei ſuſcepiſtis, toto corde compatiar, & ea quæ vobis ab hæreticis illata ſunt, non aliter accipiam, quam ſi ipſe pertulerim, intelligo tamen magis eſſe gaudii, quam mœroris, quod confortante vos Domino Jeſu Chriſto in Evangelica Apoſtolicaque doctrina inſuperabiles perſtitiſtis. Et cum vos inimici fidei Chriſtianæ ab Eccleſiarum veſtrarum ſede divellerent, maluiſtis peregrinationis injuriam pati, quam ulla impietatis ipſorum contagione violari. Unde ad Chriſtianiſſimum principem noſtrum litteras dirigens gratias egi ipſius pietati, quod vos, ſicut nobis indicatum eſt, ea qua dignum erat charitate ſuſcepit. A cujus benevolentia non dubito eam vobis fiduciam eſſe collatam, ut pro univerſalis Eccleſiæ ſtatu conſtanter exequi quæ ſunt agenda, poſſitis: quia & clementia ejus pro defendendis ſanctæ Synodi Chalcedonenſis decretis Sacerdotali ſervet affectu, & nihil univerſo mundo præſtari ſalubrius ac beatius poteſt, quam ut diſpoſitum ante ſæcula ſacramentum inviolabiliter per omnia Eccleſiaſtica pace ſervetur & regia. Unumquemque igitur veſtrum, quos idem animus & eadem fidei cauſſa conjunxit, vel qui vos hæreticorum perſecutione deſpecta, indeſeſſo ardore fidei ex Ægypto ſunt ſecuti, fraterno ſimul & paterno cohortor affectu, ut æquo & forti animo hæc tentamenta toleretis: agnoſcentes vos non amiſiſſe propria, ſed majora

[Margin: Sacerdotalis Imperatoris affectus.]

[Margin: Forte leg. poteſtate.]

me-

meruiſſe, quorum brevi fatigatione, qua ad Confeſſorum pervenitur coronas, ita utitur providentia Dei, ut per veſtram patientiam multorum devotio roboretur, & cum gloria venerandi Principis Alexandrina Eccleſia depulſis hæreticis antiquam recipiat dignitatem. Datum quinto Idus Octobris Conſtantino & Ruſo Conſulibus.

EPISTOLA CXLII.

Ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

SYNOPSIS.

1 *Ut ad Imperatorem, quem laudat, pro comprimendis hæreticis ſtrenue agat; idque curet, ut Chalced. Synodus firma permaneat, et pax Eccleſiæ Alexandrinæ reſtituatur.*

2 *Ut Parricidæ ab ea pellantur et afflicti Ægypti Epiſcopi adjuventur.*

3 *Profugis ex Ægypto Epiſcopis opem eſſe ferendam; Synodi adverſariis conſtanter reſiſtendum eſſe.*

4 *De Attico Presbytero & Andrea ut vel corrigantur vel repellantur ab Eccleſia.*

Leo, Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano,

Cap. I. RUrſus acceptis dilectionis tuæ litteris, omnia quæ Alexandriæ inſaniſſime geſtat ſunt cum magno dolore cognovi; ſi tamen ullæ epiſtolarum paginæ tam atrocia facinora explicare potuerunt. Sed non jam nobis in deſlendis adverſitatibus eſt morandum, cum utilius ſit providere quæ proſint, & quæ hæreticorum furorem tandem aliquando ab Eccleſiæ quiete depellant. Cum enim talem Principem nobis divina providentia proſpexit, ut fides ipſius ſolicitudinem pene ſuperet Sacerdotum, tuæ dilectionis maxime expectatur inſtantia, ut venerandiſſimo Imperatori pro univerſali Eccleſia ſupplicare non deſinas, & erebris ſuggeſtionibus poſcere, ut quamprimum a pervaſoribus ſuis Alexandrina Eccleſia liberetur. Ego ſane quantum potui, piiſſimum Principem precatus ſum, ut & ſtatuta ſanctæ Synodi Chalcedonenſis manere inviolata præciperet, & hæreticorum aſſertiones in magna vergere ignorantiæ cæcitate cognoſceret; & quæ de pervadendo ſacerdotio parricidæ ſacrilegi commiſerunt, nulla poſſe diſſimulatione tolerari: nec alio modo totam cauſſam poſſe conſumi, niſi prædictæ Synodi conſtitutiones perennitatis robur accipiant, & inſaniſſimi pervaſores ab aliena ſede pellantur: fiatque tandem Alexandrinus populus ſuæ quietis & pacis: ne paucorum hæreticorum arbitrio in Eccleſiæ noxam, & in Dei præcipitentur offenſam.

Cap. II. Multum autem in eo conſolationis accepi, quod ex omni numero Epiſcoporum, qui Ægyptiacis Diœceſibus præſunt, ſolum dudum damnati potuerunt quatuor inveniri, qui Timotheo & impietate hæreſeos, & ſceleris latrocinio jungerentur; qui ad petendam Synodum admitti nullatenus poſſent, etiamſi de ſolo hæretico arguerentur errore. Cum autem & in occupando Epiſcopatum, & interficiendo Epiſcopum, inauditum facinus perpetrarint, quid illis in Eccleſia loci eſt, etiamſi Catholicam ſuſcipiant veritatem. Omnibus igitur intra Ægyptum Sacerdotibus Domini, ſive recentioribus, ſive ex antiqua conſtitutione reſidentibus; uno auxilio remedioque præſtandum eſt, ut tam indignis perſecutionibus liberentur, & hoc malum, quod ſe penetralibus tantæ urbis ingeſſit, ſalubri autoritate pellatur, & Chriſtiana plebs fide atque operibus ante devota paternis conſtitutionibus valeat cum quiete ſervire.

Ad hæreticorum vota Synodus non cogenda.

Fratres autem noſtros qui Conſtantinopolim ab Ægypti parte venerunt, litteris meis Imperatori commendare non deſtiti; ſed etiam te tuæ humanitatis admoneo, ut ad conſolationem peregrinationis ipſorum quantum potes ſtudii adhibere digneris, quorum præſentia multum dilectionem tuam juvare apud Clementiſſimum Principem poteſt, ne petitioni hæreticorum ad novam Synodum, quæ univerſali Eccleſiæ inimica eſt, annuatur. Quamvis Apoſtolica Sedes ea fide ac ſtabilitate fundata ſit, ut nequaquam recipiat iſtius novitatis aſſenſum; ac ſi quis adverſariorum machinationibus connivendum eſſe crediderit, ipſe ſe a communione Catholicæ Eccleſiæ ſeparabit: cum ſecundum inſpirationem Dei & in fide Incarnationis Chriſti, & in cuſtodia Chalcedonenſis Synodi, univerſalis Eccleſiæ ſit una ſententia; & præcipue in noſtris partibus tam firmiter Evangelica doctrina teneatur, ut magnum ſacrilegium putetur, ſi a traditione Apoſtolica vel in exiguo aliquo devietur. Cap. III.

Jampridem dilectioni tuæ ſcripſiſſe me recolo, ut in clero Eccleſiæ tuæ nullum Eutychianæ hæreſi conſentire patiaris; quoniam capitis periculum reſpicit, ſi quid faucium inveniatur in membris. Sed cum hoc nulla adhuc correctione purgatum ſit, & Atticum Presbyterum tuum ad eam inſolentiam profeciſſe cognoſcam, ut in Eccleſia contra Catholicam fidem & Chalcedonenſem Synodum audeat diſputare: cogor vehementius de tua diſſimulatione cauſſari. Nam quod incommonitus facere debuiſti, miror etiam poſt evidentia noſtra ſcripta neglectum. Et ideo acrius moneo, neque amplius diſſimulandum eſſe proteſtor, ſi hominem peſtilentem ulterius in tua habendum communione eredideris; quem nos, ſi fieri poteſt, emendari malumus, quam perire. Ut ſcilicet ſi correctum ſe videri cupit & in ſocietate Eccleſiaſtica permanere, de eo loco, unde contra Catholicam fidem multa diſſeruit, aperte nunc ipſius fidei prædicator appareat, & nihil Eutychiani dogmatis prætermittat, quod non manifeſtatione ſuæ profeſſionis chriſtiano populo audiente condemnet: ne, ut dixi, plurimum diſſimulatio iſta te maculet, ſi vel hic tam noxius, vel Andreas impietatis ipſius ſocius, nec correcti fuerint, nec repulſi. Cap. IV.

Presbyteri prædicant CP.

EPISTOLA CXLIII.

Ad Epiſcopos Catholicos Ægypti apud Conſtantinopolim conſtitutos.

SYNOPSIS.

Conſolatur Epiſcopos pro fide extorres, & ad patientiam hortatur ſpe cæleſtis retributionis objecta et promiſſa ſua apud Imperatorem actione.

Leo, Ægyptiis Epiſcopis Catholicis apud Conſtantinopolim conſtitutis.

OLim me commiſſorum apud Alexandriam ſcelerum indicia contriſtaverunt, & ita animum meum ipſius immanitate facinoris vulneraverunt, ut quibus hoc lacrymis, qua lamentatione defleatur ignorem; meritoque illa prophetica voce proclamem: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* Querelas tamen dilectionis veſtræ preveniens Clementiſſimo & Chriſtianiſſimo Principi de tantorum malorum remediis ſupplicavi, & per filios noſtros Gerontium & Olympium Subadjuvas diverſo tempore depoſci ut illius civitatis Eccleſiam, in qua tot Catholici floruere doctores, præciperet damnatæ hæreſeos purgari, & parricidales animos, quos a rectoris ſui ſanguine nec veneratio loci potuit deterrere, nec temporis, nihil de Clementia ſua ſineret obtinere; maxime cum in everſionem fidei Chalcedonenſe Concilium cupiant retractari. Proinde dilectionis veſtræ tolerantiam eadem cauſſa debet, quæ vos de propriis ſedibus expulit, conſolari: quia certum eſt tribulatos animos, & propter nomen ſuum patientes adverſa, nequaquam Domini protectione deſtitui. Ferte igitur magnanimiter; & illam, quæ veſtra eſt, patriam cogitantes, de præſenti peregrinatione gaudete. Abſit a vobis exilii dolor, nec aliquid de hac fatigatione mœroris habeatis, qui ſcitis propter fidem Domini etiam de periculis plurimis Apoſtolum gloriari. Habetis cum præparatis retributionis præmiis iſtius certaminis cognitorem. Nemo fugiat hunc laborem, cujus merces eſt in æternum regnare & vivere. Sint in atriis Jeruſalem fixi pedes omnium dimicantium, qui ſpe retributionis illius, nec inimicorum caſtra poterunt formidare, nec prælia. De reliquiis hoſtis abjecti pariter ab univerſitate perculſis nunquam eſt ardua victoria, nec palma difficilis, præcipue de his quarum proſtratos jam videtis autores. Aſſiduis ergo precibus (ſicut & ipſe non tacuit) favorem, qui Deo propitio promtus eſt, Chriſtianiſſimi Imperatoris ambite: ut ſecundum ſcripta quæ miſi, communis fidei cauſſam ea mentis devotione, quam probavimus eum habere, communiat; dilectionisque veſtræ reditum præjudiciis omnibus, quæ hæreticorum furore ſunt generata, ſublatis, pro ſua pietate diſponat, & ſingulas quaſque provincias, omneſque Eccleſias cum Sacerdotibus ſuis inconcuſſa Chriſti pace gaudere. Datum Kalendis Decembris Conſtantino & Ruſo Conſulibus.

Subadjuvæ.

Baptiſterii ſcilicet. Paſchalis.

EPISTOLA CXLIV.

Ad Epiſcopos & Clericos Catholicos ex Ægypto apud Conſtantinopolim conſtitutos.

SYNOPSIS

1 *Conſolatur extorres Ægypti Epiſcopos & Clericos, monetque de ſuis legatis in Orientem ex Imperatoris voluntate mittendis.*

2 *Hortatur ut omnem novum de fide tractatum amoveant, ſufficiente Synodi autoritate.*

Dilectiſſimis Fratribus Neſtorio, Athanaſio, Paulo, Petro, Theonæ, Iſaiæ, Apollonio, Arpocrati, Iſidoro, Iſaac, Apolionio, Maximo, Marioni, Poemenio, & Helpidio Epiſcopis, & Clericis Catholicis ex Ægypto apud Conſtantinopolim conſtitutis, Leo.

Cap. 1.

TRibulationem, quam dilectioni veſtræ Spiritus diabolicæ tentationis ingeſſit, ab eo fiducialiter credite ſublevandam, propter quem talia ſuſtinetis; atque ipſius auxilio conſolandos vos eſſe præſumite, cujus dilectioni quæ toleratis impenditis. Qui licet temporaliter fieri quæ ſunt adverſa, permittat, conſtantiam tamen fidei non vult decuti, ſed probari. Promiſſæ beatitudinis ſpem gerentes, patientiæ longanimitatem veſtris mentibus adhibete: *Fidelis enim Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione exitum, ut poſſitis ſuſtinere.* Nec pedes veſtros peccatorum pax viſa dimoveat, quos in ea petra fixos habere debetis, adverſum quam nec portas inferi prævalere legiſtis. Quia igitur, fratres chariſſimi, chriſtianiſſimus Imperator rurſus ad nos ſcripta direxerit, quibus ut aliquem de noſtris partibus dirigamus hortatur: & quamvis illic veſtra non deſit inſtructio, quæ valeat hæreticorum obſtinationibus obviare, deſiderat a nobis tamen dirigi qui fidem damnatis, & eam diabolico ſpiritu non recipientibus, tanquam ſit adhuc dubia, poſſit aſſerere, quæ ſicut neceſſarie prædicatur, ita voluntate percipitur: dilectionem veſtram moneo, ut inanis gloriæ contentionem id ipſum dicentes omnes unanimitatis virtute vitetis. Scitis enim quæ vobis debeatur hujus palma certaminis, cujus idem cognitor qui hoc ſpectat, adjutor eſt, atque ipſe ad vincendum vires ſufficit, qui diligentibus ſe præmium jam paravit. Nullus ſe propriis ſedibus queratur extorrem, aut patriis expulſum finibus ingemiſcat. Nemo veſtrum exul eſt Deo, quem auxiliaturum vobis ubique confidite. Ferte univerſa patienter, & conſortato corde Dominum fideliter ſuſtinete. Brevis eſt tribulatio, quam tempus incidit: nec confeſſioni veſtræ nova videantur, quæ vos ab inimicis Domini tolerare cognoſcimus. *Sic enim perſecuti ſunt & prophetas qui erant ante vos.*

1. Cor. 10. 13.

Quæ petra contra quã infernus non prævalet. Matth. 16. 18.

2. Cor. 9. 16. Coloſſ. 2. 2.

Quibus præmium paravit, iis vires ſufficit.

Omni itaque dilectionis veſtræ ſtudio ac labore nitendum eſt, ne ulla inſidiantium diſceptatio poſſit admitti, neve hoc ab hæreticis valeat obtineri, quo Evangelicam fidem manifeſtum eſt impugnari. Nam definitarum rerum, quas tantæ Synodi,

Hæc uſque ad finem referuntur a Facundo Herm. l. 12. c. 2. p. 533.

Synodi, Imperatoris, & Papæ autoritas.

vel

vel chriſtianiſſimi Principis ſanxit autoritas, & Apoſtolicæ ſedis confirmavit aſſenſus, nihil oportet diſcuti; ne contra fas aliquid videatur infringi. Multumque fidei & Sacerdotali conſtantiæ derogatur, ſi cum his, qui homicidiis & furore repleti ſunt, ac volunt convertere Evangelium Chriſti, & facinore ſuo probantur exoſi, ſuperfluæ & plurimum nocituræ altercationis conflictus habeatur. Datum duodecimo Kalendas Aprilis, Leone & Majoriano Auguſtis Conſulibus.

EPISTOLA CXLV.

Ad Presbyteros, Diaconos & Clericos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

SYNOPSIS.

1 *Ut in fide ſtabiles et ab hæreticorum ſocietate alieni perſeverent hortatur.*

2 *Ut novum judicium non inſtauretur, et ut Atticus et Andreas ordinis ſui honore priventur, niſi voce ſcriptoque fidei Chalcedonenſi adhærere ſe profiteantur.*

Leo Presbyteris, Diaconibus, & Clericis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ.

CAP. I. LÆtificatus valde ſum & plurimum delectatus quod mihi fidei veſtræ eſt, de qua in Domino glorior, manifeſtata conſtantia, & intelligo vos per omnia devotiſſimos doctrinæ Evangelicæ eſſe diſcipulos, atque Apoſtolicis prædicationibus, quæ ex eodem fonte manarunt,
Fidei unitas. nihil prorſus ſentire diverſum: quia Catholica fides, quæ vera & una eſt, nulla ſe patitur diverſitate violari; & ideo cohortari dilectionem veſtram ac monere non deſino, ut inſtruente Spiritu ſancto perſeveranter *id ipſum dicatis om-*
1.Cor.I.10. *nes, et non ſint inter vos ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem ſenſu et in eadem ſententia*; proculque a conſortio veſtro olim damnatorum depellatis errores, ut inchoaſtis, in fidei conſtantia permanentes; nullum ſinatis vobis Neſtoriana vel Eutichiana infectum perverſitate ſociari, tanquam leve ac tolerabile ſit ad quod uterque quorumdam inſipientium corda traduxit, & in ſcelera diabolici furoris accendit.

CAP. II. Referuntur a Facundo Herm. lib. 12.c.2.533. *Facund.* expetit. Synodi definitio irretractabilis. *Facund.* cum inſidiatores piorum. *Hucuſque Facundus.*

Habemus, propitio Deo, magnum & divinitus præparatum chriſtianiſſimi Imperatoris auxilium, quem ſcriptis meis, quantum cauſſa extitit, obſecravi, nec improbis parricidarum petitionibus in aliquo Clementiæ ſuæ præberet aſſenſum, neque ullo modo ſineret ſanctæ Chalcedonenſis Synodi definitiones, quæ vere de cœleſtibus prodiere decretis, tanquam neceſſaria retractatione violari: cum inſidias impiorum ad hoc ſubrepere velle manifeſtum ſit, ut ſtatuta Evangelicis prædicationibus & Patrum traditionibus conſonantia novo faciant infirma judicio; & dum diſceptatio admittitur, autoritas auferatur. Aderit, ut ſpero, ſuis inſpirationibus divina protectio, eamque ſancto Principi tribuet facultatem, ut nullo modo fieri ſinat quod humanæ ſaluti ſentit adverſum. Atticum vero & Andream, quorum nomina fratri & Coepiſcopo meo Anatolio miſſis ante litteris indicavi, quos

a veſtra laudabili fide diſſentire cognovi, atque Eutychianorum apertiſſime convivere perfidiæ, niſi prius hoſtilia dogmata propria voce ac ſubſcriptione damnaverint, & fidem Chalcedonenſi concilio roboratam in Eccleſia populo chriſtiano præſente ſe profeſſi fuerint ſecuturos, ordinis ſui honore priventur; ne diutius luporum levitas ſimplicitati Dominicarum ovium miſceatur. Datum duodecimo Kalendas Aprilis Leone & Majoriano Auguſtis Conſulibus. *Forte ſævitia vel* pravitas.

EPISTOLA CXLVI.

Ad Leonem Auguſtum per Philoxenum in rebus agentem directa.

SYNOPSIS.

1 *Ut fidem ſemel definitam ad examen revocari non ſinat.*

2 *Se nec poſſe hæreticis communione ſociari, nec definitis a Synodo diſſentire.*

3 *Legatos a ſe mittendos, non ut diſputent, ſed ut inſtruant.*

4 *Fugiendos hæreticos, quibus et pœnam imminere ſignificat.*

Leo Epiſcopus, Leoni Auguſto.

MUlto gaudio mens mea exultat in Domino, & magna mihi eſt ratio gratulandi, CAP. I.
cum Clementiæ veſtræ excellentiſſimam fidem augeri per omnia dono gratiæ cœleſtis agnoſco; *al.* gloriandi.
& per incrementa diligentiæ devotionem in vobis animi ſacerdotalis experior. Nam in veſtræ Sacerdotalis Auguſti animus.
pietatis alloquiis non dubie patet, quid per vos in totius Eccleſiæ ſalutem Spiritus ſanctus operetur, & quantum univerſorum fidelium precibus ſit optandum, ut in omnem gloriam veſtrum extendatur imperium, qui ſupra curam rerum temporalium, religioſæ providentiæ famulatum divinis & æternis diſpoſitionibus perſeveranter impenditis: ut ſcilicet catholica fides, quæ humanum genus ſola vivificat, ſola ſanctificat, in una confeſſione permaneat; & diſſentiones, quæ de terrenarum opinionum varietate naſcuntur, a ſoliditate illius petræ, ſupra quam civitas Dei ædificatur, abigantur, Glorioſiſſime Imperator.
Hæc autem Dei munera ita demum nobis divinitus conferentur, ſi de his, quæ ſunt præſtita, non inveniamur ingrati; & tanquam nulla ſint, quæ adepti ſumus, contraria potius expetamus. Eccleſia ſupra firmam fidei petram ædificata.
Nam quæ patefacta ſunt, quærere; quæ perfecta ſunt, retractare; & quæ ſunt definita, convellere, quid aliud eſt, quam de adeptis gratias non referre, *al.* finita *Cod. Grim.*
& ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Unde, quia ad pacem univerſalis Eccleſiæ, & ad cuſtodiam catholicæ fidei, cura dignamini ſolicitiore reſpicere, evidenter agnoſcitis, quod magnis hæreticorum audeatur inſidiis, ut inter Eutychis Dioſcorique diſcipulos, & Cum hæreticis damnatis de fide non diſputandum.
eum, quem Apoſtolica Sedes direxerit, tanquam nihil fuerit ante definitum, tractatus habeatur, & quod totius mundi catholici Sacerdotes in ſancta Chalcedonenſi Synodo probant gaudentque firmatum, in injuriam etiam ſacratiſſimi Concilii Nicæni efficiatur infirmum. Quod enim noſtris temporibus apud Chalcedonam de

Domini noſtri Jeſu Chriſti Incarnatione firmatum eſt, hoc etiam apud Nicæam myſticus ille Patrum numerus definivit; ne catholicorum confeſſio, aut unigenitum Dei Filium in aliquo crederet Patri imparem, aut eundem, cum factus eſt filius hominis, non veram carnis noſtræ atque animæ habuiſſe naturam.

CAP. II. *Prudentius refert lib. I. de prædeſt. cap. I.*

Deteſtandum ergo nobis eſt perſeveranterque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, nec in aliquam diſceptationem pie & plene definita, revocanda ſunt, ne ad arbitrium damnatorum, ipſi de his videamur ambigere, quæ manifeſtum eſt, per omnia propheticis & Evangelicis, & Apoſtolicis autoritatibus conſonare. Unde ſi qui ſunt, qui ab his, quæ cœlitus ſunt conſtituta, diſſentiunt, ſuis opinionibus relinquantur: & ab unitate Eccleſiæ cum ea, quam elegerunt, perverſitate diſcedant. Nam nullo modo fieri poteſt, ut qui divinis audent contradicere ſacramentis, aliqua nobis communione ſocientur. Jactent ſe in ſui eloquii vanitate, & de argumentationum ſuarum verſutia, quæ inimica eſt fidei,

Coloſſ. 2. 8.

glorientur: nobis placet Apoſtoli obedire præceptis, dicentis: *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem ſeductionem hominum*. Nam ſecundum eumdem Apoſtolum, *ſi quæ deſtruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituto*, & eis

Galat. 2. 18. Conciliorum decreta de fide irretractabilia. *al. defenſione vel confeſſione.* Sententia Imperatoris.

me ultionum conditionibus ſubdo, quas non ſolum autoritas beatæ memoriæ Principis Marciani, ſed etiam ego mea conſenſione firmavi. Quia, ſicut ſancte veraciterque dixiſtis, *Perfectio incrementum, & adjectionem plenitudo non recipit*. Unde cum ſciam te, venerabilis Princeps, ſinceriſſimo veritatis lumine imbutum, in nulla fidei parte nutare, ſed ſancto perfectoque judicio a pravis recta diſcernere, & a refutandis amplectenda dividere: obſecro, ne humilitatem meam de diffidentia putes eſſe culpandam, cum hæc mea cautio non ſolum univerſali Eccleſiæ conſulat, ſed etiam tuæ gloriæ famuletur; ne ſub Imperii tui tempore, & hæreticorum aucta videatur improbitas, & Catholicorum perturbata ſecuritas.

CAP. III.

Quamvis ergo multum per omnia de Pietatis Veſtræ corde confidam, & per inhabitantem in vobis Spiritum Dei ſatis vos inſtructos eſſe perſpiciam, nec fidei veſtræ ullus poſſit error illudere; præceptioni tamen veſtræ in eo adnitor obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos præſentiæ meæ inſtar exhibeant, & quæ ſit

Legati mittendi in Orientem.

Apoſtolicæ fidei regula, licet, ut dixi, vobis bene ſit nota, demonſtrent: pateſacientes in omnibus & probantes, non eſſe omnino inter Catholicos computandos, qui definitiones venerabilis Synodi Nicænæ, vel ſancti Chalcedonenſis Concilii regulas non ſequuntur: cum utrorumque ſancta decreta ex Evangelico manifeſtum ſit fonte prodire, & quicquid non eſt de irrigatione Chriſti, poculi eſſe viperei. Prænoſcat igitur pietas tua, Venerabilis Imperator, hos, quos ſpondeo dirigendos, non ad confligendum cum hoſtibus fidei,

Non audet Sedes Apoſtolica de rebus in Synodo œcum. definitis inire tractatum.

nec ad certandum contra ullos, a Sede Apoſtolica profecturos: quia de rebus, & apud Nicæam, & apud Chalcedonam, ſicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum: tanquam dubia vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum ſanctum fixit autoritas.

CAP. IV.

Inſtructioni autem parvulorum noſtrorum, qui poſt lactis alimoniam cibo deſiderant ſolidiore ſatiari, miniſterii noſtri præſidium non negamus: & ſicut ſimpliciores non ſpernimus, ita a rebellibus hæreticis abſtinemus: memores præcepti Domini, dicentis: *Nolite dare ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos*. Nimis quippe indignum, nimiſque injuſtum eſt, eos ad libertatem diſceptationis admitti, quos ſignificat Spiritus ſanctus per Prophetam, dicens: *Filii alieni mentiti ſunt mihi*. Qui etiamſi Evangelio non reſiſterent, de illis tamen ſe eſſe monſtrarent, de quibus ſcriptum eſt: *Deum ſe profitentur ſcire, factis autem negant*: clamante adhuc juſti Abel ſanguine adverſum impium Cain, qui increpatus a Domino, non quievit ad pœnitudinem, ſed exarſit ad cædem. Cujus vindictam ſic Domini judicio volumus reſervari, ut improbus prædo & parricida crudelis in ſeipſum recidat, & noſtra non teneat. Neque ſanctæ Eccleſiæ Alexandrinæ lamentabilem captivitatem patiamini ulterius prolongari, cui oportet fidei veſtræ juſtitiæque præſidio ſuam reſtitui libertatem, ut per omnes Ægypti urbes dignitas Patrum & jus ſacerdotale reparetur. Datum undecimo * Kalendas Aprilis Leone & Majoriano Auguſtis Conſulibus.

Matt. 7. 6. *Pſ. 47. 46.* *Tit. 1. 16.* *Geneſ. 4. 10* Proterius, alter Abel, Timotheus alter Cain. * *al.* XII.

EPISTOLA CXLVII.

Ad Leonem Auguſtum.

S Y N O P S I S.

1 *Legatos mittit vice ſua pro Eccleſiæ libertate acturos, rogatque ne bene definita ad novum tractatum revocentur.*

2 *Semper diſputationi locum fore, ſi humano ratiocinio & Rethorum loquacitate expendi myſteria ſinantur.*

3 *Quam Evangelio & humanæ ſaluti inimicum ſit Eutychianorum dogma a Synodo proſcriptum; cui nulla diſputatione derogari debet.*

4 *Parricidas Alexandrinos omni indulgentia indignos eſſe, quibus tamen, ſi reſipiſcant, de miſericordia non deſperandum.*

5 *Legatos commendat, quos mittit non diſceptaturos, ſed ſupplicaturos; quænam pro pace Eccleſiæ ſiat agenda; correctis pœnitentiam non negandam, obduratis ſub Synodali ſententia remanentibus.*

Leo, Leoni Auguſto,

CAP. I.

MUltis manifeſtiſque documentis probatum eſſe mihi gaudens, quanto univerſali Eccleſiæ conſulatis affectu, præceptis pietatis veſtræ, ubi primum licuit, parere non diſtuli, dirigens Domitianum & Geminianum fratres & coepiſcopos meos, qui apud vos preces meæ ſolicitudinis exequentes, pro quiete vobis doctrinæ Evangelicæ ſupplicarent, & libertatem fidei, in qua ſecundum eruditionem Spiritus ſancti ipſe præcipue emines, obtinerent, repulſis procul hoſtibus Chriſti, qui etiamſi voluiſſent furorem ſuum tegere, non laterent; quia alia eſt dominici gregis ſancta ſimplicitas; alia ſub veſtitu ovium ſimulatio latentium beſtiarum: nec poſſunt jam per hypocriſim irrepere, quos tantæ furor manifeſtavit inſaniæ. Agnoſce igitur, Auguſte & venerabilis Imperator, in quantum totius mundi præſidium divina ſis providentia præparatus, & quid auxilii matri tuæ Eccleſiæ debeas, quæ te filio maxime gloriatur, intellige. Non ſinantur contra dexteræ omnipotentis triumphos redivivis aſſurgere motibus

al. Donatianum *Prudent. Legend. forte vices. Sequentia habet Facund. p. 67.* Non tunas, *ita legitur in Conſtituto Vigilii Papæ & in ep. Pelag. II. ad Eliam Aquil. ubi hæc reſeruntur.* exſurgere, *ita legit. utergue.*

tibus

al. conſtitutis *Vigilius.* *al.* quia leg... velle movere *Pelag. & Prudent.*

tibus extincta certamina ; præſertim cum id damnatis jamdudum hæreticorum auſibus omnino non liceat, & hic fructus piis laboribus debeatur, ut omnis Eccleſiæ plenitudo, in ſuæ unitatis ſoliditate ſecura permaneat, nihilque prorſus de bene compoſitis retractetur : quia poſt legitimas & divinitus inſpiratas conſtitutiones velle confligere non pacifici eſt animi, ſed rebellis ; dicente Apoſtolo : *Verbis enim contendere, ad nihil eſt utile, niſi ad ſubverſionem audientium.*

hominis *Pelag.* 2. Tim. 2. 14.

Cap. II. *al.* mundanæ. *Vigil. & Prud.* *Hucuſque Pelag. Vigil. & Facund.* & ſapientia *del. Prudent.*

Nam ſi humanis perſuaſionibus ſemper diſceptare ſit liberum, nunquam deeſſe poterunt, qui veritati audeant reſultare, & de humanæ ſapientiæ loquacitate confidere. Cum hanc nocentiſſimam vanitatem quantum debeat fides & ſapientia Chriſtiana vitare ex ipſa Domini noſtri Jeſu Chriſti inſtitutione cognoſcat ; qui omnes nationes ad illuminationem fidei vocaturus, non de Philoſophis, aut de Oratoribus, qui prædicando Evangelio famularentur, elegit ; ſed de humilibus & piſcatoribus, per quos ſancta manifeſtaret, aſſumſit : ne doctrina cœleſtis, quæ erat plena virtutibus, auxilio videretur indigere verborum. Unde Apoſtolus proteſtatur & dicit : *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare ; non in ſapientia verbi, ne evacuetur Crux Chriſti : verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt ; his autem qui ſalvi fiunt virtus Dei eſt ; ſcriptum eſt enim : Perdam ſapientiam ſapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens, ubi ſcriba? Ubi inquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?* Argumenta enim Rethoricæ, inſtitutæ ab hominibus verſutiæ diſputandi in eo præcipue gloriantur, ſi in rebus incertis, & opinionum varietate confuſis, ad hoc audientium trahant ſenſum, quod aſſerendum ingenio atque eloquio ſuo quiſque delegerit : & ita fit, ut quod majore facundia defenditur, verius æſtimetur. Sed Chriſti Evangelium hac arte non indiget : in quo doctrina veritatis ſuæ luce manifeſtata eſt ; nec quæritur quid auribus placeat, ubi veræ fidei ſufficit ſcire quis doceat.

ſancta *del. Prudentius.* 1. Cor. 1. 17.

al. Rethorica & inſtitutæ. *Prud.* *Ita Prud.* *pro quo Grim. Cod.* confiſis. *minus recte.* *Ita Prud.* *al.* fieri *in* Cod. Grim.

Hos autem, qui ſuis decipiuntur inventis, nihil magis ab Evangelica voce diſſociat, quam quod Incarnationis Dominicæ veritatem non putant ad humanam, id eſt, noſtram pertinere naturam : tanquam indignum fuerit gloria Dei, ut majeſtas Verbi impaſſibilis veritatem mortalis carnis aſſumſerit : cum aliter ſalus hominum reparari non poſſet, niſi qui eſt in forma Dei formam ſuſcipere dignaretur & ſervi. Unde cum ſancta Synodus Chalcedonenſis, quæ ab univerſis Romani orbis provinciis cum totius mundi eſt celebrata conſenſu, & a ſacratiſſimi Concilii Nicæni eſt indiviſa decretis, omnem Eutychiani dogmatis impietatem a corpore Catholicæ communionis abſciderit, quomodo erit cuiquam lapſorum ad Eccleſiaſticam pacem recurſus, niſi perfecta fuerit ſatisfactione purgatus. Nam quæ iſtis tribui poteſt licentia diſſerendi, qui juſto ſanctoque judicio meruere damnari : ut veriſſime illam ſententiam beati Apoſtoli Joannis exciperent, qua inter ipſa naſcentis Eccleſiæ exordia inimicos crucis Chriſti perculit dicens : *Omnis ſpiritus, qui confitetur* Jeſum Chriſtum *in carne veniſſe, ex Deo eſt ; et omnis ſpiritus qui ſolvit* Jeſum *ex Deo non eſt, ſed hic eſt antichriſti.* Qua ſancti Spiritus percurrente doctrina, pie nobis & conſtanter utendum eſt : ne, dum talium diſceptatio admittitur, his quæ divinitus definita ſunt autoritas derogetur ; dum per omnes regni veſtri partes, & in univerſis finibus terræ ea quæ apud Chalcedonam confirmata eſt fides, fundatiſſima pace ſervetur ; nec Chriſtiano ſit dignus nomine, qui ſe a conſortio noſtræ veritatis abrumpit. De quo Apoſtolus dicit : *Hæreticum hominem poſt unam et ſecundam correptionem devita ; ſciens, quia hujuſmodi perverſus eſt, et proprio judicio ſit damnatus.*

Ita Prud. Cod. Grim. manifeſtat. eſt, nec ſequitur *male.* *Male Grim.* quod doceat. *correctum ex Prud. qui capitibus ſeqq. 3. & 4. omiſſis pauca tantum refert ex quinti initio.*

Cap. III. Concilii œcumenici Caracteres duo 1. Ex omnibus provinciis. 2. Totius mundi conſenſus. 1. Joan. 4. 2.

Hæc habent Vigilius & Pelag. hicque epiſtola ad Baſilium tribuit. *al.* videndum *vel* vivendum, *vel* vitandum, *Vigil. Pelag.* diſputatio. *al.* eorum... autoritati *Pelag.* Tit. 3. 10.

Cap. IV. De Proterii Alexandrini cæde.

Quod ergo in ſanctæ Eccleſiæ pervaſione & in præſulis ipſius crudeliſſima cæde impius parricida commiſit, non poteſt humanis remiſſionibus expiari, niſi ille exoretur, qui talia & ſolus poteſt digne plectere, & ſolus ineffabili miſericordia relaxare. Nos vero non ultionum ſumus cupidi, ſed miniſtris diaboli non poſſumus ulla ex parte ſociari. Quos ſi a perverſis diſcedere, ab errore reſipiſcere, & ab armis diſcordiæ ad pœnitentiæ cognoſcamus lamenta converti, poſſumus etiam nos pro illis, ne in æternum pereant, ſupplicare : ut pietatis Domini utamur exemplo, qui pro perſecutoribus ſuis ligno crucis affixus orabat, dicens : *Pater ignoſce illis quia, neſciunt, quid faciunt.* Quod ut fructuoſe pro inimicis ſuis charitas faciat Chriſtiana, relinquant impii ſemper religioſam ſemperque devotam Eccleſiam Dei, neque ſimplicis populi animas hæretica audeant conturbare fallacia : ut ubi omnibus retro temporibus ſinceriſſima fides floruit, nunc quoque Evangelica & Apoſtolica poſſit vigere doctrina. Quia & nos divinam miſericordiam, in quantum valemus, imitantes, nullum juſtitia plecti, ſed omnes cupimus miſericordia liberari.

Luc. 23. 34.

Id eſt Alexandrinam quam invaſerant.

Cap. IV. *Hæc habet Prudent.*

Utatur, obſecro, Clementia tua prædictorum fratrum meorum ſuggeſtionibus ; quos, ſicut jamdudum in præmiſſa epiſtola ſum locutus, non diſceptaturos cum damnatis, ſed ſupplicaturos vobis pro Catholicæ tantum fidei ſtabilitate, direxi *. Et præcipue illud Pietas veſtra pro fide ſua & divinæ Majeſtatis contemplatione concedat, ut hæreticorum contentionibus prorſus amotis, miſericordem curam his qui infeliciter prolapſi ſunt dignetur impendere ; & libertate Alexandrinæ Eccleſiæ in ſtatum priſtinum revocata, antiſtes illic Chalcedonenſis Synodi Statuta cuſtodiens, & concordans Evangelicis diſciplinis, qui conturbatam plebem pacificare valeat, ordinetur. Hi etiam Epiſcopi vel clerici, quos de Eccleſiis ſuis depulit impius parricida, pietatis tuæ præceptione revocentur ; cæteris quoque, quos ſimilis malignitas habitationibus propriis fecit extorres, in ſtatum priſtinum reſtitutis ; quatenus plene atque perfecte de gratia Dei & fidei veſtræ merito ſine ullo jam concertationum ſtrepitu gaudeamus. Nam ſi quis ita Chriſtianæ ſpei ac propriæ ſalutis oblitus eſt, ut ad convulſionem ſacratiſſimi Concilii Nicæni, ſanctæ Chalcedonenſis Synodi Evangelicum Apoſtolicumque decretum violare aliqua diſputatione præſumat, hunc cum omnibus hæreticis, qui de Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti impia & deteſtanda ſenſerunt, ſimili anathemate parique execratione damnamus : ut legitima ſatisfactione correctis pœnitentiæ remedium non negetur, & in reſultantes ſententia ſynodalis, quæ veritatis eſt plena, permaneat. Data decimo ſexto Kalendas Septembris Leone & Majorano Auguſtis Conſulibus.

* *Hucuſque Prud.*

EPISTOLÆ DIVERSORUM

Ad D. Leonem Papam, & plerosque alios.

Ad D. Leonis, placuit etiam ſequentes aliorum adnectere, & propter affinitatem, quam habent cum illis, & quia & mutua ipſarum collatione non minus occaſio, locus, & tempus, ſed & materies, de qua tunc temporis agebatur clarius innoteſcet.

NOVELLA VALENTINIANI III. Auguſti una cum 83. Leonis Pp. epiſtola de eodem negotio miſſa in Gallias: De Epiſcoporum Ordinatione.

DE EPISCOPORUM ORDINATIONE.

Imperatores Theodoſius & Valentinianus Auguſti, Aetio Viro Illuſtri, Comiti et Magiſtro utriuſque militiæ et Patricio.

CErtum eſt & nobis & Imperio noſtro unicum eſſe præſidium in ſupernæ divinitatis favore, ad quem promerendum præcipue Chriſtiana fides & veneranda nobis religio ſuffragatur. Cum igitur ſedis Apoſtolicæ primatum ſancti Petri meritum, qui princeps eſt epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, ſacræ etiam ſynodi firmarit autoritas, ne quid præter autoritatem ſedis iſtius in licitum præſumtio attentare nitatur. Tunc enim demum eccleſiatum pax ubique ſervabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat univerſitas. Hæc cum hactenus inviolabiliter fuerint cuſtodita, Hilarius Arelatenſis, ſicut venerabilis viri Leonis Romani Papæ fideli relatione comperimus, contumaci auſu inclita quædam præſumendo tentavit, & ideo tranſalpinas eccleſias abominabilis tumultus iovaſit, quod recens maxime teſtatur exemplum. Hilarius enim, qui Epiſcopus civitatis Arelatenſis vocatur, Eccleſiæ Romanæ urbis inconſulto Pontifice, indebitas ſibi ordinationes, Epiſcopotum ſola temeritate uſurpans invaſit. Nam alios incompetenter removit, indecenter alios invitis & repugnantibus civibus ordinavit. Qui quidem, quoniam non facile ab his qui non elegerant, recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem vel obſidione cingebat, vel aggreſſione reſerabat, & ad ſedem quietis pacem prædicaturos per bella ducebat. His talibus & contra Imperii majeſtatem, & contra reverentiam apoſtolicæ ſedis admiſſis per ordinem religioſi viri Urbis Papæ cognitione diſcuſſis, certa in eum, & de his, quos male ordinaverat, lata ſententia eſt. Et erat quidem ipſa ſententia per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis autoritati in eccleſiis non liceret? Sed noſtra quoque præceptio & ratio probavit, ne ulterius, vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis liceat obviare. Auſibus enim talibus fides & reverentia noſtri violatur Imperii. Nec hoc ſolum, quod eſt maximi criminis, ſubmovimus, verum ne levis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra conſuetudinem veterem liceat, ſine viri venerabilis Papæ Urbis æternæ autoritate tentare. Sed hoc illis omnibuſque pro lege ſit, quidquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis autoritas: ita ut quiſquis Epiſcoporum ad judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorem ejuſdem provinciæ adeſſe cogatur: per omnia ſervatis, quæ divi parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt Aeti P. K. A. Unde induſtris & præclara magnificentia tua præſentis edictalis legis autoritate faciet quæ ſunt ſuperius ſtatuta ſervari, decem librarum auri multa protinus exigenda ab unoquoque judice, qui paſſus fuerit præcepta noſtra violari. *Et manu divina.* Divinitas te ſervet per multos annos parens cariſſime. Dat. VIII. Id. Jun. Romæ Valentiniano A. VI. Cos.

Chriſtianorum *id.* — firmet *id.* — *Ita Tb. vulg.* — præſumenda. — Pontifice, judicia, ſive ordinatione *Thu*, nam aliquos invitis & repug. cir. ord. *caetera del. Tb.* — quidem *del. Thu.* — *ita Tb. Al.* cingebant. reſerabant. dulcebant. — *add.* Et, *ex Thu.* — religioſi viri *del. Tb.* ſic *Thu.* — *Al.* meum ex his. — *ita Thu. vulg.* in Eccleſias. — *al.* ſed noſtram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulterius nec.

Al. ſummovemus *Thu.* — *Al.* Cenſemus *Thu.* — *Al.* contulerunt *Tb.* — *Cætera in Thu. deſiderantur præter hæc verba* Dat. VIII. *Id.* Juli R. Valentiniano Aug.

S. TURRIBII ASTURICENSIS epiſtola, de non recipiendis in autoritatem Fidei apocryphis ſcripturis, & de ſecta Priſcillianiſtarum.

Sanctis ac Beatiſſimis, et omni veneratione colendis, Idacio *et* Ceponio *Epiſcopis,* Turribius.

MOleſta ſemper eſt, & injucunda peregrinatio, quam afficiunt duri labores, & lacrymabiles neceſſitatum curæ. Habet tamen aliquid adjumenti, cum adeundo incognita, vel ignorata diſcendo, quodam profectu mentis augemur; plerumque ea, quæ apud nos optima videbantur, prava eſſe atque deterrima, reddita nobis meliorum ratione, noſcentes. Quod mihi uſuvenit, qui diverſas provincias adeundo, io omnibus Eccleſiis, quæ in unitatis communione conſiſtunt, condemnatis omnibus errorum ſectis, reperi unum atque eumdem Catholicæ Fidei ſenſum teneri ex puriſſimo veritatis fonte venientem: qui in nulla divortia multifidis rivulis ſciſſus camporum plana in cœnoſas voragines ſolvat, quæ rectum Fidei iter impediant. Eos vero, quos pravorum dogmatum virus infecerit, aut correctos piæ parentis gremio reformari compellit, aut pertinaciter contumaces, veluti abortivos partus ac non legitimam ſobolem ex conſortio ſanctæ hæreditatis expellit.

V. ep. 93. Cap. I. — *Al.* efficiunt. — *al.* inſtrumenti. — Communio unitatis.

Quapropter mihi poſt longas annorum metas ad patriam reverſo, ſatis durum videtur, quod ex illis traditionibus, quas olim Catholica damnavit Eccleſia, quaſque jamdudum abolitas eſſe credebam, nihil penitus imminutum eſſe reperio. Imo etiam pro uniuſcujuſque ſtudio & voluntate prava dogmata, velut quibuſdam hydrinis capitibus pullulare cognoſco: cum alii veteri errori blaſphemiarum ſuarum augmenta contulerint, alii integrum cum uſque adhuc retenent; alii vero, quos

Cap. II.

ex

Digitized by Google

ex parte aliqua ad reſpectum ſui contemplatio veritatis adduxit, ex illius ſenſibus retinendo nonnulla, reliquis vinculentur. Quod quidem per mala temporis noſtri, Synodorum conventibus decretiſque ceſſantibus, liberius crevit: & impiiſſime, quod eſt cunctis deterius ad unum altare diverſis Fidei ſenſibus convenitur.

CAP. III. Hæc ego ut loqui audeam, piæ potius erga patriam charitatis, quam temerariæ præſumtionis eſſe confiteor. Nam alias plenus omnium peccatorum, & magnorum criminum reus, quo auſu hæc ad vos ſcriberem, memor Dominicæ vocis, quæ dicit: *In alieno oculo feſtucam vides, in tuo trabem non reſpicis?* (Matth. 7. 3.) Deinde conſcius ejus ſententiæ, quæ admonuit dicens: *Peccatori dixit Deus: Quare prædicas juſtitias meas, et aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* (Pſ. 49. 16.) Sed iterum illud aſpicio, quod infra ſcriptum eſt: *Furem videbas, et currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.* (Ibid. 18.) Neque enim illa ſola ſunt furta, quæ alienorum direptione committuntur; vel ſola illa adulteria, quæ violatis maritalis thori affectibus perpetramus; ſed & ſubtractis, quæ vera ſunt, furtum Catholicæ Fidei perverſi dogmatis facit aſſertio, & adverſus veritatem verbi Dei malarum doctrinarum adulterio, zizaniæ ſemina jaciuntur. Loquarne ergo, an taceam, neſcio, quia utrumque formido. Sed ne forte Sanctitas veſtra, quæ mala, quantæque blaſphemiæ apocryphis libris, quos hi noſtri vernaculi hæretici ad vicem ſanctorum Evangeliorum legunt, continentur, ignoret; maximi facinoris reum me eſſe credo, ſi taceam. Itaque hæc non adhortatio autoritatis alicujus eſt, ſed potius ſuggeſtionis inſtructio.

CAP. IV. Primum ergo eſt, ut illa pateſaciam, quæ in plurimorum fide, vel magis perfidia eſſe cognovi; quæ cum a multis publico pene magiſterio doceantur, ſi Catholicorum aliquis paulo conſtantius, deſtructionis cauſſa, aſſertioni reſiſtat, continuo inficias eunt, & perfidiam perfidia occulunt. Quod ne ultra jam faciant, & apocryphis ſcripturis, quas Canonicis libris, veluti ſecretas & arcanas præferunt, & quas maxima veneratione ſuſcipiunt, & ex his quas legunt traditionibus, dictiſque autorum ſuorum, ea quæ in ipſis arguuntur, vera eſſe docentes: aliqua autem ex his, quæ in iſtorum doctrina ſunt, in illis, quos legere potui, apocryphis codicibus non tenentur. Quare unde prolata ſint neſcio, niſi forte ubi ſcriptum eſt per cavillationes illas, per quas loqui ſanctos Apoſtolos mentiuntur, aliquid interius indicatur, quod diſputandum ſit potius, quam legendum, aut forſitan ſint libri alii, qui occultius ſecretiuſque ſerventur, ſolis, ut ipſi ajunt, perfectis patentes.

CAP. V. Apocryphi Gnoſticorum. Illud autem ſpecialiter in illis actibus, qui *S. Thomæ* dicuntur, quæ cæteris notandum atque execrandum eſt, quod dicit eum non baptizare per aquam, ſicut habet Dominica prædicatio, ſed per oleum ſolum: quod quidem iſti noſtri non recipiunt, ſed Manichæi ſequuntur. (*Forte leg.* incipiunt.) Quæ hæreſis quæ eiſdem libris utitur, & eadem dogmata, & his deteriora ſectatur, ita execrabilis univerſis per omnes terras, ad primam profeſſionis ſuæ confeſſionem, nec diſcuſſa, damnetur oportet, per cujus autores, vel per maximum Principem Manem ac diſcipulos ejus, libros omnes apocryphos, vel compoſitos, vel infectos eſſe, manifeſtum eſt: ſpecialiter autem *actus* illos, qui vocantur *S. Andreæ*; vel illos, qui appellantur *S. Joannis*, quos ſacrilego Leucius ore conſcripſit; vel illos, qui dicuntur *S. Thomæ*, & his ſimilia, ex quibus Manichæi, & Priſcillianiſtæ, vel quæcunque illis eſt ſecta germana, omnem hæreſim ſuam confirmare nituntur: & maxime ex blaſphemiſſimo illo libro, qui vocatur *Memoriæ Apoſtolorum*, in quo ad magnam perverſitatis ſuæ autoritatem doctrinam Domini mentiuntur: qui totam deſtruit legem veteris Teſtamenti, & omnia, quæ S. Moyſi de diverſis creaturæ, factoriſque divinitus revelata ſunt; præter reliquas ejuſdem libri blaſphemias, quas referre pertæſum eſt.

CAP. VI. Ut autem mirabilia illa, atque virtutes, quæ in apocryphis ſcripta ſunt, Sanctorum Apoſtolorum, vel eſſe, vel potuiſſe eſſe, non dubium eſt; ita diſputationes, aſſertioneſque illas ſenſuum malignorum ab hæreticis conſtat inſertas. Ex quibus Scripturis diverſa teſtimonia blaſphemiis omnibus plena ſub titulis ſuis adſcripta digreſſi: quibus etiam, ut potui, pro ſenſus mei qualitate reſpondi.

CAP. VII. Quod ideo neceſſe habui paulo latius veſtris auribus intimare; ut vel poſthac nemo quaſi inſcius rerum dicat, ſe ſimpliciter hujuſmodi libros vel habere, vel legere. Veſtræ autem exiſtimationis, atque cenſuræ merito fuerit, univerſa perpendere; & ea, quæ ſine ambiguitate veritati ac Fidei contraria videritis, cum aliis fratribus veſtris, quoſcunque vobis zelus Catholicæ Religionis, vel pium ſtudium ſociaverit, illam excuſationem ſpirituali gaudio reſecare, & ignita divini verbi virtute compeſcere.

EPISTOLA PETRI CHRYSOLOGI Epiſcopi Ravennenſis ad Eutychen Presbyterum.

S Y N O P S I S.

Jam olim præſcriptum eſſe docet contra errores Incarnationem Verbi impugnantes; nec diſcutiendam eſſe, ſed cum honore & timore credendam.

Dilectiſſimo filio, & merito honorabili Eutychi Presbytero Petrus Epiſcopus.

CAP. I. TRiſtis legi triſtes litteras tuas, & ſcripta mœſta mœrore debito percurri: Quia ſicut nos pax Eccleſiarum, Sacerdotum concordia, tranquillitas plebis, audire facit gaudium cœleſte; (*al.* gaudere facit gaudio cœleſti.) ita nos affligit & dejicit fraterna diſſenſio; præſertim cum talibus oriatur ex cauſſis. Triginta (*al.* decem.) annis humanæ leges humanas adimunt quæſtiones, & Chriſti generatio, quæ divina lege ſcribitur inenarrabilis (Iſ. 53. 8.), poſt tot ſæcula diſputatione temeraria ventilatur. Quid Origenes principiorum ſcrutator incurrerit; quomodo Neſtorius lapſus eſt diſputans de Naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Jeſum in cunabulis Deum myſticis muneribus confitentur (Matth. 2.): & Sacerdotes, quis ſit, qui virginali partu de Spiritu ſancto natus eſt, dolenda interrogatione (*Forte* doloſa.) diſquirunt: cum vagitum daret Jeſus in cunis, *Gloria in excelſis Deo*, cœleſtis clamat exercitus (Luc. 2. 14. *al.* gloriam): & modo quando *in nomine* Jeſu *omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum* (Phil. 2. 10.), originis ejus quæſtio movetur? Nos, frater, cum Apoſtolo dicimus: *Etſi novimus* Jeſum *ſecundum carnem; ſed nunc jam non novimus.* (Cor. 5. 16.) Nec poſſumus injurioſe (*al.* curioſe perſcrutari.) replicare, qui jubemur honorem dare, & timorem reddere, & expectare non diſcutere, quem Judicem confitemur.

Cap. 51. *al.* Hebreviter. *al.* neglectum. *al.* judex. Petrus regii ſuæ ſedis Rectores.

His omnibus reſpondi, Frater, litteris tuis; plura reſcripturus, ſi ad me frater & Coepiſcopus noſter Flavianus aliqua de hac cauſſa ſcripta miſiſſet. Si enim tibi diſplicet, quoniam ſcripſiſti electum judicium, nos quomodo de his judicare poterimus, quos neque vidimus propter abſentiam, & quid intellexerunt, eorum taciturnitate neſcimus? Juſtus mediator non eſt, qui ſic unam partem audit, ut nihil alteri parti reſervet. In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ a beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis & fidei extra conſenſum Romanæ civitatis Epiſcopi cauſſas fidei audire non poſſumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longiſſimo conſervare dignetur, cariſſime & honoratiſſime fili.

EPISTOLÆ FLAVIANI CP. Epiſcopi ad Leonem Papam,

Ex MS. Codice Bibliothecæ Thuanææ nunc primum edita.

V. p. 502. Cap. I. *Jac.* 3. 8. 1. *Petr.* 5. 8. *In MS.* Clerus.

NIhil eſt quod ſtare faciat diaboli nequitiam; *incontentibile malum, plenum veneno mortifero*: ſurſum atque deorſum *circuit quærens*, quem percutiat, quem turbet, *quem devoret*: Unde & vigilare & ſobrii eſſe ad orationes, & propinquare Deo, & fatuas quæſtiones reſpuere, & patres ſequi, & non tranſgredi terminos æternos Scriptura ſancta didicimus. Deponentes itaque tumorem luctus, lachrymarum multitudinem, quoniam *unus* eorum, qui ſub me conſtituti ſunt, clericus captus eſt, nec eum ſalvare prævalui, neque lupo præripere; licet animam meam paratus fuiſſem ponere pro eo. Ut raptus eſt, ut exilivit, odio habens vocantis vocem, & ad perditionem maxime currens, & memorias quoque paternas declinans, & eorum itinera prorſus abhorrens, pergo in hunc ſermonem.

Cap. II. *Matth.* 7. 15. 1. *Joan.* 2. 19. 2. *Petr.* 3. 16. *Pſ.* 139. 4.

Sunt quidam *in veſtimentis ovium; intus autem lupi rapaces*: quos ex fructibus agnoſcemus. Iſti primum quidem videntur eſſe ex nobis, ſed non ſunt ex nobis: *Si enim eſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum*: Cum vero aliquando ſuam evomuerint impietatem, dolum qui in eis eſt erumpentes, & apprehendentes inferiores, & eos qui ad eloquia divina ſenſus inexercitatos habent, ſecum eos pertrahunt ad perditionem, ſubvertentes & injuriantes paternas doctrinas, ſicut & ſanctas Scripturas ad perditionem ſuam: quos oportet præſcientes cavere, ne malitia eorum quidam ſeducti abſcindantur a propria firmitate. *Exacuerunt enim linguas ſuas ſicut ſerpentes; venenum aſpidum ſub labiis eorum*; ſicut de his Propheta clamavit.

Cap. III. *Matth.* 18.

Talis igitur nobis quidam nunc apparuit Eutyches dudum Presbyter & Archimandrita, tanquam ea, quæ noſtra ſunt, ſapiens, & rectam fidem in ſe habens; Neſtorii quidem impietati reſiſtens, & pugnam adverſus eum ſimulans; trecentorum vero decem & octo ſanctorum Patrum de fide confectam expoſitionem, & ſanctæ memoriæ Cyrilli ad Neſtorium ſcriptam epiſtolam, & ejuſdem ſimiliter ad Orientales, quibus omnes conſenſerunt, conatus evertere; & antiqua impii Valentini & Apollinaris mala dogmata renovare. Nec timuit regis veri præceptum dicentis: *Quicunque ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis minimis, melius erat ut ſuſpenderetur mola aſinaria circa collum ejus, & mergeretur in profundum maris*. Verecundiam autem omnem abjiciens; & pellem quæ eum circumdabat excutiens, aperte coram ſancta Synodo noſtra affirmabat, dicens: Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non oportere ex duabus naturis poſt inhumanationem, in una ſubſiſtentia, & in una perſona a nobis agnoſcendum: neque carnem Domini conſubſtantialem nobis eſſe, tanquam ex nobis aſſumtam, & unitam Deo verbo ſecundum ſubſiſtentiam: ſed dicebat, Virginem quidem, quæ eum peperit, ſecundum carnem conſubſtantialem nobis eſſe, ipſum autem Dominum non ſumſiſſe ex ea carnem nobis conſubſtantialem; ſed Domini corpus non eſſe quidem corpus hominis, humanum autem corpus (eſſe) quod ex virgine eſt: omnibus expoſitionibus ſanctorum Patrum reſiſtens.

Cap. IV.

Sed ne cuncta percurrens immenſitatem litteris faciam, geſta, quæ dudum in eo confecta ſunt, direximus tuæ ſanctitati; in quibus & ſacerdotio eum veluti interdiximus, & Monaſterii diſpoſitione, & noſtra communione privavimus: quatenus & tua ſanctitas cognoſcens, ea quæ ejus ſunt, omnibus qui ſub tua reverentia conſtituti ſunt, Deo amantiſſimis Epiſcopis manifeſtam faciat impietatem; ne forſitan ignorantes ea, quæ ſapit, & in quibus aperte captus eſt, tanquam ad conſortem fidei litteras, aut aliter Confeſſiones ad eum reperiantur efficere. Omnem cum veſtra beatitudine in Chriſto fraternitatem, ego & qui mecum ſunt plurimum ſalutamus. Incolumis in Domino, & orans pro nobis, doneris nobis, Deo amantiſſime Pater.

Θεῖον γράμμα καταπεμφθὲν, παρὰ μὲν τοῦ δεσπότου ἡμῶν Οὐαλεντινιανοῦ, παρὰ δὲ τῆς θείας μνήμης Πλακιδίας, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς προσκυνητῆς βασιλίδος Εὐδοξίας, πρὸς τὸν τῆς θείας μνήμης Θεοδόσιον, ὥστε κελεῦσαι ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Ἰταλίας σύνοδον ἐπιτελεσθῆναι.

Τῷ δεσπότῃ Θεοδοσίῳ, ἐνδόξῳ, νικητῇ, καὶ τροπαιούχῳ, αἰωνίῳ βασιλεῖ, καὶ πατρὶ, νικητὴς Οὐαλεντινιανὸς, ἔνδοξος, τροπαιοῦχος, ἀεὶ βασιλεὺς, καὶ υἱός.

ΠΑραγινομένου μου ἐν τῇ πόλει Ῥώμῃ ἐξευμενίσασθαι τὸ θεῖον, τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ ἐν τῷ μαρτυρίῳ τοῦ ἀποστόλου Πέτρου προελθόντος· κἀκεῖσε μετὰ τὴν σεβάσμιον νύκτα τῆς ἡμέρας τοῦ ἀποστόλου, ὑπό τε τοῦ Ῥώμης ἐπισκόπου, ὑπό τε ἑτέρων, αὐτῷ ἅμα ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν συνηγμένων, ἠξιώθην γράψαι πρὸς τὴν σὴν ἡμερότητα περὶ τῆς πίστεως· ἥτις φύλαξ ὑπάρχουσα πασῶν τῶν πιστευουσῶν ψυχῶν, λέγεται τεταράχθαι· ἣν ἡμεῖς ἀπὸ τῶν προγόνων παραδοθεῖσαν, ὀφείλομεν μετὰ τῆς προσηκούσης καθοσιώσεως ἐκδικεῖν, καὶ τῆς ἰδίας εὐλαβείας τὴν ἀξίαν τῷ * μακαρίῳ ἀποστόλῳ Πέτρῳ ἄτρωτον καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις χρόνοις διαφυλάττειν· ἵνα ὁ μακαριώτατος ἐπίσκοπος τῆς Ῥωμαίων πόλεως, ᾧ τὴν ἱερωσύνην κατὰ πάντων ἡ ἀρχαιότης παρέσχε, χώραν, καὶ εὐπορίαν ἔχειν περί τε πίστεως, καὶ ἱερέων κρίνειν. δέσποτα ἁγιώτατε πάτερ, καὶ σεβάσμιε βασιλεῦ. τούτου γὰρ χάριν κατὰ τὸ ἔθος τῶν ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος αὐτὸν ἐπεκαλέσατο διὰ λιβέλλων, ἕνεκα τῆς * ἀνακυψάσης φιλονεικίας περὶ τῆς πίστεως· * τῷ οὖν αἰτοῦντι, καὶ ἐνευχομένῳ τὴν κοινὴν σωτηρίαν ἡμῶν, ἐπινεῦσαι οὐκ ἠρνησάμην τὸ πρὸς τὴν σὴν ἡμερότητα τὴν ἐμὴν αἴτησιν εἰσενεγκεῖν· ἵνα ὁ προλεχθεὶς ἱερεὺς, συναχθέντων ἐκ πάσης τῆς οἰκουμένης καὶ τῶν λοιπῶν ἱερέων, ἐν τοῖς τῆς Ἰταλίας, παντὸς προκρίματος ἀποκινηθέντος, ἐξ ὑπαρχῆς τὴν τρεφομένην αἰτίαν πεφροντισμένῃ δοκιμασίᾳ διαγνοὺς, ἐξοίσῃ τὴν ἀπόφασιν, ἣν ἡ πίστις, καὶ ὁ τῆς ἀληθοῦς θειότητος λόγος ἀπαιτεῖ. οὐ γὰρ ὀφείλει ἐν τοῖς ἡμετέροις καιροῖς καινότης θρησκείας εἰσάγεσθαι θορύβῳ προπετείας, ἀσαλεύτου τῆς πίστεως μέχρις ὧδε διαφυλαχθείσης. πρὸς δὲ πλείονα διδασκαλίαν τῆς σῆς θειότητος ἀπεστείλαμεν καὶ τὰ πεπραγμένα, δι᾽ ὧν καὶ τὰς ἐπιθυμίας, καὶ τὰς ἐκβοήσεις πάντων, ἡ ὑμετέρα εὐσέβεια καταμάθοι.

* μακαριωτάτῳ.

* τεθρυψάσης. * τούτῳ. Lat.

Sacræ litteræ a Domino noſtro Valentiniano, & divæ memoriæ Placidiæ, necnon & venerabili Eudoxia Auguſta, ad Theodoſium divæ memoriæ miſſæ, ut juberet in partibus Italiæ Concilium celebrari.

Domino Theodoſio, glorioſo, victori & triumphatori, perpetuo Imperatori & Patri, Valentinianus glorioſus, victor ac triumphator ſemper Auguſtus & filius.

CUm adveniſſem in urbem Romam ad divinitatem placandam, ſequenti die ad baſilicam Apoſtoli Petri proceſſi, & illic poſt venerabilem noctem diei Apoſtoli, & a Romano Epiſcopo, & ab aliis cum ex diverſis provinciis congregatis, rogatus ſum ſcribere veſtræ manſuetudini de fide, quæ cum ſit conſervatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam nos a noſtris majoribus traditam, debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Apoſtolo Petro intemeratam & in noſtris temporibus conſervare: quatenus beatiſſimus Romanæ civitatis epiſcopus, cui principatum ſacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & ſacerdotibus judicare, Domine ſanctiſſime Pater, & venerabilis Imperator. Hujus enim rei gratia ſecundum ſolemnitatem Conciliorum, & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem quæ orta eſt de fide. Huic itaque poſtulanti & conjuranti ſalutem noſtram communem annuere non negavi, quatenus ad tuam manſuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus ſacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis ſacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio ſubmoto, a principio omnem cauſſam quæ vertitur ſolicita probatione cognoſcens, ſententiam ferat, quam fides & ratio veræ divinitatis expoſtulat. Non debet enim noſtris temporibus contra religionem turbarum petulantia prævalere, cum incommota fides hactenus fuerit conſervata. Ad perfectiorem vero agnitionem veſtræ dignitatis direximus etiam geſta, per quæ & deſideria & exclamationes omnium pietas veſtra cognoſcat.

Venerabilis nox diei Apoſtoli ſeu vigilia feſti.

Principatus Romani Pontificis ab antiquitate collatus.

ſacratiſſime.

Concilium in Italia petit.

divitatis.

Geſta Synodi Romanæ.

explanationem.

Ἐπιστολὴ Θεοδοσίου, ἀντιγραφεῖσα πρὸς Οὐαλεντινιανόν.

Δεσπότῃ ἐμῷ Οὐαλεντινιανῷ αἰωνίῳ Αὐγούστῳ Θεοδόσιος.

ΚΑὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ παραγεγενῆσθαι τὴν σὴν ἡμερότητα, καὶ αἴτησιν προσενεχθῆναι παρὰ Λέοντος τοῦ εὐλαβεστάτου πατριάρχου, δεδήλωται παρὰ τῆς σῆς μεγαλειότητος ἐν τῷ αὐτῷ ὕφει τῶν γραμμάτων. καὶ περὶ μὲν τῆς σῆς ὑγιοῦς ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπανόδου χάριτας ἀποδεδώκαμεν ἀξίως τῇ θείᾳ μεγαλειότητι, δέσποτα ἁγιώτατε υἱὲ, καὶ προσκυνητὲ βασιλεῦ. περὶ δὲ τούτων, ὧν ἔφη ὁ μνημονευθεὶς εὐλαβέστατος ἀνὴρ, δεδήλωται πρὸς αὐτὸν πλατύτερον, καὶ πληρέστατον,

Epiſtola Theodoſii ad Valentinianum reſcripta.

Domino meo Valentiniano ſemper Auguſto Theodoſius.

ET Romam perveniſſe tuam manſuetudinem, & petitionem oblatam a Leone reverendiſſimo Patriarcha, in ipſo principio litterarum a tua majeſtate ſignificatum eſt. Et de tua quidem incolumi in Romanam urbem reverſione gratias competentes divinæ majeſtati reddimus, Domine ſanctiſſime fili & venerabilis Imperator. De his autem quæ dixit memoratus reverendiſſimus vir, indicatum eſt ad eundem latius atque pleniſſime, ſicut arbitramur, & cognovit nos in nulla parte a paterna religione & majorum traditione reſi-

eodem contexte.

καθὼς ὑπολαμβάνομεν ἐν μηδενὶ μέρει ἔγνω ἡμᾶς ἀπὸ τῆς πατρῴας θρησκείας, καὶ τῆς τῶν προγόνων παραδόσεως ἀποπεποδοκέναι. οὐδὲν γὰρ ἄλλο βουλόμεθα, ἢ εὐχόμεθα, ἤπερ τὰ μυστήρια τὰ πατρῷα, τὰ κατὰ διαδοχὴν ἡμῖν παραδοθέντα. ἀκίνητα φυλαχθῆναι. διὰ ταύτην τοιγαροῦν τὴν αἰτίαν, ἐπειδή τινας ἔγνωμεν τὰς ἁγιωτάτας ἐκκλησίας ἐπιβλαβεῖ καινισμῷ θορυβεῖν, σύνοδον ὡρίσαμεν ἐν Ἐφέσῳ γενέσθαι. δηλαδὴ παρουσίᾳ τῶν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων μετὰ πολλῆς ἐλευθερίας, καὶ ὁλοκλήρου ἀληθείας, καὶ οἱ ἀνάξιοι τῆς ἱερωσύνης ἀπεκινήθησαν, καὶ οἱ κριθέντες ἄξιοι προσεδέχθησαν. οὐδὲν τοίνυν ὑπεναντίον παρὰ τούτων τοῦ κανόνος τῆς πίστεως, ἢ τοῦ δικαίου, ἔγνωμεν γεγενῆσθαι. πᾶσα τοιγαροῦν ἀμφιβολία τῷ θείῳ δικαστηρίῳ ἐξήτασται. Φλαβιανὸς δὲ ὁ εὑρεθεὶς αἴτιος τοῦ βλαβεροῦ καινισμοῦ, τὴν ὀφειλομένην ἑαυτῷ τιμὴν ἀπηνέγκατο. καὶ τούτου ἀποκινηθέντος, πᾶσα εἰρήνη, καὶ πᾶσα συμφωνία ἐν ταῖς ἐκκλησίαις βασιλεύει, καὶ οὐδὲν ἕτερον κρατεῖ, εἰ μὴ καθαρὰ ἡ ἀλήθεια,

liiſſe. Nihil enim aliud volumus, quam ſacramenta paterna per ſucceſſionem nobis tradita, inviolabiliter cuſtodiri. (*Rectæ fidei aut juſtitiæ,*) Propter hanc igitur cauſſam, quod quoſdam cognovimus ſanctiſſimas Eccleſias nocibili novitate turbare, ſynodum decrevimus Epheſi fieri. In præſentia quippe reverendiſſimorum Epiſcoporum, cum multa libertate ac integra veritate & indigni ſacerdotio remoti ſunt, & qui judicati ſunt eſſe digni, ſuſcepti ſunt. Nihil igitur ab his contrarium regulæ fidei aut juſtitiæ factum eſſe cognovimus. Omnis igitur contentio, ſacro judicio examinata eſt. Flavianus autem qui reus inventus eſt læſibilis novitatis, debitam pœnam recepit. Et hoc remoto, omnis pax & omnis concordia regnat in Eccleſiis, & nihil aliud quam veritas viget.

Ἐπιστολὴ Γάλλης Πλακιδίας Βασιλίδος πρὸς Θεοδόσιον βασιλέα υἱόν.

Δεσπότῃ νικητῇ Θεοδοσίῳ, καὶ τροπαιούχῳ, ἀεὶ βασιλεῖ, υἱῷ Γάλλα Πλακιδία ἡ εὐσεβεστάτη, καὶ αὐθοῦσα, αἰωνία βασιλὶς καὶ μήτηρ.

Ὁπηνίκα ἐν αὐτῇ τῇ εἰσόδῳ τῆς ἀρχαίας πόλεως ταύτην ἐτιθέμεθα τὴν φροντίδα, ἀποδοῦναι τὴν προσκύνησιν τῷ μακαριωτάτῳ ἀποστόλῳ Πέτρῳ ἐν αὐτῷ τῷ προσκυνητῷ θυσιαστηρίῳ τοῦ μάρτυρος ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Λέων, ὀλίγον ἐπισχὼν ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς εὐχῆς, ἕνεκα τῆς καθολικῆς πίστεως πρὸς ἡμᾶς ἀπωδύρατο. αὐτόν τε ὁμοίως τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων, ὃν καὶ ἔναγχος * προσείπομεν, μάρτυρα συλλαβόμενος, περιστοιχισμένος τῷ πλήθει ἐπισκόπων, οὕστινας ἀπὸ ἀναριθμήτων πόλεων ἐν τῇ Ἰταλίᾳ συνήγαγεν ὑπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ ἰδίου τόπου, καὶ τῆς ἀξίας, καὶ τοῖς ῥήμασι συνάπτων τὰ δάκρυα, εἰς κοινωνίαν τῶν ἰδίων θρήνων καὶ τὰς ἡμετέρας οἰμωγὰς ἐξεκαλέσατο. οὐ μικρὰ γὰρ ἐκ τῶν γεγενημένων ζημία, τὴν τοσούτοις χρόνοις φυλαχθεῖσαν τοῦ καθολικοῦ κανόνος πίστιν ἀπὸ τοῦ θειοτάτου πατρὸς ἡμῶν Κωνσταντίνου, ὃς πρῶτος ἐν τῷ βασιλείῳ διέλαμψε χριστιανός, ἔναγχος τεταράχθαι πρὸς ὑπόληψιν ἑνὸς ἀνθρώπου. ὅστις ἐν τῇ συνόδῳ τῆς Ἐφεσίων πόλεως μῖσος, καὶ ἀψιμαχίαν μᾶλλον λέγεται γεγυμνακέναι, τῇ τε τῶν στρατιωτῶν, παρουσίᾳ, καὶ τῷ φόβῳ καταπλήττων τὸν ἐπίσκοπον τῆς Κωνσταντινουπόλεως Φλαβιανόν, διὰ τὸ λίβελλον στεῖλαι πρὸς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον, καὶ πρὸς πάντας τοὺς ἐπισκόπους τῶν μερῶν τούτων διὰ τῶν ἀποσταλέντων ἐν συνόδῳ παρὰ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ῥώμης· οἵ τινες κατὰ τοὺς ὅρους τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου εἰθισθήσαν συνεῖναι, δέσποτα * ἁγιώτατε υἱὲ βασιλεῦ προσκυνητέ. τούτου χάριν ἡ σὴ ἡμερότης τοῖς τοσούτοις θορύβοις ἀντιτιθεῖσα τὴν ἀλήθειαν, ἄσπιλον τὴν πίστιν τῆς καθολικῆς θρησκείας παραφυλαχθῆναι προσταξάτω. ἵνα κατὰ τὸν τύπον, καὶ τὸν ὅρον τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ὃν καὶ ἡμεῖς ὁμοίως, ὡς προηγούμενον, προσκυνοῦμεν, ἐν τῇ στάσει τῆς ἱερωσύνης ἀβλαβῶς μένοντος ἐν πᾶσι Φλαβιανοῦ, ἐν τῇ συνόδῳ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἡ δίκη

* ὠμόσαμεν.

* ἴσως ἁγιώτατε.

Epiſtola Gallæ Placidiæ Auguſtæ ad Theodoſium Imperatorem filium.

Domino victori Theodoſio & triumphatori, ſemper Auguſto filio, Galla Placidia piiſſima & florens, perpetua Auguſta & mater.

CUm in ipſo ingreſſu civitatis antiquæ hanc curam habuiſſemus, ut cultum beatiſſimo Petro Apoſtolo redderemus, in ipſo adorando altari martyris reverendiſſimus Leo Epiſcopus, paululum ſe poſt orationem retinens, propter Catholicam fidem apud nos deflevit, ipſum ſimiliter ſummum Apoſtolorum, quem nuper, audieramus, teſtem objiciens, Epiſcoporum multitudine circumſeptus, quos ex innumerabilibus, civitatibus Italiæ pro principatu proprii loci ſeu dignitate collegit: & verbis permiſcens lacrymas, ad communionem ſui fletus noſtros quoque gemitus provocavit. Non enim modicum detrimentum eſt ex his quæ geſta ſunt; ut fides, quæ tantis temporibus regulariter cuſtodita eſt a ſacratiſſimo patre noſtro Conſtantino, qui primus imperio ſplendit Chriſtianus, perturbata ſit ad arbitrium unius hominis, qui in ſynodo Epheſinæ civitatis odium & contentiones potius exercuiſſe narratur, militum præſentia & metu impetens Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum Flavianum, eo quod libellum ad Apoſtolicam ſedem miſerit, & ad omnes Epiſcopos harum partium, per eos qui directi fuerunt ad Concilium a Reverendiſſimo Epiſcopo Romæ, qui ſecundum definitiones Niceni Concilii conſueti ſunt intereſſe, Domine ſacratiſſime fili, venerabilis Imperator. Hac itaque gratia, tua manſuetudo tantis turbis reſiſtens, veritatem fidei Catholicæ religionis immaculatam ſervari præcipiat: ut ſecundum formam & definitionem Apoſtolicæ ſedis, quam & nos tanquam præcellentem ſimiliter veneramur, in ſtatu ſacerdotii illæſo manente per omnia Flaviano, ad Concilium Apoſtolicæ ſedis judicium tranſmittatur, in qua primus ille, qui cœleſtes claves dignus fuit accipere, principatum epiſcopatus ordinavit; quando ſcilicet decet nos huic maximæ civitati quæ domina omnium eſt civitatum, in omnibus reverentiam conſervare.

adieramus.

in unum enumerabilibus.

appetens.

Concil. Sardicen. can. 5

ordinavit.

Dili-

παραπεμφθείη ἐν ᾧ πρῶτος ἐκεῖνος, ὁ τὰς οὐρανοῦ κλεῖς ἀξιωθεὶς ὑποδέξασθαι, τὴν ἐπισκοπὴν τῆς ἀρχιερωσύνης ἐκόσμησε δηλαδὴ ὅπου τὸ πρέπει ἡμᾶς ταύτῃ τῇ μεγίστῃ πόλει ἥτις δέσ-
* ἴσ γαιῶν. ποινα πασῶν ὑπάρχει τῶν * γεῶν, ἐν πᾶσι τὸ σέβας παραφυλάξαι. ἐπιμελέστερον δὲ κἀκεῖνο προνοῆσαι, ἵνα μὴ ὅπερ ἐν τοῖς ἀρχαιοτέροις χρόνοις ἡ
* μιαίνεσθαι Lat. ἡμετέρα γενεὰ διεφύλαξεν, ἐφ᾽ ἡμῶν δόξῃ * μιαίνεσθαι, καὶ διὰ τοῦ παρόντος ὑποδείγματος σχίσματα προχωρῆσαι ἔν τε τοῖς ἐπισκόποις, καὶ ταῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις.

Diligentius autem etiam in hoc providere, ne terrarum.
quod priſcis temporibus noſtra generatio cuſtodivit, ſub notis imminui videatur, & per præſens
exemplum ſchiſmata generentur inter Epiſcopos similia.
& ſanctas Eccleſias.

Ἐπιστολὴ Θεοδοσίου, ἀντιγραφεῖσα πρὸς Γάλλαν Πλακιδίαν.

Δεσποίνῃ τῇ ἐμῇ Πλακιδίᾳ, προσκυνητῇ Αὐγούστῃ, Θεοδόσιος.

Ἐκ τῶν γραμμάτων τῆς σῆς ἡμερότητος ἡ ἡμετέρα ἔγνω αἰωνιότης, ὅτι ὁ εὐλαβέστατος πατριάρχης Λέων παρὰ τὴν σὴν ᾔτησεν αἰωνιότητα. τούτοις τοιγαροῦν δηλοῦμεν τοῖς γράμμασιν, ὅτι περὶ τούτων τῶν εἰρημένων παρὰ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου, ἐντελέστερον καὶ σαφέστερον πολλάκις ἐγράφη, ἐξ ὧν ἀναμφιβόλως πεφανέρωται, μηδὲν ἡμᾶς παρὰ τὴν πατρῴαν πίστιν, ἢ τὰ θεῖα δόγματα, ἃ τοὺς ὅρους τῶν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων, οἵτινες τοῦτο μὲν
* ἴσ. πάλαι. ὑπὸ τῆς θείας μνήμης Κωνσταντίνου ἐν τῇ Νικαίων πόλει, τοῦτο δὲ * πάλαι ἡμετέρῳ προστάγματι ἐν Ἐφέσῳ συνελήλυθασιν, ὡρικέναι, ἢ ἐψηφίσθαι, ἢ νενοηκέναι. ἀλλὰ τοῦτο μόνον ἐν Ἐφέσῳ τετυπῶσθαι, ἵνα πάντες, οἵτινες τῷ βλαβερῷ καινισμῷ τὰς ἁγιωτάτας ἐθορύβησαν ἐκκλησίας, ἀξίως ἀποκινηθῶσι, προστετάξαμεν. ταῦτά εἰσιν, ἅ τινα οὐκ εἰς ἀνατροπὴν, ἀλλ᾽ εἰς συμφωνίαν, καὶ καθαρὸν σύνδεσμον τῆς προσκυνητῆς θρησκείας, παρὰ τῶν εὐλαβεστάτων τετύπωνται πατέρων. ὁ δὲ λεγόμενος Φλαυιανὸς ἔξαρχος τῆς τοιαύτης φιλονεικίας, θείᾳ ψήφῳ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἐκβέβληται πραγμάτων. ταῦτα τοιγαροῦν εἰδυῖα ἡ σὴ ἡμερότης, δέσποινα ἁγιωτάτη, μήτηρ, καὶ προσκυνητὴ Αὐγοῦστα, μηδὲν ἡμᾶς ποτε ὑπεναντίον τῆς παραδοθείσης πίστεως διανενοῆσθαι, καθὼς παρά τινων ἐρᾶται, ὑπολάβῃ, ἢ λογίσηται.

Epiſtola ejuſdem ad Gallam Placidiam Auguſtam.

Domina mea Placidiæ venerabili Auguſtæ Theodoſius.

Ex litteris tuæ manſuetudinis noſtra cognovit æternitas.
ſerenitas, quid reverendiſſimus Patriarcha Leo æternitata,
a tua ſerenitate popoſcerit. His itaque litteris indicamus, quoniam de his quæ dicta ſunt a reverendiſſimo Epiſcopo plenius atque apertius ſæpe ſcriptum eſt: ex quibus ſine dubitatione manifeſtum eſt, nihil nos præter paternam fidem, aut dogmata divina, vel definitiones reverendiſſimorum, qui tam ſub divæ memoriæ Conſtantino in Nicæa civitate, quam dudum noſtro præcepeo in Epheſo congregati ſunt, definiſſe, aut decreviſſe, aut intellexiſſe; ſed hoc ſolum in Epheſo conſtitui juſſimus, ut omnes, qui nocibili læſione Eccleſias ſanctas turbaverunt, digne removerentur. Hæc ſunt, quæ non ad refragationem, ſed ad concordiam & purum vinculum adorandæ religionis
a reverendiſſimis presbyteris ſunt decreta. Flavia- patribus.
nus autem, qui dicitur princeps contentionis hujus, ſacra ſententia ab Eccleſiaſticis rebus expulſus eſt. Hæc igitur ſciens tua manſuetudo, domina ſacratiſſima mater & venerabilis Auguſta, nihil nos aliquando contrarium a tradita fide ſentire,
ſicut a quibuſdam dicitur, ſuſpicetur aut cogi- ſuſpicemini aut cogiteris.
tet.

Ἐπιστολὴ Λικινίας Αὐγούστης, ἤτοι Εὐδοξίας πρὸς Θεοδόσιον......

Δεσπότῃ Θεοδοσίῳ τροπαιούχῳ, ἀεὶ βασιλεῖ, καὶ πατρὶ, Λικινία Εὐδοξία ἡ εὐσεβεστάτη, καὶ αὔξουσα, αἰωνία βασιλὶς θυγάτηρ.

Πᾶσιν ἔγνωσται τὴν σὴν ἐπιείκειαν μεγίστην, καὶ φροντίδα ποιεῖσθαι τῆς Χριστιανῶν, καὶ τῆς καθολικῆς πίστεως ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς ἐπιτρέπειν ἐφ᾽ ὕβρει ταύτης μηδὲν παντάπασι γίνεσθαι. ἡνίκα τοίνυν εὐτυχῶς ἐν τῇ Ῥώμῃ εἰσεληλύθαμεν, καὶ τοῖς οὐδοῖς τοῦ εὐκτηρίου τοῦ ἁγιωτάτου ἀποστόλου Πέτρου παρεγεγόναμεν, Λέων, ὁ μακαριώτατος ἐπίσκοπος τῆς Ῥωμαίων πόλεως, μετὰ καὶ ἑτέρων πλειόνων ἐπισκόπων, ἀξίωσιν ἡμῖν προσήγαγε, φάσκων, ὅλον τὸ δόγμα τῆς θρησκείας κατὰ τὴν ἀνατολὴν τεθορυβῆσθαι, καὶ τοῦτο συμβέβηκεν, ὥστε πᾶσαν τῶν Χριστιανῶν τὴν πίστιν εἰς σύγχυσιν ἐλάσαι, καὶ τὸν Φλαυιανὸν τὸν ἐπίσκοπον τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας, διὰ τὰς ἐχ-

Epiſtola Liciniæ Eudoxiæ Auguſtæ ad Theodoſium, de Eccleſiæ Catholicæ turbatione.

Domino Theodoſio triumphatori, ſemper Auguſto, & Patri, Licinia Eudoxia piiſſima & florens, perpetua Auguſta filia.

Omnibus notum eſt, tuam manſuetudinem curam atque ſolliditudinem habere Chriſtianorum Catholicæ fidei, in tantum ut juberetis ad injuriam ejus nihil omnino faciendum. Cum igitur feliciter Romam fuiſſemus ingreſſæ, & ad limina baſilicæ ſanctiſſimi Apoſtoli Petri veniſſemus, Leo batiſſimus Romanæ civitatis Epiſcopus, etiam cum aliis plurimis Epiſcopis poſtulationem nobis
tulit, dicens omne dogma religionis per Orientem attulit.
fuiſſe turbatum, & accidiſſe, quatenus tota Chriſtianorum fides ad confuſionem omnem perduce-
retur. Nam Flavianum Conſtantinopolitanæ Ec- omnino.
cleſiæ Epiſcopum propter inimicitias Alexandrini Epiſcopi ingemiſcebat expulſum: & hoc cum aliis Epiſcopis poſtulavit, proteſtans & ipſorum venerabilium locorum cultum, & manſuetudinis noſtræ

ſtræ

θρας τῆς Ἀλεξανδρέων ἐπισκόπου, ἀπωδύρατο ἐκβεβλῆσθαι, καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων ἐπισκόπων ἤτησεν, ἐπιμαρτυρόμενος αὐτῶν τε τῶν σεβασμίων τόπων τὴν προσκύνησιν, καὶ τῆς *ὑμετέρας ἡμερότητος τὴν σωτηρίαν. ὥστε πρὸς τὴν σὴν φιλανθρωπίαν ἀπὸ τοῦ μέρους τούτου ἐμὰ γράμματα καταπεμφθῆναι, δέσποτα *ἁγιώτατε πάτερ, βασιλεῦ προσκυνητέ· προσαγορεύουσα τοιγαροῦν, δίκαια αἰτῶ. ὥστε τούτοις τοῖς πράγμασι θεραπείαν ἡ ὑμετέρα γαληνότης ἐπιτρέψοι παρασχεθῆναι. καὶ τὰ κακῶς πεπραγμένα διορθωθῆναι. *κελεύσοι ἄχρις οὗ πάντων τῶν ἤδη τετυπωμένων ἀνακληθέντων, ἐξ ὁλοκλήρου πίστεως, καὶ τῆς τῶν χριστιανῶν θρησκείας, ἡ κινουμένη αἰτία, ἐν τοῖς τῆς Ἰταλίας συναχθείσης τῆς συνόδου, δοκιμασθείη, ἐγράφη γὰρ *ἐνταῦθα πᾶσαν φιλονεικίαν κεκινῆσθαι, ὥστε Φλαβιανὸν τὸν ἐπίσκοπον ἐκ τῶν *ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἐπαρθῆναι.

* ὑμετέρας Lat.
* ἴσως ἁγιώτατε.
* παρακελεύσοι.
* ἐντεῦθεν Lat.
* ἐκκλησιαστικῶν Lat.

ſtræ ſalutem, quatenus ad tuam clementiam ex hac cauſſa meas litteras deſtinarem, Domine ſanctiſſime pater, & adorabilis Imperator. Salutans igitur juſta poſco quatenus his litteris curam veſtra tranquillitas præbere dignetur, & quæ male geſta ſunt, emendari præcipiat, donec omnibus, quæ jam definita ſunt, revocatis, ex integro cauſſa fidei & Chriſtianæ religionis, quæ mota eſt, in partibus Italiæ congregato Concilio perquiratur. Scriptum eſt enim, hinc omnem contentionem motam, quatenus Flavianus Epiſcopus ex Eccleſiaſticis rebus potuiſſet auferri.

regione.
has vel eas.
rebus.
perquiratis

Ἐπιστολὴ Θεοδοσίου, ἀντιγραφεῖσα πρὸς Λικιννίαν Εὐδοξίαν.

Δεσποίνῃ τῇ ἐμῇ Εὐδοξίᾳ τῇ προσκυνητῇ βασιλίδι, Θεοδόσιος.

* Ἀεὶ μὲν οὖν τοῖς τῆς σῆς ποθεινότητος τοῖς γράμμασι τερπόμεθα, καὶ ταῦτα ὅλῃ ψυχῇ ἡδέως περιπλεκόμεθα, καὶ πάσαις ταῖς σαῖς αἰτήσεσι μετὰ πολλῆς τῆς χαρᾶς εἰώθαμεν ἐπινεύειν, δέσποινα θύγατερ, προσκυνητὴ βασιλίς· ἀλλὰ περὶ τοῦ ἐνεστῶτος πράγματος· τουτέστι, περὶ Φλαβιανοῦ, τοῦ ποτε ἐπισκόπου, τὰ τῇ αἰτίᾳ παρακολουθήσαντα τῷ εὐλαβεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ Λέοντι πλείως ἡ ἡμετέρα κατεσήμανεν ἡμερότης. τῇ δὲ σῇ γλυκύτητι τοῦτο μόνον ἐδοκιμάσαμεν γνωρίσαι, ὅτι ὁ μνημονευθεὶς Φλαβιανὸς θείᾳ κρίσει τῶν *ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀφῃρέθη. ὅπως πᾶσα ἀμφιβολίας φιλονεικία ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἐκκλησιῶν ἀποκινηθῇ. καὶ οὐδὲν ἕτερον τοῦ λοιποῦ μετὰ ταῦτα δυνατὸν ὁρίσαι περὶ τῶν ἅπαξ ἤδη τετυπωμένων.

* Εἰ.
* ἐκκλησιαστικῶν Lat.

Epiſtola ejuſdem ad Liciniam Eudoxiam reſcripta.

Dominæ meæ Eudoxiæ venerabili Auguſtæ Theodoſius.

SEmper equidem tui deſiderii litteris delectamur, ac tota animæ ſuavitate complectimur, & omnibus tuis petitionibus conſuevimus gratanter annuere, Domina ſanctiſſima filia, venerabilis Auguſta: ſed de præſenti cauſſa, hoc eſt de Flaviano, qui fuit Epiſcopus, quæ in hac cauſſa ſubſecuta ſint, reverendiſſimo Archiepiſcopo Leoni perfecte noſtra manſuetudo ſignificavit. Tuæ vero dulcedini hoc ſolum approbavimus intimandum, quia memoratus Flavianus ſacro judicio ab Eccleſiaſticis rebus ablatus eſt, quatenus totius dubietatis contentio a ſacris removeretur Eccleſiis: nihil ulterius poſt hæc definire poſſibile eſt, cum jam iſta ſemel deciſa ſint.

tuæ amabilitatis.
divino.
humanis.

EPISTOLA GALLÆ PLACIDIÆ

AD PULCHERIAM AUGUSTAM,

Qua Concilium Epheſinum ſecundum deteſtatur.

Galla Placidia piiſſima ſemper Auguſta, Æliæ Pulcheriæ piiſſimæ ſemper Auguſtæ filiæ.

UT Romam frequentibus concurſionibus adæque deſideraremus inſpicere; cauſſa nobis eſt amplectendæ religionis, ut terminis ſanctorum noſtram exhiberemus præſentiam, quos certum eſt pro ſua virtute in cœleſtibus conſtitutos, neque inferiora deſpicere. Nos itaque ſacrilegum eſſe credimus, ſi ſolemnium ordinem denegemus. Cum igitur beato Apoſtolo Petro noſtram præſentiam dediſſemus, illic multitudine ſacerdotum reverendiſſimus Leo Papa circumdatus, pro dignitate ſui loci nos primus adiit: qui propter interpoſitam gemitus ſui triſtitiam, deſiderium ſuum verbis pene inſinuare non poterat. Vicit tamen conſtantia ſapientiæ ſacerdotis, ut lacrymas paululum retineret, & cauſſam violatæ fidei, tanquam hujus vindex, manifeſto ſermone proferret. In quo ſermone cognovimus, noſtris temporibus catholicam fidem eſſe turbatam, quam a divo Patre noſtro Conſtantino noſtri generis parentes hactenus ſervaverunt. Secundum voluntatem namque cujuſdam, pravum aliquid adverſus ſacerdotem Conſtantinopolitanum excitatum dicitur. Nos itaque in Epheſino Concilio, in quo nullus ordinem ſacerdotum cuſtodivit, neque menſuram, ſine conſideratione divinitatis omnia eſſe geſta cognovimus, quatenus præſumtio & juſtitia in quorundam damnationem vim obtinere dicatur: quæ noſtris temporibus terribilia eſſe videntur. Debet itaque fides proprie valere, ſanctiſſima atque venerabilis filia Auguſta. Igitur tua clementia ſecundum Catholicam fidem, quod ſemper nobiſcum fecit, & nunc ſimiliter conſpirare dignetur: ut quicquid illo tumultuoſo, miſerrimoque concilio conſtitutum eſt, omni virtute removeatur; ut omnibus integris permanentibus, ad Apoſtolicam Sedem, in qua primus Apoſtolorum beatus Petrus, qui etiam claves regni cœleſtis ſuſcipiens, ſacerdotii principatum tenuit, epiſcopatus cauſſa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali converſationi tribuere, quæ totum mundum propriæ virtutis dominatione complevit, & noſtro imperio orbem gubernandum ſervandumque commiſit.

Al. epiſcoporum.

HILA-

HILARI ROMANÆ ECCLESIÆ Tunc Diaconi, poſtea Epiſcopi Eccleſiæ,

AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

S Y N O P S I S.

1 *Sibi per Dioſcori improbos auſus non licuiſſe eam adire & litteras ſancti Leonis reddere.*
2 *Se Dioſcori ereptum inſidiis Romam veniſſe: Epheſinam pſeudoſynodum a Leone reprobari.*

Glorioſiſſimæ & clementiſſimæ Pulcheriæ Auguſtæ Hilarus Diaconus.

STudium mihi fuiſſe, poſt ſynodum advenire Conſtantinopolim, dicere non debeo; quoniam manifeſta neceſſitas erat, quæ me litteras beatiſſimi Papæ ad Veſtram Clementiam directas offerre compelleret, ut pariter & veſtræ pietati, ac invictiſſimo & Chriſtianiſſimo principi officium quod debebam venerationis exſolverem. Sed huic congruo meo propoſito illud impedimentum evenit, quod omnium bonorum inimicum eſt, & Chriſtianorum ingemiſcit affectus, hoc eſt, Alexandrinus Epiſcopus, in damnatione virorum inculpabilium potentiſſimus. Nam poſteaquam injuſtæ ejus voluntati atque ſententiæ communicare non potui, ad aliud conſilium terroribus atque inſidiis me evocare conatus eſt: quatenus me, quod abſit, aut ſeductionibus faceret conſentire ad condemnandum ſanctiſſimum Flavianum Epiſcopum, aut reſiſtentem teneret, ut mihi non eſſet licentia ad Pietatem veſtram Conſtantinopolim percurrere, aut ad Romanam Eccleſiam remeare.

Veruntamen confidens de auxilio Chriſti, quod attinet ad damnationem reverendiſſimi, & ſanctiſſimi viri, innocentem me integrumque ſervavi; licet nulla flagella, nulla tormenta me poſſent facere ejus conſentire ſententiæ: ſed omnibus derelictis, exinde diſceſſi, per incognita & invia loca Romam veniens, ut reverendiſſimo Papæ, omnium quæ in Epheſo geſta ſunt, idoneus nuntiator exiſterem. Veſtra itaque veneranda Clementia cognoſcat, a præfato Papa cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quę in Epheſo contra Canones per tumultus & odia ſæcularia a Dioſcoro Epiſcopo geſta ſunt, & nulla ratione hæc in his partibus ſuſcipi poſſe, quæ per potentiam prædicti, non ſine læſione fidei & præjudicio ſanctiſſimi viri innoxiique, commiſſa ſunt. Quæ vero conſtanti ac forti autoritate pro fide a me nunciata ſunt, ſuperfluum credo narrare: nam hæc ex litteris beatiſſimi Papæ poteritis agnoſcere. Unde, Domina ſplendidiſſima, atque clementiſſima Auguſta, adoranda veſtra pietas in quibus libenter fecit initium, relinquere non debet, ſed hæc zelo religioſo fidei, conſtanti voluntate ſervare.

Epheſinum latrocinium ab omni Occidentali Concilio reprobatum.

EPISTOLA B. THEODORITI
EPISCOPI CYRI
AD S. LEONEM PAPAM.

S Y N O P S I S.

1 *Merito ſe accurrere ad Apoſtolicam Sedem, tot prærogativis ſupra cæteras emicantem.*
2 *In laudes S. Leonis excurrit, commendatque zelum in Manichæos, & epiſtolam ad Flavianum.*
3 *Quam immerito depoſitus fuerit, nec in jus vocatus, conqueritur.*
4 *Suſceptos a ſe pro Eccleſia labores enumerat.*
5 *Orat ne Sedem Apoſtolicam invocans repellatur; cui fidem ſuam probari optat ex ſcriptis ſuis, quæ indicat.*
6 *Sibi a Leone cupit indici, quid de Epheſina ſententia agere debeat.*
7 *Legatos ſuos Leoni, ſeque ejus precibus ac ſolicitudini commendat: Se alioſque litteris Imperatoriis retineri, ne ad Pontificem ſe conferant.*

Λέοντι ἐπισκόπῳ Ῥώμης.

Κεφ. α'. ΕΙ Παῦλος τῆς ἀληθείας ὁ κήρυξ, ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος σάλπιγξ, πρὸς τὸν μέγαν ἔδραμε Πέτρον, ὥστε τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ περὶ τῆς κατὰ νόμον πολιτείας ἀμφισβητοῦσι παρ' αὐτοῦ κομίσαι τὴν λύσιν, πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ εὐτελεῖς καὶ σμικροὶ, πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ὑμῶν τρέχομεν θρόνον, ὥστε παρ' ὑμῶν λαβεῖν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ἕλκεσι θεραπείαν. διὰ πάντα γὰρ ὑμῖν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει. πολλοῖς γὰρ ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι. τὰς μὲν γὰρ ἄλλας πόλεις ἢ μέγεθος, ἢ κάλλος, ἢ πλῆθος τῶν οἰκητόρων κοσμεῖ. τινὰς δὲ τούτων ἐστερημένας πνευματικά τινα λαμπρύνει χαρίσματα· τῇ δὲ ὑμετέρᾳ φο-

LEONI EPISCOPO ROMÆ.

SI Paulus præco veritatis, tuba Spiritus ſancti, ad magnum Petrum ſe contulit, ut iis, qui Antiochiæ de legali converſatione ambigebant, explicationem ab illo referret, multo magis nos humiles & puſilli ad Apoſtolicam ſedem veſtram accurrimus, ut Eccleſiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit. Multis ſiquidem prærogativis ornatur ſedes veſtra. Etenim alias urbes ornat vel magnitudo, vel pulchritudo, vel habitatorum frequentia: nonnullas etiam, quæ his carent, ſpiritualia quædam dona illuſtrant: veſtræ vero bonorum affluentiam bonorum largitor dedit. Illa enim Cap. I.

omnium

ρῷ ἔδωκεν ἀγαθῶν ὁ τῶν ἀγαθῶν χορηγός. ἡ γὰρ αὐτὴ πασῶν μεγίστη, καὶ λαμπροτάτη, καὶ τῆς οἰκουμένης προκαθημένη, καὶ τῷ πλήθει τῶν οἰκητόρων κυμαίνουσα. πρὸς δὲ τούτοις, καὶ τὴν νῦν κρατοῦσαν ἡγεμονίαν ἐβλάστησε· καὶ τῆς οἰκείας προσηγορίας τοῖς ἀρχομένοις μετέδωκε. κοσμεῖ δὲ αὐτὴν διαφερόντως ἡ πίστις καὶ μάρτυρ ἀξιόχρεως ὁ θεῖος ἀπόστολος βοῶν, ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. εἰ δὲ εὐθὺς δεξαμένη τὰ τοῦ σωτηρίου κηρύγματος σπέρματα, τοῖς ἀξιαγάστοις τούτοις ἐβεβρίθει καρποῖς, τίς ἀπόχρη λόγος τὴν νῦν ἐν αὐτῇ πολιτευομένην εὐσέβειαν εὐφημῆσαι; ἔχει δὲ καὶ ταῖς κοινῶν πατέρων καὶ διδασκάλων τῆς ἀληθείας Πέτρου καὶ Παύλου τὰς θήκας, τῶν πιστῶν τὰς ψυχὰς φωτιζούσας. ἡ δὲ τρισμακαρία τούτων καὶ θεία ξυνωρὶς ἀνέτειλε μὲν ἐν τῇ ἑῴᾳ, καὶ πανταχόσε τὰς ἀκτῖνας ἐξέπεμψεν. ἐν δὲ τῇ δύσει προθύμως ἐδέξατο τὰς τοῦ βίου δυσμὰς κἀκεῖθεν νῦν καταυγάζει τὴν οἰκουμένην. οὗτοι τὸν ὑμέτερον περιφανέστατον ἀπέφηναν θρόνον. οὗτος τῶν ἀγαθῶν τῶν ὑμετέρων ὁ κολοφών. ὁ δὲ ἐκείνων θεὸς καὶ νῦν τὸν ἐκείνων ἐλάμπρυνε θρόνον, τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ἱδρύσας ἐν τούτῳ τῆς ὀρθοδοξίας τὰς ἀκτῖνας ἀφιεῖσαν.

Κεφ. β'. Καὶ τούτου πολλὰ μὲν ἐστὶν εὑρεῖν καὶ ἄλλα τεκμήρια. ἀρκεῖ δὲ ὑμῶν ὁ κατὰ τῶν δυσωνύμων Μανιχαίων ζῆλος, ὃν πρώην ὑμῶν ἡ ὁσιότης ἐγύμνωσε, δείξασα τὴν περὶ τὰ θεῖα τῆς ὑμετέρας φιλοτιμίας σπουδήν. ἀπόχρη καὶ τὰ νῦν παρ' ὑμῶν γραφέντα τὸν Ἀποστολικὸν ὑμῶν χαρακτῆρα δηλῶσαι. ἐντετυχήκαμεν γὰρ τοῖς παρὰ τῆς σῆς γραφεῖσι ὁσιότητος περὶ τῆς τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἐνανθρωπήσεως, καὶ ἐθαυμάσαμεν τὴν τῶν γεγραμμένων ἀκρίβειαν. ἀμφότερα γὰρ κατὰ ταυτὸν ἐδήλου, καὶ τὴν ἐκ τοῦ ἀϊδίου πατρὸς ἀΐδιον θεότητα τοῦ μονογενοῦς, καὶ τὴν ἐκ σπέρματος Ἀβραὰμ καὶ Δαβὶδ ἀνθρωπότητα. καὶ ὅτι κατὰ πάντα ἡμῖν ἡ ληφθεῖσα φύσις ἐῴκει, μόνον δὲ ἀνόμοιος ἦν τῷ πάσης ἁμαρτίας ἀμύητος διαμεῖναι. ἐπειδή περ οὐκ ἐκ φύσεως, ἀλλ' ἐκ προαιρέσεως αὕτη φύεται. εἶχε δὲ καὶ τοῦτο τὰ γράμματα, ὡς εἷς μὲν ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ υἱός, ἀπαθὴς δὲ αὐτοῦ ἡ θεότης, καὶ ἄτρεπτος, καὶ ἀναλλοίωτος, καθάπερ ὁ γεννήσας αὐτὸν πατὴρ, καὶ τὸ πανάγιον πνεῦμα. καὶ διὰ τοῦτο τὴν παθητὴν ἔλαβε φύσιν, ἐπειδή περ ἡ θεία φύσις οὐκ ἐδέχετο πάθος· ἵνα τῷ πάθει τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν ἀπάθειαν τοῖς εἰς αὐτὸν πεπιστευκόσι χαρίσηται. ταῦτα καὶ ὅσα τούτοις ἐστὶ συγγενῆ, περιεῖχε τὰ γράμματα. ἡμεῖς δὲ τὴν πνευματικὴν σου σοφίαν θαυμάσαντες, τὴν δι' ἡμῶν φθεγξαμένην τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀνυμνήσαμεν χάριν καὶ παρακαλοῦμεν, καὶ ἀντιβολοῦμεν, καὶ δεόμεθα, καὶ ἱκετεύομέν σου τὴν ἁγιωσύνην, ἐπαμῦναι ταῖς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαις χειμαζομέναις.

Κεφ. γ'. Λύσιν γὰρ ἔσεσθαι τοῦ κλύδωνος προσδοκήσαντες διὰ τῶν παρὰ τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης εἰς τὴν Ἔφεσον ἀποσταλέντων, χαλεπωτέρᾳ περιπεπτώκαμεν ζάλῃ. ὁ γὰρ τῆς Ἀλεξανδρείας δικαιότατος πρόεδρος οὐκ ἠρκέσθη τῇ ἀνόμῳ ταύτῃ καὶ ἀδικωτάτῃ καθαιρέσει τοῦ ἁγιωτάτου καὶ θεοφιλεστάτου τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπου τοῦ κυρίου Φλαβιανοῦ, οὐδὲ ἐνέπλησεν αὐτοῦ τὸν θυμὸν τῶν ἄλλων ἐπισκόπων ἡ παραπλησία σφαγή. ἀλλὰ καὶ μὲ τὸν ἀπόντα ὁμοίως καλάμῳ κατέσφαξεν, οὐ καλέσας εἰς κριτήριον, οὐ παρόντα κρίνας, οὐκ ἐρωτήσας τίνα φρονῶ περὶ τῆς τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἐνανθρωπήσεως. καὶ τοὺς μὲν ἀνδροφόνους, καὶ τυμβωρύχους, καὶ τοὺς τὰς ἀλλοτρίας συλήσαντας εὐνὰς,

omnium maxima & clariſſima, quæ & orbi terrarum præſidet, & incolarum multitudine redundat. Ad hæc imperium quod rerum nunc potitur, & ſuum ipſa nomen ſubditis impertiit. Præcipue autem illam fides ornat, cujus teſtis idoneus eſt divinus Paulus clamans: *Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo*. Rom. 1. Quod ſi ſtatim poſt ſuſcepta ſalutaris prædicationis ſemina mirabiles hos fructus uberrime protulit, prædicandæ quæ in ea nunc viget pietati quænam par eſſe poſſit oratio? Habet præterea communium patrum magiſtrorumque veritatis Petri & Pauli ſepulcra, fidelium animas illuminantia. Quorum beatiſſimum ac divinum par, in Oriente quidem exortum eſt, & radios quaquaverſum diffudit: ſed in Occidente vitæ occaſum ultro ſubiit, atque inde nunc orbem univerſum colluſtrat. Hi ſedem veſtram nobiliſſimam reddiderunt: hic bonorum veſtrorum eſt apex. At illorum ſedem nunc etiam illorum Deus illuſtravit, dum in ea ſanctitatem veſtram rectæ fidei radios fundentem conſtituit.

Cap. II. Cujus quidem rei cum alia multa in promtu ſint argumenta, ſufficit zelus veſter adverſus infames Manichæos, quem ſanctitas veſtra nuper exeruit, & quo rerum divinarum ſtudio veſter in Deum ſit amor patefecit. Sufficiunt & quæ nunc a vobis ſcripta ſunt, ut Apoſtolicum characterem veſtrum oſtendant. Incidimus namque in illa, quæ de Dei Salvatoriſque noſtri incarnatione ſanctitas veſtra ſcripſit, & admirati ſumus exactam operis diligentiam. Utraque enim eadem opera declarabat, & æternam ex æterno patre unigeniti divinitatem, & ejuſdem ex Abrahæ & David ſemine humanitatem, ac ſimilem per omnia nobis fuiſſe aſſumtam naturam, hoc uno diſſimilem, quod peccati expers manſerit, quippe quæ non ex natura, ſed ex libera voluntate naſcitur. Et hoc præterea litteræ continebant, unum eſſe unigenitum Dei filium, & impatibilem ejus divinitatem, quæ nec verti queat, nec mutari, ſicut & qui ipſum genuit Pater, & Spiritus ſanctus. Ideoque patibilem naturam ſumſiſſe, quia divina natura paſſionem non recipiebat: ut per carnis propriæ paſſionem impaſſibilitatem iis qui in ipſum crederent largiretur. Hæc & alia his cognata litteris continebantur. Nos vero ſpiritualem ſapientiam tuam admirati, Spiritus Sancti gratiam, quæ per vos locuta eſt, laudibus extulimus, rogamuſque, & obſecramus, & precamur, & ſupplices oramus ſanctitatem tuam, ut tempeſtate jactatis Dei Eccleſiis opem ferat.

Cap. III. Cum enim per eos quos ſanctitas tua Epheſum miſit, tempeſtatis exitum ſperaremus, in graviorem procellam delapſi ſumus, Alexandrinorum quippe juſtiſſimus Antiſtes haudquaquam contentus fuit iniqua hac & injuſtiſſima depoſitione ſanctiſſimi Deoque cariſſimi Conſtantinopolitanorum Epiſcopi Domini Flaviani, neque ipſius animam explevit conſimilis ſtrages aliorum Epiſcoporum, ſed me quoque abſentem calamo ſimiliter jugulavit, nec in jus vocatum, nec præſentem accuſatum, nec interrogatum de Dei ac ſalvatoris noſtri incarnatione quid ſentiam. Et homicidas quidem, ac ſepulcrorum effractores, alienarumque nuptiarum invaſores, non prius condemnant judices, quam vel ipſi objecta crimina confeſſione ſua firmarint, vel ab aliis aperte fuerint convicti. Nos autem hic in divinis legibus enutritus triginta manſionibus diſtantes condemnavit ut voluit. Neque nunc tantum hoc fecit, ſed anno etiam ſuperiore, cum eo profecti eſſent duo viri Apollinaris morbo infecti, & calumnias in nos texuiſ-

ſent,

ἢ πρότερον καταχρίνουσιν οἱ δικάζοντες, ἕως ἂν ἢ αὐτοὶ τὰς κατηγορίας ταῖς ὁμολογίαις κυρώσωσιν, ἢ παρ' ἑτέρων ἐναργῶς ἐλεγχθῶσιν. ἡμᾶς δὲ ὁ τοῖς θείοις νόμοις ἐντεθραμμένος πέντε καὶ τριάκοντα σταθμοῖς ἀφεστηκότας κατέκρινεν ὡς ἠθέλησε. καὶ τοῦτο οὐ νῦν μόνον πεποίηκεν, ἀλλὰ καὶ πέρυσι μετὰ δύο ἄνδρας τῶν τὴν Απολλιναρίου νόσον εἰσδεξαμένων ἐκεῖσε δραμόντας, καὶ συκοφαντίας καθ' ἡμῶν ὑφάναντας, ἀνασὰς ἐπ' ἐκκλησίας ἡμᾶς ἀνεθεμάτισε καὶ ταῦτα ἐμοῦ γράψαντος πρὸς αὐτὸν, καὶ ἃ φρονῶ διὰ γραμμάτων δηλώσαντος.

Κεφ. δ'. Εγὼ δὲ ὀδύρομαι μὲν τῆς ἐκκλησίας τὸν κλύδωνα, τὴν δὲ ἡσυχίαν ἀσπάζομαι. ἐξ γὰρ καὶ εἴκοσιν ἔτη τὴν ἐγχειρισθεῖσάν μοι παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων ἐκκλησίαν ἴθυνας διὰ τὰς ὑμετέρας εὐχὰς, οὐκ ἐπὶ τοῦ μακαριωτάτου Θεοδότου τοῦ τῆς ἀνατολῆς προέδρου, οὐκ ἐπὶ τῶν μετὰ ἐκεῖνον τὸν τῶν Αντιοχέων διαδεξαμένων θρόνον, τὴν τυχοῦσαν μέμψιν ὑπέμεινα, ἀλλὰ τῆς θείας μοι χάριτος συνεργησάσης πλείους μὲν ἢ χιλίας ψυχὰς ἠλευθέρωσα τῆς Μαρκίωνος νόσου, πολλοὺς δὲ ἄλλους ἐκ τῆς Αρείου καὶ Εὐνομίου συμμορίας προσήγαγον τῷ δεσπότῃ Χριστῷ· καὶ ἐν ὀκτακοσίαις ἐκκλησίαις ἔλαχον ποιμαίνειν· τοσαύτας γὰρ ἡ Κύῤῥος παροικίας ἔχει, ἐν αἷς οὐδὲ ἓν διὰ τὰς ὑμετέρας εὐχὰς μεμένηκε ζιζάνιον· ἀλλὰ πάσης αἱρετικῆς ἠλευθέρωται πλάνης τὸ ἡμέτερον ποίμνιον. οἶδεν ὁ πάντα ἐφορῶν πόσοις ἐδεξάμην λίθοις ὑπὸ τῶν δυσωνύμων κατ' ἐμοῦ πεμφθέντας αἱρετικῶν, πόσους ἐν ταῖς πλείσσι τῆς ἀνατολῆς πόλεσιν ἔχον ἀγῶνας πρὸς Ελληνας, πρὸς Ιουδαίους, πρὸς πᾶσαν πλάνην αἱρετικήν. καὶ μετὰ τοσούτους ἱδρῶτας καὶ πόνους μὴ δικασάμενος κατεκρίθην.

Κεφ. ε'. Εγὼ δὲ τοῦ Αποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον. καὶ ἱκετεύω, καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα, ἐπαμῦναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαι μου τὴν διδασκαλίαν τοῖς Αποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην. ἔστι γάρ μοι τὰ μὲν πρὸ εἴκοσιν ἐτῶν συγγεγραμμένα, τὰ δὲ πρὸ ὀκτωκαίδεκα, τὰ δὲ πρὸ πεντεκαίδεκα, τὰ δὲ πρὸ δυοκαίδεκα τὰ μὲν πρὸς Αρειανοὺς, καὶ Εὐνομιανοὺς, τὰ δὲ πρὸς Ιουδαίους καὶ Ελληνας, τὰ δὲ πρὸς τοὺς ἐν Περσίδι μάγους, ἀλλὰ περὶ τῆς καθόλου προνοίας δὲ περὶ θεολογίας, καὶ τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως. ἡρμήνευται μοι διὰ τὴν θείαν χάριν, καὶ τὰ Αποστολικὰ συγγράμματα, καὶ τὰ προφητικὰ θεσπίσματα· καὶ ῥᾴδιον ἐκ τούτων καταμαθεῖν, εἴτε ἀκλινῆ τὸν κανόνα τῆς πίστεως διετήρησα, εἴτε τὴν τούτου παρέβην εὐθύτητα. ἀλλὰ μὴ διαπτύσητέ μου τὴν ἱκετείαν παρακαλῶ, μηδὲ τὴν ἀθλίαν μου παρίδητε πολιὰν μετὰ πολλοὺς ὑβρισμένην καμάτους.

Κεφ. ς'. Πρὸ δὲ πάντων, μαθεῖν ἀντιβολῶ παρ' ὑμῶν, εἴτε χρὴ με στέρξαι τὴν ἄδικον ταύτην καθαίρεσιν, εἴτε μή· τὴν γὰρ ὑμετέραν προσμένω ψῆφον. κἂν κελεύσητε τοῖς καταψηφισαμένοις ἐμμεῖναι, ἐμμενῶ καὶ οὐδενὶ ἀνθρώπων ἐνοχλήσω λοιπὸν, ἀλλὰ μενῶ τὸ ἀκλινὲς τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν κριτήριον. ἐμοὶ δὲ, ὡς ὁ δεσπότης μαρτυρεῖ Θεὸς, οὐ τιμῆς μέλει καὶ δόξης, ἀλλὰ μόνον τοῦ γεγενημένου σκανδάλου· ὅτι πολλοὶ τῶν ἁπλουστέρων, καὶ μάλιστα οἱ ἐκ διαφόρων αἱρέσεων παρ' ἡμῶν ζωγρηθέντες, τῷ θρόνῳ τῶν καταχρινάντων προσέχοντες αἱρετικοὺς ἴσως ἡμᾶς ὑπολήψονται, τὴν τοῦ δόγματος ἀκρίβειαν κατιδεῖν οὐ δυνάμενοι· ὅτι τοσοῦτον χρόνον ἐπισκοπεύσας, οὐκ οἰκίαν ἐκτη-

sent, conſurgens in Eccleſia nos anathemate confixit: idque cum ad eum ſcripſiſſem, & quæ ſentirem per litteras expoſuiſſem.

Ego vero Eccleſiæ ſane tempeſtatem defleo, ceterum quieti ſtudeo. Sex enim & viginti annis commiſſam mihi ab univerſorum Deo Eccleſiam, precum veſtrarum auxilio cum rexerim; neque ſub beatiſſimo Theodoto Antiſtite Orientis, neque ſub iis qui illi in Antiochenorum ſede ſucceſſerunt, vel minimam reprehenſionem ſuſtinui: ſed divina mihi cooperante gratia, ſupra mille animas Marcionis morbo liberavi, multaſque alias ex Arrii & Eunomii partibus ad Chriſtum Dominum perduxi. Et octingentarum Eccleſiarum paſtoralem curam ſortitus ſum, tot enim Cyrus habet parœcias, in quibus præcum veſtrarum auxilio lolium nullum relictum eſt, ſed omnibus hæreticis erroribus grex noſter ereptus eſt. Novit qui omnia conſpicit, quot lapides ab infandis hæreticis in me conjectos exceperim: quot mihi multis in urbibus Orientis certamina fuerint adverſus Gentiles, adverſus Judæos, & adverſus errorem omnem hæreticum. Et poſt tantos ſudores ac labores, indicta cauſſa, condemnatus ſum. Cap. iv.

At ego Apoſtolicæ veſtræ ſedis expecto ſententiam, & oro atque obteſtor ſanctitatem tuam, ut mihi rectum ac juſtum tribunal veſtrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, & doctrinam meam Apoſtolicis veſtigiis inhærentem oſtendere. Sunt enim mihi, quæ partim ante annos viginti, partim ante octodecim, partim ante quindecim, partim ante duodecim ſcripſi, quædam contra Arrianos & Eunomianos, quædam contra Judæos & Gentiles, quædam contra Magos, qui ſunt in Perſide, alia de univerſali providentia, & alia rurſus de Theologia, deque divina Incarnatione. Expoſita etiam ſunt a me per divinam gratiam tum Apoſtolica ſcripta, tum Prophetica oracula. Et facile eſt ex his cognoſcere, an ſtabilem fidei regulam ſervarim, an ab ejus rectitudine deflexerim. Sed nolite, obſecro, ſupplices meas preces reſpuere, nec miſeram meam canitiem poſt multos labores contumelioſe tractatam deſpicere. Cap. v.

Ante omnia ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac injuſta depoſitione acquieſcere, an non: veſtram enim ſententiam expecto. Quod ſi in judicatis manere me juſſeritis, manebo neque ulli hominum deinceps moleſtus ero, ſed rectum Dei ſalvatoriſque noſtri judicium expectabo. Me quidem, teſtis eſt Dominus Deus, honoris & gloriæ cura non tangit, ſed ſcandali quod injectum eſt: quia multi e ſimplicioribus, atque ii maxime, qui ex diverſis hæreſibus opera noſtra emerſerunt, ſedem illorum qui condemnarunt attendentes, hæreticos nos fortaſſe exiſtimabunt, cum dogmatis perfectionem perſpicere non poſſint, quodque Epiſcopatu tot annis geſto, non domum acquiſierim, non agrum, non obolum, non ſepulcrum; ſed ſpontaneam paupertatem amplexus ſim, & ea quæ a parentibus ad nos pervenerant, poſt illorum mortem ſtatim diſtribuerim, ut ſciunt omnes qui habitant in Oriente. Cap. vi.

Præ omnibus autem ſacrum Deoque carum caput veſtrum obſecro, ut precibus mihi opem & auxilium ferat. Hæc per reverentiſſimos Deoque cariſſimos Presbyteros, Hypatium & Abramium Chorepiſcopos, & Alypium monachorum qui apud nos ſunt Exarchum, Sanctitati Veſtræ ſuggeſſi: quandoquidem ne ad vos contenderem regiarum litterarum vincula retinuerunt, quemadmodum & alios, & ſanctitatem veſtram oro, ut Cap. vii.

& pa-

σάμην, οὐκ ἀγρὸν, οὐκ ὀβολὸν, οὐ τάφον, ἀλλὰ τὴν αὐθαίρετον πενίαν, καὶ τὰ παρὰ τῶν πατέρων εἰς ὑμᾶς ἐλθόντα μετὰ τὴν ἐκείνων τελευτὴν εὐθὺς διένειμας, ὡς ἴσασιν ἅπαντες οἱ τὴν ἑῴαν οἰκοῦντες.

Κεφ. ζ'. Πρὸ δὲ πάντων, ἱκετεύω τὴν ἱερὰν ὑμῶν καὶ τῷ Θεῷ φίλην κεφαλὴν, παρασχεῖν μοι τῶν προσδοχῶν τὴν βοήθειαν. ταῦτα διὰ τῶν εὐλαβεστάτων πρεσβυτέρων Ὑπατίου καὶ Ἀβραμίου τῶν χωρεπισκόπων, καὶ Ἀλυπίου τοῦ ἐξάρχου τῶν παρ' ἡμῖν μοναζόντων τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ἐδίδαξα. ἐπειδὴ περ ἐμὲ δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς τὰ τῶν βασιλικῶν γραμμάτων ἐπέχει δεσμὰ, ὥσπερ οὖν καὶ τοὺς ἄλλους. καὶ παρακαλῶ τὴν ὑμετέραν ὁσιότητα, καὶ ἰδεῖν αὐτοὺς πατρικῶς, καὶ τὰς ἀκλινεῖς ὑμῶν ἀκοὰς εὐμενεῖς αὐτοῖς παρασχεῖν, καὶ τὸ συκοφαντούμενον καὶ μάτην πολεμούμενον μου γῆρας τῆς ὑμετέρας ἀξιῶσαι κηδεμονίας, καὶ πρὸ πάντων τῆς ἐπιβουλευομένης πίστεως παντὶ σθένει φροντίσαι, καὶ φυλάξαι τῆς ἐκκλησίας τὸν πατρῷον κλῆρον ἀκέρατον, ἵνα καὶ τὰς ἀντὶ τούτων ἀντιδόσεις δέξηται ὑμῶν ἡ ἁγιότης παρὰ τοῦ μεγαλοδώρου δεσπότου.

& paterno affectu illos videat, & ſinceras aures veſtras illis benignas præbeat, & calumniis vexatam, ac ſine cauſſa impugnatam ſenectutem meam ſtudio & providentia veſtra dignetur, tum ante omnia fidei inſidiis appetitæ quam maximam poteſt curam gerat, paternamque hæreditatem Eccleſiæ integram cuſtodiat: ut pro his etiam paratas remunerationes a munifico, & liberali Domino ſanctitas veſtra recipiat.

FRAGMENTUM
EPISTOLÆ ANATOLII
CONSTANTINOPOLITANI
Epiſcopi, de Ordinatione ſua.

ΕΚ ΤΗΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗΣ ΑΝΑΤΟΛΙΟΥ
Κωνσταντινουπόλεως πρὸς τὸν Ῥώμης Λέοντα.

Καὶ γὰρ ὁ εὐσεβέστατος καὶ φιλόχριστος ἡμῶν Βασιλεὺς Θεοδόσιος, ὁ δεύτερα τὰ λοιπὰ τῶν θείων ἡγούμενος, τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἁγιωτάτης ἐκκλησίας τοῦ ποιμαίνοντος χηρευούσης, ὀφειλούσης τυχεῖν, τοῦ ταύτην ἰθύναι δυναμένου, πλείστην τούτου ποιησάμενος τὴν φροντίδα. πρότερον μὲν ἐπέτρεψε τῷ κατ' αὐτὴν εὐλαβεστάτῳ κλήρῳ τοὺς ἐπιτηδειοτέρους εἰς ἐπιστασίαν μετὰ δοκιμασίας ψηφίσασθαι, αὐτὴν ἐπιλογὴν ἑαυτῷ τοῦ πάντων ἐκκρίτου ταμιευσάμενος. εἶτα διχονοίας ἀμέτρου ἐν τούτοις ἀναφυείσης, καὶ πάντων ἐντεῦθεν περὶ πολλοὺς μεριζομένων τὰς γνώμας, κελεύει τοὺς διάγοντας ἐν τῇ Βασιλευούσῃ, καὶ ἐξ ἑτέρων πόλεων, τινῶν ἕνεκεν; οἷα συμβαίνει, χρειῶν, κληρικοὺς ἐνεργεῖσθαι, ἐφ' ᾧ τε τὸν ἑκατέρων ἄμεινον δίχα πάσης προσπαθείας εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προαχθῆναι. ὅπερ γεγονότος, ἔδοξε λοιπὸν τοῖς κρατοῦσι τῶν ὅλων, ἐπιτραπῆναι κλήρῳ τὴν ἐπιλογὴν τοῦ πρωτεύοντος. καὶ ἰδοὺ φθάσει ἡ ψῆφος ἐπ' ἐμὲ τὸν ἐλάχιστον, οὐ κατὰ τὴν ἐμὴν δικαιοσύνην, ἀλλ' ἵνα πάντως ἐν ἐμοὶ ἐνδείξηται χριστὸς Ἰησοῦς τὴν πᾶσαν μακροθυμίαν αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀπόστολον. ὅθεν γέγονεν ἔργον τῇ ἐνδημούσῃ ἁγίᾳ συνόδῳ, ἀπροθέτως εἰς τὴν ἐπ' ἐμοὶ χειροτονίαν ἐλθεῖν.

EX EPISTOLA ANATOLII
Conſtantinopolitani ad Leonem Romanum.

Etenim piiſſimus & Chriſti amans noſter Imperator Theodoſius, qui cuncta in ſecundis poſt res ad Deum pertinentes ponit, cum ſanctiſſima Conſtantinopolitana Eccleſia Paſtore orbata eſſet, deberetque accipere qui eam poſſet regere, plurimam ejuſce rei curam ſuſcepit. Ac primo quidem demandavit religioſiſſimo ejuſdem urbis clero, ut ad gubernationem aptiores decerneret cum probatione, ſibi electionem omnium præcipue reſervans. Deinde in his exorta immoderata diſſenſione, cunctiſque hinc erga multos in varia ſtudia ſciſſis, jubet Imperator conquiri clericos in Regia urbe etiam ex aliis civitatibus ob quædam (ita ut fit) negotia degentes, quo inter illos præſtantior abſque ullo affectu in Epiſcopalem dignitatem promoveretur. Quod cum factum fuiſſet, poſtea placuit iis qui in cuncta poteſtatem obtinent, permitti clero electionem Primatis. Et ecce ſuffragia in me omnium minimum venerunt, non propter juſtitiam meam, ſed ut Chriſtus Jeſus in me oſtenderet omnem patientiam ſuam, juxta Apoſtolum. Unde id operis incubuit ſanctæ Synodo Epiſcoporum Conſtantinopoli verſantium, ut ad me ordinandum ſine mora procederent. 1. Timoth. 1. 16.

EPISTOLA VALENTINIANI ET MARCIANI AD EPISCOPUM ROMÆ LEONEM.

De electione ſua & de Concilio celebrando.

Νικηταὶ Οὐαλεντινιανὸς καὶ Μαρκιανὸς, ἔνδοξοι τροπαιοῦχοι, ἀεὶ βασιλεῖς, Λέοντι τῷ εὐλαβεστάτῳ ἐπισκόπῳ τῆς ἐνδόξου πόλεως Ῥώμης.

Εἰς τοῦτο τὸ μέγιστον βασίλειον ἤλθομεν Θεοῦ προνοίᾳ καὶ ἐπιλογῇ τῆς ὑπερφυοῦς συγκλήτου, καὶ παντὸς τοῦ στρατοῦ. ὅθεν ὑπὲρ τῆς εὐλαβοῦς, καὶ καθολικῆς θρησκείας τῆς πίστεως τῶν χριστιανῶν, οὗ τινος τῇ βοηθείᾳ τοῦ ἡμετέρου κράτους πεποίθαμεν ἰθύνεσθαι τὴν δύναμιν, τὴν τε σὴν ἁγιωσύνην ἐπισκοπεύουσαν, καὶ ἄρχουσαν τῆς θείας πίστεως, ἱεροῖς γράμμασιν ἐν πρώτοις δίκαιον ἡγησάμεθα προσειπεῖν, προτρεπόμενοι, καὶ παρακαλοῦντες, ἵνα ὑπὲρ ἑδραιότητος, καὶ στάσεως τῆς ἡμετέρου βασιλείου, τὴν αἰώνιον θειότητα ἡ σὴ ἱκετεύῃ ὁσιότης. διὰ τὸ καὶ τὴν ἡμετέραν πρόθεσιν, καὶ τὸν πόθον τοιοῦτον ὑπάρχειν ὥστε πάσης ἀσεβοῦς πλάνης ἀποκινηθείσης, διὰ τῆς * συγκροτηθείσης ταύτης συνόδου, σοῦ αὐθεντοῦντος, μεγίστη εἰρήνη, περὶ πάντας τοὺς ἐπισκόπους τῆς καθολικῆς πίστεως ὑπαρχθείη, παντὸς μύσους καθαρὰ, καὶ ἄσπιλος γενομένη. Ἐπράχθη ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐν ὑπατείᾳ τοῦ δεσπότου ἡμῶν Οὐαλεντινιανοῦ τοῦ αἰωνίου Αὐγούστου τὸ ἕβδομον, καὶ Ἀβιηνοῦ τοῦ ὑπάτου.

* συγκροτηθησομένης συνόδου.

Victores Valentinianus & Marcianus glorioſi Triumphatores, ſemper Auguſti, Leoni reverendiſſimo Epiſcopo glorioſæ civitatis Romæ.

AD hoc maximum imperium venimus Dei providentia, & electione Senatus excellentiſſimi cunctæque militiæ. Unde pro reverenda & Catholica religione fidei Chriſtianorum, cujus auxiliis virtutem noſtræ potentiæ confidimus gubernari, tuam ſanctitatem principatum in Epiſcopatu divinæ fidei poſſidentem, ſacris litteris in principio juſtum credimus alloquendam: invitantes atque rogantes, ut pro firmitate & ſtatu noſtri Imperii, æternam divinitatem tua ſanctitas deprecetur; ut & tale propoſitum atque deſiderium habeamus: quatenus omni impio errore ſublato per celebrandam ſynodum, te autore, maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei Catholicæ fiat, ab omni ſcelere pura & intemerata conſiſtens. Actum Conſtantinopoli, conſulatu ſeptimo Domini Valentiniani perpetui Auguſti, & Avieni.

V. ep. 38. venite non contigit.

EPISTOLA PULCHERIÆ AUGUSTÆ AD SANCTISSIMUM EPISCOPUM ROMÆ LEONEM.

Λέοντι τῷ εὐσεβεστάτῳ ἐπισκόπῳ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐνδόξου πόλεως Ῥώμης παρὰ τῆς δεσποίνης ἡμῶν Πουλχερίας, καὶ σεβασμιωτάτης βασιλίδος.

ΤΑ γράμματα τῆς σῆς μακαριότητος μετὰ τῆς πρεπούσης παντὶ ἐπισκόπῳ σεβασμιότητος ὑπεδεξάμεθα, δι᾽ ὧν τὴν σὴν πίστιν καθαρὰν, καὶ τοιαύτην ἐπέγνωμεν, ὁποίαν ὀφείλει μετὰ ἁγιότητος τῷ θείῳ παρέχεσθαι ναῷ. ἐγὼ δὲ ὁμοίως, καὶ ὁ δεσπότης, ὁ γαληνότατος βασιλεὺς, ὁ ἐμὸς σύζυγος, ἐν τῇ αὐτῇ διὰ παντὸς καὶ διεμείναμεν, καὶ διαμένομεν, πᾶσαν σκαιότητα, καὶ μιασμὸν, καὶ φαρμακείαν ἐκκλίνοντες, ὁ ἁγιώτατος τοίνυν τῆς ἐνδόξου Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος Ἀνατόλιος ἐν τῇ αὐτῇ διέμεινε πίστει τε, καὶ θρησκείᾳ, καὶ τὴν σῶν γραμμάτων τὴν ἀποστολικὴν ὁμολογίαν περιεπτύξατο, τῆς πλάνης ἀποβληθείσης ἐκείνης, ἥ τις παρά τινων νῦν ἀνέκυψε. καθὼς καὶ ἐκ τῶν αὐτοῦ γραμμάτων ἔτι σαφέστερον ἐπιγνῶναι ἡ σὴ δυνάται ἁγιότης· τῇ τε γὰρ ἐπιστολῇ ὁμοίως τῆς καθολικῆς πίστεως. ἣν τινα πρὸς τὸν τῆς ἁγίας μνήμης Φλαβιανὸν ἐπίσκοπον ἡ σὴ μακαριότης ἀπέστειλε, δίχα τινὸς ὑπερθέσεως ὑπέγραψε. διὰ τοῦτο ἡ σὴ εὐλάβεια, καθ᾽ ὃν ἂν φανείη τρόπον σημᾶναι καταξιώσει· ἵνα πάντες, καὶ πάσης τῆς ἀνατολῆς οἱ ἐπίσκοποι, Θρᾷκές τε, καὶ Ἰλλυρικοῦ, καθὼς καὶ τῷ ἡμετέρῳ δεσπότῃ τῷ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ τῷ ἐμῷ συζύγῳ ἀρέσκει, εἰς μίαν πόλιν τὴν τάχιστην ἀπὸ τῶν ἀνατολικῶν μερῶν παραγένωνται. κἀκεῖσε γενομένης συνόδου περί τε τῆς καθολικῆς ὁμολογίας, καὶ περὶ τούτων τῶν ἐπισκόπων, οἵ τινες πρὸς τούτου ἐχωρίσθησαν, καθὼς ὁ πίστος, καὶ ἡ χριστιανικὴ εὐσέβεια ἀπαιτεῖ, σοῦ αὐθεντοῦντος ὁρίσωσιν. ἔτι δὲ γνώτω ἡ σὴ ἁγιότης, ὡς προστάγματι τοῦ ἡμετέρου δεσπότου καὶ γαληνοτάτου βασιλέως τοῦ ἡμετέρου συζύγου ἐν τῇ ἐνδόξῳ πόλει τῆς Κωνσταντινουπόλεως τοῦ τῆς ἁγίας μνήμης ἐπισκόπου Φλαβιανοῦ τὸ σῶμα διακεκόμισται, καὶ ἐν τῇ βασιλικῇ τῶν ἀποστόλων, ἐν ᾗ εἰώθασιν οἱ προλειτουργήσαντες ἐπίσκοποι θάπτεσθαι, τῇ πρεπούσῃ τιμῇ * ἀποτέθειται· καὶ τούτους ὁμοίως τοὺς ἐπισκόπους, οἵ τινες διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν ἑπόμενοι τῇ τοῦ ἁγιωτάτου Φλαβιανοῦ συμφωνίᾳ τῆς πίστεως τῆς καθολικῆς συνέτρεχον, ἐξορίᾳ ὑπεβλήθησαν, ἐπανελθεῖν διὰ κυρώσεως ἰδίου πραγματικοῦ προσέταξεν· ὥστε διὰ τῆς δοκιμασίας τῆς συνόδου, καὶ πάντων τῶν ἐπισκόπων τῶν συνελθόντων, τῆς ἀποφάσεως, τὴν ἐπισκοπὴν, καὶ τὰς ἰδίας ἐκκλησίας εἰθῶσιν ἀπολαβεῖν.

* ἀποτίθεται.

Leoni reverendiſſimo Epiſcopo Eccleſiæ glorioſæ civitatis Romæ, Pulcheria venerabiliſſima Auguſta.

LItteras tuæ beatitudinis cum omni decenti omnem Epiſcopum veneratione ſuſcepimus; per quas tuam fidem puram & talem cognovimus, qualis debet cum ſanctitate ſacro præberi templo. Ego vero ſimiliter ac meus dominus tranquilliſſimus Imperator, meus conjunx, in eadem ſemper & manſimus & manemus, omnem pravitatem atque pollutionem & maleficium declinantes. Sanctiſſimus igitur glorioſæ Conſtantinopolis Epiſcopus Anatolius in eadem fide permanſit atque religione, & tuarum litterarum Apoſtolicam confeſſionem complectitur, illo errore ſublato, qui ab aliquibus nunc ortus eſt, ſicut ex ejus quoque litteris clarius tua ſanctitas agnoſcere poterit: & epiſtolæ ſimiliter Catholicæ fidei, quam ad ſanctæ memoriæ Flavianum Epiſcopum tua beatitudo direxit, ſine aliqua dilatione ſubſcripſit. Et propterea tua reverentia quocunque modo proſpexerit, ſignificare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Epiſcopi, Thraciæ, atque Illyrici, ſicut etiam noſtro domino piiſſimo Imperatori meo conjugi placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire: & illic facto concilio, & de catholica confeſſione, & de his Epiſcopis qui ante hoc ſegregati ſunt, ſicut fides & chriſtiana pietas exigit, te autore decernant. Super hæc autem ſciat tua ſanctitas, quoniam præcepto noſtri domini & tranquilliſſimi Principis mei conjugis in glorioſam civitatem Conſtantinopolim ſanctæ memoriæ Epiſcopi Flaviani corpus allatum eſt, & in Baſilica Apoſtolorum, in qua conſueverunt præceſſores Epiſcopi ſepeliri, competenter eſt poſitum. Et hos ſimiliter Epiſcopos, qui propter eandem cauſſam, quoniam cum ſanctiſſimo Flaviano ad concordiam fidei catholicæ concurrerant, exilio deportati ſunt, reverti debere, robore pragmatici ſui præcepit; quatenus per approbationem ſynodi, atque ſententiam omnium Epiſcoporum convenientium, epiſcopatum & Eccleſias proprias recipere decernantur.

V. ep. 39. epiſcopali vener. ſuſcepimus.

una.

MAR

MARCIANI IMPERATORIS EPISTOLA AD EPISCOPUM ROMÆ LEONEM.

Λέοντι τῷ εὐσεβεστάτῳ ἐπισκόπῳ τῆς ἐνδόξου πόλεως Ῥώμης, Μαρκιανός.

ΠΕρὶ τῆς σπουδῆς, καὶ τῆς εὐχῆς τῆς ἡμετέρας, οὐκ ἀμφιβάλλει ἡ σὴ ἁγιότης· ὅτι περ ἀληθῆ τὴν τῶν χριστιανῶν θρησκείαν, καὶ τὴν ἀποστολικὴν πίστιν βεβαίαν διαμένειν βουλόμεθα, καὶ παρὰ παντὸς τοῦ δήμου εὐσεβεῖ διανοίᾳ φυλάττεσθαι. καὶ γὰρ τὴν ἀμεριμνίαν, καὶ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἡμετέρου κράτους, ἐκ τῆς ὀρθῆς θρησκείας, καὶ εὐμενείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν συνεστάναι, οὐκ ἔστιν ἀμφίβολον. διὸ τοὺς εὐλαβεστάτους ἄνδρας οὓς πρὸς τὴν ἡμετέραν εὐσέβειαν πέπομφεν ἡ σὴ ἁγιότης, ἡδέως, καὶ ὡς ἐχρῆν, λογισμῷ εἰδεῖ ὑπεδεξάμεθα. λοιπόν ἐστιν, ἵνα εἰ ἀρέσκει τῇ σῇ ὁσιότητι, ἐπὶ ταῦτα τὰ μέρη παραγενέσθαι, καὶ τὴν σύνοδον ἐπιτελέσαι, τοῦτο ποιεῖν τῷ περὶ τὴν θρησκείαν ἔρωτι καταξιώσῃ. καὶ γὰρ ταῖς ἡμετέραις ἐπιθυμίαις ποιήσει τὸ ἱκανὸν ἡ σὴ ὁσιότης, καὶ τῇ ἱερᾷ θρησκείᾳ τὰ χρήσιμα διατυπώσει. εἰ δὲ ἐπαχθές τοῦτό ἐστι, τὸ σὲ πρὸς ταῦτα παραγενέσθαι τὰ μέρη, τοῦτο αὐτὸ ἡμῖν ἰδίοις καταμηνύσει γράμμασιν ἡ σὴ ἁγιωσύνη. ὥστε πρὸς ἅπασαν τὴν ἀνατολὴν, καὶ τὴν Θρᾴκην, καὶ τὸ Ἰλλυρικὸν, θεῖαι ἡμέτεραι * ἀποσταλήσον] προσφωνήσεις· ὅπως πρός τινα ὡρισμένον τόπον, ἔνθα ἂν ἡμῖν δόξῃ, πάντες οἱ ἁγιώτατοι ἐπίσκοποι παραγένωνται. καὶ ἅπερ τῇ τῶν χριστιανῶν θρησκείᾳ εἰρήνην καὶ τῇ καθολικῇ πίστει συμφέρουσι, καθὼς ἡ σὴ ἁγιωσύνη κατὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας διετύπωσε καταστήσονται.

*ἀποσταλήσονται.

Leoni reverendiſſimo Epiſcopo Eccleſiæ glorioſæ civitatis Romæ, Martianus.

DE ſtudio & oratione noſtra ſanctitas tua non dubitat: quoniam veram Chriſtianorum religionem & Apoſtolicam fidem firmam volumus permanere, & ab omni populo pia mente ſervari. Denique ſecuritatem noſtræ potentiæ ex recta religione & propitiatione Salvatoris noſtri conſiſtere non ambigimus. Quapropter reverendiſſimos viros, quos ad noſtram pietatem ſanctitas tua direxit, libenter & ſicut decebat, animo grato ſuſcepimus. Supereſt, ut ſi placuerit tuæ beatitudini has partes advenire, & ſynodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: noſtris utique deſideriis veſtra ſanctitas ſatisfaciet, & ſacræ religioni quæ utilia ſunt decernet. Si vero hoc oneroſum eſt, ut tu ad has partes advenias: hoc ipſum nobis propriis litteris tua ſanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam & Illyricum ſacræ noſtræ litteræ dirigantur, ut ad quemdam deſinitum locum, ubi nobis placuerit, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire, & quæ Chriſtianorum religioni atque catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundum Eccleſiaſticas regulas definiverit, ſua diſpoſitione declarent.

V. ep 42. Voto noſtro. etenim.

EPISTOLA SANCTÆ SYNODI CHALCEDONENSIS *AD SANCTISSIMUM PAPAM ROMANÆ ECCLESIÆ LEONEM* DE GENTIS IN SYNODO.

Ἡ ἁγία, καὶ μεγάλη, καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ἡ κατὰ Θεοῦ χάριν καὶ θέσπισμα τῶν εὐλαβεστάτων καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν βασιλέων συναχθεῖσα ἐν τῇ Καλχηδονέων μητροπόλει τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ τῶν Ῥωμαίων ἀρχιεπισκόπῳ Λέοντι.

ΕΠλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν καὶ ἡ γλῶσσα ἡμῶν ἀγαλλιάσεως. ταύτην ὡς οἰκείαν ἡμῖν ἡ χάρις τὴν προφητείαν ἐφήρμοσεν, οἷς τὸ τῆς εὐσεβείας ἐβεβαιώθη κατόρθωμα. τί γὰρ πίστεως πρὸς εὐφροσύνην ἀνώτερον; τί τῆς δεσποτικῆς γνώσεως πρὸς χορείαν φαιδρότερον, ἣν αὐτὸς ἄνωθεν ὁ σωτὴρ πρὸς σωτηρίαν ἡμῖν παρέδωκε, φήσας· πορευθέντες, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. ἣν αὐτὸς ὥσπερ χρυσῆν σειρὰν τῷ προστάγματι τοῦ θεμένου καταγομένην εἰς ἡμᾶς, διεφύλαξας, πᾶσι τῆς τοῦ μακαρίου Πέτρου φωνῆς ἑρμηνεὺς καθιστάμενος. ὅθεν καὶ ἡμεῖς, ὡς ἀρχηγῷ σοι τοῦ καλοῦ πρὸς ὠφέλειαν χρησάμενοι, τῆς ἀληθείας τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις τὸν κλῆρον ἐδείξαμεν, οὐ καθ' ἕνα ἕκαστος ἐν παραβύστῳ τὴν διδασκαλίαν ποιούμενοι· ἀλλὰ κοινῷ πνεύματι, μιᾷ συμπνοίᾳ καὶ ὁμονοίᾳ τῆς πίστεως τὴν ὁμολογίαν γνωρίσαντες· καὶ ἦμεν ἐν κοινῇ χορείᾳ, τοῖς πνευματικοῖς, ὡς ἐν βασιλικοῖς δείπνοις, ἐντρυφῶντες ἐδέσμασιν, ἅπερ διὰ τῶν σῶν γραμμάτων ὁ Χριστὸς τοῖς εὐωχημένοις ηὐτρέπισε. καὶ τὸν ἐπουράνιον νυμφίον ἐν ἡμῖν ὁρᾶν ἐδοκοῦμεν ἐνδιαιτώμενον. εἰ γὰρ ὅπου εἰσὶ δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ αὐτοῦ ὄνομα, ἐκεῖ ἔφη εἶναι ἐν μέσῳ αὐτῶν. πόσην περὶ πεντακοσίους εἴκοσιν ἱερέας τὴν οἰκείωσιν ἐπεδείκνυτο, οἳ καὶ πατρίδος καὶ πόνου τῆς εἰς αὐτὸν ὁμολογίας τὴν γνῶσιν προεί-

Sancta & magna & univerſalis Synodus, quæ per gratiam Dei & ſanctionem piiſſimorum & amatorum Chriſti Imperatorum noſtrorum collecta eſt in Chalcedonenſium Metropoli Provinciæ Bithyniæ ſanctiſſimo & beatiſſimo Romanorum Archiepiſcopo Leoni.

R*Epletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione*. Hanc tanquam propriam nobis prophetiam gratia coaptavit, a quibus pietatis eſt reſtitutio confirmata. Quid enim fide ſublimius ad lætandum? Quid agnitione dominica feſtivius ad coronas, quam nobis olim Salvator ipſe tradidit ad ſalutem, inquiens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*. Quam veluti oro textam ſeriem, ex (veſte Chriſti &) præcepto legiſlatoris venientem uſque ad nos, ipſe ſervaſti, vocis beati Petri omnibus conſtitutus interpres, (ejus fidei beatificationem ſuper omnes adducens.) Unde & nos, quippe ut inchoatore bonorum te ad utilitatem utentes, eccleſiæ filiis hæreditatem ſortemque veritatis oſtendimus, non ſingulatim faciente in occulto unoquoque doctrinam, ſed uno ſpiritu, una conſpiratione atque concordia confeſſionem fidei declarantes: & eramus in communi corona gaudii, quaſi in imperialibus cœnis, deliciis ſpiritualibus epulantes, quas per tuas litteras Chriſtus præparaverat invitatis, & ſuper cœleſtem ſponſum inter nos converſantem nos cernere putabamus. Si enim ubi ſunt duo aut tres congregati in nomine ejus, ibi ſe in medio eorum fore perhibuit: quantam circa quingentos viginti ſacerdotes peculiaritatem potuit demonſtrare, qui & patriæ & labori ſuæ confeſſionis notitiam prætulerunt? Quibus tu quidem, ſicut membris caput, præeras in his qui tuum tenebant ordinem benevo-

len-

Pietas egregio confirmata eſt opere. al. confirmatum eſt votum. choreas: exaltationem *Matt.* 28. tanquam auream catenulam. catenam. imponentis deductam. tanquam tanti boni duce & auctore ad communem utilitatem. quiſque in abdito docentes, non per ſingulos ſinguli tanquam in ſecreto doctrinam facientes. chorea. convivantibus. *Matth.* 18. familiaritatem. tuas vices gerebant.

Digitized by Google

θηκαν; ὧν σὺ μὲν, ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες
ἐν τοῖς τὴν σὴν τάξιν ἐπέχουσι, τὴν εὔνοιαν ἐπι-
δεικνύμενος· βασιλεῖς δὲ πιστοὶ πρὸς εὐκοσμίαν
ἐξῆρχον Ζοροβάβελ καὶ Ἰησοῦ, τῆς ἐκκλησίας,
καθάπερ Ἱερουσαλὴμ, τὴν ἐν τοῖς δόγμασιν οἰ-
κοδομίαν ἀνανεοῦν προθυμούμενοι. καὶ ἦν αὖ ὁ ἀντι-
κείμενος ὡς θὴρ ἔξω τῆς μάνδρας καθ' ἑαυτὸν ὠρ-
υόμενος, οὐδένα ἔχων λαβεῖν, εἰ μὴ ἑαυτὸν αὐ-
τῷ πρὸς θήραν ὁ τῶν Ἀλεξανδρέων πάλαι γενόμενος
ἐπέρριψε πρόεδρος· ὃς πολλὰ πρότερον εἰργασ-
μένος δεινὰ, ἀπέκρυψε τοῖς δευτέροις τὰ πρότε-
ρα. τόν τε γὰρ μακάριον ἐκεῖνον τὸν ἐν ἁγίοις τῆς
Κωνσταντινουπόλεως ποιμένας Φλαυιανὸν, τὴν ἀ-
ποστολικὴν προϊσχόμενον πίστιν, καὶ τὸν θεοφιλέ-
στατον ἐπίσκοπον Εὐσέβιον, παρὰ πᾶσαν τὴν τῶν
κανόνων ἀκολουθίαν καθεῖλε. καὶ τὸν ἐπὶ δυσσεβείᾳ
κατακεκριμένον Εὐτυχῆ, ταῖς τῆς τυραννίδος αὐτοῦ
ψήφοις ἠθώωσε, καὶ τὴν παρὰ τῆς ὑμῶν ὁσιότητος,
ὥσπερ ἀναξίως τῆς χάριτος, ἀφαιρεθεῖσαν ἀξίαν
ἀπέδωκε. καὶ ὡς μονιὸς ἅπαξ ἄγριος ἐπιπεσὼν
τῇ ἀμπέλῳ, ἣν μὲν ἀρίστην εὗρε φυτείαν, ἀνέ-
τρεψεν. ἣν δὲ ὡς ἄκαρπον, ἐρριμμένην, εἰσήγα-
γε· καὶ τοὺς μὲν τὰ ποιμένων φρονοῦντας ἀπέτεμε,
τοὺς δὲ λύκους ἀποδεδειγμένους τοῖς προβάτοις
ἐπέστησε· καὶ πρὸς τούτοις ἅπασιν, ἔτι καὶ κατ' αὐ-
τοῦ τοῦ τῆς ἀμπέλου τὴν φυλακὴν παρὰ τοῦ σωτῆρος
ἐπιτετραμμένου τὴν μανίαν ἐξέτεινε· λέγομεν δὴ,
τῆς σῆς ὁσιότητος· καὶ ἀκοινωνησίαν κατὰ τοῦ τὸ σῶ-
μα τῆς ἐκκλησίας ἑνοῦν σπουδάσαντος ἐμελέτη-
σε. καὶ δέον ἐπὶ τούτοις μετανοῆσαι, δέον δάκρυ-
σιν αἰτῆσαι τὸν ἔλεον, ὡς ἐπὶ σεμνοῖς ἐπηγάλλετο,
τὴν μὲν ἐπιστολὴν τῆς σῆς ὁσιότητος διαπτύων,
πᾶσι δὲ τοῖς τῆς ἀληθείας δόγμασιν ἀνθιστά-
μενος. καὶ ἔδει μὲν αὐτὸν εὐθὺς ἐφ' ἧς ἑαυτὸν ἔταξε, κα-
ταλεῖψαι μερίδος. ἐπειδὴ δὲ τοῦ σωτῆρος τὴν μα-
θητείαν ἐπαγγελλόμεθα, ὃς πάντας ἀνθρώ-
πους θέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας
ἐλθεῖν, ἔργῳ ταύτην ἐπ' αὐτῷ κυρῶσαι τὴν φι-
λανθρωπίαν ἐσπεύσαμεν· καὶ πρὸς κρίσιν ἀδελ-
φικῶς ἐκαλοῦμεν, οὐχ' ὡς ἀποτέμνειν πειρώμε-
νοι, ἀλλ' ἀπολογίας αὐτῷ χώραν πρὸς ἰατρείαν
παρέχοντες· καὶ εὐχόμεθα κρείττονα φανῆναι τῶν
ποικίλαις αὐτοῦ κατηγορησάντων αἰτιάσεσιν, ἵνα
*ἔγγραπτον Lat. φαιδροὶ φαιδρῶς τὸν σύλλογον διαλύσαντες, ἐν μη-
δενὶ πλεονεκτηθῶμεν, ὑπὸ τοῦ σατανᾶ. ἀλλ' οὗτος
ἐν ἑαυτῷ * ἄκρατον τοῦ συνειδότος ἔχων τὸν ἔλεγχον,
τῇ παραιτήσει τῆς κρίσεως τῶν κατηγοριῶν συνέθε-
το, καὶ τὰς ἐνθέσμους τρεῖς ἐπ' αὐτῷ γενομένας
κλήσεις παρῃτήσατο. διὰ ταῦτα τοιγαροῦν, ἣν αὐτὸς
καθ' ἑαυτοῦ τοῖς πλημμελήμασιν ἐξήνεγκε ψῆ-
φον, ταύτην ὡς ἐνῆν μετρίως ἐκυρώσαμεν, τῆς
ποιμαντικῆς δορᾶς τὸν λύκον γυμνώσαντες, ἣν καὶ
πάλαι σχήματι περικείμενος ἀπηλέγχετο. μέ-
χρι τούτου ἡμῖν ἵστατο τὰ στυγνὰ, καὶ τῶν καλῶν ἡ
χάρις εὐθὺς ἐπέλαμψε. καὶ ἓν ζιζάνιον ἀνασπά-
σαντες, πᾶσαν τῷ καθαρῷ σίτῳ τὴν οἰκουμένην
μεθ' ἡδονῆς ἐπληρώσαμεν· καὶ ὡς ἐκριζοῦν καὶ κα-
ταφυτεύειν τὴν ἐξουσίαν δεξάμενοι, τὴν ἐκτο-
μὴν μέχρις ἑνὸς ἐστενώσαμεν, τὴν δὲ καλῶν τὴν
εὐκαρπίαν ἐπιμελῶς ἐρριζώσαμεν. Θεὸς γὰρ ἦν ὁ
ἐνεργῶν, καὶ ἡ τὸ σύλλογον, τῷ νυμφῶνι στεφα-
νοῦσα καλλίνικος Εὐφημία· ἣ ὥσπερ οἰκείαν ὁμο-
λογίαν, τῆς πίστεως παρ' ἡμῶν δεξαμένη τὸν ὅρον,
τῷ ἑαυτῆς νυμφίῳ διὰ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως καὶ
τῆς φιλοχρίστου βασιλίδος προσήγαγε, πᾶσαν μὲν
τῶν ἀντικειμένων ταραχὴν καταδυνάσασα, τὴν δὲ τῆς
ἀληθείας, ὡς φίλην, ὁμολογίαν κρατύνασα,
καὶ χειρὶ καὶ γλώττῃ τῶν πάντων ψήφοις ἐπιψη-

lentiam præferens. Imperatores vero fideles ad ordi- *Eſdr. 3.*
nandum decentiſſime præſidebant, ſicut Zorobabel
& Jeſus, Eccleſiæ, tanquam Jeruſalem, ædificatio- invitantes.
nem renovare circa dogmata annitentes. Et erat uti- foris a ſe-
que adverſarius tanquam beſtia extra caulas apud ſe- ptis ſecum
metipſum rugiens, nullum prævalens capere, niſi fremens.
ſemetipſum ei ad capiendum injeciſſet is, qui Ale-
xandrinorum quondam Pontifex fuit. Qui multa
prius peſſime operatus, priora ſequentibus ſupera-
vit. Nam beatum illum inter ſanctos Conſtantinopo-
lis paſtorem Flavianum, Apoſtolicam proferentem
fidem, & Dei amantiſſimum Epiſcopum Euſebium,
præter omnem canonum conſequentiam depoſuit at-
que damnavit; & Eutychem impietate damnatum,
ſuæ tyrannidis decretis innoxium ſtatuit; & dignita- abſolvit.
tem, quæ a veſtra illi ablata fuerat ſanctitate (quip-
pe ut ab eo qui hac gratia erat indignus) ille reſtituit;
& in ſumma, ſicut ſingularis ferus, in vineam ir- *Pſ. 79.*
ruens, quam optimam reperit plantationem, ever- plantam.
tit; quam vero infructuoſam, eradicatam, rurſus
induxit: & eos quidem qui ea quæ paſtorum ſunt,
ſapiunt, abſcidit; eos vero, qui lupi demonſtrati
ſunt, ſuper oves impoſuit. Et poſt hæc omnia, inſuper manifeſti
& contra ipſum, cui vineæ cuſtodia a Salvatore com- erant.
miſſa eſt, extendit inſaniam, id eſt, contra tuam quo-
que apoſtolicam ſanctitatem; & excommunicatio-
nem mediatus eſt contra te, qui corpus Eccleſiæ u-
nire feſtinas. Et dum de talibus pœnitere eum po-
tius oporteret, dum deberet miſericordiam lacry-
mis poſtulare, tanquam de bonis (male ſobrius)
exultabat, epiſtolam quidem tuæ reſpuens ſanctita-
tis omnibus vero dogmatibus veritatis adverſans. Et *1. Tim. 2.*
quidem oportebat eum mox inter illos, in quorum
ſe ipſe ſtatuit parte, relinquere. Quoniam vero Sal- ut medere-
vatoris profitemur nos eſſe diſcipulos, qui omnes mur, tri-
homines ſalvos fieri vult, & ad agnitionem veritatis buentes: &
accedere; opere hanc in eo miſericordiam feſtinavi- optabamus
mus confirmare, & eum cum fraterna manſuetudine illis ſupe-
ad judicium vocabamus, non quaſi tentantes abſcin- riorem eva-
dere, ſed excuſationis ei locum ſalvandi cauſſa tri- dere, qui
buentes: & orabamus eum declarari victorem con- cum diver-
tra eos, qui eum diverſis criminationibus accuſabant, ſis crimini-
ut feſtiva celebrique lætitia concilium dimittentes, in bus accuſa-
nullo ſuperaremur a Satana. Sed ille in ſemetipſo in- bant.
ſcriptam convictionem conſcientiæ habens, reſuta- inſcribe-
tione judicii accuſationibus ſuis aſſenſit, & legitimas bant vehe-
ad ſe factas tres evocationes abjecit. Propterea ergo menti con-
decretum quod ipſe contra ſemetipſum peccando ſcientiæ re-
protulerat, hoc (prout potuimus levigando) fir- dargutione
mavimus, lupum paſtorali pelle nudantes, qua prius convictus
quoque figura tantummodo, ſeu in ſpeciem convin- inſcriptum
cebatur obtectus. Uſque ad hæc nobis triſtia prove- in ſeipſo
nientia ceſſaverunt, & bonorum gratia mox effulſit; conſcientiæ
& unum zizanium evellentes, mundo tritico uni- teſtem.
verſum mundum cum voluptate complevimus. Et
tanquam evellendi ac plantandi poteſtatem ſumen-
tes, inciſionem quidem uno homine tenus coangu-
ſtavimus, bonorum vero ubertatem diligenter plan-
tavimus. Deus enim erat qui operabatur, & quæ
ſuo thalamo concilium coronavit ornata decore vi-
ctoriæ Euphemia; quæ tanquam propriam confeſ- victrix Eu-
ſionem, fidei definitionem ſuſcipiens a nobis, ſuo phemia.
ſponſo per piiſſimum Imperatorem & amicam Chri-
ſti Auguſtam obtulit, omnem quidem perturbatio-
nem contrariorum ſedans, veritatis autem confeſſio-
nem roborans, ut amicam, & manu ac lingua uni-
verſorum decretis pro demonſtratione ſubſcribens. ut omnibus
Hæc ſunt, quæ tecum, qui ſpiritu præſens eras, & manifeſta
complacere tanquam fratribus deliberaſti, & qui eſſent, ſub-
pene per tuorum vicariorum ſapientiam videba- ſcriptam.
ris a nobis, effecimus. Indicamus vero, quia & a-
lia

φίσασα πρὸς ἀπόδειξιν. ταῦτά ἐστιν, ἅπερ σοὶ τῷ πνεύματι παρόντι, καὶ συνευδοκεῖν, ὡς ἀδελφοῖς, ἐγνωκότι, καὶ μονονουχὶ διὰ τῆς τῶν τοποτηρητῶν ὁρωμένῃ, σοφίας, εἰργάσμεθα. γνωρίζομεν δὲ, ὡς καὶ ἕτερά τινα τῶν πραγμάτων ἀταξίας, καὶ τῆς τῶν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν εὐσταθείας ἕνεκα ὡρίσαμεν, πεπεισμένοι καὶ τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην διδαχθεῖσαν ἀποδέχεσθαι τε ταῦτα, καὶ βεβαιοῦν. τὸ γὰρ ἐκ πολλοῦ κρατῆσαν ἔθος, ὅπερ εἶχεν ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία εἰς τὸ χειροτονεῖν μητροπολίτας τῶν διοικήσεων, τῆς τε Ἀσιανῆς, Ποντικῆς, καὶ Θρακικῆς, καὶ νῦν κατὰ συνοδικὴν ἐκυρώσαμεν ψῆφον, οὐ τοσοῦτον τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως τι παρέχοντες, ὅσον ταῖς μητροπόλεσι τὴν εὐταξίαν πρυτανεύοντες, διὰ τὸ πολλοὺς πολλάκις, τελευτώντων τῶν ἐπισκόπων, ἀνακύπτειν θορύβους, ἀνηγεμονεύτων ὄντων τῶν ἐν αὐταῖς κληρικῶν τε καὶ* λαϊκῶν, καὶ τὴν ἐκκλησιαστικὴν τάξιν συγχεόντων. ὅπερ οὐδὲ τὴν ὑμετέραν ἔλαθεν ἁγιότητα, μάλιστα τῶν Ἐφεσίων ἕνεκεν, πλεονάκις ὑμῶν διενοχληθέντων. ἐβεβαιώσαμεν δὲ καὶ τὸν τῶν ρν. ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συναθροισθέντων ἐπὶ τῆς τῆς εὐσεβοῦς μνήμης τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου, κανόνα τὸν διαγορεύοντα, μετὰ τὸν ὑμέτερον ἁγιώτατον καὶ ἀποστολικὸν*, τὰ πρεσβεῖα τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἔχειν πεπεισμένοι, ὡς τῆς ἀποστολικῆς παρ᾽ ὑμῖν κρατούσης ἀκτῖνος, καὶ ἐπὶ τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίαν, συνήθως κηδόμενοι, πολλάκις ταύτην ἡπλώσατε, διὰ τὸ ἄφθονον ὑπάρχειν ὑμῖν τὴν τῶν οἰκείων ἀγαθῶν πρὸς τοὺς γνησίους μετάδοσιν. ἅπερ τοίνυν ὡρίσαμεν πρὸς ἀναίρεσιν μὲν πάσης συγχύσεως, βεβαίωσιν δὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εὐταξίας, ταῦτα ὡς οἰκεῖά τε καὶ φίλα, καὶ πρὸς εὐκοσμίαν ἁρμόδια, περιπτύξασθαι καταξίωσον, ἁγιώτατε καὶ μακαριώτατε πάτερ. οἱ γὰρ τὸν τόπον τῆς ὑμετέρας ἁγιότητος ἐπέχοντες ὁσιώτατοι ἐπίσκοποι Πασχάσιος καὶ Λουκήνσιος, καὶ ὁ σὺν αὐτοῖς θεοφιλέστατος πρεσβύτερος Βονιφάτιος, τοῖς οὕτω τυπωθεῖσι σφοδρῶς ἀντειπεῖν ἐπειράθησαν, πάντως ἀπὸ τῆς ὑμετέρας ἄρξασθαι καὶ τοῦτο τὸ καλὸν προνοίας βουλόμενοι, ἵνα καθάπερ τῆς πίστεως, οὕτω καὶ τῆς εὐταξίας ὑμῖν λογισθῇ τὸ κατόρθωμα. ὑμεῖς γὰρ θεραπεύοντες τούς τε εὐσεβεστάτους βασιλέας ἐπὶ τούτῳ ἡδομένους, τήν τε λαμπρὰν σύγκλητον, καὶ πᾶσαν, ὡς εἰπεῖν, τὴν βασιλεύουσαν, εὔκαιρον ἐνομίσαμεν τὴν ἐπ᾽ αὐτῇ* περὶ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου βεβαίωσιν τῆς τιμῆς. καὶ ὡς ἐκ τῆς σῆς ὁσιότητος ταύτην ἐναρχθεῖσαν, δι᾽ ὧν ἀεὶ θάλπειν ἐσπούδακας, θαρρήσαντες ἐκυρώσαμεν· εἰδότες ὡς πᾶν παρὰ τῶν τέκνων γινόμενον κατόρθωμα εἰς τοὺς οἰκειουμένους πατέρας ἀνατρέχει. παρακαλοῦμεν τοίνυν τίμησον καὶ ταῖς σαῖς ψήφοις τὴν κρίσιν, ὥσπερ ἡμεῖς τῇ κεφαλῇ τὴν ἐν τοῖς καλοῖς συμφωνίαν εἰσενηνόχαμεν, οὕτω καὶ ἡ κορυφὴ τοῖς παισὶν ἀναπληρώσοι τὸ πρέπον. οὕτω γὰρ καὶ βασιλεῖς εὐσεβεῖς θεραπευθήσονται, οἱ τὴν τῆς σῆς ὁσιότητος ὡς νόμον, βεβαιώσαντες κρίσιν, καὶ ὁ Κωνσταντινουπόλεως θρόνος τὴν ἀμοιβὴν ἀποδέξεται, πᾶσαν ἀεὶ σπουδὴν πρὸς τὴν τῆς εὐσεβείας, ὑμῖν ἐκπληρώσας ὑπόθεσιν, καὶ τῷ ζήλῳ συνάψας ἑαυτὸν ὑμῖν πρὸς ὁμόνοιαν. ἵνα δὲ γνῶτε, ὡς οὐδὲν πρὸς χάριν ἢ πρὸς ἀπέχθειαν πεποιήκαμεν, ἀλλ᾽ ὡς θείῳ κυβερνώμενοι πνεύματι, πᾶσαν ὑμῖν τῶν πεπραγμένων τὴν δύναμιν ἐγνωρίσαμεν εἰς σύστασιν ἡμετέραν, καὶ τῶν πεπραγμένων βεβαίωσίν τε καὶ συγκατάθεσιν.

* λαῶν.

* f. θρόνον.

* παρὰ L.

lia quædam pro rerum ipſarum ordinata quiete, & propter eccleſiaſticorum ſtatutorum definivimus firmitatem, ſcientes quia & veſtra ſanctitas addicens, & probatura & confirmatura eſt eadem. Eam namque conſuetudinem, quæ ex longo jam tempore permanſit, quam habuit Conſtantinopolitanorum ſancta Dei Eccleſia ad ordinandum Metropolitanos provinciarum tam Aſianæ, quam Ponticæ, & Thraciæ, & nunc ſynodali decreto firmavimus, non tam ſedi Conſtantinopolitanæ aliquid præſtantes, quam metropolitanis urbibus quietem congruam providentes, eo quod frequenter epiſcopis vitam finientibus, multæ turbæ naſcuntur, clericis ac populis qui per eaſdem ſunt civitates, abſque rectore remanentibus, & eccleſiaſticum ordinem confundentibus; quod nec veſtram latuit ſanctitatem, maxime propter Epheſium, unde quidam vobis ſæpius importuni fuerunt. Confirmavimus autem & centum quinquaginta ſanctorum Patrum regulam, qui in Conſtantinopoli congregati ſunt ſub piæ memoriæ majore Theodoſio, quæ præcepit, poſt veſtram ſanctiſſimam & Apoſtolicam ſedem, honorem habere Conſtantinopolitanam, (quæ ſecunda eſt ordinata;) confidentes, quia lucente apud vos Apoſtolico radio, & uſque ad Conſtantinopolitanorum eccleſiam, conſuete gubernando, illum ſpargentes, hunc ſæpius expanditis, eo quod abſque invidia conſueveritis veſtrorum bonorum participatione ditare domeſticos. Quæ igitur ad interemtionem quidem totius confuſionis, confirmationem vero Eccleſiaſticæ ordinationis definivimus, hæc ſicut propria & amica, & ad decorem convenientiſſima, dignare complecti, ſanctiſſime & beatiſſime Pater. Qui enim locum veſtræ ſanctitatis obtinent ſanctiſſimi Epiſcopi Paſchaſinus & Lucentius, & qui cum eis eſt reverendiſſimus Presbyter Bonifacius, his ita conſtitutis vehementer reſiſtere tentaverunt, procul dubio a veſtra providentia inchoari & hoc bonum volentes: ut ſicut fidei, ſic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim curantes tam piiſſimos & Chriſti amicos Imperatores, qui ſuper hoc delectantur, quam clariſſimum ſenatum, & totam, ſicut dicere convenit, imperii civitatem, opportunum credidimus eſſe honoris ejus confirmationem ab univerſali concilio celebrari, & velut hæc a tua ſanctitate fuerint inchoata, eo quod fovere ſemper ſtudeas, roboravimus, præſumentes, dum noverimus, quia quidquid rectitudinis a filiis ſit apud patres recurrit, facientes hoc ſibi proprium. Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora judicium; & ſicut nos capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filiis quod decet adimpleat. Sic enim & pii Principes complacebunt, qui tanquam legem tuæ ſanctitatis judicium firmaverunt, & Conſtantinopolitana ſedes ſuſcipiat præmium, quæ omne ſemper ſtudium vobis ad cauſſam pietatis explevit, & ſemetipſam vobis ad concordiam eodem zelo conjunxit. Ut autem cognoſcatis, quia nihil alicui donando per gratiam fecimus, aut per inimicitias adverſando, ſed ut nutu gubernati divino; omnem vobis geſtorum vim inſinuavimus, ad comprobationem noſtræ ſinceritatis, & ad eorum quæ a nobis geſta ſunt firmitatem & conſonantiam.

obtinuit.

quorum cauſſa ſæpe moleſtia affecti fuiſtis.

primatum Conſtantinopolim, habentes loci ſecundi dominante ac prævalente.

ſyncera caritate conjunctos.

ad ornatum.

ordinis inſtitutio imputetur.

obſequentes non modo piiſſimis & Chriſtianiſſimis Imperatoribus, quibus id gratum erat, verum etiam clariſſimo ſenatui, & toti ut ita dicamus, regiæ urbi,

roborare auſi ſumus,

ſcientes quidquid a filiis recte geritur,

confidenter firmavimus: ſcientes quia omne bonum quod a filiis ſit ad proprios recurrit parentes.

impendimus.

contulimus conſenſum ſic & caput piis principibus gratum erit.

confirmationem atque conſenſionem.

EPI-

EPISTOLA MARCIANI IMPERATORIS

AD LEONEM PAPAM.

S Y N O P S I S.

1 *De ſide apud Chalcedonem roborata & pace Eccleſia reſtituta gratulatur.*
2 *Fidem juxta litteras S. Leonis a Synodo eſſe expoſitam.*
3 *Petit ut Sedi CP. ſecundus locus juxta ſtatuta ſecundæ & quartæ Synodi tribuatur.*
4 *Per Lucianum & Baſilium conſenſum ejus ſuper eodem negotio poſtulat.*

Victores Valentinianus & Marcianus, inclyti triumphatores ſemper Auguſti, ſancto Patri merito venerabili Leoni Epiſcopo.

Cap. I. DIvina humanaque ſcripta conſentiunt divinitatem imprimis eſſe venerandam, & ibi omnipotentem Deum eſſe propitium, ubi colitur rite religio. Id ergo quod quærebamus invenimus, & effectum vota noſtra meruerunt. Invenit religionis fidem religioſus affectus: nec dubium eſt Deo autore definitum, quod de majeſtate quærebatur. Exploſa igitur contentione atque diſcordia, quam livor fidei inimicus objecerat, Deum omnes una mente cognoſcunt. Jam non incuſamus ingrati. Religionis inimici præſtiterunt nobis, ut Deum ſtudioſius quæreremus, manifeſtius inveniremus. Majus etenim lumen videtur, quod poſt tenebras fulſerit: Dulcior eſt ſitientibus potus, feſſis otium. Lætetur igitur ſanctimonia tua victoria Fidei eujus laurea omnipotenti Chriſto referenda eſt, qui de perfidis egit triumphum. Atque ideo ipſi intereſſe ſanctæ Synodo feſtinavimus, quamvis nos in aliis locis expeditiones & neceſſitates publicæ detinerent.

Errores veritat. ſplendorem conciliant.

Cap. II. Itaque omnia pro votis atque oratione Religionis Tuæ, quæ fidei conveniunt autore Deo ſunt ordinata. Totius Orbis, qui ſub Imperio noſtro eſt, Reverendiſſimis Epiſcopis Chalcedonem convocatis, tractatu habito, poſt multa certamina vera ſides obtinuit, & juxta litteras Sanctitatis tuæ univerſi aſſenſerunt expoſitioni prout veritas poſtulavit. Nec dubitamus hujus rei gratulationem nobis & Sanctitati Tuæ eſſe communem, pariterque lætari, quos pariter manifeſtum eſt optaſſe veritatem. Supereſt ut univerſis pro Catholica fide & veritate compoſitis & pace Eccleſiis reſtituta, votis omnibus in perniciem hoſtium ſanctitas tua divinam provocet majeſtatem: quod te & ante litteras noſtras facere certiſſimum eſt.

Cap. III. Quoniam vero & hoc ſtatutum eſt, ut ea quæ centum quinquaginta ſanctiſſimi Epiſcopi ſub Theodoſio Majore de honore venerabilis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatuerunt, & quæ nunc a ſancta Synodo de eadem re ſtatuta ſunt, firma ſerventur: ſcilicet ut poſt ſedem Apoſtolicam Conſtantinopolitanæ Urbis Antiſtes ſecundum obtineat locum; quoniam & eadem ſplendidiſſima civitas junior Roma nuncupatur: dignetur Sanctitas tua etiam huic parti proprium adhibere conſenſum. Quamvis reverentiſſimi Epiſcopi, qui tuæ Religionis vicem agentes ad ſanctam Synodum convenerunt, contradixerint. Vehementer enim prohibebant de hac venerabili Eccleſia a Synodo aliquid ordinari.

Contradicunt Sedis CP. amplitudini Legati Leonis in Synodo:

Speramus autem quod concordantibus toto orbe Sacerdotibus, ea quæ Reipublicæ Romanæ proderunt, divinus favor præſtare dignabitur. Qua de re per Lucianum virum religioſum Epiſcopum, & Baſilium Diaconum harum portitores omnia vere inſinuari oportere cenſuimus. Et petimus, ut ea quæ ſancta Synodus ſtatuit, etiam Religio tua in perpetuum præcipiat obſervari. *Et alia manu*. Divinitas te ſervet per multos annos, ſancte ac religioſiſſime Pater. Data decimoquinto Kalendas Januarias, Conſtantinopoli, D. N. Marciano PP. Aug. & qui fuerit nominatus, Conſulibus.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΟΥ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΟΥ *βασιλέως Μαρκιανοῦ, πρὸς τὸν μακαριώτατον Ῥώμης ἀρχιεπίσκοπον, Λέοντα. Νικηταὶ Οὐαλεντινιανὸς καὶ Μαρκιανὸς, ἔνδοξοι, τροπαιοῦχοι, αὔγουστοι, τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ ἀληθῶς σεμνῷ * πατριάρχῃ ἐπισκόπῳ Λέοντι.*

ΑΙ' θεῖαι καὶ ἀνθρώπιναι γραφαὶ συμφωνοῦσι, τὸ θεῖον ἐν πρώτοις εἶναι προσκυνητὸν, κἀκεῖ τὸν παντοκράτορα θεὸν εἶναι ἵλεων, ὅπου θρησκεύεται ἡ πίστις· τοῦτο τοίνυν ὅπερ ζητοῦμεν, εὕρομεν, καὶ ἐπιτύχομεν ἡμετέραις εὐχαῖς. Ὤρεξε γὰρ τῆς θρησκείας τὴν πίστιν ἡ πιστὴ διάθεσις. καὶ οὐδὲν ἀμφίβολον, ἐπὶ συνεργείᾳ τοῦ θεοῦ, πεπυρῶσθαι, ὅπερ περὶ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως ἐζητεῖτο. ἐκβεβλημένης τοίνυν πάσης φιλονεικίας καὶ * διαχονίας, ἥντινα ἡ βάσκανος δαίμων τῇ πίστει ἐβεβλήκει, τὸν θεὸν πάντες ὁμονοίᾳ γινώσκουσι. λοιπὸν, οὐκατηγοροῦμεν τῶν ἀπίστων, ἀλλὰ καὶ χάριν ὁμολογοῦμεν τοῖς τῆς θρησκείας ἐχθροῖς. παρέσχον γὰρ ἡμῖν, ὅπως τὸν θεὸν σπουδαιότατα ζητήσωμεν, φανερῶς τε ἐπιγνῶμεν. μεῖζον γὰρ φῶς εἶναι

* διαχονίας. l. διχονοίας.

EADEM PIISSIMI REGIS MARCIANI epiſtola ad beatiſſimum urbis Romæ Archiepiſcopum Leonem. Victores Valentinianus & Marcianus, Illuſtres, Tropæuchi, Auguſti, ſanctiſſimo & venerando admodum Patriarchæ Leoni Epiſcopo.

Cap. I. A Divino Numine adorando capienda eſſe rerum primordia, conſentiunt divina humanaque monimenta, eoque loco ſummum Rectorem & Dominum eſſe propitium, ubi fides colitur: itaque quod quærimus, invenimus, & obtinemus noſtris precibus. Nam offendit religionis cultum repletus fide animus, & dubium nullum eſt, quin adjutore Deo præſtitum ſit, quod ab illius potentia contendebatur. Sublatis litibus & diſcordiis, ab invidia pleno dæmone fidei objectis, omnes Deum mente intelligunt; neque deinceps accuſamus infideles, quin gratias potius agimus ipſius Religionis hoſtibus: præbuerunt enim nobis occaſionem quam diligentiſſime quærendi Deum, clariſſimeque cognoſcendi. Majus utique lumen videtur quod poſt tenebras affulget; ſitientes bibunt cum voluptate, dulce o-

Digitized by Google

δηκεῖ τὸ μετὰ τὴν σκοτίαν φαῖνον. γλυκὺς διψῶσιν ὁ πόνος, τοῖς κεκμηκόσιν ἡ ἀργία. Χαιρέτω τοίνυν ἡ σὴ ἁγιωσύνη ἐπὶ τῇ νίκῃ τῆς πίστεως, ἧστινος ὁ στέφανος τῷ παντοκράτορι Χριστῷ ἀνατίθεται· οὗτος γὰρ δέδωκε παρὰ τῶν ἀπίστων νίκην, καὶ διὰ τοῦτο ἡμεῖς αὐτοὶ παραγενέσθαι τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ὑπείχθημεν, εἰ καὶ ὅτι ἡμᾶς ἐν ἄλλοις τόποις ἐκστρατεῖαι τε καὶ δημόσιαι χρεῖαι κατεῖχον. τοιγαροῦν ἅπαντα κατ' εὐχὰς τῆς σῆς ἁγιωσύνης, αἵτινες τῇ πίστει συμφωνοῦσι, * τετύπεσθαι. παντὸς τοῦ ὄντος ὑπὸ τὴν ἡμετέραν βασιλείαν τῶν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων ἐν τῇ Χαλκηδονίων συγκληθέντων, καὶ σκέμματος γενομένου, μετὰ πολλὰς φιλονεικίας ἡ ἀληθὴς πίστις κατίσχυε, καὶ κατὰ τὰ γράμματα τῆς σῆς ἁγιωσύνης, πάντες συνῄνεσαν τῇ ἐκθέσει, καθὼς ἡ ἀλήθεια ἀπῄτησε. καὶ οὐδὲν ἀμφιβάλλομεν τούτου τοῦ * γράμματος τὴν * χάριν τε ἡμῖν, καὶ τῇ σῇ ἁγιωσύνῃ κοινὴν εἶναι, καὶ ἐπίσης χαίρειν, ὡς τινας φανερὸν ἐξ ἰσομοίας εἰρῆσθαι τὴν ἀλήθειαν. λείπει, ὅπως πάντων τῶν καθολικὴν πίστιν καὶ τὴν ἀλήθειαν συντεθέντων, καὶ εἰρήνης ταῖς ἐκκλησίαις ἀναδοθείσης, σὺν πάσαις εὐχαῖς εἰς ἀπώλειαν τῶν πολεμίων, ἡ σὴ ἁγιωσύνη τὴν θείαν προσκαλέσηται δύναμιν, ὅπερ σε καὶ πρὸ τῶν ἡμετέρων ποιεῖν ὁμολογεῖται. Ἐπειδὴ δὲ καὶ τοῦτο τετύπωται, ὥστε τὰ παρὰ ρν. ἐπισκόπων ἐπὶ τοῦ τῆς θείας λήξεως τοῦ * ἀωτέρου Θεοδοσίου τῆς τιμῆς ἕνεκα τῆς σεμνῆς ἐκκλησίας τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν τυπωθέντα, καὶ ἅτινα νῦν ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος τετύπωται βέβαια φυλαχθῆναι· δηλαδή, ἵνα μετὰ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον ὁ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐνθέως ἐπίσκοπος δεύτερον ἔχῃ τόπον, ἐπειδὴ περιφανεστάτη πόλις νεωτέρα Ῥώμη προσαγορεύεται. καταξιώσαι ἡ σὴ ἁγιωσύνη καὶ τούτῳ μέρει συναινέσαι· εἰ καὶ οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι, εἰς τόπον τῆς σῆς θεοφιλείας ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ συνελθόντες, αὐτεῖπον· σφοδρότατα γὰρ ἐκώλυον περὶ τῆς σεπτῆς ἐκκλησίας τυπωθῆναί τι ἐν τῇ συνόδῳ. Ἐλπίζομεν δὲ, ὡς συμφωνούντων τῶν τοῦ παντὸς κόσμου ἱερέων, τὰ τοῖς Ῥωμαϊκοῖς πράγμασι λυσιτελοῦντα ἡ θεία πρόνοια παρασχεῖν καταξιώσει. διὰ δὴ τοῦ Λουκιανοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου, καὶ Βασιλείου τοῦ Διακόνου πάντα ὑμῖν γνωρισθῆναι ἐθεσπίσαμεν, καὶ αἰτοῦμεν τὰ παρὰ τῆς ἁγίας συνόδου τυπωθέντα, ἵνα καὶ ἡ σὴ θεοσέβεια εἰς τὸ διηνεκὲς παραφυλαχθῆναι προστάξῃ. ἡ θεία πρόνοιά σε φυλάττοι πολλοῖς χρόνοις, ἁγιώτατε καὶ θεοφιλέστατε πάτερ. ἐδόθη πρὸ δεκαπέντε καλανδῶν Ἰανουαρίων ἐν Κωνσταντινουπόλει ὑπατείας τοῦ δεσπότου ἡμῶν Μαρκιανοῦ τοῦ αἰωνίου αὐγούστου, καὶ τοῦ δηλωθησομένου.

* leg. τετύπωται.

* ſ. συγγράμματος.

Χάριν.

* ſ. προτέρου.

tium eſt poſt laborem. Lætetur igitur Sanctitas tua de fidei victoria, cujus corona debetur Regnatori omnium Christo. Hujus ope victoriam ab infidelibus tulimus, eaque gratia constituimus noſmetipſi præſentes adeſſe in ſancta Synodo, licet nos in aliis locis expeditiones, & publicæ neceſſitates retinuerint. * Proinde ex ſententia Sanctitatis tuæ, quæ fidei reſpondet, confectæ ſunt res omnes. Totius orbis imperio noſtro parentis in Chalcedonenſem urbem evocatis ſanctiſſimis Epiſcopis, conſilioque inito, poſt multas altercationes, vera fides ſtetit denique ac vicit, & ſinguli juxta litteras S. T. expoſitioni aſſenſerunt, quemadmodum poſtulabat veritas. Nos nulli ambigimus, quin hujus rei gaudium S. T. nobiſcum commune ſit, quodque ex æquo nobiſcum lætetur, quos conſtat veritatem pari ſtudio aſſeruiſſe. Supereſt, ut omnibus ad fidem Catholicam & veritatem pertinentibus jam compoſitis, paceque Eccleſiis reddita, cum magna prece tua Sanctitas finem tumultibus a præpotente Deo expoſcat, quod ſane abs te fieri, vel ante has litteras noſtras, prædicatur. Quoniam vero & hoc ſancitum eſt, quod centum quinquaginta Epiſcopi, ſub divæ memoriæ Theodoſio I. circa honorem venerandæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conſtituerunt, & hæc ſancta Synodus de eodem negotio conſtituit, conſtanter debere obſervari; ſcilicet, ut poſt Apoſtolicam Sedem, Conſtantinopolitanus ſtatim Epiſcopus in ſecundis conſiſtat, quod ſplendidiſſima urbs nova Roma appelletur; dignaretur tua Sanctitas etiam hac in parte concinere, licet religioſiſſimi Epiſcopi, tuæ Pietatis nomine in ſacra Synodo comparentes, contradixerint: nimis enim vehementer impediverunt, ne ſancta Synodus aliquid de illa veneranda Eccleſia decerneret. Speramus autem, cum univerſi orbis Sacerdotes unum atque idem ſenſerint, Romanis rebus divinam providentiam utilia quæ jure conceſſuram. Propterea per Lucianum Epiſcopum Dei amantiſſimum & Baſilium Diaconum omnia vobis ſignificanda curavimus, petimuſque, ut quæ ſancta Synodus ſanxit, Tua quoque Pietas ſervanda in perpetuum jubeat. Divina providentia annis quampluribus te ſervaſſit, ſanctiſſime piiſſimeque Pater. Dat. a. xv. Kal. Jan. Conſtantinopoli, Coſ. D. N. Marciano ſemper Auguſto, & qui fuerit conſtituendus.

Cap. II.

MAR-

MARCIANI AUGUSTI EPISTOLA

Ad Leonem Papam.

EX CODICE BODLEIANO OXONIENSI NUPER EDITA, & huic II. Editioni noſtræ primum inſerta.

SYNOPSIS.

1 *Miratur Leonem non reſcripſiſſe Synodo Chalcedonenſi, & an ejuſdem geſta confirmaverit in dubio reliquiſſe.*
2 *Eadem probari cupit per Pontificis litteras Eccleſiæ & populis ſignificandas.*
3 *Gratulatur quod Canones cuſtodierit & novitatem repreſſerit.*
4 *Quæ propter ejus litteras facta fuerint, ab aliis renuntianda confidit.*

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΟΥ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΟΥ βασιλέως Μαρκιανοῦ, πρὸς Λέοντα ἀρχιεπίσκοπον Ῥώμης. Νικηταὶ Οὐαλεντινιανὸς καὶ Μαρκιανὸς, ἔνδοξοι, τροπαιοῦχοι, ἀεὶ αὔγουστοι, τῷ ἁγιωτάτῳ πατρὶ καὶ ἀληθινῶς σεπτῷ Λέοντι ἀρχιεπισκόπῳ.

V. ep.59. Τὴν μακαριότητα τὴν σὴν ταῖς συλλαβαῖς τῆς ἡμετέρας γαληνότητος σπουδαιότατα ὑγιαίνειν εὐχόμεθα, ἐξαιτοῦντες, ὅτι αὖ τὴν σπουδὴν τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ τῇ τῶν σῶν ἁγίων εὐχῶν παράσχοις μεσιτείᾳ, ὥστε τὴν ἵλεων καὶ εἰρηνοποιὸν αὐτοῦ μεγαλειότητα πάντα τὰ αἴσια καὶ εὐκταῖα τῇ ἡμετέρᾳ βασιλείᾳ παρασχεῖν *καταξιῶσαι. Θαυμάζομεν τὰ μάλιστα, ὅτι μετὰ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, καὶ τὰ γράμματα τῶν σεβασμίων ἐπισκόπων, τὰ πρὸς τὴν σὴν θεοφίλειαν σταλέντα, δι' ὧν ἅπαντα τὰ ἐν τῇ αὐτῇ συνόδῳ ἐμήνυσαν, οὐδαμῶς ταῦτα παρὰ τῆς ἁγιωσύνης τὰ τοιαῦτα γράμματα ἐξαπέσταλται, ἅτινα δηλονότι ἐν ταῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις ἀναγνωσθέντα, εἰς τὴν τῶν ἁπάντων ὤφειλε γνῶσιν ἐλθεῖν, ὅπερ τινῶν ταῖς, οἵτινες Εὐτυχοῦς ἔτι καὶ νῦν τὴν κακοδοξίαν καὶ τὴν διαστροφὴν μεταδιώκουσιν, ἀμφιβολίαν πολλὴν ἐνέβαλε, πότερον ἡ σὴ μακαριότης τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τυπωθέντα ἐβεβαίωσε· Καὶ διὰ τοῦτο ἡ σὴ εὐλάβεια γράμματα ἐκπέμψαι καταξιώσει, δι' ὧν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις καὶ δήμοις φανερὰ γενήσεσθαι, τὰ ἐν ἁγίᾳ συνόδῳ πεπραγμένα παρὰ τῆς σῆς μακαριότητος βεβαιωθῆναι ἐκεινοδηλαδὴ, ὡς ἔπρεπεν ἐπίσκοπον ἀποστολικοῦ θρόνου, ἐξόχως ἡ σὴ ἁγιωσύνη ἐποίησεν, ὅτι τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας φυλάττουσα, οὐδὲν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἔθους καὶ τῆς πράξεως, τῆς ποτε τετυπωμένης, καὶ ἀσαλεύτως μέχρι καὶ σήμερον διαμενούσης, ἠνέσχετο καινοτομηθῆναι· διὰ τὰ γράμματα δὲ τῆς σῆς ὁσιότητος, καὶ ὁπόσα παρά τινων πέπρακται, δυνήσεσθαι ἐξ ἑτέρων ἡ σὴ ἁγιωσύνη σαφέστατα καταμαθεῖν, οἷς ἀντιβῆναι οὐκ ἐβουλόμεθα, διαβεβαιουμένοις τὴν θεοφιλείας τῇ καθολικῇ πίστει καὶ ἀληθῶς ὀρθοδόξῳ, τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, πάντων τῶν συνελθόντων τῶν ἐπισκόπων ἠκολουθηκέναι· διότι τοῦτο καὶ ἡ σεβασμιότης σοὶ διὰ γράμματα τάχιστα ἐκπέμψει, δι' ὧν βεβαιοῦν αὐτὴν τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον φανερώτατα ἐπιδείκνυσιν, ἵνα μηδεὶς ἐπιθυμούντων τῶν *ἀνοδιῶν, δυνηθῇ ἔν τινα ἔχειν ὑπόνοιαν περὶ τῆς κρίσεως τῆς σῆς ἁγιωσύνης. Ἐδόθη πρὸ δεκαπέντε καλανδῶν ἐν Κωνσταντίνου πόλει.

*[illegible]ρσαι. *στασιωδῶν ἐπιστολῶν.

PIISSIMI IMPERATORIS MARCIANI, ad Leonem, Romæ Archiepiſcopum, epiſtola. Victores Valentinianus & Marcianus, Illuſtres, Tropæuchi, ſemper Auguſti, ſanctiſſimo Patri, & vere venerabili, Leoni Archiepiſcopo.

Beatitudinem tuam tranquillitate noſtra complectimur: cupimuſque quam optime valere, ſingulari ſtudio contendentes, ut Dominatoris rerum & præpotentis Dei favorem ſanctarum precum tuarum mediatione impetrare ſtudeas, ne maximus ille, clemens, & pacis reconciliator, læta & fauſta omnia Imperio noſtro indulgere dedignetur. Vehementer admiramur, quod Synodo in Chalcedone celebrata, & litteris Venerabilium Epiſcoporum ad Pietatem tuam miſſis, per quas omnium rerum in Synodo geſtarum feriem expoſuerunt, neutiquam illæ a Sanctitate tua fuerint emiſſæ, quæ tamen in ſacris Eccleſiis lectæ, in ſingulorum notitiam perveniſſe debebant; unde aliquibus, qui Eutychis falſam opinationem & pravitatem etiam dum perſequuntur, magnus eſt injectus ſcrupulus, utrum Beatitudo tua, quæ Synodus decrevit, confirmaverit. Idcirco Pietas tua emittere litteras dignetur, queis omnes & Eccleſiæ & populi cognoſcant, acta Synodi a Beatitudine tua approbari. Illud nimirum, quod Epiſcopum Sedis Apoſtolicæ addecet, tua Sanctitas præſtitit egregie, Eccleſiaſticos Canones cuſtodivit, antiqui moris & ordinis, olim conſtituti, & conſtanter uſque in hunc diem ſervati, nihil paſſa eſt novitate quadam aboleri. Propter epiſtolas autem Sanctitatis tuæ qualia quantaque a nonnullis fuerint effecta, poterit ab aliis ſatis certior fieri; quibus contraire non equidem volumus, quod (*affirmarent*) Pietatem tuam, probata Synodo Chalcedonenſi, fidei Catholicæ & vere orthodoxæ, omnibus Epiſcopis applaudentibus, acceſſiſſe. Quapropter veneranda Dignitas tua iſtud quamprimum per litteras ubique ſignificet, quibus pleniſſime oſtendat, Synodum Chalcedonenſem te ratam habere, ne diſſidiorum diſcordiarumque cupidis de judicio Sanctitatis tuæ ulla relinquatur ſuſpicio. Dat. a. d. xv. Kal. Mart. Conſtantinopoli.

V. ep. 71.

EPISTOLA ANATOLII, Epiſcopi Conſtantinopolitani,

AD LEONEM PAPAM

SYNOPSIS.

1 *De intermiſſo litterarum commercio amice conqueritur.*
2 *Aetium reſtitutum eſſe, Andream vero depoſitum ſcribit.*
3 *Litteris ſancti Pontificis recreari peroptat.*
4 *Ambitionis culpam a ſe amolitur, eamque in cleri ſui epiſcoporumque Orientalium ſtudium refundit.*

Sanctiſſimo ac beatiſſimo Coepiſcopo Papæ Leoni, Anatolius in Domino ſalutem.

Cap. I. OMne quidem ſolatium prorſus atque auxilium, quod vitæ laborioſæ curiſque vallatæ ratio flagitaret, in veſtra poſitum ſperans eſſe Beatitudine, totius ſarcinam mihi ſolicitudinis inde merito leviorem fore credideram: nunc vero cunctis aliis acrior me preſſit anxietas, quam diutina peperit veſtræ non ſolita ſanctitatis intermiſſio litterarum: maxime cum mihi, quæ ſcriptæ eſſent a vobis aliis, oſtenderentur epiſtolæ, quæ magis facerent doloris augmentum, qui frequentius cuperem potiri veſtris affatibus: ut illa vobis obediendo complerem, quæ veſtris omnifariam perfectiſſimis ſenſibus placita videbantur. Nam penitus abſit, ut eis ego quæcunque mihi fuiſſent mandata per litteras, adverſarer. Quia tamen piiſſimus & Chriſtianiſſimus Princeps, qui conſultiſſimæ ſuæ providentiæ bono tam res univerſas regit humanas, quam philoſophia divinarum pollet ubique virtutum, cum quibus æmula pietatis zelare non ceſſat, cum ſic moderatur genus humanum, ut id ſtudio religionis in Deum reddat attentius veſtræ beatitudinis litteras mihi ſublegit, ea ſtatim quæ continebantur eis, ut placita vobis impleri, quod me facere vel communis pacis utilitas, vel quod decuerat hortabatur.

Allat. diuturna.
Id. majus.
pietatis Eccleſia non ceſſet. *Allat.*
nobis implevit. *Allat.*

Cap. II. Et Reverentiſſimus quidem ſacroſanctæ Eccleſiæ noſtræ Presbyter Aetius in priore loco atque honore Eccleſiaſtico nobis eſt reſtitutus: omne quod Epiſcopi noſtri eſt modeſte faciens ipſe reſponſum Andreas autem, qui non provectos a nobis, ſed gradu faciente Archidiaconi dignitate fuerat honoratus, ab Eccleſia ſeparatus eſt, cum his qui contra ſanctæ memoriæ Patrem noſtrum atque Epiſcopum fuerant Flavianum; qui etiam partis antea perfidiſſimi fuerant Eutychis: quamvis excuſationibus plurimis & ſubſcriptionibus propriis, quas epiſtolæ ſanctitatis veſtræ ſubdiderant, jam viderentur ſatisfeciſſe præteritis, eo uſque quamdiu quod vobis placitum ſuper iſtis fuerit ordinatum.

al. ſuperſtitibus. *Allat.*

Cap. III. Conſiderans ergo Beatitudo veſtra, quam noſtræ conjunctio charitatis ipſi Domino Chriſto, qui pax noſtra conſiſtit, grata futura ſit: & quantum fideliſſimi Principis animus exultabit; & quam pariter univerſa plebs Dei & Eccleſiæ Chriſti procul ab omni diſcordia liberæ permanebunt: litteris ſuis nos lætificare dignetur, quibus illo perfici valeamus affectu, quem prudentiſſimis veſtris inſitum copioſe jam novimus vigere præcordiis: ut perceptis alacriter veſtræ ſanctitatis epiſtolis, & gratias agamus Domino Deo noſtro Chriſto, qui totius difficultatis vincula diſrupit, eidemque vota ſolemnia pro veſtra Beatitudine perſolvamus.

Cap. IV. De his autem quæ Conſtantinopolitanæ gratia Sedis ſancita ſunt in Chalcedonenſi nuper univerſali Synodo, pro certo Beatitudo veſtra hoc habeat, nullam eſſe culpam in me, homine qui ſemper otium & quietem in humilitate me continens ab ineunte mea ætate dilexerim: Sed Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ reverentiſſimus clerus eſt, qui hoc habuit ſtudium, & iſtarum partium religioſiſſimi Sacerdotes qui in hoc fuere concordes & ſibi pariter adjutores. Cum & ſic geſtorum vis omnis & confirmatio auctoritati veſtræ Beatitudinis fuerit reſervata. Hoc igitur bene compertum ſanctitas veſtra cognoſcat, nihil ex me iſtius cauſſa factum eſſe negotii, qui ſemper omnem jactantiæ levitatem & aliena appetendi cupiditatem mihi vitandam crediderim. Omnem fraternitatem in Chriſto, quæ cum veſtra eſt ſanctitate, tam ego ipſe, quam mei plurimum ſalutamus. *Et ſubſcriptio litteris Græcis.*

S. LEONIS MAGNI PAPÆ I.

FRAGMENTA.

Ex epiſtola VII. Pelagii Papæ II. quæ eſt tertia ad Eliam Aquilejenſem Epiſcopum & alios Iſtriæ Epiſcopos, qui damnatione trium capitulorum non conſentiebant. Quam epiſtolam a S. Gregorio Papa I. cum adhuc eſſet diaconus, ſcriptam fuiſſe nomine Pelagii Papæ teſtatur Vvarnefridus lib. 3. de Geſtis Longobardorum cap. 10. al. 20.

CAp. VI. Adhuc autem, *inquit Pelagius*, ex ejuſdem beati Leonis epiſtola teſtimonium ſcriptis veſtris inſcriptis, quæ ad Baſilium dicit:

Pie nobis utendum eſt; ne dum talium diſputatio admittitur, eorum, quæ divinitus definita ſunt, autoritati derogetur. *Et infra:* Nec enim in aliquam diſceptationem plene definita revocanda ſunt: ne ad arbitrium damnatorum ipſi de his videamur ambigere, quæ manifeſtum eſt per omnia Propheticis & Evangelicis atque Apoſtolicis autoritatibus conſonare.

In epiſt. 132 mel. vitandum.
Ibid. melius nec in c. 16. pie & plene.

ADMONITIO.

Prius quidem illud fragmentum habemus; non in epiſtola ad Baſilium, ſed in cap. 3. epiſtolæ ad Leonem Auguſtum, quæ ex Codice MS. Cardinalis Grimani nunc primum in lucem a nobis emittitur, eſtque ordine CXXXIII. Poſterius vero, nec in hac, nec in illa, nec in una alia ad Baſilium epiſtola reperi, quamquam eadem fere habentur in epiſt. 132. ad eumdem Leonem Auguſtum cap. 2. Unde ex tribus his unum aliquod dicendum eſt: ſcilicet, vel hæc verba quæ leguntur in epiſtola ad Leonem Auguſtum, repetita fuiſſe a Leone noſtro in alia epiſtola ad Baſilium, quæ nondum e tenebris emerſerit, vel mutilam eſſe epiſtolam ad Leonem, illamque ejus partem intercidiſſe in qua fragmentum a Pelagio relatum legebatur: vel denique memoria lapſum eſſe Pelagium, cum poſterius

frag-

fragmentum ex eadem epiſtola, e qua prius, acceptum ſignificavit. Hoc ultimum contigiſſe ægre admodum ego crediderim. Non ſolus enim Pelagius hunc errorem incurriſſet, ſed in illum pariter prolapſi eſſent Iſtriæ Epiſcopi, a quibus utrumque fragmentum tranſcriptum eo modo fuerat in eorum epiſtola. Quod ſi aliter fuiſſet ab iiſdem citatum, non id omiſiſſet objicere Pelagius, qui vel ipſum ordinem citatarum ab illis Epiſcopis epiſtolarum arguere non neglexit. Mutilam eſſe epiſtolam novam ad Leonem, nihil omnino eſt unde vel leviſſime conjiciatur; optime enim omnia ſibi cohærent. Ad primam igitur reſponſionem confugiendum, nimirum aliam ſcriptam eſſe a Leone ad Baſilium epiſtolam, quam quæ a nobis edita eſt ordine CVIII. niſi pro quarta conjectura dixeris mendoſa eſſe omnia epiſtolæ hujus Pelagii Papæ exemplaria excuſa.

Ex eodem capite ejuſdem epiſtolæ.

Extremum quoque ſæpe fati Leonis ad Aetium Presbyterum teſtimonium ponitis, quo ait:

Ne patiatur ſopitarum rerum certamen afferri, quarum retractator nonniſi ſacrilegus invenitur.

Quod de quibus rebus adſtruat, ad eundem Aetium ſcribens ipſe manifeſtat dicens:

Nihil ab Apoſtolicis unquam potero ſentire diverſum, nec a mea ipſe deviare ſententia; & quod ſancto Spiritu revelante confeſſus ſum, quodque, mecum totius Synodi profeſſione prædicante, pateſeci, aliqua varietate commutem; cum facilius mihi ſit quibuslibet ſupplicus ab hoc mundo auferri, quam ab ea quam generaliter credidi profeſſione mutari.

Forte edidi.

Fragmentum Commonitorii ſeu Mandati a S. Leone Papa ſuis ad Synodum Chalcedonenſem legatis dati.

Ex Actione XVI. ejuſdem Concilii.

Bonifacius Presbyter Sedis Apoſtolicæ Vicarius dixit: Beatiſſimus & Apoſtolicus Papa inter cetera hoc nobis mandavit. Et ex chartula recitavit.

Sanctorum quoque Patrum conſtitutionem prolatam, nulla patiamini temeritate violari, vel imminui; ſervantes omnimodis perſonæ noſtræ in vobis, quos vice noſtra tranſmiſimus, dignitatem. Ac ſi qui forte civitatum ſuarum ſplendore confiſi aliquid ſibi tentaverint uſurpare, hoc qua dignum eſt conſtantia retundatis.

ADMONITIO.

Leonis Magni epiſtolis unicam, quæ ſupereſt, Juliani Epiſcopi Coenſis epiſtolam ſubjicimus, non implendæ ſolummodo vacuæ paginæ gratia, ſed & propter ſummam, quæ inter utrumque Pontificem fuit, neceſſitudinem. Hæc maxime enituit in cauſſa fidei, quam adverſus Eutychianam impietatem alter ex Apoſtolicæ Sedis ſpecula in Occidentalibus præſertim partibus, hic tanquam Apoſtolicæ ſollicitudinis Vicarius in Orientalibus defendit. Argumentum epiſtolæ habet Liberatus Diaconus cap. 15. Breviarii: ubi narrat Leonem Auguſtum, ut hæreticos novam Synodum congregari importune flagitantes compeſceret, *ſcripſiſſe ſingularum civitatum Epiſcopis de utroque negotio conſulens quid fieri oporteret, vel de ordinatione Timothei, vel de terminis Synodi Chalcedonenſis... Qui reſcribunt Chalcedonenſem Synodum uſque ad ſanguinem vindicandam; eo quod non alteram fidem teneret, quam Synodus Nicæna conſtituit. Timotheum vero non ſolum inter Epiſcopos non haberi, ſed etiam Chriſtiana appellatione privari*. Hanc omnium ſententiam in una habes Juliani epiſtola; quæ ab octodecim, quas ad eum ſcripſit Leo, epiſtolis dividi neutiquam debuit.

EPISTOLA JULIANI EPISCOPI Coenſis

AD LEONEM IMPERATOREM.

Piiſſimo atque fideliſſimo victori atque triumphatori Leoni Principi ſemper, Julianus humilis Epiſcopus Coenſis.

Ego a Domino Chriſto, amabilis Imperator, illam ſapientiſſimam monitionem mente percipiens, qua dictum eſt: Cognoſce temetipſum; volui taciturnitate quieſcere, & majorum patrum judicium ſuſtinere. Non enim evocationis æqualitas parem rerum ſervat effectum: ſed quando coactus cum evocatione concordat, tunc ſimilitudo nominum habet rerum quoque impermutabilem veritatem. Veruntamen quoniam conſultare nos tranquillitas veſtra præcepit de unoquoque capitulo, quod continetur in precibus Deo amabilium conſacerdotum Ægyptiacæ diœceſis, manifeſtam meæ parvitati facio voluntatem, mœſtus exiſtens, & lacrymarum imbribus irrigatus, quid loquar ignorans, captivitatem ac deſtructionem utique pietatis, illam tamen & Pontificis lugens inopinabilem necem. Ea ſiquidem quæ in Alexandrina civitate commiſſa ſunt, ex ipſa narratione declarant animi paſſionem, & ad vindictam tanti facinoris veſtram ſolummodo provocant æquitatem. Nam conſtituti ut orbem debeatis gubernare terrarum, indiſciplinationis ægritudinem ad interitum perducentem mederi ſummo ſtudio feſtinantes, non gladium evaginantes ad necem, ſed interminationis verbo indiſciplinatos regulariter perducentes ad obedientiæ voluntatem. Sententiam itaque quam contra ſe Timotheus nefandus exegit, ſanctiones apertius explanarunt, quas ſua tyrannide ſæpius abnegavit, diſciplinam Eccleſiaſticam confundendo, & injurias inferendo, inimicus neſcio quo modo totius Chriſtianitatis effectus. Captus enim in talibus veſtram juſtitiam debet experiri ſolummodo: quoniam ad magnitudinem commiſſorum ejus, ſicut in precibus continetur, poteſtas Eccleſiaſticarum non ſufficit ſanctionum. Pando ſiquidem veſtræ potentiæ & quid de ſancto Chalcedonenſi Concilio ſentire dignoſcor. Hoc etenim nullatenus a veritate diſcordat, quoniam fidem traditam a ſanctis beatiſque trecentis decem & octo patribus conſona voluntate divina inſpiratione firmavit, non dogma aliud introduxit, non alterum ſymbolum, non vanam expoſitionem, non dualitatem unigeniti filii Dei, neque novitatem aliquam celebravit: ſed per omnia conſonat etiam

ſacro concilio centum quinquaginta ſanctorum patrum pariter, & Epheſino, cui præſederunt ter beati & ſanctiſſimi patres Cæleſtinus Romanæ Pontifex civitatis, & Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus. Supplicamus igitur veſtræ potentiæ, ut inviolabiliter conſervetis ea quæ a Chriſto per ipſum de ipſo bene ſunt conſtituta. Ubi enim tantorum erat congregata multitudo pontificum, & ſanctorum præſentia Evangeliorum, & frequens ſimul oratio, illic creaturæ totius opificem inviſibili virtute credimus fuiſſe præſentem. Terror enim tunc nullus fuit Imperialis autoritatis, quoniam ſanctæ piæque memoriæ Marcianus amoris divini diademate coronatus, ſpiritualem quoque ſuſcipiens curam, feſtinavit Apoſtolorum dogmata confirmari a præſulibus Eccleſiæ, deſiderio fidei accenſus orthodoxæ. Quem cum veſtra pietas imitetur, & victoriam contra barbaros adipiſcitur, & veritatis quoque deſtruit inimicos.

Julianus humilis Epiſcopus definiens retuli.

F I N I S.

SAN-

SANCTI
LEONIS MAGNI
ECCLESIÆ ROMANÆ
TUNC DIACONI,
POSTEA PONTIFICIS,
LIBRI DUO
DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM.

Eidem nunc Primum Vindicati, & ad manuſcriptos Codices denuo emendati.

TOMUS II.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. LEONIS MAGNI
ECCLESIÆ ROMANÆ
TUNC DIACONI,
POSTEA PONTIFICIS,
LIBRI DUO
DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM.

Eidem nunc Primum Vindicati, & ad manuſcriptos Codices denuo emendati.

LIBER PRIMUS.

In Cambronenſi nulla eſt capitum in ſeq. libro diverſio. Cap. 1.

Proponit hoc libro tractanda: & non ſane ſentire eos qui putant gratiæ prædicatione negari liberum arbitrium.

CAPUT PRIMUM.

INTER defenſores liberi arbitrii, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudum * quæritur quæſtio. Quæritur enim. Utrum velit Deus omnes homines ſalvos fieri. Et quia negari hoc non poteſt, cur voluntas Omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cumque hoc ſecundum * voluntates hominum fieri * videatur, gratia videtur excludi quæ ſi meritis redditur, conſtat eam non donum eſſe, ſed debitum. Unde iterum quæritur. Cur hoc donum ſine quo nemo ſalvus * eſt, ab eo qui omnes ſalvare vult, non omnibus conferatur? Atque ita contrariarum diſputationum nullus terminus reperitur, dum non diſcernitur quid manifeſtum, quid ſit occultum. De hac igitur compugnantia opinionum, qua menſura & temperantia ſentiendum ſit, quantum Dominus adiuverit, annitar inquirere; exercens atque diſcutiens modulum facultatis meæ in his quæ cordi meo ſobrie (quantum arbitror) inhæſerunt, ut ſi in eas regulas proceſſerit ſtylus, quæ nihil offenſionis, nihil habeant pravitatis, non ſolum nobis, ſed & aliis utile ſit, ad aliquem nos limitem perveniſſe, quem non debeamus excedere. Primitus itaque de voluntatis humanæ motibus & gradibus diſputandum eſt. Inter quam & gratiam Dei quorumdam non ſana diſcretio eſt, * exiſtimantium quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium; nec advertentium eadem regula ſibi poſſe obiici, quod gratiam negent, cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt eſſe, ſed comitem. * Si enim tollitur voluntas, ubi ipſa eſt verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, ubi eſt ipſa bonorum cauſa meritorum?

* C. vertiſur rect.
* C. voluntatem.
* C. dicitur
* C. eſſe poteſt.
* C. æſtimantium.
* C. Sic enim tollitur voluntas, niſi ipſa eſt verarum origo virtutum. Tollitur gratia niſi ipſa eſt cauſa bonor. mer.

Omnia animæ humanæ naturaliter ineſſe qualemcumque voluntatem; quæ aut ſenſualis, aut animalis, aut ſpiritualis eſt.

CAPUT II.

SEd jam, auxiliante Chriſto, quod tractandum concepimus, inchoemus. Omni animæ humanæ quantum intelligere atque experiri datur, naturaliter qualiſcumque ineſt voluntas, qua aut appetitur quod placet, aut declinatur quod diſplicet. Hujus voluntatis (quantum ad naturalem pertinet motum, ex vitio primæ prævaricationis infirmum) genera ſunt duo, ſecundum quæ voluntas hominis, aut ſenſualis aut animalis eſt: Sed cum adeſt gratia Dei, accedit ei per donum Spiritus tertium genus, ut poſſit fieri * ſpiritalis: & per hunc excellentiorem motum, omnes affectus undecumque naſcentes, ſupernæ rationis lege dijudicet.

* C. ſpiritualis.

De voluntate ſenſuali.

CAPUT III.

SEnſualis igitur voluntas, quam & carnalem poſſumus dicere, non erigitur ſupra eum motum, qui de corporis ſenſibus naſcitur, qualis eſt in animis parvulorum: qui licet nullo judicio rationis utuntur, oſtendunt tamen aliquid ſe velle, aliquid nolle, cum videndo, audiendo, odorando, guſtando, tangendo, & ea quibus delectantur, amant, & ea quibus offenduntur, oderunt. * Quid autem eſt amare, niſi velle? * aut quid eſt odiſſe, niſi nolle? Habent ergo etiam ipſi voluo-

* C. Quid eſt enim amare.
* C &

* & * eſt c.
* C. rationabilis.
* C nutu.

tatem ſuam, quæ * etſi providendi & conſulendi impos atque ignara * ſit, in his tamen amat agere, quæ carnis ſenſibus blandiuntur, donec vigor * rationalis ingenii per maturiora miniſteria corporis excitetur, & ad famulantium ſibi membrorum uſum, non alieno * motu, ſed ſua lege moveatur.

De voluntate animali: qua nihil ſupra mercedem temporalis gloriæ acquiritur, etiamſi dono Dei in ea ſublimius ſapiatur.

CAPUT IV.

* C. ſummi.
* ſ. Dei.
* C. verſantur.

AB hoc ergo ſenſuali appetitu, in quo remanent hi, quos etiam in annis majoribus excordes videmus & fatuos, ad animalem ſurgitur voluntatem; quæ priuſquam ſpiritu Dei agatur, etiamſi ſupra ſenſualem motum ſeſe attollere poteſt, tamen ſine * ſui amoris participatione in terrenis occiduiſque * verſatur. In hac humana etiam ingenia, ſi corporeæ voluptati non turpiter ſerviant, & cupiditates ſuas juſtitiæ atque honeſtatis legibus temperent, nihil ſupra mercedem gloriæ temporalis acquirunt. Et cum præſentem vitam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis præmium non habent, quia rectas actiones & bona ſtudia ſua, non ad ejus laudem atque honorem referunt, a quo acceperunt ut * in ipſa animali diſcretione ſublimius ſaperent, & excellentius cæteris enteſcerent: Cum enim quidam non ſolum ad inſtituta utiliſſimarum artium, & doctrinas liberalium diſciplinarum; ſed etiam ad inquiſitionem ſummi boni aciem mentis intenderint, & inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexerint: non agentes gratias tamen Deo, nec conſitentes illum ſibi eſſe hujus facultatis autorem, ſed dicentes ſe eſſe ſapientes, hoc eſt, non in Deo; ſed in ſemetipſis gloriantes, quaſi ad veritatis inſpectionem ſuis ſtudiis atque rationibus propinquaſſent, evanuerunt in cogitationibus ſuis: & quod illuminante Dei gratia * invenerant, obcæcante ſuperbia perdiderunt, relapſi a ſuperna luce * ad tenebras ſuas, hoc eſt, ab incommutabili atque æterno bono, ad mutabilem, corruptibilemque naturam. Cum ergo tales in amorem ſui recidunt, & ita ſibimet placent, ut totum quod in ſe laudabile iudicant, non ad dona Dei referant, ſed ſibi vendicent, & ſtudio propriæ voluntatis aſcribant, procul ab illa * ſpiritali * exultant voluntate, & nihil in ſe habent quo ad vitam provehantur æternam, incipientes in ſemetipſis etiam illa temporalia Dei dona corrumpere: & a bono eorum uſu in conſuetudinem innumerabilium tranſire vitiorum.

* hæ voces, in ipſa ani. diſcretione non ſunt in c.
Rom. 1.
* C. invenerunt.
* C. in.
* C. ſpiritali.
* C. exulant.

Omnes gentes in elementis accep.ſſe præcepta legalia, ut inexcuſabiles ſint in idololatria.

CAPUT V.

Deut. 32.

QUamvis enim ſcriptum ſit quod cum diſpertiret Excelſus gentes, quemadmodum diſperſit filios Adam, ſtatuit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei, & facta eſt portio Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Iſrael: & ſcriptum ſit, Dominum dicere ad Iſrael: *Eritis mihi ſancti, quia ega Sanctus ſum Dominus veſter, qui ſegregavi vos ab omnibus gentibus eſſe mihi.* Et quamvis ſcriptum ſit in libro Heſter, dicente Mardochæo: *Gratias tibi, Domine, quoniam feciſti nova ſigna & prodigia, qualia non ſunt facta in gentibus, dividens omne ſæculum in ſortes duas, elegiſti unam tibi populi tui, relinquens aliam gentibus.* Et Paulus & Barnabas dicant: *Et nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annuntiantes vobis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Quamvis ergo hæc & multa ſimilia veritatis Scriptura prununciet; ſecundum ipſam tamen credimus & piiſſime confitemur, quod nunquam univerſitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit, ut propheticas voces & præcepta legalia convinceretur in elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe. Unde & inexcuſabiles facti ſunt, quia deos ſibi dona fecerunt: & quæ creata erant ad utendum, venerati ſunt ad colendum.

Levit. 19.
Heſt. 10.
Juxt. 70. Interp.
Act. 14.

Quod abſque divina gratia voluntas tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni, quia non in gloriam Dei vivit.

CAPUT VI.

IN quam impietatem etiam illa gens, quam ſibi ab omnibus gentibus Domini ſegregavit, tota tranſiſſet, niſi miſericordiæ ſuæ propoſitum ſuſtentandis electorum lapſibus prætendiſſet: Nam plenæ ſunt paginæ veteris Teſtamenti de Iſraeliticæ defectionis relatu: ut aperte appareat divinæ ſemper fuiſſe gratiæ, quod non omnis ille populus diſceſſit a Domino. Ita humana natura in primi hominis prævaricatione viciata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, ſemper in deteriorem eſt proclivior voluntatem, cui committi non eſt aliud quam dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, inſtabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ quam virtutum avidior, famæ quam conſcientiæ diligentior, & per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his quæ concupiverit, quam carendo; nihil in ſuis habet viribus, niſi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni. Quamdiu ergo homini ea placent quæ Deo diſplicent, voluntas eius animalis eſt: quia etiamſi in bonis moribus agat, male adhuc vivit, ſi non in Dei gloriam vivit. Hoc eſt enim proprium & præcipuum piorum, ut in Domino glorientur, nec ſe niſi in Deo diligant. Bene enim ſe amant, qui in ſe opera Dei amant: Nam & Deus hoc amat in nobis, quod ipſe fecit: & hoc odit, quod ipſe non fecit. Si ergo opus Dei amamus in nobis, bonam voluntatem recte amamus in nobis, quæ utique ſi opus Dei non eſſet, amanda non eſſet. Quis autem homo (niſi malæ voluntatis * fuerit) bonam in ſe non * amat voluntatem, quæ ſuperni agricolæ prima plantatio eſt? Dicente enim veritate: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur:* Quicquid non eſt eradicandum, manifeſtum eſt a Patre eſſe plantatum. Bona autem voluntas, omnium virtutum germen eſt primum. Quæ innixa origini ſuæ in illa æterna, & incommutabili voluntate requieſcit, ut vere ſit * ſpiritalis, quoniam *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*, dum per communionem illuminantis & illuminati, juſtificantis & iuſtificati, regentis & ſubditi, omnis actio ad unum refertur; & quod ad unum refertur, utriuſque eſt. Quia nec a Deo alienari poteſt quod dedit: nec ab homine quod accepit.

* fuerit abeſt a C.
* C. amor.
Matth. 15.
1. Cor 6.
* C. ſpiritualis.

In homine, cum ad pietatem redit, non aliam in eo creari ſubſtantiam, ſed eandem quæ fuerat labefactata reparari, nec aliud ab eo auferri, niſi vitium, priore voluntate correcta.

CAPUT VII.

Cap. 3.

HIc tractandum videtur: Utrum cum bonæ voluntatis eſſe homo incipit, eadem quæ in ipſo erat, corrigatur voluntas, an alia ei quam non habeat, & quæ priori repugnet, detur. Quod ut evidentius appareat, altius id non pigeat inquirere. Omnes homines in primo homine ſine vitio conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ incolumitatem ejuſdem hominis prævaricatione perdidimus, inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis * animæque corruptio, inde ignorantia & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, ſacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, iniuſta gaudia, pœnitenda conſilia, & non minor miſeriarum multitudo quam criminum. His ergo atque aliis malis in naturam humanam irruentibus, fide perdita, ſpe relicta, intelligentia obcæcata, voluntate captiva, nemo in ſe unde repararetur invenit. Quia etſi fuit qui naturali intellectu conatus ſit vitiis reluctari, hujus tantum temporis vitam ſteriliter ornavit, ad veras autem virtutes æternamque beatitudinem non profecit. Sine cultu enim veri Dei, etiam quod virtus videtur eſſe, peccatum eſt, nec placere ullus Deo ſine Deo poteſt. Qui vero Deo non placet, cui niſi ſibi & diabolo placet? A quo cum homo ſpoliaretur, non voluntate, ſed voluntatis ſanitate privatus eſt: quia nec detrudi ab innocentiæ ſtatu poſſet, niſi voluntate peccaret. Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta eſt mala, & ille animi motus, qui nunquam poteſt ſine aliquo eſſe amore, hoc eſt, ſine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, ſed mutavit affectum id recipiens deſiderio, quod debuit refutare judicio. Cum igitur homo ad pietatem redit, de quo ideo dictum eſt, *Spiritus vadens & non rediens:* quia niſi illum Deus converteret, non rediret: non fit novum figmentum, novaque creatura; non alia in eo creatur ſubſtantia, ſed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur. Nec aliud ab eo auſertur, niſi vitium quod natura non habuit.

* C. animæque,

Pſalm. 77.

Gratiam ſic reparare opus Dei, ut liberum arbitrium non auferat: ſed potius per ipſummet illud ſanet.

CAPUT VIII.

FUit enim in Adam natura ſine vitio, qui per voluntatis inobedientiam mala multa contraxit, & in poſteros magis magiſque multiplicanda transfudit. Quæ ut vincantur atque in nihilum deducantur, non * effecit niſi gratia Salvatoris, qui opus ſuum opere ſuo reparat. Sicut enim dicit Joannes Apoſtolus: *In hoc apparuit Filius Dei, ut ſolvat opera diaboli.* Et ſic rumpit vincula captivi, ſic veſtit nuditatem ſpoliati, ſic ſanat vulnera ſauciati: ut quod in ipſo agit, etiam per ipſum geratur. Cui utique contra hoſtem ſuum non expedit ſine protectore confligere: Cum illo enim habet certamen, a quo aliquando ſuperatus eſt. Non ergo fidat * de viribus ſuis, quæ etiam cum eſſent integræ, non ſtetetunt; ſed per illum quærat victoriam, qui ſolus non eſt victus; ſed omnes vicit: Et ſi quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo ſe accepiſſe quem quærit. Nec quia ſpiritu Dei agitur, ideo ſe putet liberum arbitrium non habere: quod

* C. efficit.
1. Joan. 3.
Mar. 3.
Luc. 10.

* vox; de non eſt in C.

ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate ſe dedit, a quo judicium voluntatis depravatum eſt. Quod ergo non * interfectum eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem: vulnus ſanatur, non natura removetur. Sed quod in natura periit, non reſtituitur niſi ab Autore naturæ.

Rom. 8.
* C. ereptum.

Hæc quæ ſequuntur ex manuſcripto Bibliothecæ Cambronenſis Codice recte ſupplenda tranſcripſimus.

Idem cap. 16. cont. Collat.

Apud quem quod perdidit natura, non periit: æterna eſt enim ſapientia, æterna veritas, æterna bonitas, æterna juſtitia: omnium denique virtutum lumen æternum eſt, totumque quod virtus eſt, Deus eſt. Qui ſi non operatur in nobis, nullius poſſumus participes eſſe virtutis. Sine hoc quippe bono, nihil eſt bonum: ſine hac luce nihil eſt lucidum: ſine hac ſapientia, nihil ſanum: ſine hac juſtitia nihil rectum. Dicit enim per Eſaiam Dominus, Ego ſum, ego ſum Deus, & non eſt præter me qui ſalvet: *& Hieremias:* Scio (*inquit*) Domine, quia non in homine via ſua: nec viri eſt ut dirigat iter ſuum. *Homo namque mortalis, damnata in Adam origine, carnaliter natus, ad ſpiritualem novi generis dignitatem, niſi Spiritu ſancto regenerante non pervenit. Sed nec ullo hanc deſiderio appetit, qui calorem ipſius deſiderii non accepit a Deo; de quo dicit Dominus:* Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat? *Ignis autem iſte, dilectio eſt Dei, quam amator mundi corde captivo non poteſt concipere; plenus eſt enim amore vanitatum; quas etiamſi potuerit ex aliqua parte vitare, & tranſcenſis temporalibus ac viſibilibus ad æterna & inviſibilia intelligendo profecerit; ſi a colendis quoque ſimulachris receſſerit, & venerari cælum ac terram, omniaque mundi hujus elementa deſtiterit; fidem tamen dilectionemque Chriſti, conturbatus de ejus ipſa humilitate, non capit, & ſcandalum Dominicæ nativitatis ac mortis, proprio judicio evincet. Propter ſapientiam enim mundi reſiſtentem ſapientiæ Dei, ut ſuperbia præſumentium de ſe cæcaretur, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Unde qui doctrinis ſæcularibus tument, ridendam magis quam adorandam crucem Chriſti æſtimant: & quanto ſublimius quiſque ad humanarum diſciplinarum inſtituta conſcendit, tanto magis prædicationis noſtræ humilia & infirma faſtidit. Nec mirum ſi Evangelio crucis Chriſti Philoſophia obnititur, cui etiam Judaica eruditio reluctatur. Nec docti igitur, nec indocti, cujuslibet ſtirpis, aut ordinis, humana ratione ad Dominum ducuntur; ſed omnis homo qui ad Deum convertitur, Dei primum gratia commovetur. Non enim ipſe ſibi lumen eſt, nec cor ſuum radio propriæ lucis accendit. Si enim Beatus Joannes, quo nemo hominum major natus eſt, erat lumen, quia non ſuo ſplendore lucebat; ſed de illo vero lumine quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut lux eſſet acceperat; quis ille erit qui tot opinionum colluctationes, tot vincula conſuetudinis, tot præjudicia vetuſtatis, ſuo tantum judicio abrumpat; & ſola voce extrinſecus ſonante doctoris hoc tantum de gratia habeat quod audivit, & totum de voluntate quod credidit? Quod ſi ita eſſet, nihil inter gratiam legemque diſtaret, nec indulgentiæ quemquam ſpiritus vivificaret, ſi occidens littera permaneret. Lex enim quod fieri aut non fieri jubet, non præſtat ut aut fiat aut non fiat; quoniam ſeveritati ejus non libertate, ſed timore ſervitur. Dominus autem ut legem non ſolveret, ſed impleret, per gratiæ auxilium efficax fecit legis imperium & multiplicando clementiam, ſuſtulit pœnam; ut peccatum non ulciſcendo plecteret, ſed remittendo deleret. Unde adulteram ex legis*

con-

conſtitutione lapidandam, & veritate liberavit, & gratia; cum exſecutores præcepti de conſcientiis territi trementem reum ſub illius judicio reliquiſſent, qui venerat quærere & ſalvum facere quod perierat; & ideo inclinatus, id eſt, ad humana dimiſſus, & in opus noſtræ reformationis inflexus digito ſcribebat in terram, ut legem mandatorum per gratiæ decreta vacuaret, & oſtenderet ſe eſſe qui dixerat: Dabo leges meas in ſenſu ipſorum & in corde ipſorum ſcribam eas. *Quod utique quotidie facit, dum cordibus vocatorum ſuam inſerit voluntatem & ſtilo Spiritus ſancti quicquid in animæ paginis diabolus invidendo falſavit. Cum igitur verbum Dei per miſterium prædicantium auribus carnis infertur, miſcetur operatio potentiæ divinæ cum ſono vocis humanæ; & qui incitavit evangelizantis officium, audientis quoque firmavit affectum. Dulceſcit animæ cibus verbi; veteres tenebræ nova luce pelluntur, & obtutus interior caligine antiqui erroris exuitur: tranſit animus de voluntate in voluntatem: etſi illa quæ pellitur, aliqua contagione remoratur; ea tamen quæ gignitur, electiora quæque ſibi vendicat. Ut lex peccati, & lex Dei diverſas atque diſcretas in eodem homine habeant manſiones: & concupiſcente carne adverſus ſpiritum, carnis etiam concupiſcentiis ſpiritu repugnante, per exteriora quidem inſidiari tentator audeat, ſed mens auxilio Dei munita prævaleat. Ad magnam enim utilitatem Fidelium materia eſt reſervata certaminum, ut non ſuperbiat ſanctitas, dum pulſatur infirmitas. Unde & Apoſtolus dicit:* In magnitudine revelationum ne extollar, datus eſt mihi angelus Sathanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet a me: ſed dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. *Quærat ergo Dominus imaginem ſuam, & errantem ovem bonus paſtor inveniat, nec dedignetur ægram diu in invio fatigatam humeris ſuis ferre, & non revocando tantum, ſed etiam portando ſalvare. Quærat Dominus imaginem ſuam, & omnium quæ in eam inciderunt ſordium concretione deterſa, ſpeculum humani cordis enubilet. Scriptum eſt enim:* Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es? *Quærat Dominus imaginem ſuam, ut in relevatione ac juſtificatione ejus gratia reformantis appareat, ſicut in ſe factum Paulus Apoſtolus proteſtatur & dicit:* Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judeæ quæ erant in Chriſto, tantum auditum habebant, quod is qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam expugnabat, & in me clarificabat Dominum. *Sic ergo tunc Chriſtianus populus didicerat, & illi primitivæ Eccleſiæ quorum erat unum cor & una anima, ſic credebant; ut cum viderent quempiam ad agnitionem veritatis ab errore converſum, glorificarent Dominum; & fidem correcti confiterentur muneris eſſe divini. Ipſe quoque Dominus diſcipulos ſuos magiſtros omnium gentium ſic docebat dicens:* Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, ut videntes opera veſtra bona, magnificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. *Fixa ergo hac fide in cordibus noſtris, immobiliterque fundata; qua ſaluberrime credimus omnia bona, ac maxime ea quæ ad vitam æternam provehunt, Dei munere cuſtodiri puto quod pius ſenſus non debeat in ea quæſtione turbari; quæ de omnium & de non omnium hominum converſione generatur: ſi ea quæ clara ſunt, non de his quæ occulta ſunt, obſcuremus, & dum procaciter inſiſtimus clauſis, excludamur ab apertis, cum ſufficere debeat, ut in eo quo pervenimus, ambulemus. Quid enim mirum ſi quidam ad vitæ ſacramenta non perveniunt de quibus dicitur:* Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. *Quorum ſimiles ſunt illi qui ore profitentur Dominum ſcire, factis autem negant. Nam cum ſcriptum ſit:* omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit: *de quibuſdam tamen Dominus ait:* Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt ipſe intrabit in regnum cœlorum. *Et:* Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc dicam illis: Nunquam novi vos: diſcedite a me, operarii iniquitatis. *Tales non invocant nomen qui non habent,* Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, *Abba Pater.* Nemo autem poteſt dicere Dominum Jeſum niſi in Spiritu ſancto; *Et:* Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei. *Qui ad Dominum per Dominum veniunt & ſalvari volentes omnino ſalvantur, quia ipſum deſiderium ſalutis ex Dei inſpiratione concipiunt, & per illuminationem vocantis in agnitionem veniunt veritatis. Sunt enim filii promiſſionis, merces fidei, ſpirituale ſemen Abrahæ, genus electum, regale ſacerdotium præſcriptum & præordinatum in vitam æternam, ſicut teſtatur Spiritus ſanctus per Hieremiam Prophetam dicens: Ecce dies veniunt;* hinc jam ſequitur c. 9. in vulgatis codic.

Quod Scriptura ſive de bonis, ſive de malis loquatur, ſive de electis, ſive de reprobis, ita meminit unius partis, quaſi neminem hominum prætermittat.

CAPUT IX.

DIcit Dominus: *Et diſponam domui Iſrael, &* Hier. 31.
domui Judæ teſtamentum novum, non ſecundum teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti; quia ipſi non perſeveraverunt in teſtamento meo, & ego eos neglexi, dicit Dominus, quia hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum ſcribam eas, & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit unuſquiſque proximum ſuum, &
unuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Domi- Hier. 32.
num, quia omnes cognoſcent me a puſillo eorum uſque in 70.
ad magnum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum memor non ero. Et dabo illis viam alteram, & cor aliud, ut me timeant omnes dies in bonum ipſis & filiis eorum poſt eos, & conſtituam illis teſtamentum æternum, quod non avertam poſt eos: & timorem meum dabo in cor eorum ne diſcedant a me, & viſitabo eos, ut bonos eos fa-
ciam. Per Iſaiam quoque de gratia ſua Dominus, Iſa. 43.
qua ex omnibus hominibus novam creaturam facit, eadem prænuntiat, dicens: *Ecce faciam nova*
*quæ nunc * orientur, & cognoſcetis ea, & faciam* *C. oriuntur.
in deſerto viam, & in ſicca terra flumina. Bene-
dicent me beſtiæ agri, ſirenæ & filiæ ſtruthionum Eſa. 45.
quod dederim in deſerto aquam, & flumina in ſicca terra ad potandum genus meum electum, populum meum quem mihi acquiſivi, ut enarrent virtutes
meas. Et iterum: *Per * meipſum juro, niſi * exibit* * C. memetipſum.
de ore meo juſtitia, & verba mea non avertentur, * exiet.
quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo. Si ergo impoſſibile eſt iſta non fieri, quia nec incerta præſentia Dei eſt, nec mutabile

con-

Digitized by Google

conſilium, nec inefficax voluntas, nec falſa pro-
miſſio, omnes iſti de quibus hæc prædicta ſunt,
ſine cujuſquam exceptione ſalvantur. Dat enim le-
ges ſuas in ſenſum ipſorum, eaſque in cordibus
eorum digito ſuo ſcribit, ut agnitionem Dei, non
doctrinæ humanæ opere, ſed magiſterio ſummi
eruditoris accipiant. *Quia neque qui plantat, neque
qui rigat, eſt aliquid; ſed qui incrementum dat Deus.
Omnes hi a puſillo uſque ad magnum cognoſcunt Deum*,
quia ut venirent ad Chriſtum, a Patre audierunt
atque didicerunt, omnes educti ab errore, diri-
guntur in viam vitæ, omnibus corde mutato, recta
ſapere & recta velle donatur, omnibus timor, quo
* C. cuſtodiantur. in mandatis Dei * erudiantur, inſeritur. Fit in de-
ſerto via, & terra arida fluminibus irrigatur, ut
qui prius ad confitendum Deum, os non aperie-
bant, & velut muta atque irrationabilia animalia
in feritatem tranſierant beſtiarum, divinorum elo-
quiorum fontibus mundati, benedicunt & laudant
Deum, enarrantes virtutes & mirabilia miſericor-
diæ ejus, qui elegit eos, & in filios adoptavit, ac
Galt. 3. novi Teſtamenti fecit heredes. Si autem (ut Apo-
ſtolus loquitur) hominis confirmatum teſtamentum
nemo ſpernit aut ſuperordinat, quomodo fieri po-
teſt, ut ex ulla parte divina promiſſio reſolvatur?
Monet prorſus & quotidie impletur quod Abrahæ
Dominus ſine conditione promiſit, ſine lege do-
* C. prædicta. navit. Quia etſi quidam quibus hæc * prædicata
* C. tamen add. ſunt, non crediderunt, incredulitas * eorum fidem
Dei non evacuavit. Eſt enim Deus verax, omnis
Rom. 3. autem homo mendax. Et illi quidem qui audito
Evangelio credere noluerunt, inexcuſabiliores fa-
cti ſunt, quam ſi nullum præconium veritatis au-
diſſent. Sed certum eſt, eos apud præſcientiam Dei
Abrahæ filios non fuiſſe, nec in illorum ſorte nu-
meratos, de quibus dictum eſt: *Benedicentur in*
Gen. 26. Hier. 31. *ſemine tuo omnes tribus terræ*. Credituros enim
promiſit qui dixit: *Et non docebit unuſquiſque pro-
ximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, di-
cens: Cognoſce Dominum, quia omnes cognoſcent
me a puſillo eorum uſque ad magnum*. Reconci-
liandos promiſit, qui dixit: *Propitius ero iniquita-
tibus eorum, & peccatorum eorum memor non ero*.
Eſa. 45. Obedituros promiſit qui dixit: *Dabo illis viam al-
teram, & cor aliud, ut timeant me omnes dies*.
Perſeveraturos promiſit qui dixit: *Timorem meum
dabo in cor eorum ne diſcedant a me; & viſitabo
* Forte ſibi obſecuturos. eos, ut bonos eos faciam*. Poſtremo, omnes ſine
cujuſquam exceptione * promiſit qui dixit: *Per
* C. exiet. memetipſum juro, niſi * exibit de ore meo juſti-
Vide Rom. 14. tia, & verba mea non avertentur, quia mihi
flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua
Philip. 2. Deo*. Hic ſi dicamus non fieri quod Deus juravit
eſſe faciendum, falſitatem Deo (quod abſit) &
mendacium adſcribimus veritati. Si autem, ut pie-
tas fideſque perſuadent, Dei verba non excidunt,
& fit omnino quod ſtatuit: quomodo nobis pro-
miſſionis firmitas apparebit, cum multa adhuc ho-
minum millia dæmoniis ſerviant, & idolis genua
flectant? Niſi hujuſmodi denuntiationes Dei ſecun-
dum illam incommutabilem ſcientiam editas nove-
rimus, in qua apud illum jam univerſitas humana
diſcreta eſt, & ſive de bonis, ſive de malis loqua-
tur, ita unius partis meminit, quaſi neminem ho-
minum prætermittat. Nam cum dicit Apoſtolus:
2. Cor. 5. *Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova*;
nunquid non omnes homines videtur dixiſſe reno-
vatos? Aut cum dicit: *Quia in ipſo complacuit om-
Coloſſ. 2. nem plenitudinem habitare, & per ipſum reconcilia-
ri omnia in ipſo*; nunquid non ita loquitur, quaſi
* C. extorrem. neminem velit * exortem hujus reconciliationis in-
Heb. 1. telligi? Aut cum ait: *Noviſſimis iſtis diebus locutus
eſt nobis in Filio, quem conſtituit heredem univerſo-
rum*; nunquid aliud ſonat forma * ſententiæ, quam * C. ſcientiæ.
omnes homines in Chriſti hereditate a Patre eſſe
tranſcriptos, ſecundum Prophetiam David, dicen-
tis: *Poſtula a me & dabo tibi gentes hereditatem
tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*? Dicen-
te * enim Domino: *Si exaltatus fuero a terra, om- * autem C.
nia traham ad me*: nonne univerſorum videtur Joan. 12.
promiſſa converſio? Aut cum de Eccleſia prophe- Eſa. 40.
tatur & dicitur: *Omnis vallis replebitur, & omnis
mons & collis humiliabitur, & erunt prava in dire-
cta, & aſpera in vias planas*; nunquid ullus ho-
minum videtur omiſſus, qui non ſignificatus ſit
Chriſto eſſe ſubdendus? Quid cum dicitur: *Et* Eſa. 66.
*venit omnis caro in conſpectu meo, ut adorent in
Hieruſalem, dicit Dominus*? Aut illud: *Et erit in* Joel. 2.
diebus illis: Effundam de Spiritu meo ſuper omnem Pſal. 144.
carnem? Aut illud: *Allevat Dominus omnes qui
corruunt, & erigit omnes eliſos*: nunquid non ita
pronuntiatum eſt quaſi ab hoc Dei munere nemo
diſcretus ſit? Habet ergo populus Dei plenitudi-
nem ſuam: & quamvis magna pars hominum ſal-
vantis gratiam aut repellat aut negligat, in electis
tamen & præſcitis, atque ab omnium generalitate
diſcretis, ſpecialis quædam cenſetur univerſitas, ut
de toto mundo totus mundus liberatus, & de om-
nibus hominibus omnes homines videantur aſſum-
pti. Sicut etiam cum de impiis ſermo eſt: ita locu-
tionem ſuam divinus ſtylus ordinat, ut ea quæ de
quadam parte dicuntur, ad omnes homines perti-
nere videantur, veluti eſt illud quod ait Joannes:
Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt; quod vidit & Joan. 3.
*audivit teſtificatur, & teſtimonium ejus nemo ac-
cipit*. Aut illud Apoſtoli: *Omnes quæ ſua quærunt,
non quæ Jeſu Chriſti*. Aut illud quod Pſalmus Da-
vidicus canit: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios* Philip. 2.
*hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens
Deum: Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti* Pſal. 13.
*ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad
unum*. His igitur & aliis documentis quæ poſſunt
ab inquirentibus numeroſiora proferri, non dubie
demonſtratur interdum & pro parte terræ omnem
terram, & pro parte mundi totum mundum, &
pro parte hominum omnes homines nominari. Quo-
rum tamen diſcretionem plerumque Scriptura cito
aperit, ut ſenſus legentis ab univerſitatis appella-
tione ad partem quæ intelligenda eſt transferatur.
Sicut eſt illud Apoſtoli dicentis: *Prædicamus Je-* 1. Cor. 1.
*ſum Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum,
gentibus autem ſtultitiam, ipſis vero vocatis Judæis
atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapien-
tiam*. Nunquid ipſis Chriſtus virtus quibus ſcan-
dalum, aut ipſis ſapientia quibus ſtultitia? Sed quo-
niam quidam ex * eiſdem * juſtificabuntur fide: qui- * C. ipſis. * juſtificabantur.
dam autem ſua impietate * obdurabuntur: unum
credentium & non credentium genus ſub vocato- * obdurabantur.
rum appellatione diſcrevit, ut quos a fide ſignifi-
cabat alienos, eos, quamvis audiſſent Evangelium,
oſtenderet vocationis extraneos.

Quod Scriptura de electis & reprobis ejuſdem populi loquitur, tanquam de iiſdem.

CAPUT X.

HAc * regula per Eſaiam promittit ſermo di- * Hanc regulam C.
vinus, dicens: * *Educam cæcos in viam* Eſa. 42.
quam non noverunt, & ſemitas quas neſciunt, cal- * ducam C.
*cabunt. Et faciam illis tenebras * illuceſcere, &* * in lucem C.
prava in directum. Hæc verba faciam, & non de-

re-

Digitized by Google

relinquam eos. Sed quod ſequitur: *Ipſi autem converſi ſunt retro*, ad partem quandam generis ipſorum referendum eſt, non ad eos de quibus ait: non derelinquam eos. Iterum dicit Dominus ad Jacob: *Noli * metuere, quia tecum ſum. Ab Oriente adducam ſemen ſuum, & ab occaſu colligam te. Dicam Aquiloni, adduc: & Africo, noli vetare, adduc filios meos de terra longinqua & filias meas a ſummo terræ, omnes in quibus vocatum eſt nomen meum. In gloriam enim meam paravi illum, & finxi, & feci illum*. Quod autem ſequitur: *Et produxi plebem cæcam; & oculi eorum ſunt cæci, & ſurdas aures habent*: non poteſt eis ulla ratione congruere, quos in gloriam ſuam paraſſe ſe dicit. In his quippe omnibus verbis quæ de uno hominum genere dicuntur, aliis perſonis priora, aliis poſteriora conveniunt. Apud Apoſtolum quoque quod in parte populi agitur, ſub totius populi nuncupatione narratur, & in * reliquis plenitudo cenſetur. Cum enim de Judæorum obcæcatione diſſereret, & quoſdam ex ipſis gratia ſalvos fieri demonſtraret, *Dico ergo*, inquit, *Nunquid repulit Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham de tribu Benjamin, non * repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit*. Plebs ergo præſcita, plebs non repulſa, hi ſunt qui in Chriſto juſtificati ſunt. Et quod de omni Iſraele dici videtur, in his tantum quos ſibi gratiæ electio reliquos fecit, oſtenditur, ſicut ſequentia Apoſtolici ſermonis enarrant. Adjungit enim & dicit: *An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adverſus Iſrael: Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam*. Sed quid dicit illi reſponſum divinum? *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt * genu Baal. Sic ergo*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ * per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia*. Non ergo omnis Iſrael reprobatus, nec omnis electus eſt; ſed partem cæcitas * voluntaria avertit, partem ſibi * illuminatio gratuita reſervavit, & tamen ita de eis ſermo habetur, ut in his qui pereunt, & in his qui ſalvi fiunt, nulla totius generis videatur facta diſcretio: Nam cum legitur: *Secundum evangelium quidem inimici propter vos; ſecundum electionem autem * dilecti propter patres*: iſta locutio ſonat, tanquam eoſdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hanc caliginem Apoſtolus ipſe deterſit, dicendo: *Quia cæcitas ex parte in Iſrael contigit*, ut unum genus in duas ſpecies intelligeremus eſſe diviſum, & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Iſraelem non ſemper ad univerſitatem, ſed plerumque ad partem eſſe referendum.

* C. timere.
Eſa. 43.
* C. occidente.
* C. reliquis.
* C. repelli.
Rom 11.
* C. repelli.
* C. genua ante Baal.
* C. ſecundum.
* C. volunt deeſt.
* illuminatione.
* C. Dei add.

Quod Scriptura de diverſorum temporum, hominibus loquitur, quaſi de ejuſdem temporis generatione.

CAPUT XI.

INter has autem formulas locutionum, etiam illam in Scripturis dictionem debemus advertere, qua id quod ad diverſorum temporum homines pertinet, ita * promittitur, quaſi de una ejuſdem ætatis generatione dicatur. Sicut eſt quod Sanctus Petrus Apoſtolus ſcribens ſui & futuri temporis gentibus: ait, *Vos autem genus electum, Regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti*. Nunquid cum prædicarentur hæc, adhuc illi homines permanebant, quos omnes Deus in præteritis generationibus dimiſerat ingredi vias ſuas, & iidem ipſi qui prius traditi fuerant voluntatibus ſuis, nunc de tenebris in lumen admirabile vocabantur? Nonne illi jam defecerant, jam in hoc mundo non erant? nec ab errore ad veritatem reditus olim mortuis ſuppetebat? Et tamen quod poſt multa ſæcula * gratia in poſteris impiorum * ſit, loquendi conſuetudo perſtrinxit, ut ipſi videantur nunc eligi, qui prius fuerant derelicti. Pertinent autem hæc non ad eoſdem homines, ſed ad ejuſdem * gentis homines, & vocatio quæ illuxit prope mundi finem, ad præteritam non recurrit ætatem: ita modo * quodam & ipſi & non ipſi ſunt, de quibus & quibus iſta dicuntur, dum in aliquo * ſpeciali a generalibus non dividuntur, in aliquo vero a communibus ſeparantur.

* C. promittur. rect.
1. Pet. 2.
Act. 14.
* C.C. agebat add.
* C. fic. loq.
* C. generis
* C. quidem.
* C. ſpecialia.

Quod illud Apoſtoli: Vult omnes homines ſalvos fieri: *de omni genere hominum intelligitur.*

CAPUT XII.

SEd cum legerint hæc vel audierint qui amant calumnioſa certamina, dicent nos per hujuſmodi diſputationes Apoſtolo contradicere * diffinienti quod Deus omnes homines velit ſalvos fieri, & * in agnitionem veritatis venire. Quam particulam verborum Apoſtoli, ita nos integre pleneque ſuſcipimus, ut nihil ei de præcedentibus ſive ſubjectis quæ ad ipſam pertinent, ſubtrahamus. Quoniam ut cætera divinorum eloquiorum teſtimonia ſequeſtremus, hic locus ſufficit ad evacuandum quod calumnioſe objiciunt, & ad defendendum quod impie diffitentur. Scribens itaque ad Timotheum * Paulus Apoſtolus, ait: *Obſecro igitur primo omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt: ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram * ſalutari noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & * in agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. De hac ergo doctrinæ Apoſtolicæ regula, qua Eccleſia univerſalis imbuitur, ne in diverſum intellectum noſtro evagemus arbitrio, quid in ipſa univerſalis Eccleſia ſentiat, requiramus; quia nihil dubium eſſe poterit in præcepto, ſi obedientia concordet in ſtudio. Præcepit itaque Apoſtolus, imo per Apoſtolum Dominus qui loquebatur in Apoſtolo, *Fieri obſecrationes & poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, ac pro his qui in ſublimitate ſunt*. Quam legem ſupplicationis ita omnium Sacerdotum, & omnium Fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi ſit, in qua hujuſmodi orationes non celebrentur a populis Chriſtianis. Supplicat ergo ubique Eccleſia Deo non ſolum pro ſanctis & in Chriſto jam regeneratis; ſed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Chriſti, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Chriſtum in membris * ipſius perſequuntur, pro Judæis quorum cæcitati lumen Evangelii non reſulget, pro hæreticis & ſchiſmaticis, qui ab unitate fidei & charitatis alieni ſunt. Quid autem pro iſtis petit, niſi ut relictis erroribus ſuis, convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipſi præſtare ſibi nequeunt, malæ conſuetudinis pondere oppreſſi, & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones ſuas evincere valent, quibus tam pertinaciter inhæſerunt, ut quantum amanda eſt veritas, tantum diligant falſitatem: miſericors & juſtus Dominus pro om-

Cap. 4.
* C. definienti.
1. Tim. 2.
* C. ad.
Ibidem.
* C. magiſter gentium. add.
* C. ſalvatore.
* C. ad
* C. ſuis.

omnibus ſibi vult hominibus ſupplicari, ut cum vi-
demus de tam profundis malis innumeros erui, non
ambigamus Deum præſtitiſſe, quod ut præſtaret
oratus eſt: & gratias agentes pro his qui ſalvi facti
ſunt, ſperemus etiam eos, qui * nondum illumina-
* C. nec dum. ti ſunt, eodem divinæ gratiæ opere eximendos de
* C. & poteſtate tenebrarum * ut in regnum Dei, priuſquam
* C. transferendos, de hac vita exeant, * transferantur.

*Secreti illius profunditas, quo Dei ſalvantis gratia ali-
quos pro quibus Eccleſia orat; præterit, nobis
in hac vita patere non poteſt.*

CAPUT XIII.

QUod ſi aliquos (ſicut videmus accidere) ſal-
vantis gratia præterierit, & pro eis oratio ec-
cleſiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ
*C. fine, eſt juſtitiæ judicia referendum, & agnoſcendum * eſt
ſecreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere
non poſſe. Ex parte *enim ſcimus, & ex parte pro-
phetamus, & videmus nunc per ſpeculum, in ænig-*
1. Cor. 13. *mate.* Nec ſapientiores aut ſcientiores beatiſſimo
Apoſtolo ſumus, qui cum de gratiæ potentia diſpu-
taret: magnorum myſteriorum ingreſſus arcanum,
* C. impoſſibilia erunt enarrari. tis quæ * impoſſibile erat enarrare, ſuccubuit. Cum
enim dixiſſet: *Nolo vos ignorare, fratres, myſterium
hoc, ne non ſitis vobiſipſis ſapientes, quia cæcitas ex
parte in Iſrael contigit, donec plenitudo gentium in-*
Rom. 11. Iſa. 59. *traret, & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret, ſicut ſcri-
ptum eſt: Veniet ex Sion qui eruat et avertat impie-
tates ab Jacob, et hoc illis a me teſtamentum, cum
abſtulero peccata eorum: Secundum evangelium qui-
dem inimici propter vos, ſecundum electionem vero
dilecti propter patres. Sine pœnitentia enim ſunt dona
et vocatio Dei. Sicut enim aliquando et vos non cre-
didiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis
propter illorum incredulitatem, ita et iſti nunc non
crediderunt in veſtram miſericordia, ut et ipſi miſeri-
cordiam conſequantur. Concluſit enim Deus omnia in
incredulitate, ut omnium miſereatur.* Cum ergo
hæc divinorum operum myſteria ſupra menſuras
humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis
ſuæ profudiſſet exceſſu, totam expoſitionis ratio-
nem tranſtulit ad ſtuporem, & admirator eorum
Rom. 11. quæ protulerat, exclamavit & dixit: *O altitudo di-
vitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incompre-
henſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*
Caput 5. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſi-
liarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi, et retribue-
tur ei? Quoniam ex ipſo et per ipſum et in ipſo ſunt
omnia. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.* Præ-
miſſa enim docentis aſſertio locum dabat multitudo
quæſtioni, ut variatæ per tot populos ac tempora
gratiæ Dei cauſa quæreretur: Cur ſcilicet anteriori-
bus ſæculis dimiſſæ eſſent omnes gentes ingredi vias
Actor. 14. ſuas, uno tantum Iſraele (qui divinis eloquiis eru-
diretur) excepto, & ad cognitionem veritatis ele-
cto, cujus infidelitas locum tandem ſalvandis
gentibus fecerit, tanquam ſi unus populus in fi-
de ſui generis permaneret, miſericordia Dei cæteris
Rom. 11. ſe nationibus præſtare non poſſet. Cur denique ipſi,
* C. gentium. quorum diminutio ſalus * gentibus eſt, ab obcæca-
tione ſua non liberentur prius quam ingrediatur gen-
tium plenitudo, quaſi illuminari cum omnibus ne-
queant, qui omnes facta omnium gentium adoptio-
ne ſalvandi ſunt? Aut quomodo omnis Iſrael,
ſublata obcæcatione ſalvandus ſit, cujus innumera-
bilis multitudo in ſua infidelitate deficiens, ad tem-
* C. ſalutis. pora * ſalvandis promiſſa non pervenit: Vel quomo-
do ipſarum gentium (quarum prius non eſt facta vo-
catio) dicatur nunc ingredi plenitudo, cum * tot * C. tanta.
promiſcuæ ætatis & conditionis hominum millia in
omnibus nationibus quæ ſunt ſub cœlo, ſine Chriſti
juſtificatione moriantur? Sed horum myſteriorum
judiciorumque cauſas pius & doctus magiſter maluit
ad altitudinem divitiarum ſapientiæ Dei ſcientiæque
ſuſpendere, quam juſtiſſimæ veritatis & miſericor-
diæ bonitatis ſubtractum ab humana * cognitione ſe- * C. conditione.
cretum temeraria inquiſitione diſcutere, nihil omit-
tens de his quæ non oportet ignorari, nihil contre-
ctans de his quæ non licet ſciri.

*Multa eſſe in diſpenſatione operum divinorum, quo-
rum cauſis latentibus, ſoli monſtrantur
effectus.*

CAPUT XIV.

MUlta enim ſunt in diſpenſatione * operum di- * C. divinorum operum.
vinorum, quorum cauſis latentibus, ſoli
monſtrantur effectus, ut cum pateat quod geritur;
non pateat cur geratur, negotio in medium dedu-
cto, & in occultum ratione ſubducta, ut in eadem
re & de inſcrutabilibus præſumptio comprimatur, &
de manifeſtis falſitas refutetur. Neque enim ſi neſcio
cur ille Græcus creatur, hic barbarus, iſte in di-
vitiis, ille in egeſtate naſcatur: hunc valida proce-
ri corporis pulchritudo ſublimet, illum debilium
membrorum exilitas contracta deformet, iſte a Ca-
tholicis editus in veritatis cunabulis nutriatur, il-
le hæreticorum progenies cum ipſo lacte matris
hauriat virus erroris, ſi denique mille alias differen-
tias in habitu corporum, in qualitatibus animorum,
in conditione temporum, in more regionum, dijudi-
care non poſſum: ideo quod omnium horum Deus
ſit conditor atque ordinator ignoro. Qui utique ſin-
gulorum hominum ita & corpora creavit & ſpiritus,
ut præter illam ſecuturam ex uniuſcujuſque ſtudio
voluntariam diverſitatem, ipſa conditionis exordia
diſſimillima numeroſitate variaret. Turbarent au-
tem nos, & in diverſum diſtraherent multæ vanilo-
quorum opiniones qui de incognoſcibilibus * deve- * C. definire inconvenientia.
nire in inconvenientia præſumpſerunt, & has ori-
ginales inæqualitates fatis (quæ nulla ſunt) & ſideri-
bus deputarunt, niſi certiſſima notitia teneremus,
Deum Creatorem de elementis naturalibus, prout
vult, vas unumquodque formare, & unam natu-
ram animarum, & unam naturam corporum, pla-
citis ſibi temperare menſuris. Quæ utique opera Dei
humanæ intelligentiæ * cognoſcibilia * eſſent, ſi in- * C. non ſubtraherentur.
noteſcere debuiſſent; & manifeſtaretur cur ita quid-
que fieret, niſi quod ita * fieret, ſcire ſufficeret. * C. fieri,
Dicit Dominus ad Moyſen: *Quis dedit os homini, &* Exod. 4.
quis fecit mutum & non audientem, videntem & cæ- Iſai. 66.
cum? Nonne ego Dominus Deus? Et per Iſaiam: * C. fœcundam.
*Nonne ergo * fæcundum & ſterilem feci, dicit Do-*
minus? In libro Eccleſiaſtico legitur: *Bona et mala,* Eccleſ. 11.
vita et mors, paupertas et honeſtas a Deo ſunt. Et Job. 12.
Job dicit: *Abundant tabernacula prædonum, et au-
dacter provocant Deum, cum ipſe dederit omnia in
manibus eorum.* Et idem de omnium rerum huma-
narum profectu & defectu diſputans, omneſque
mutationes ad judicia Dei referens: *Apud ipſum eſt,*
inquit, *ſapientia et fortitudo, ipſe habet conſilium
et intelligentiam. Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædifi-* Ibidem.
*cet; ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat:
Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur; ſi emiſerit
eas, ſubvertent terram. Apud ipſum eſt fortitudo
et ſapientia: ipſe novit & decipientem, et eum qui
decipitur; adducit conſiliarios in ſtultum finem, et ju-
dices in ſtuporem. Baltheum Regum diſſolvit, et præ-*

cingit

C. in glorioſos. *C. revelat.* *C. perdet.* *C. reſtituet.* *C. decipiet.* *cingit fune renes eorum*. Ducit ſacerdotes * inglorioſos, & optimates ſupplantat, commutans labium veracium & doctrinam ſenum auferens; effundens deſpectionem ſuper principes, & eos qui oppreſſi fuerant, relevans. Qui * relevat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis. Qui multiplicat gentes & * perdit eas, & ſubverſas in integrum * reſtituit. Qui immutat cor principum terræ, & decipit eos, ut fruſtra incedant per invium. Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios. Et iterum idem dicens voluntatem Dei irritam eſſe non poſſe: Job. 23. *C. cogitationes.* *Ipſe enim*, inquit, *ſolus eſt & nemo avertere poteſt * cogitationem ejus: et anima ejus quodcunque voluerit, hoc fiet*.

Quod pars hominum liberatur, adſcribi non poteſt meritis voluntatum: veluti bonos elegerit gratia, malos præterierit.

CAPUT XV.

C. voluerimus. Liberatur pars hominum, parte pereunte: & ſi hoc voluntatum meritis * velimus adſcribere, ut malos neglexiſſe gratia, bonos autem elegiſſe videatur, reſiſtet nobis innumerabilium cauſa populorum, quibus per tot ſæcula nulla cœleſtis doctrinæ annunciatio coruſcavit. Nec meliores fuiſſe eorum poſteros poſſumus dicere, quibus ſcriptum eſt: Iſa. 9. *Gentium populus, qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnum, et ſedentibus in tenebris et umbra mortis, lux orta eſt illis*. Et ad quos Apoſtolus Petrus dicit: 1. Petr. 2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus adquiſitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum; qui quondam non populus, nunc autem populus Dei, quorum aliquando non eſt miſertus, nunc autem miſeretur*. Non ergo meritis minorum tribuitur quod non meruere majores. Par enim impietas & patres accuſabat & filios, eademque ignorantiæ cæcitas omnes ſimul in eoſdem mergebat errores. Sed cur illorum non miſertus & horum ſit miſertus Deus, quæ ſcientia comprehendere, quæ poteſt inveſtigare ſapientia? Latet diſcretionis * iſta ratio, *C. Juſtius.* ſed non latet ipſa diſcretio. Non intelligimus judicantem, ſed videmus operantem. Quid calumniamur juſtitiæ occultæ, qui gratis debemus miſericordiæ manifeſtæ? Laudemus & veneremur quod agitur, quia tutum eſt neſcire quod tegitur.

Ex eo, quod parium parvulorum alii ad æternam vitam, alii ad mortem æternam ante intelligentiæ uſum hinc migrent, oſtenditur inſcrutabilitas divinorum judiciorum.

CAPUT XVI.

Reſpice autem & ad univerſam multitudinem parvulorum, in quibus excepto illo, quo in damnationem naſcitur gens humana, delicto, nec præterita poſſunt merita, nec futura cenſeri. Omnes enim de quibus nunc loquimur, ante ullum intelligentiæ uſum, ante liberum voluntatis arbitrium, alii ad æternam beatitudinem regenerati, alii ad perpetuam miſeriam tranſeunt non renati. Si originalem culpam fateris, omnis numerus in reatu eſt. Si moralem innocentiam quæris, omnis ſumma ſine vitio eſt. Non invenit quod diſcernat humana juſtitia, ſed habet quod eligat inenarrabilis gratia Dei. In abſcondito eſt conſilium, ſed non latet donum; opus * erexit pietas, cauſam obſcurat poteſtas. Sed *C. excelſi rect.* tam indubitabile eſt quod non videtur, quam quod videtur, quia auctori manifeſti operis, negari confeſſio etiam * incognitæ non poteſt æquitatis. *C. ignotæ.*

Ex impiis qui in extremis converſi ſalvantur, oſtenditur & gratia ſine meritis dari, et inſcrutabile eſſe Dei judicium.

CAPUT XVII.

Quod ſi & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis & ſceleribus ætatem, ſacramento baptiſmatis Chriſti in ipſo vitæ renovantur, & ſine ullo ſuffragio bonorum operum in regni cœleſtis conſortium transferuntur, quo intellectum divinum judicium comprehendes? niſi ut indubitanter agnoſcas gratuita eſſe Dei munera: & ſicut nulla ſunt tam deteſtanda facinora, quæ poſſunt gratiæ arcere donum, ita nulla poſſe tam præclara opera exiſtere; quibus hoc quod gratis tribuitur per retributionis judicium debeatur. Vileſceret enim redemptio ſanguinis Chriſti, nec miſericordiæ Dei humanorum operum prærogativa ſuccumberet, ſi juſtificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, ſed merces eſſet operantis. Unde autem * poſſet *C. poſſit.* probari quod ad evacuandum originale peccatum nulla idonea eſſet induſtria: niſi & impii & facinoroſi per lavacrum Chriſti aſſumerentur in regnum, agnoſcerentque qui in ſua juſtitia gloriantur, quam nihil dignum agere poſſint adoptione filiorum Dei, ſi ad regenerationis non * perveniunt ſacramentum, *C. pervenerit.* cum eadem qua ſceleſtiſſimi peccatores conditione teneantur pares futuri in ſanctificatione, ſi * affuerit * regeneratio ſimul perituri, ſi ceſſaverit ablutio. *adfuit miſeratio.* Si ergo etiam ex nequiſſimis in ipſo vitæ exitu gratia invenit quos adoptet; cum tamen multi etiam qui minus nocentes videntur, doni hujus alieni ſunt: quis hoc aut ſine diſpenſatione Dei fieri, aut ſine profunda dicat æquitate decerni? Quod utique non ideo iniquum eſt, quia occultum eſt; ſed ideo æquum eſt, quia judicium Dei eſſe non dubium eſt. Quod enim ab illius pendet arbitrio, qua ſententia judicari debeat priuſquam judicetur, incertum eſt. Cum autem res ad finem ſuum venerit, nemini liberum eſt de exitu conqueri; quia certiſſimum eſt nihil aliter Deum facere debuiſſe quam fecerit. Qui multimodæ vocationis varietatem, ad unam gratiam pertinentem etiam illa regula evangelicæ comparationis aſtruxit, qua oſtendit patremfamilias diverſo tempore conducentem operarios vineæ ſub pactione denarii, * quo vitæ æternæ ſignificatur æqualitas. *C. deeſt, totum illud. quo. vitæ ſ. æqualitas.* Ubi ſine dubio hora undecima intromiſſi in vineam, totius diei operariis * exæquati, illorum, *C. æggregati.* de quibus nunc loquimur, præferunt ſortem, quos ad commendandam gratiæ excellentiam in defectu diei & concluſione vitæ, divina indulgentia * numeravit, *C. numeratur.* non labori pretium ſolvens, ſed divitias bonitatis ſuæ in eos, quos ſine operibus elegit, effundens; ut etiam hi qui in multo labore ſudarunt, nec amplius quam noviſſimi acceperunt, intelligant, donum ſe gratiæ non operum accepiſſe mercedem. Unde ſi & nos adverſum patremfamilias murmuremus, eo quod noviſſime * vocati totius diei operariis coæquentur, *C. vocatis totius diei operariis ex æquemur.* nec amplius multa opera quam pene nulla mereantur, dicetur nobis quod uni eorum reſponſum eſt: Matth. 20. *Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum eſt et vade. Volo autem et huic noviſſimo dare ſicut et tibi. Aut non licet mihi de re mea facere quod volo?*

Aut

Aut oculus tuus nequam eſt, quia ega bonus ſum? Certe huic calumniatori injuſta videbatur hæc largitas, & quid eruditionis retulit? quid rationis accepit? non eſt ei diſpenſationis hujus revelata juſtitia, nec ad inſpectionem ſecreti latentis miſſus eſt, ſed ut a diſcutiendis Dei judiciis abſtineret, oppoſita eſt ei bonitas miſerantis, & volentis poteſtas, quaſi illi & ab Apoſtolo diceretur: *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quare me feciſti ſic?*

Rom. 9.

Gratia, ſine qua bona merita eſſe nequeunt, non accipitur a quoquam, niſi ex Dei voluntate, ſine meritis.

CAPUT XVIII.

* C. gentis & add.

OMnibus ergo hominibus cujuslibet * generis, cujuslibet conditionis & ætatis, cauſa percipiendæ gratiæ voluntas Dei eſt, apud quam ratio electionis abſcondita eſt, ab ea gratia incipientibus meritis quam accepere ſine meritis. Quæ ſi poſſent bona eſſe ſine gratia, non diceretur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum:* Et, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis:* ſed diceretur: Niſi quis fuerit juſtus & bonus, beatus in æternum eſſe non poterit. Non opus eſſet per aquam & ſpiritum renaſci, ſi per mandatum ſufficeret erudiri. Et evacuaretur fides, quæ credit per baptiſmum omnia peccata dimitti, ſi gratia non malis & impiis, ſed bonis & rectis doceretur impendi. Origo itaque veræ vitæ, veræque juſtitiæ in regenerationis eſt poſita ſacramento, ut ubi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur. Et * incipiunt ad perpetuam gloriam proficere per fidem, qui vix ad temporalem vanæ laudis poterant pervenire mercedem. Sive enim Judæus legis ſcientia tumens, ſive Græcus ſtudio ſapientiæ naturalis inflatus, priuſquam juſtificetur per fidem Chriſti, concluſus eſt ſub peccato: Et ſi in ſua * infelicitate perſtiterit; ira Dei manet ſuper eum, illa ſcilicet in Adæ prævaricatione contracta, de qua Apoſtolus loquitur, dicens: *Et vos cum eſſetis mortui delictis et peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi hujus, ſecundum principem poteſtatis aeris hujus, ſpiritus qui nunc operatur in * filios diffidentiæ, in quibus et nos aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum: & eramus natura filii iræ ſicut et cæteri.* Et iterum: *Qui eratis illo tempore ſine Chriſto alienati a converſatione Iſrael, et hoſpites teſtamentorum promiſſionis ſpem non habentes, et ſine Deo in mundo.* Et iterum; *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et iterum: *Gratias agentes Patri, dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris et poteſtate tenebrarum et tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ.* Et iterum: *Eramus enim et nos aliquando inſipientes, creduli, errantes, ſervientes deſideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris noſtri, non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis * Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum,* ut juſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.

* Et incipiant. C.
* infidelitate.
Epheſ. 2.
* C. filiis.
Ibidem.
Epheſ. 5.
Coloſſ. 1.
Ad Titum 1.
* C. renovationis add.

Qualis ſit natura ſine gratia.

CAPUT XIX.

Cap. 6.

ET ut breviſſime pateat, qualis ſit natura humana ſine gratia, dicat Judas Apoſtolus quid agat vel ignorantia imperitorum, vel doctrina ſapientium: Hi autem (inquit) quæcumque quidem ignorant, blaſphemant; quæcumque autem naturaliter * ut muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Dicat etiam ſub verbis Zachariæ Evangeliſta Lucas, ante illuminationem gratiæ in qua humanum genus nocte verſetur, & de quibus ignorantiæ tenebris Dei populus eruatur; *Et tu* (inquit) *Puer, Propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandum ſcientiam ſalutis populo ejus, in remiſſionem peccatorum ipſorum, propter viſcera miſericordiæ Domini, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto, Lucere his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.*

* C. velut bruta.
* C. autem.
Luc. 1.

Viſcera miſericordiæ Dominus ad omnium nationum impendit ſalutem, omneſque ſalvat: et tamen etiam verum eſt quod teſtimonium ejus nemo accipit.

CAPUT XX.

HÆc autem viſcera miſericordiæ Dominus non ad unius tantum populi redemptionem, ſed ad omnium nationum impendit ſalutem, dicente Evangeliſta: *Quia Jeſus * mortuus erat pro gente, non tantum pro gente, ſed etiam ut filios Dei diſperſos congregaret in unum.* Hoc enim agit illa vox Domini, quæ per quandam pietatis tubam toto terrarum orbe reſonantem, omnes homines & invitat & convenit: Nam cum dixiſſet: *Confiteor tibi Pater Domine cœli et terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, et prudentibus, et revelaſti ea parvulis.* Ita Pater: quoniam ſic beneplacitum eſt ante te, addidit; *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo, et nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius et cui voluerit Filius revelare.* Et deinde adjecit: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati eſtis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum ſuper vos, et diſcite a me, quia mitis ſum et humilis corde, et invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt et onus meum leve eſt.* Joannes vero Baptiſta in Evangelio Joannis prophetico ſpiritu proteſtatur dicens: *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt, quod vidit et audivit, teſtificatur, et teſtimonium ejus nemo accipit. Qui accipit teſtimonium ejus, ſignificavit quoniam Deus verax eſt.* Igitur quantum attinet ad humani generis cæcitatem, longa ignorantiæ & ſuperbiæ nocte contractam, venit in hunc mundum Creator mundi, & mundus eum non cognovit; *Lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Qui ſuper omnes eſt, quod vidit & audivit teſtificatur, & teſtimonium ejus nemo accipit. Sed quia non fruſtra Deus Dei Filius venit in mundum, & dedit ſemetipſum pro omnibus, mortuus eſt, non tantum pro gente; ſed etiam ut filios Dei diſperſos congregaret in unum, & univerſis dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati eſtis*, & ſervato ſibi cognoſcibilis electionis arbitrio, dat ſui patriſque notitiam, quibus * eum voluerit revelare. *Omnes filii lucis, filii promiſſionis, filii Abrahæ, filii Dei, genus electum, regale ſacerdotium, veri Iſraelitæ, præcogniti et prædeſtinati, in regnum Dei* (qui eos vocavit non ſolum ex Judæis

* C. moriturus.
Joan. 11.
Math. 11.
Joan. 3.
Joan. 1.
* C. eam.

ſed etiam ex gentibus) teſtimonium ejus qui de cœlo venit, accipiunt, Rom. 4. ſignificantes quia Deus verax eſt, id eſt, expreſſe ſignificantes in ſui ſalvatione quoniam Deus verax eſt, implens & perficiens quod promiſit Abrahæ omnium gentium patri, qui pollicente Deo quod heres futurus eſſet mundi, non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, & pleniſſime ſciens, *quoniam quod promiſit, potens eſt facere*. Quis autem tam alienus eſt a fide Abrahæ, quis tam degener ab univerſarum gentium patre, qui promiſſionem Dei aut non impleri, aut ab alio præter eum qui promiſit, dicat impleri? Ille quidem erit mendax; Deus autem eſt verax, & omnis qui accipit teſtimonium ejus, hoc ſignat, hoc indicat, quod per lucem illuminantem factus eſt videns, factus eſt obediens, factus eſt in-
1. Joan. 5. telligens, ſicut Joannes Evangeliſta teſtatur dicens: *Scimus quia mundus totus in maligno poſitus eſt, & ſcimus quia Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus.*

Non eſſe ſcrutandum, cur Deus alios eligit, alios non eligit; ſicut nec, cur antea, omnibus gentibus prætermiſſis, unum Iſraelem elegit.

CAPUT XXI.

Cap. 7. Hi tres verſus uſque ad illud. Quamvis cred. abſunt a C.

SI vero quæritur cur Salvator omnium hominum non omnibus dedit hunc ſenſum, ut cognoſcerent verum Deum, & eſſent, id eſt, permanerent in vero Filio ejus: quamvis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam (de quo plenius in ſequentibus diſſeremus) tamen ita forte hoc velatum ſit, ſicut illud abſconditum eſt, cur antea, omnibus gentibus prætermiſſis, unum populum ſibi quem ad veritatis cognitionem erudiret, exceperit, de quo judicio Dei ſi non eſt conquerendum, multo minus de hoc quod cum electione omnium gentium geritur, murmurandum eſt. Quæ enim Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcru-
* C. negligenda. tanda: quæ autem manifeſta fecit, non ſunt * neganda, ne & in illis illicite curioſi, & in iſtis damnabiliter inveniamur ingrati. Non autem ignoramus eſſe quoſdam tam inconſideratæ præſumptionis, & tam ſuperbæ arrogantiæ, ut quod præcipuus magiſter gentium, non ab hominibus neque per hominem, ſed divinitus eruditus, ſupra menſuram ſcientiæ ſuæ longe & alte remotum eſſe confeſſus eſt, audeant falſi nominis temerare doctrina, & nihil illic occultum, nihil velint eſſe ſecretum, ubi Apoſtolus non quid ſentiendum eſſet aperuit; ſed quid
Rom. 11. non ſcrutandum eſſet, oſtendit. Nullis etenim (quod ſupra jam diximus) ſtudiis, nullis ingeniis indagare conceſſum eſt, quo judicio, quove conſilio Deus incommutabiliter bonus, incommutabiliter juſtus, ſemper præſcius, ſemper omnipotens,
* C. dimiſerit. ideo omnia in incredulitate * concluſerit, ut omnium miſereatur, & tamen illis ſeculis, quibus unum Iſraelem erudiebat, innumerabiles populos impiorum illuminare diſtulerit, & nunc eumdem Iſraelem, donec univerſitas gentium introeat, obcæcatum eſſe patiatur, pereuntem in tot millibus naſcentium atque morientium, & ſalvandum in eis quos mundi finis invenerit. Quo myſterio toto Scripturarum corpore dilatato, innotuit quidem nobis quid factum ſit, quid fiat, quidve faciendum ſit; ſed quare ita fieri placuerit, ab humanæ intelligentiæ contemplatione ſubtractum eſt.

Eos, qui diſcretionem qua Deus alios elegit, alios non elegit, ad merita referunt voluntatis humanæ, docere neminem gratis, ſed ex retributione ſalvari; & ex parvulis aperte confutari.

CAPUT XXII.

ISti autem qui neſcire aliquid erubeſcunt, & per occaſionem obſcuritatis tendunt laqueos deceptionis; omnem diſcretionem qua Deus alios * eli- * elegit.
git, alioſque non * eligit (*multi enim ſunt vocati,* * elegit.
pauci autem electi) ad merita humanæ referunt vo- Matth. 20.
luntatis, docentes ſcilicet neminem gratis; ſed ex retributione ſalvari, quia naturaliter omnibus ſit inſitum, ut ſi velint, poſſint veritatis eſſe participes, eiſque affluere gratiam, a quibus fuerit expetita. Quæ diffinitio ut interim de gratiæ veritate taceatur, de his videtur aliquam oſtentare ratiunculam, qui libero utuntur arbitrio. De parvulis vero, quibus ſine ullo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cum cæteris mortalibus cauſa communis eſt, nihil poteſt expoſitionis afferri, qua doceatur cur iſti ſalvi fiant renati, illi pereant non renati, ſub illius providentia & omnipotentia, in cujus Job. 12.
manu eſt anima omnis viventis, & ſpiritus univerſæ carnis hominis. Et cui dicitur: *Breves dies ho-* Job. 14.
minis ſunt, numerus dierum ejus apud te eſt. Non autem puto juſtos voluntatum patronos, ſimplicitate illorum tam impudenter uſuros, ut aut * for- * C. fortuito.
tuitu iſta dicant accidere, aut non renatos aſſerant non perire. Aperte enim aut cum Paganis convincerentur ſentire de fato, aut cum Pelagianis tranſfuſum in poſteros Adæ negare peccatum. Fato autem non baptizari parvulos, nec Pelagiani potuerunt dicere: ſed quia eos liberos a peccato auſi ſunt profiteri, meruere damnari. Cum autem de diſcretione omnium hominum quæſtio ventiletur, & ab omnibus hominibus parvuli nequeant ſeparari, ſimulque de totius ætatis hominibus veritas dixerit: *Filius hominis venit quærere & ſalvare quod pe-* Luc. 19.
rierat: fruſtra profunditatem inſcrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conatur aperire, qui cauſam electionis in eorum conſtituunt meritis qui eliguntur. Et cum multa de majorum voluntate ac judicio inepta & falſa protulerint, in parvulorum tamen diſcretione deficiunt, nec poſſunt de ejus quæſtionis ratione reddita gloriari, quæ de omnibus hominibus tractatur, & non de omnibus expeditur.

Omne bonum hominis meritum ab initio fidei uſque ad perſeverantiæ conſummationem donum eſſe divinum, & primum hoc oſtenditur de fide.

CAPUT XXIII.

MUltiformitas autem & magnitudo divinæ gratiæ, probat iſtos contra veritatem, etiam quod de majorum voluntatibus loquuntur, aſtruere, eorumque perſuaſioni divinorum eloquiorum teſtimonia repugnare. Quæ ſi omnia ſermoni noſtro velimus annectere, modus non erit * diſſerendo. * C. diſſerendi.
Quæ tamen ſe recordationi offerunt, non * omitten- * omittantur C.
tur, ut, quantum ſatis eſt, manifeſtetur omne hominis bonum meritum ab initio fidei uſque ad perſe- Cap. 8.
verantiæ conſummationem donum atque opus eſſe divinum. Igitur fides, quæ bonæ voluntatis & juſtæ actionis eſt genitrix, quo ipſa fonte naſcatur, Apoſtolus Paulus exponat, qui pro Romanorum fide Deo gratias agit, dicens: *Primum quidem gratias* Rom. 1.
ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in univerſo mundo.

Epheſ. 1. Ad Epheſios quoque ſcribens: *Propterea* (inquit) *& ego audita fides veſtra quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectione in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus, quæ divitiæ* Coloſſ. 1. *gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis*. De fide etiam Coloſſenſium ſimiliter Deo gratias agens: *Gratias agimus* (inquit) *Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes, propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in cœlis*. Et ut alia bona ab eodem bonorum autore percipiant, quid pro eis oret enarrans: *Ideo* (inquit) *& nos ex qua die audivimus, non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia & intellectu* * ſpiſituali C. ** ſpiritali, ut ambuletis digne, Deo placentes, in omni opere bono fructificantes & creſcentes in ſcientia Dei, in virtute confortati ſecundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia & longanimitate cum gaudio.* 1. Theſ. 1. Item ad Theſſal. qui ſpiritu fidei dilectioniſque fervebant: *Gratias agimus* (inquit) *Deo ſemper pro* 1. Theſ. 2. *omnibus vobis memoriam facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione, memores operis fidei veſtræ & laboris & charitatis & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti ante Deum & Patrem noſtrum*. Et infra: *Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere, verbum Dei, qui operatur in vobis qui crediſtis.* Potuit ne plenius aut evidentius demonſtrari, Dei eſſe donum credentium fidem, quam ut ideo agerentur gratiæ Deo, quoniam hi quibus verbum Dei per homines prædicabatur, non quaſi de hominum ſermone dubitarunt; ſed tanquam Deo loquenti per homines crediderunt qui in ipſis eſt operatus ut crederent? In ſecunda quoque ad eoſdem 2. Theſ. 1. Theſſal. epiſtola de fide in Chriſto proficientium ita Apoſtolus loquitur: *Gratias agere debemus Deo ſemper pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas uniuſcujuſque veſtrum in invicem, ita ut & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei pro patientia veſtra & fide in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo* 1. Petr. 1. *& patimini*. Petrus quoque Apoſtolus ex Deo haberi fidem prædicans, ita ſcribit: *Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana converſatione veſtra paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti Jeſu, præcogniti quidem ante conſtitutionem mundi, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos, qui per ipſum fideles eſtis in Deum, qui ſuſcitavit eum a mortuis, et gloriam ei dedit, ut fides veſtra et ſpes eſſet in Domino*. Item idem in ſecunda epiſtola de fidei perceptione ſic loquitur: *Simon Petrus ſervus et Apoſtolus Jeſu Chri-* 2. Petr. 1. *ſti, his qui coæqualem nobis adepti ſunt fidem per juſtitiam Domini et Salvatoris Jeſu Chriſti*. Unde 1. Joan. 4. autem habeatur ſpiritus fidei, Joannes Apoſtolus manifeſtiſſime docet dicens: *Omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum in carne veniſſe, ex Deo eſt, et omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, et hic eſt Antichriſtus*. Item dicit ab eo recipi Evangelium, in quo eſt ſpiritus veritatis: *Nos* (inquit) *ex Deo* Ibidem. *ſumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, et ſpiritum erroris*. Item in actibus Apo- Act. 3. ſtolorum Petrus Apoſtolus fidem eſſe per Dominum Jeſum pronuncians: *Hunc* (inquit) *quem videtis & noſtis, confirmavit nomen ejus, & fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum*. De fide quoque Lydiæ, cujus inter alias mulieres quæ Evangelium pariter audiebant, Dominus cor aperuit, ita in eadem narratur hiſtoria: Die autem ſabbatorum egreſſi Act. 16. ſumus extra portam; juxta flumen ubi videbatur eſſe oratio, & ſedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant: & quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirorum colens Deum audivit, cujus Dominus cor aperuit, ut intenderet his quæ dicebantur a Paulo. Non autem ex humana ſapientia eſſe fidem, ſed ex inſpiratione divina ipſius veritatis voce firmatur: dicente enim Domino ad diſcipulos ſuos: *Vos autem quem me eſſe di-* Matth. 16. *citis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt*. Paulus vero Apoſtolus hanc ipſam fidem ſecundum menſuram dari pro arbitrio largientis ita prædicat: *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi* Rom. 12. *omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quam oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem, ſicut unicuique diviſit Deus menſuram fidei*. Item idem unitatem rectæ fidei, & conſenſionem in honorem Dei a Deo eſſe commendans: *Deus autem* (inquit) Rom. 15. *patientiæ & conſolationis det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Jeſum Chriſtum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Et infra: *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis ſpe in virtute Spiritus ſancti*. Quo teſtimonio non ſolum fides, ſed etiam gaudium & pax & abundantia ſpei, docentur niſi in virtute Sancti Spiritus Epheſ. 2. non haberi. Ad Epheſios vero ſcribens Apoſtolus de divitiis gratiæ pro malis bona retribuentis, & de fide quæ non ex nobis, ſed ex Dei dono habetur, hæc loquitur: *Deus autem qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam ſuam charitatem qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis convivificavit nos Chriſto, cujus gratia ſalvi facti ſumus, & conreſuſcitavit & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu; gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Jeſu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*. Proprium ergo hoc habet nova creatura per gratiam, ut qui figmentum Dei ſunt, qui nativitate cœleſti conduntur in Chriſto, non otio torpeant, nec deſidia reſolvantur; ſed de virtute in virtutem proficiant, per viam bonorum operum ambulando; hoc eſt enim fingi, hoc de vetere creatura novam fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginem cœleſtis hominis reformari. Quod totum ſive palam per cooperatores gratiæ, ſive occulte per ſubminiſtrationem ſpiritus, ille inchoat, ille auget & perficit, cujus agricultura, cujus ædificatio, & cujus figmentum ſumus.

Omne bonum in homine eſſe ex gratia, & fidem dari non petitam, ut ipſius petitionibus cætera bona conſequamur.

CAPUT XXIV.

Abunde, quantum arbitror, his teſtimoniis Cap. 9. (quamvis & alia documenta aggregari potuerint) demonſtratum eſt, fidem qua juſtificatur impius,

pius, niſi ex Dei munere non haberi, eamque
nullis meritis præcedentibus tribui; ſed ad hoc do-
Al * ut. naei, ut principium poſſit eſſe meritorum, * &
cum ipſa data fuerit non petita ipſius jam petitio-
nibus bona cæteea conſequantur. Unde quædam
de plurimis aſſumenda ſunt teſtimonia, quæ in di-
verſitate donorum oſtendant gratiæ largitatem. Ex
Deo itaque eſſe, ut homo viam Dei eligat, & ut
ſurgat a lapſu, pſalmus Davidicus canit dicens:
Pſal. 36. *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus*
volet. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus
ſapponit manum ſuam. Item idem quod duce Deo
Pſal. 42. veniatur ad Deum: *Emitte lucem tuam & veritu-*
tem taam, ipſa me dedaxerunt, & adduxerunt in
montem ſanctum tuum, & in tabernacala tua.
Item quod in Domino ſit hominis fortitudo, &
Pſal. 58. Dei voluntas præveniat liberandum: *Fortitudinem*
*C. miſericordia. (inquit) *meam ad te caſtodiam; quia Deas ſaſce-*
ptor meas, * *Deus meus, voluntas ejas præveniet*
me. In Proverb. quoque legimus de ſapientia &
Prov. 2. intellectu: *Qaoniam Dominas dat ſapientiam, &*
a facie ejus ſcientia & intellectus. Item in eodem
libro de diſpenſationibus ſapientiæ Dei, ſine qua
nullæ rectæ ſunt actiones, ita dicitur: *Meum conſi-*
lium & mea tutela, ego prudentia, mea autem vir-
Prov, 8. *tus. Per me Reges regnant, & tyranni per me obti-*
nent terram. Item alibi, quod nemo poſſit recte in-
cedere, niſi Domino dirigente? *A Domino corri-*
Prov. 20. *gantar greſſus viri, mortalis autem qaomodo intel-*
Prov. 21. *ligat vias ſuas?* Item alibi: *Omnis vir videtur ſibi*
Prov. 8. *juſtus; dirigit autem corda Dominus.* Et infra: *Præ-*
in 70. *paratur Voluntas a Domino.* Item ibidem de cogi-
tatione atque conſilio: *Maltæ cogitationes in corde*
viri, conſilium aatem Domini obtinet. In libro vero
*C. ſcribitur. Eccleſiaſtici * dicitur, quod & habere neceſſaria,
& eis bene uti, donum ſit Dei, *Non eſt;* inquit,
Prov. 19. *bonum homini niſi quod* * *mandat & bibat, & oſten-*
* manducavit & bibit & oſtendit. *dat animæ ſaæ bonum in labore ſuo. Et qaidem hæc*
vidi ego, quia a manu Dei eſt. Qaoniam qais man-
ducabit aut paſcet abſqae illo? Item in eodem libro
Eccl. 5. legitur, quod corda & opera juſtorum in manu
* C. voluerit. ſint Dei, & tantum in ſtudiis ſuis proficiant, quan-
Eccl. 9. tum ille donaverit. *Quantumcumqae laboraverit*
homo at qaarat, non inveniet; & quodcumque di-
xerit ſapiens ut ſciat, non poterit invenire, quia
univerſum hoc dedi in cor meum, & cor meum ani-
Sap. 7. *verſum hoc vidit, qaia & juſti & ſapientes &*
operationes eorum in manu Dei. In libro autem Sa-
pientiæ de eodem gratiæ opere ita dicitur: *Quoniam*
ipſe & ſapientiæ dux eſt; & ſapientium emendator.
In manu ejus enim & nos & ſermones noſtri, &
Sap. 9. omnis ſapientiæ & operum ſcientia & diſciplinæ.
De continentia quoque quod ex Dei habeatur mu-
nere, eadem Scriptura ſic loquitur: *Ut ſcivi,*
quia aliter non poſſam eſſe continens, niſi Deas det,
& hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cujus eſſet hoc
1. Cor. 7. *donum.* Cui ſententiæ Pauli Apoſtoli doctrina con-
cordat in primo ad Corinthios hæc ſcribentis: *Vo-*
Math. 19. *lo aatem omnes homines eſſe ſicut meipſum, ſed*
unuſquiſque proprium habet donum ex Deo; alius
ſic, alius vero ſic. Dominus vero in Evangelio
ſecundum Matthæum hæc de continentiæ dono
inſinuaſſe narratur. Dicentibus namque diſcipulis
ſuis: *Si ita eſt cauſa viri cum axore, non expedit*
Eccleſ. 1. *nubere; dixit illis Jeſas: Non omnes capiunt verbum*
Eccl. 25. *iſtud; ſed quibus datam eſt a Patre meo.* De timo-
re Dei & ſapientia ita in Eccleſiaſtico legitur: *Co-*
rona ſapientiæ, timor Domini; utraque autem dona
ſunt Dei. Item in eodem: *Timor Domini ſaper om-*
nia ſe ſaperpoſait, beatas cai doaatum eſt habere
Iſai. 25. in 70. *timorem Domini.* Iſaias quoque de divitiis ſpirita-
libus, quarum autor eſt Dominus, ita loquitur:
In theſauris ſalus noſtra advenit, ſapientia & pietas
& diſciplina a Domino: hi ſunt theſauri juſtitiæ.
Item de altitudine divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Iſai. 40.
Dei, cujus bonitas nullius merito prævenitur, hæc
dicit: *Quis menſus eſt manu aquam, et cælum pal-*
mo, et univerſam terram pugillo? quis ſtatuit mon-
tes in libra, rupes in ſtatera? Quis cognovit ſenſum
Domini, aut quis ejas ſait conſiliarius, qui inſtruat
eum, aut quem conſaluit, et inſtruxit eum, vel qais
oſtendit ei judicium, aut viam prudentiæ quis oſten- Job. 41.
dit ei, vel quis prior dedit ei, et retribuetar illi? Un-
de in libro Job ſecundum eumdem ſenſum leguntur
Domini verba dicentis: *Qais ante dedit mihi, ut* Jer. 10.
retribaam illi? Omnia qaa ſub cælo ſunt, mea ſunt.
Jeremias vero quod a Deo ſit homini recta ſapien-
tia; ſic profatur: *Scio, Domine, quia non eſt in ho-* Jer. 24.
mine via ejus, nec viri eſt ut dirigat iter ſaum. Item Jer. 24.
quod ad Deum converſio cordis ex Deo ſit, per
ipſum Dominus proteſtatur & dicit: *Reſtitaam il-*
los in terram iſtam, et reædificabo, et non deſtruam,
et plaatabo eos et non evellam, et dabo illis cor ut
ſciant me, qaia ego ſum Dominus, et erant mihi in
popalum, et ego ero illis in Deum, quia converten-
tur ad me ex toto corde ſao. * Item idem prædicans
quod ut Deus cognoſcatur, ex Deo ſit; *Et ſcient,* * C. Baruc quoque prædicat,
inquit, *quia ego Dominus Deus illorum, & dabo*
illis cor cognoſcendi me, & aures audiendi: Quod
autem omne verbum bonum, & omne opus ſan-
ctum ſubminiſtratio ſit Spiritus ſancti, ſine quo nihil
recte agatur, in prima ad Corinthios Paulus Apo- 1. Co. 12.
ſtolus docet, dicens: *Ideo notum vobis facio, quod*
nemo in ſpirita Dei loquens dicit anathema Jeſu. Et
nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu
ſancto. Diviſiones vero gratiarum ſant, idem au-
tem ſpiritus: et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem
aatem Dominas: et diviſiones operationum ſunt,
idem vero Deas, qai operatur omnia in omnibus.
Unicaique autem datur manifeſtatio ſpiritas ad uti-
litatem. Alii qaidem per ſpiritum datur ſermo ſa-
pientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eum-
dem ſpiritam, alteri fides in eodem ſpirita, alii gra-
tia ſanitatum in ano ſpirita, alii prophetatio, alii
diſcretio ſpirituum, alii genera lingaarum, alii in-
terpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatar
anas atque idem ſpiritus dividens ſingalis prout vult.
Tantum vero unumquemque habere gratiæ, quan-
tum Dominus donaverit; idem Apoſtolus ad Ephe- Epheſ. 4.
ſios ait: *Unum corpus, et unus ſpiritas, ſicut vo-*
cati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ, anus Domi-
nas, una fides, unum baptiſma, anas Deus et Pa-
ter omnium, qui ſaper omnes eſt, et ſuper omnia,
et in omnibus nobis. Unicuique autem neſtrum data
eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.
Propter quod dicit: Aſcendens in altum, captivaam
daxit captivitatem, dedit dona hominibus. Item 2. Cor. 3.
idem in ſecunda ad Corinthios dicit quod ne ad
cogitandum quidem quod ſpiritale eſt, idonei ſi-
mus niſi per gratiam Dei: *Fiduciam aatem talem*
habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficien-
tes ſimus aliquid cogitare a nobis, quaſi ex nobiſmet-
ipſis; ſed ſafficientia nobis ex Deo eſt, qui et idoneos
fecit nos miniſtros novi Teſtamenti non littera, ſed
ſpirita. Littera enim occidit, ſpiritus aatem vivi-
ficat; Et iterum in eadem epiſtola dicens bonorum
operum effectum & ſufficientiam a Dei gratia mi-
niſtrari; *Potens eſt autem,* inquit, *Deus omnem* 2. Cor. 9.
gratiam * *abundare facere in vobis, ut in omnibus* * abundantem.
per omnia ſafficientiam habentes * *abundetis in omne*
opus bonam, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit Pſal. 111.
paaperibus, juſtitia ejus manet in æternum. Qui

Digitized by Google

autem miniſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ, ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem.

Eph. 3.

Ad Epheſios vero ſcribens Apoſtolus docet quod omnia bona quibus placetur Deo, dona ſint Dei, & quod ab ipſo peti oporteat, ut non habentibus tribuat: *Hujus rei*, inquit, *gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtutem corroborari per ſpiritum ejus in interiore homine, habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & firmati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas & profundum * ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui poteus eſt omnia facere ſuperabundantius quam petimus, aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis, ipſi gloria in Eccleſia & in Chriſto Jeſu, in omnia ſæcula ſæculorum, Amen.*

* C. ſcire. etiam add.

Omnis autem boni Deum eſſe autorem, cujus dona nec incerta ſint, nec mutabilia, ſed ex æterna voluntate venientia, Jacobus Apoſtolus ita loquitur:

Jacob. 1.

Nolite errare, fratres mei dilecti, Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.

Zach. 9.

Cui & Zacharias Propheta concinit, dicens: Salvavit Dominus in die illo ſicut oves populum ſuum, quoniam lapides ſancti volvuntur ſuper terram ipſius. Quia ſi quid bonum ipſius eſt, & ſi quid optimum, ab ipſo eſt.

Matt. 13.
* C. ſcientia.

In Evangelio vero ſecundum Matthæum quod * ſcientiæ & intellectus dona ſint Dei, quæ quibus voluerit largiatur, ita dicitur: *Tunc accedentes diſcipuli ejus, dixerunt: Quare in parabolis loqueris ad eos? At ipſe reſpondens, ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum.*

Joan. 3.

Joannes quoque Evangeliſta pronunciat, neminem aliquid boni habere, niſi quod deſurſum acceperit, dicens: *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo.* In ejuſdem vero Evangelio doctrina eſt ipſius veritatis, *quod nemo veniat ad Filium, niſi attractus a Patre, quia venturum Deus & intelligentem & obedientem faciat:*

Joan. 6.

Nemo, ait, *poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me attraxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Scriptum eſt enim in Prophetis: *Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me.* Et infra: *Propter hoc dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi datum fuerit ei a Patre meo.* In fide autem & in operibus bonis proficere ac perſeverare uſque in finem, muneris atque auxilii eſſe divini ſanctarum Scripturarum confirmat autoritas. Etenim ſcribens Paulus Apoſtolus Philippenſibus ait:

Philip. 1.

Confidens hoc ipſum quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficit uſque in diem Chriſti Jeſu. Hujus autem teſtimonii virtutem quidam volens ad ſui ſenſus pravitatem convertere, ita quod dictum eſt, Qui cœpit in vobis, volebat intelligi, quaſi dictum eſſet: qui cœpit ex vobis, ut & initium & conſummatio operis non ad Deum, ſed ad hominem referretur, qui & incipere, & perficere voluiſſet. Sed hanc inſaniſſimam ſuperbiam, in eadem epiſtola excellentiſſimus gratiæ prædicator elidit dicens:

Ibidem.

In nullo terreamini ab adverſariis, quæ eſt illis cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc a Deo. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini. Et iterum: *Cum metu* (inquit) *& tremore veſtram ſalutem operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

Philip. 2.

1. Theſſ. 3.

Item in 1. ad Theſſ. docet ex Deo eſſe principium & profectum, conſummationemque virtutum, dicens: *Ipſe autem Deus & Pater noſter, & Dominus Jeſus dirigat viam noſtram ad vos, vos autem Dominus multiplices, & abundare faciat charitatem in invicem & in omnes, quemadmodum & nos in vos ad confirmanda corda veſtra ſine querela in ſanctitate vitæ ante Deum, & Patrem noſtrum in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus Sanctis ejus.* Ad Corinthios quoque ſcribens, & omnium virtutum proficientem perſeverantiam Dei donum eſſe commendans;

1. Cor. 1.

Gratias (inquit) *ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu, quia in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo & ſapientia; ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini Jeſu Chriſti, qui & confirmabit vos uſque ad finem ſine crimine, in diem adventus Domini Jeſu Chriſti.*

Rom. 8.

Item ad Romanos de charitate Chriſti, qua eos quos diligit, inſeparabiles facit, id eſt, uſque in finem perſeverantes. Nam quid eſt aliud perſeverare, quam tentatione non vinci?

Pſal. 43.

Quis nos (inquit) *ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, exiſtimati ſumus ſicut oves occiſionis; ſed in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos.* Item ad Corinthios de victoria, quam perficit Chriſtus:

1. Cor. 15.

Stimulus (inquit) *mortis peccatum eſt, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

2. Theſſ. 2.

Item ad Theſſalonicenſes de perſeverantia quam Deus tribuit: *Ipſe autem* (ait) *Deus pacis ſanctificet vos per omnia, ut integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur. Fidelis eſt qui vocavit vos, qui etiam faciet.*

Ibidem 3.

Item ad Theſſalonicenſes quod omnia bona noſtra, ſive in operando, ſive in loquendo, & in eis perſeverantia, dona ſunt Dei, ita prædicat, dicens: *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam & ſpem bonam in gratia exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono. De cætero, fratres, orate pro nobis, ut ſermo Domini currat & clarificetur, ſicut & apud vos, & ut liberemur ab importunis hominibus & malis. Non enim omnium eſt fides. Fidelis autem Deus eſt, qui & confirmabit vos & cuſtodiet a malo.*

1. Pet. 5.

Petrus quoque Apoſtolus, unde eſſe virtutem perſeverantiæ doceat, audiamus; *Deus autem* (inquit) *omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque cui eſt virtus & poteſtas in ſæcula ſæculorum.*

1 Joan. 4.
1. Joan. 5.

Joannes vero Apoſtolus; quod victoria Sanctorum opus Dei ſit, habitantis in Sanctis, ita loquitur: *Vos ex Deo eſtis, filioli, & viciſtis mundum, quoniam major eſt qui in vobis eſt, quam qui in mundo.* Item idem: *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.*

Luc. 22.
* C promittitur.
* cernere pro ſecernere, cribrare.

In Evangelio autem ſecundum Lucam, Deum dare, ut in virtute perſeveretur, ita * promittitur. Dixit autem Jeſus Petro: *Simon, Simon, ecce Satanas poſtulavit ut vos * cerneret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua, & tu converſus confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem.*

Joan. 10.

In Evangelio quoque Joannis, de ovibus Chriſti quæ de manu ipſius a nullo rapiuntur, hæc legimus dicere veritatem.

Sed vos non creditis, quia non eſtis de ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego novi illas, & ſequuntur me, & vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum, nec quiſquam rapiet eas de manu mea. Item in eodem Evangelio, de his quos Pater dat Filio, qui & omnes veniunt ad Filium, & quorum nullus perit, hæc ipſius Domini ore dicuntur: *Omne quod dat mihi Pater, venit ad me: & eum qui venit ad me, non ejiciam foras, quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me Patris,* ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.

Joan. 6.

Quæſtionem, cur potius hic quam ille accipiat gratiam, eſſe impenetrabilem, nec poſſe ex libero arbitrio ſolvi.

CAPUT XXV.

MUlta ſunt alia in canonicarum ſerie ſcripturarum, quæ vitandæ prolixitatis ſtudio prætermimus, quoniam quæ aſſumpſimus, nec pauca ſunt, nec obſcura, nec levia: quibus pleniſſime declaratur, omnia quæ ad promerendam vitam æternam pertinent, ſine gratia Dei nec inchoari, nec augeri poſſe, nec perfici: & contra omnem * electionem de libero arbitrio gloriantem, illam invictiſſime reniti ſententiam dicentis Apoſtoli: *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Igitur profunditas illius quæſtionis, quam ſecundum admirationem Apoſtoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle & nolle non ſolvitur: quia licet inſit homini * bonum nolle, tamen niſi donatum non habet donum bonum velle: & aliud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam; ſed quid illud ſit quod hæc eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem * mala, in omnibus miſera, non in omnibus juſtificatur, & a pereuntibus quadam ſui parte diſcernitur ab eo qui venit quærere & ſalvare quod perierat, humano ſenſu prorſus non poteſt indagari. Quantumlibet enim impiorum malignitas accuſetur, reſiſtens gratiæ Dei, nunquid * probabuntur, eam quibus eſt collata meruiſſe; aut illa virtus gratiæ, quæ ſibi quos voluit, ſubdidit, convertere eos qui inconvertibiles permanſere, non potuit? Tales fuerunt qui ſunt attracti, quales hi qui in ſua duritia ſunt relicti. Sed illis tribuit gratia ſtupenda quod voluit, iſtis * tribuit veritas juſta quod debuit, ut judicium Dei magis inſcrutabile ſit in electione gratiæ, quam in retributione juſtitiæ. Veruntamen illa pars fidei, qua pie credimus Deum velle, ut omnes homines veritatis agnitione ſalventur, per hoc quod de effectibus gratiæ evidenter oſtenditur, infirmata videatur, annitendum eſt auxiliante Chriſto, ut nobis ſtabilitas hujus definitionis * appareat. Sed quia neceſſariæ inquiſitionis negotium non levem operam ſibi poſcit impendi, ſecuturam diſputationem ab exordio alterius voluminis inchoemus.

* etationem. C. rect.
Nota.
* C. velle & nolle.
* C. ma. Luc. 19.
* C. probabum.
* C. retribuit.
* definitionis.

D. LEONIS MAGNI
DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM,
LIBER SECUNDUS.

Tria eſſe in hac quæſtione certa, Deum velle omnes ſalvos fieri, cognitionem veritatis et ſalutem eſſe ex gratia, et judicia Dei eſſe impenetrabilia.

CAPUT I.

REmotis abdicatiſque omnibus concertationibus, quas intemperantium diſputationum gignit animoſitas, tria eſſe perſpicuum eſt, quibus in hac quæſtione de qua ſecundum volumen incipimus, debeat inhæreri. Unum, * quod profitendum eſt, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; Alterum, quod dubitandum non eſt, ad ipſam * cognitionem veritatis & perceptionis ſalutis, non ſuis quenquam meritis, ſed * ope atque opere divinæ gratiæ pervenire; Tertium * quod confitendum eſt, Altitudinem judiciorum Dei humanæ intelligentiæ penetrabilem eſſe non poſſe; & cur non omnes * ſalvet, qui omnes vult ſalvos fieri, non oportere diſquiri; quoniam ſi quod cognoſci non poteſt, non quæratur, inter primam & ſecundam definitionem non remanebit cauſa certaminis, ſed ſecura ac tranquilla fide utrumque prædicabitur, utrumque credetur. Deus quippe, apud quem non eſt iniquitas, & cujus univerſæ viæ miſericordia & veritas, omnium hominum bonus conditor, juſtus eſt ordinator, neminem indebite damnans, neminem debite liberans, noſtra * plectens, cum punit noxios, ſua tribuens cum facit juſtos, ut obſtruatur os loquentium iniqua, & juſtificetur Deus in ſermonibus ſuis & vincat cum judicatur. Nec damnat juſta querimonia, nec juſtificati verax eſt arrogantia, ſi vel ille dicat non meruiſſe ſe pœnam, vel iſte aſſerat meruiſſe ſe gratiam.

* C. quo.
* C. agnitionem.
* opere atque ope C.
* C. quo.
* C. homines non ſ. q. o. homines. v. ſ. f. add.
Rom. 9.
2. Par. 9.
Pſal. 24.
* C. complectens.
Pſal. 26.
Pſal. 50.

Scriptura docet Deum velle omnes homines ſalvos fieri.

CAPUT II.

SIcut autem ea quæ ad manifeſtationem gratiæ ex divinis proferuntur eloquiis nulla poſſunt * ratione differendi arte violari, ut perſpicuæ conſonanteſque in tanta numeroſitate ſententiæ ad aliquod pravæ interpretationis trahantur incertum: ita etiam quod de ſalvatione omnium hominum in eodem Scripturarum corpore reperitur, nulla contraria argumentatione temerandum eſt, ut quanto hoc ipſum difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credatur. Magna enim fortitudo eſt conſenſionis, cui ad ſequendam veritatem autoritas ſufficit, etiam latente ratione. Proinde vigilanter conſideremus, prædicatoribus Evangelii quid a Domino jubeatur. Secundum Matthæum quippe ſic ait: *Data eſt mihi poteſtas omnis in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis. Et ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Secundum Marcum vero eiſdem Apoſtolis ita dicitur: *Ite in orbem univerſum, prædicate Evangelium univerſæ creaturæ: et qui crediderit et baptizatus fuerit, ipſe ſalvus fiet; qui vero non crediderit, damnabitur.* Nunquid * hac præceptione ullarum nationum ullorumve hominum facta diſcretio eſt? Neminem merito excepit, neminem * ſeparavit genere, neminem conditione diſtinxit. Ad omnes prorſus homines miſſum eſt

Evan-

* vox ratione, recte abeſt a C.
Matth. 28.
Marc. 16.
* C. in add.
* C. genere ſeparavit.

Evangelium crucis Chriſti. Et ne prædicantium miniſteria humano tantum viderentur opere peragenda. *Ecce ego* (inquit) *vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*, id eſt, cum ſicut oves introjeritis in medium luporum, nolite de veſtra infirmitate trepidare; ſed de mea poteſtate confidere, qui vos uſque ad conſummationem ſeculi in omni hoc opere non derelinquam: non ad hoc ut nihil patiamini, ſed quod multo majus eſt, præſtiturus ut nulla ſævientium credulitate * ſuperemini. In mea enim poteſtate prædicabitis, & per me fiet ut inter contradicentes, inter furentes Abrahæ filii de lapidibus ſuſcitentur. Ego inſinuabo quod docui, ego faciam quod promiſi. *Tradent enim vos in conciliis, in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ante Reges & præſides ſtabitis propter me, in teſtimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Tradet enim frater fratrem in mortem, et pater filium, et inſurgent filii in parentes, et morte eos afficient, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Apparuit* ergo (ut Apoſtolus ait) *gratia * ſalutaris Dei omnibus hominibus*; & tamen miniſtri gratiæ odio erant omnibus hominibus. Et cum alii eſſent qui oderant, alii qui odiis perſequentium premebantur, neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum privabatur, habente quidem ſalutis ſuæ damnum, rebellium portione, ſed obtinente plenitudinis cenſum, fidelium dignitate. Dicit enim Joannes Apoſtolus: *Sed et ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

Matth. 28. Matth. 10. * C. ſeparemini. Matth. 3. Matth. 10. Titum 2. * C. Salvatoris noſtri.

Inſcrutabile eſſe cur Deus judicarit quorundam vocationem differendam.

CAPUT III.

MAgni autem & inenarrabilis ſacramenti myſterium eſt, quod prædicatoribus, quibus dictum eſt, *Ite in orbem univerſum et prædicate Evangelium univerſæ creaturæ*, iiſdem prius dictum fuerat: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne introjeritis; ſed potius ite ad oves quæ perierunt domus Iſrael*. Quamvis enim ad omnium hominum vocationem Evangelium dirigeretur, omneſque Dominus ſalvos fieri & in agnitionem veritatis vellet venire, non tamen ſibi diſpenſationum ſuarum abſtulerat poteſtatem, ut aliter quam occulto juſtoque judicio ſtatuerat, conſilii ſui ordo decurreret. Unde locum non habent contumacium murmura querelarum, quia quod Deus fieri voluit, conſtat non aliter fieri debuiſſe quam voluit. Poſteriore vero tempore, cum jam Dominus Jeſus in Dei Patris gloria conſideret, & prædicatores verbi ſuſcepto negotio deſervirent, volentes Apoſtoli evangelizare verbum in Aſia, vetiti ſunt ab Spiritu Sancto, & diſponentes ire in Bithyniam, prohibiti ſunt ab ſpiritu Jeſu, non utique negata illis populis gratia, ſed quantum apparuit, retardata: nam * poſtea etiam apud ipſos fides Chriſtiana convaluit. Quæ autem fuerit differendæ vocationis cauſa, non claret, & tamen rei geſtæ docemur exemplo, quod inter generalia, vel promiſſa, vel opera, vel præcepta, quædam Deus a communibus excepta cauſis, occultiore novit ordinare ratione. Credo ut interpoſitis quibuſdam * obumbrationibus, ea quæ ſecretius micant, mirabilius innoteſcant, ne negligentior fiat acies de facilitate cernendi, & quodammodo dormitet aſſuetis, ſi non excitetur inſolitis. Has autem incognoſcibiles illuminationum dilationes, inter quas utique multi in infidelitate deficiunt, non ſolum in populis remotioribus impiorum, ſed etiam in civitatibus fidelium per plurimas domos ac familias novimus fieri, dum Chriſtianæ fidei etiam qui Chriſtiani futuri ſunt, adverſantur. Multi enim quod oderunt, amabunt, quod non recipiunt, prædicabunt. Et quis inter hæc * querulis aut * curioſis notum faciet, cur adhuc Sol juſtitiæ quibuſdam gentibus non oriatur, & a tenebroſis cordibus, etiam nunc radios ſuos * veritas revelanda contineat? Cur corrigendi tamdiu ſinantur errare, & quod ſenibus in fine præſtandum eſt, per tam longam non tribuatur ætatem? Cur filiis jam in Chriſtum credentibus, needum credant parentes? Et rurſum, a religioſis parentibus ſoboles prava diſcordet? Cum tamen Deo (qui initiorum fidei, incrementique largitor eſt) ſecundum ipſius præceptum quotidie pro omnibus ſupplicetur, ut etſi exaudiat, nota ſit gratia miſerationis: etſi non exaudit, intelligatur judicium veritatis.

1. Joan. 2. Marc. 16. 1. Tim. 2. Actor. 16. * C. poſtmodum. * C. umbrationibus. Malac. 4. * C. querulus aut curioſus. Sap. 5. * C. veritatis.

In præteritis ſeculis ſemper admonuit divina bonitas homines ſui cultus per elementa: ſicut populum Iſrael, peculiariter per legem et prophetas.

CAPUT IV.

SEd ne in præteritis quidem ſeculis hæc eadem gratia (quæ poſt Domini noſtri Jeſu Chriſti reſurrectionem ubique diffuſa eſt, & de qua ſcriptum eſt: *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ*) defuit mundo. Quamvis enim ſpeciali cura atque indulgentia Dei populum Iſraeliticum * conſtet electum, omneſque aliæ nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundum propriam permiſſæ * ſint vivere voluntatem, non ita ſe tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum, nullis ſignificationibus admoneret. Cœlum quippe ac terra & mare, omniſque creatura quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipue diſpoſita eſt humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur Autoris, implente omnia ſpiritu Dei in quo vivimus movemur & ſumus. Quoniam etſi longe eſt peccatoribus ſalus, præſentia tamen ſalutis ipſius ac virtute nihil vacuum eſt. Igitur, ſicut dicit Propheta, miſericordia Domini plena eſt terra: quæ nullis unquam ſeculis, nullis generationibus defuit, eamque providentiam, qua univerſitatem rerum adminiſtrat & continet, regendis alendiſque naturis ſemper impendit, diſpoſitum habens ex * incommutabilis æternitate conſilii * quibus quidque temporibus diſtribueret, & multiformis gratiæ ſuæ inſcrutabiles inveſtigabileſque menſuras, per quæ dona ac ſacramenta variaret. Sicut enim iſta gratiæ largitas, quæ in omnes noviſſime * effluxit, non evacuat eam, * quæ ſuper unum Iſrael ſub lege * roravit, nec præſentes divitiæ fidem præteritæ abrogant parcitatis: ita nec de illa cura Dei quæ Patriarcharum filiis proprie præſidebat, conjiciendum eſt gubernacula divinæ miſericordiæ cæteris hominibus fuiſſe ſubtracta. Qui quidem in * comparatione electorum videntur abjecti, ſed nunquam ſunt * manifeſtis occultiſque beneficiis abdicati. Legimus enim in * Actis Apoſtolorum, Paulum & Barnabam Apoſtolos Lycaoniis dicere: *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, & terram,*

Pſal. 67. * C. conſtat. * C. ſunt. Act. 14. Act. 17. Pſal. 118. Pſal. 32. * incommutabili C. C. quid. quibus ſ. d. * C. illuxit. * quam. * C. erogavit. * C. comparatione. * C. a add. * C. Actibus. Act. 14.

& mare, & omnia quæ in eis ſunt, qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluvias & tempora fructifera implens, cibo & lætitia corda veſtra. Quod eſt autem hoc teſtimonium, quod ſemper Domino deſervivit, & tanquam de ejus bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis & publica divinæ inſtitutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo cunctaque cœleſtia, mare & terra, omniaque quæ io eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſque concentu proteſtabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majeſtatem ſui loquebantur authoris; & tamen maximus numerus hominum, [* C. quia] * qui vias voluntatis ſuæ ambulare permiſſus eſt, non intellexit, nec ſecutus hanc legem eſt, & odor [* C. ait,] vitæ, qui ſpirabat ad vitam, factus eſt * ei odor mortis ad mortem, ut etiam in illis viſibilibus teſtimoniis diſceretur quod littera occideret, ſpiritus [2. Cor. 2, 2. Cor. 3. Caput 2,] autem vivificaret. Quod ergo in Iſrael per conſtitutionem legis & prophetica eloquia gerebatur; hoc io univerſis nationibus totius creaturæ teſtimonia & bonitatis Dei miracula ſemper egerunt.

Qui inter gentes Deo placuerunt, ſpiritu fidei, & gratiæ ſunt diſcreti.

CAPUT V.

SEd cum in illo populo (cui utraque eruditio præfuit) nemo niſi gratia juſtificatus ſit per ſpiritum fidei, quis ambigat eos, qui de quibuſcunque nationibus quibuslibet temporibus Deo placere potue- [* C. diſcretos?] runt, ſpiritu gratiæ Dei fuiſſe * diſcretos? Quæ etſi [* ante,] parcior * antea atque occultior fuit, nullis tamen ſeculis ſe negavit virtute una, quantitate diverſa, conſilio incommutabili, opere multiformi.

Non omnibus, etiam nunc, eadem menſura gratiæ confertur.

CAPUT VI.

NAm & in his diebus quibus totum mundum ineffabilium donorum flumina rigant, non idem modus omnibus, nec eadem menſura confertur. Quamvis enim per miniſtros verbi & gratiæ Dei eadem cunctis veritas prædicetur, eadem cohortatio adhibeatur; *Dei tamen agricultura eſt, Dei ædificatio*, cujus virtus inviſibiliter agit ut incremento proficiat quod ædificatur aut colitur. Sicut atteſtatur Paulus Apoſtolus, dicens: *Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? miniſtri ejus cui credi-* [1. Cor. 3.] *diſtis, & unicuique ſicut Dominus dedit: Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Qui plantat autem & qui rigat, unum ſunt. Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus adjutores, Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* Agriculturæ ergo hujus atque ædificationis in tantum quiſque adjutor operarius ac miniſter eſt, io quantum unicuique Dominus dederit. Et hi qui miniſtrorum labore excoluntur, ad eum proficiunt modum ad quem illos incrementi author evexerit; In agro enim Domini non uniformis, nec una plantatio eſt. Et quamvis in unum decorem totius templi ſtructura conveniat, non idem tamen locus eſt, nec idem uſus omnium lapidum, ſicut & in uno corpore non omnia membra eundem actum habent, dicente Apoſtolo: *Nunc autem poſuit* [1. Cor. 12.] *Deus membra, & unumquodque eorum ſicut voluit.*

Cum omne bonum ex gratia Dei ſit, imparitas meritorum nec in liberum arbitrium eſt referenda, nec in querelam eſt vocanda.

CAPUT VII.

HÆc vero membra unde apta, unde utilia, unde ſint pulchra, idem Doctor exponit, dicens: *Ideo notum vobis facio, quod nemo in ſpiritu* [Ibidem.] *Dei loquens, dicit anathema Jeſu. Et nemo poteſt dicere Dominum Jeſum niſi in Spiritu ſancto. Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus; & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem, alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu * alii operatio virtutum, alii prophetatio, alii* [* C. alii gratia ſanitatum in eodem ſpiritu add.] *diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Hæc magiſtro gentium tanta luce tanta evidentia prædicante, * qua ratione, qua cauſa dubitandum [* C. quæ ratio quæ cauſa dubitandi eſt.] eſt, an omnium nobis virtutum germen ex Deo ſit? vel quis niſi inſipientiſſimus de differentia divinorum munerum conqueratur, aut imparibus adſcribendum meritis arbitretur, quod non æqualiter de ſuperna liberalitate confertur? Si enim hæc diſtributio ſecundum præcedentium operum merita proveniret, nemini ipſorum donorum catalogum tali concluſione Apoſtolus terminaret, ut diceret: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus* [1. Cor. 12.] *dividens ſingulis prout vult.* Ubi utique ſi meritorum cauſas voluiſſet intelligi, diceret: Dividens ſingulis prout merentur, ſicut plantatoribus * aut [* C. &.] rigatoribus præmium devotionis ſpopondit, dicens: [2. Cor. 3.] *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.*

Unicuique ſine merito datur, unde tendat ad meritum, & a gratia jam donato expectatur, ut id quod accipit, augeat per illum qui dat incrementum.

CAPUT VIII.

DAtur ergo unicuique ſine merito, unde tendat ad meritum, & datur ante ullum laborem unde quiſque mercedem accipiat ſecundum ſuum laborem. Quod ita eſſe, etiam * evangelicæ [* C. ex doctrina e. v. agnoſc.] veritatis teſtimonio agnoſcitur, ubi per comparationem dicitur, quod *homo peregre proficiſcens vo-* [Matth. 25.] *cavit ſervos ſuos, & tradidit illis ſubſtantiam ſuam, & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem*, id eſt, ſecundum propriam & naturalem poſſibilitatem; non autem ſecundum proprium meritum, quia aliud eſt poſſe operari, aliud operari; & aliud eſt poſſe habere charitatem, aliud habere charitatem; & aliud eſt capacem eſſe continentiæ, juſtitiæ, ſapientiæ, aliud vero eſſe continentem, juſtum, atque ſapientem. Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis ſanabilis * ſanatus eſt; quia reparabilem & ſanabilem [* C. ſanus.] eſſe, de natura eſt; reparatum autem & * ſanatum eſſe, de gratia Dei. Denique iſti qui- [* C. ſanum.] bus ſecundum modulum capacitatis ſuæ, quem io

eis

eis diſtributor ſubſtantiæ prævidebat, diſpar credi-
tus eſt numerus talentorum, non meriti remunera-
tionem; ſed operis accepere materiam. In qua duo-
rum ſervorum vigilantiſſima induſtria non ſolum
glorioſis laudibus honeſtatur, ſed etiam in æterna
Domini ſui gaudia intrare præcipitur. Tertii vero
pigrum otium & deſidioſa nequitia ſic punitur, ut
& vituperationis decoretur opprobrio, & portione
quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat per-
dere inutilem fidem, qui non exercuerat charita-
tem. Unde & in ſubſequenti ſermone, quo aper-
Matth. 25. tiſſime declaratur futuri forma judicii, ſedente Fi-
lio hominis in ſede majeſtatis ſuæ, antequam facta
congregatione omnium gentium, alii ducantur ad
dexteram, alii ad ſiniſtram conſtituendi, laudatis
dextris de operibus charitatis: nihil aliud ſiniſtris
objicitur, quam miſericordiæ benevolentiæque ne-
glectus. Acceperant ergo etiam iſti fidem, ſed non
ſectati fuerant dilectionem. Nec de non ſervato,
ſed de non aucto munere damnabuntur. Quamvis
* idea tam. enim omnia bona, dona ſint Dei, * & a Deo ta-
men quædam etiam non petita tribuuntur, ut per
ipſa quæ accepta ſunt, ea quæ nondum ſunt do-
nata quærantur. Semen quippe quod jacitur in
terram, non ob hoc ſeritur ut ipſum ſolum ma-
Joan. 12. neat, ſed ut fructum afferendo, multiplex atque
1. Cor. 3. numeroſum ſit. Qui quidem profectus ab illo eſt,
* C. & rationalis, qui dat incrementum, ſed terra vivens, * & de
hab. quod gratiæ jam imbre fœcunda, habet quod ipſa expe-
ex ipſ. ctetur ad id quod accepit, augendum.

Variatæ per diviſa tempora gratiæ cauſa a nobis non eſt inveſtiganda.

CAPUT IX.

Cap. 3. His recte (ut arbitror) quantum Dominus tri-
buit, pertractatis, ad id unde digreſſa eſt di-
ſputatio, revertamur: ad conſiderationem ſcilicet
differentiarum; quibus divinæ gratiæ opera ac dona
variata ſunt: Altitudo quippe divinarum ſapientiæ
Rom. 1. & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia &
*C. ſemper rect. inveſtigabiles viæ, ſic * per miſericordiam ſuam &
* C. temporibus judicium temperavit, ut ſecretiſſima æterni conſilii
add. voluntate, noluerit in omnibus * ſuper omnes ge-
nerationes; aut ſuper omnes homines, æquales
donorum ſuorum eſſe menſuras. Siquidem aliter
eos juverit, quos ad cognoſcendum ſe, cœli, &
terræ teſtimoniis conveniebat; aliter illos, quibus
non ſolum elementorum famulatu, ſed etiam do-
ctrina legis, Prophetarum oraculis, miraculorum
ſignis, & Angelorum cooperationibus conſulebat,
& multo magis aliter miſericordiam ſuam univerſis
Eſa. 65. hominibus declaraverit, quando Filius Dei factus
eſt filius hominis, ut inveniretur ab eis qui eum
non quærebant; & appareret his qui illum non in-
terrogabant, & non uno tantum populo Iſraeliticæ
ſtirpis excelleret; ſed in omni gente quæ eſt ſub cœ-
lo, multiplicatum Abrahæ ſemen oriretur: in quam
Actor. 14. hæredum ſucceſſionem non filii carnis, ſed filii pro-
Rom. 11. miſſionis intrarent: & quanta in præteritis ſeculis
ſuper cæteras nationes, tanta nunc eſſet in gente Ju-
dæa parcitas gratiæ, cum tamen introducta pleni-
tudine gentium, etiam ipſorum aridati earumdem
rigationum inundatio ſpondeatur. Quæ itaque cau-
ſæ ſint harum ſub eadem gratia diſſimilitudinum,
quæve rationes, ſanctis Scripturis non loquentibus
Ibidem. quis loquetur? Et cum in eis ſcientia Pauli Apo-
* C. æſtimet. ſtoli a diſputatione tranſeat ad ſtuporem, cujus
erit tanta præſumptio, qui hæc diſſerendo * eximet
aperienda potius quam ſilentio miranda.

Omnibus ſeculis miſericordia Dei & corpora aluit, & mentes juvit.

CAPUT X.

Patienter igitur & æquanimiter ignoretur tam * C. cogni-
remotum ab humana * cogitatione ſecretum. tione.
Nec tamen quia nequeunt clauſa penetrari, ideo
etiam reſeratorum eſt prætereundus introitus. Ma-
nifeſtaverunt enim divinorum eloquiorum multæ
authoritates, & continua omnium ſeculorum expe-
rimenta docuerunt, juſtam Dei miſericordiam, mi-
ſericordemque juſtitiam nec alendis unquam corpo-
ribus hominum, nec docendis juvandiſque eorum
mentibus defuiſſe: Semper etenim pluit ſuper bonos Act. 4.
& malos, ſemper Solem ſuum oriri fecit ſuper ju- Matth. 5.
ſtos & injuſtos ſemper vitales auras præbuit, ſemper
diei & noctis viciſſitudines miniſtravit, ubertatem
agris, multiplicationem ſeminibus fœcunditatem
generandis hominibus ſemper * impendit. Et ſi quan- *C. imper-
do aliquid horum minuit, benignis correptionibus tiit.
averſionem deſidiamque male utentium caſtigavit,
ut miſerationes ejus quærerent in adverſis, cujus ju-
ſtitiam non timuerant in ſecundis. Denique ſi ad
ipſa mundi exordia recurramus, inveniemus, om-
nium Sanctorum qui diluvium præceſſerunt, Dei
Spiritum fuiſſe rectorem, propter quod & Filii Dei
nominati ſunt: quoniam, ſicut ait Apoſtolus, *qui-* Rom. 6.
cunque Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei. Et
cum iidem neglecta obſervantia patrum, illicitis ſe
reproborum connubiis miſcuiſſent, atque ob nefa-
riam ſocietatem digni exterminio judicarentur, Do-
minus ait: *Non permanebit Spiritus meus in homini-* Geneſ. 6.
bus iſtis, quoniam caro ſunt. Unde apparet quod iſte
populus cujus generationes diſcreto ordine cum an-
norum numero digeruntur, * ſpiritualis antea fuit, * ſpiritua-
ea utique voluntate cui Spiritus Sanctus præſidebat: lis C.
impendens moderaminis ſui regimen, ut declinandi
ad vitia non adimeret poteſtatem: quia poteſtate hic
populus ſi non uteretur, non relinqueret Deum,
nec relinqueretur a Deo, eſſetque ille de quo dictum
eſt: *Felix qui potuit tranſgredi, & non eſt trangreſ-* Eccl. 31.
ſus. Quamdiu ergo apud Deum manſit, ea volun- Prov. 8. ſe-
tate manſit, quam Deus inſpiravit & rexit. *Præpa-* cundum 70
ratur enim (ſicut ſcriptum eſt) *voluntas a Domino*.

Hominibus fere paulatim & particulatim accreſcit, quod ſuperna largitas eis dare decrevit.

CAPUT XI.

Sed hujus præparationis non unus ſemper prove-
ctus, nec una menſura eſt. Quoniam multis
modis & innumerabilibus differentiis gratiæ opera
& dona variantur, inque ipſis ſingulis generibus mu-
nerum diſſimiles ſunt gradus & impares quantitates.
Sicut enim in germinibus herbarum atque lignorum
quæ terra producit, non una ſpecies, nec unum in
omnibus genus eſt; ſed ſingula quæque in ſui ſemi-
nis forma, & in ſuæ ſtirpis qualitate gignuntur,
plenum autem decorem non ſtatim ut eduntur, acci-
piunt; ſed certis & ordinatis provehuntur augmen-
tis, donec ad perfectam ſui habitus quantitatem per
ſuccedentia ſibi incrementa perveniant: ita & ſe-
mina chariſmatum plantæque virtutum, non in
omni agro cordis humani totum hoc pariter,
quod ſunt futura, naſcuntur: nec facile reperitur
in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio.
Exerit quidem frequenter potens & miſericors
Deus mirabiles iſtos ſuæ operationis effectus, &
quibuſdam mentibus non expectata profectuum
mora, totum ſimul quicquid collaturus eſt, invehit.

Heb 7. In Abrahæ lumbis Levi ſanctificatur, & ſimul cum
eo domus Aaron & Sacerdotalis Ordo benedicitur.
Gen. 17. In Iſaac de repromiſſione concepto, & contra ſpem
Rom. 4. ſterilium ſenum nato, omnium gentium vocatio,
Malac. 1, & tota Chriſti forma præconditur. Jacob nullo
Rom. 9. merito ſuffragante, dilectus priuſquam naſcatur,
Hier. 1. eligitur. Hieremiæ dicitur: *Priuſquam te forma-*
Luc. 2, *rem in utero, novi te: & priuſquam exires de*
vulva, ſanctificavi te. Joannes intra Eliſabeth
matris viſcera, Spiritu ſancto repletus exultat, &
ut nullus inter natos mulierum major ſit, prius
ſentit initia gratiæ quam naturæ. Sed cum & alia
ſimilium documentorum exempla non deſint, quæ
brevitatis ſtudio prætetimus, multo tamen cre-
brior, multoque numeroſior pars illa hominum
eſt, cui particulatim quicquid ſuperna largitas do-
nat, accreſcit, ut conferendorum numerum cau-
ſæ, de his quæ ſunt collata, pariantur. Quidam
accepta fide, diffidentia non carent, quam utique
Matth. 9. ineſſe ſibi noverat, qui dicebat: *Credo Domine,*
Luc. 17. *adjuva incredulitatem meam*. Quam nec illi abeſſe
penitus a ſuis animis ſentiebant, qui dixerunt:
Domine, adauge nobis fidem. Quidam quod cre-
dunt, non intelligunt, & multi eorum diu in ſuæ
ſimplicitatis modulo detinentur. Multi vero cito
intellectus lumen accipiunt. Ipſa autem intelligen-
tia non in omnibus eumdem habet vigorem, aut
ſimilem facultatem. Et plurimi cum & fide & in-
tellectu videantur ornati, laborant tamen indigen-
tia charitatis, & his quæ fide & intellectu vident,
nequeunt inhærere, quoniam perſeverari in eo non
poteſt, quod non toto corde diligitur. Donum
ipſius charitatis non ſemper ejuſmodi eſt, ut quic-
quid ad plenitudinem ipſius pertinet, ſimul a per-
cipiente ſumatur. Eſt enim amor qui poteſt alio
amore ſuperari, & ſæpe dilectio Dei ex mundi di-
lectione marceſcit, niſi ad eum fervorem, Spiritu
ſancto inflammante, profecerit, qui nullo extin-
gui frigore, nullo poſſit tempore languete. Cum
itaque in hoc inenarrabili dono Dei, omnium ſum-
ma donorum & quædam ſit cunctarum vita virtu-
tum, ad hoc cætera conferuntur, ut habeat ani-
mæ fidelis intentio per quæ ad perfectam charita-
tem poſſit eniti. Quæ quoniam non ſolum ex Deo,
1. Joan. 4. ſed etiam Deus eſt, ſtabiles & perſeverantes atque
*C. volun- inſuperabiles facit quos flumine ſuæ * voluptatis
tatis. impleverit. Qui autem iſtarum aquarum dulcedi-
nem neſciunt, & adhuc de mundi hujus torrenti-
bus bibunt, aut etiamſi aliquid prioribus labris
de vitæ fonte guſtaverunt; inebriari tamen aureo
Babylonis calice delectantur, ſuo prorſus deci-
piuntur arbitrio, ſua voluntate labuntur, & ſi in
Apoc. 14. hac deſidia perſeverant, ipſi ſe his quæ accepere,
& 16. d. diſpoliant. Facile enim quælibet bona ſine chari-
1. Cor. 13. tate poſſunt perire, quæ non poſſunt ſine charitate
prodeſſe.

Divinæ conſtitutionis non eſt noſtra a Deo averſio,
ſed propriæ voluntatis: ideoque meriti bonius
eſſe ſi ſteterit, quia cadere potuit.

CAPUT XII.

Cap. 4. HÆc autem ſummatim breviterque perſtricta,
ad id valeant, ut certiſſime noverimus nul-
lum Fidelium a Deo non diſcedentem relinqui,
neque cujuſquam ruinam ex divina eſſe conſtitutio-
na diſpoſitam: Sed multis qui jam judicio rationis
utuntur, ideo liberum eſſe diſcedere, ut non di-
ſceſſiſſe ſit præmium: & ut quod non poteſt niſi
cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis depu-
tetur, * quorum id potuit voluntate non fieri. Quæ * C. eius.
voluntas in malis * actionibus ſola eſſe poteſt, in *C. euius.
bonis autem ſola eſſe non poteſt. Quamvis enim *C. acti-
ſecundum naturam ſit * homini, ut bonæ ſit vo- bus.
luntatis, vitium tamen quod per malam volunta- * C. ſit ejus ut bona ſit
tem irruit in naturam, non naturæ ſuperatur vir- v. t. q. p.
tute, ſed gratiæ. m. v. incidit in ruinam n. n. &c.

Bonitatem Dei non ſolum ſanctis, ſed & impiis
inſtituendis affuiſſe ante diluvium.

CAPUT XIII.

REgebatur ergo primus ille populus Dei Spiri-
tu Dei & a maledicti ac prædamnati populi
ſocietate ac moribus per eruditionem Sancti Spiri-
tus abſtinebat, cuſtodiens diſcretionem ſui a per-
mixtione carnalium: quorum mala tamdiu ſuſtinuit
patientia Dei, quamdiu per id quod eos non imi-
tabantur, placere potuerunt: ubi vero etiam boni
malorum imitatione corrupti ſunt, & per * volun- *C. volun-
tatis defectum in eamdem nequitiam conſpiravit tarium.
univerſitas: quos, excepta Noe domo, una impie-
tas prophanavit, ſententia una delevit. Bonitas
autem Dei ne illi quidem parti defuit, quæ in cha-
ritate non ſtetit, & ab inimo ſui veneno diabolici
livoris intumuit. Principem enim gentis impiæ,
ſancti fratris meritis invidentem, cædemque ejus
parricidali corde meditantem, dignatur Dominus
paterno mitigare conſilio, dicens ad Cain: *Ut* Gen. 4.
quid triſtis factus es? ut quid concidit vultus tuus?
Nonne ſi recte offeras, recte autem non dividas,
peccaſti? quieſce. Ad te enim erit converſio ejus,
& tu dominaberis ejus. Depone (inquit) ortam
de invidiæ æmulatione triſtitiam, & flammas odii
crudelis extingue, nihil tibi Abel nocuit, nec mi-
hi placendo te læſit. Deſpexi munera tua meo ju-
dicio, non illius voto. Opus enim bonum negli-
genter egiſti: recta fuiſſet oblatio tua, ſi fuiſſet
recta diſcretio, ſciens cui offerres, ſcire debueras
quid voveres. Non digne inter me & te diviſiſti,
quoniam tibi electiora ſervaſti. Tuus ergo hic er-
ror eſt, tuumque peccatum, quieſce, & noli in
inſontem fratrem moveri, ad te potius tua culpa
revocetur. Noli peccato regnum in te dare, ſed
tu potius in ipſum ſume dominatum. Pœnitendo
enim nec in majus facinus progredieris, & ab eo
in quo te doles diſplicuiſſe, mundaberis. Cum ergo
talia ad Cain loqueretur Deus, nunquid ambiguum
eſt voluiſſe eum, & (quantum ad illum medendi
modum ſufficiebat) egiſſe ut Cain ab illo impietа-
tis furore reſipiſceret; ſed malitia pertinax inde fa-
cta eſt inexcuſabilior, unde debuit eſſe correctior.
Et utique præſciebat Deus, ad quem finem inſa-
nientis eſſet progreſſura conceptio. Neque ex eo
quod falli ſcientia divina non poterat, neceſſitate
peccandi urgebatur facinus voluntatis. A cujus
utique intentione atque affectu potuit incolumitas
Abel illæſa defendi, niſi placuiſſet Deo cum ma-
gna laude patientiæ ſuæ, ut temporalis furor im-
pii fieret perpetuus honor juſti. Poſteris vero
iſtius * fratricidæ quamvis in progenitoris ſui mo- * C. parri-
ribus viverent, nunquam ſe divinam bonitatem cidæ.
negaſſe, quis non facile advertat, ſi conſideret
quantum eis prodeſſe potuerit tam longa patientia
Dei, tam dives bonorum temporalium copia, &
multiplicatæ fœcunditatis tam numeroſa propaga-
tio? Quæ beneficia licet obduratis nihil remedii
& emendationis attulerint, probant tamen aver-
ſionem eorum non divinæ fuiſſe conſtitutionis;
ſed propriæ voluntatis.

In

In diluvio, & poſtea uſque ad Chriſtum revelata ſunt opera divinæ gratiæ, & Chriſtianæ gratiæ miracula præſignata; etſi abundantia gratiæ quæ nunc mundum rigat, pari largitate non fluxit.

CAPUT XIV.

* C. converſione. Geneſ. 7. IN * converſatione autem Noe filiorumque ejus & nuruum, in quibus omnium gentium ſeminarium diſponebatur, quanta divinæ gratiæ opera revelata ſint, ſancta Scriptura manifeſtat, dum in illa mirandæ capacitatis arca, univerſi generis animalium, quantum reparationis aderat, receptrice congregatura ad ſe omne hominum genus Eccleſia Geneſ. 8. figuratur: dum per lignum & aquam redemptio crucis Chriſti, & ablutio regenerationis aperitur: dum in his qui ex illa mundi vaſtatione ſalvati ſunt, omGeneſ. 9. nium gentium plenitudo benedicitur; dum donum * vox eſu abeſt a C. fœcunditatis iteratur, & ſolo * eſu ſuffocatorum & ſanguinis interdicto libertas edendi quod placuerit augetur, ſalutiſque ſecuritas in teſtimonio verſicoloris arcus, hoc eſt in ſigno multiformis gratiæ conſecratur. Quæ utique myſteria atque ſacramenta non unius tantum familiæ pauciſſimos tunc homines, ſed in ipſis omnes eorum poſteros imbuebant, ut quod eruditioni impendebatur parentum, proficeret ſcientiæ filiorum. Jam vero procurrente humanæ propagationis augmento, cum ipſa mortalium numeroſitas de ſuis multiplicationibus ſuperbiret, & ſecundum elationis ſuæ altitudinem, cœlo cuperet molem immodicæ inſtructionis inſerere, quam mirabilis erga cohibendam hanc inſolentiam fuit divinæ cenſura juGeneſ. 11. ſtitiæ! Quæ unam illorum populorum loquelam notis ſibi invicem ſignificationibus conſonante, ſeptuaginta & duarum linguarum varietate confudit, & inter diſſonas voces operantium pereunte concordia inſanæ molitionis machina ſolveretur, & habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna diſperſio. In iſto autem opere providentiæ Dei præordinabantur miracula gratiæ Chriſtianæ, quæ omnem hanc diſperſionem in illius ædificationis * C. cooptatura. erat * vocatura compagem, in qua *omne genu flectitur Deo, et omnis lingua confitetur quoniam Ieſus in* Philp. 2. Epheſ. 3. *gloria Dei Patris eſt*. Hanc latitudinem gratiæ, in plenitudine diſpoſitorum temporum revelandæ facta ad Abraham promiſſio Dei, ſignis jam luculentioribus indicabat, quando duplex ejus ſucceſſio (filii Geneſ. 15. ſcilicet carnis, & filii promiſſionis) multitudini arenarum comparabatur & ſiderum, & vir ſenex per annoſam uxoris ſterilitatem, ab ſpe jam prolis alienus, credebat laudabili fide per germen unius filii patrem futurum eſſe ſe mundi, proſpiciens illum in ſemine ſuo, immo conſpiciens, qui: *Abraham diem vidit, & gaviſus eſt*. Qua fide Abraham eum Joan. 8. juſtificaretur, nondum mandatum circumciſionis acRom. 4. ceperat; ſed cum eſſet in præputio naturali, repu* C. ea ſig. cir. accepit. tata eſt fides ejus ad juſtitiam. Et * eadem fides ſignaculum circumciſionis acceperat in eo corporis membro, per quod ſemen procreationis perventum erat ad eam carnem, in qua ſine carnali ſemine Dei Filius Deus Verbum caro fieret, ac de Abrahæ filia Maria Virgine naſceretur, aſſumptis omnibus in hujus nativitatis conſortium, qui in Chriſto per Spiritum ſanCap. 5. ctum regenerati, quod Abraham credidit, crediGeneſ. 22. diſſent. Hæc autem fides antequam veniret hoc ſemen de quo Abrahæ dictum eſt: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, intra unius ſtirpis populum continebatur, vigente apud veros Iſraelitas ſpe redemptionis noſtræ. Quoniam etſi fuerunt ex alienigenis, quos temporibus legis veritas illuſtrare dignata ſit, tamen * & recotam pauci fuerunt, ut vix * cognoſcantur an fuerint. Neque ob hoc excuſabiles ſint nationes, quæ alienagnoſcantur tæ a * converſatione Iſrael, ſpem non habentes, & Epheſ. 2. * converſione. ſine Deo in hoc mundo ſub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ quæ nunc univerſum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit.

Meliora non naſci nunc ingenia, quam ante Chriſti adventum; quinimo tempore adventus Chriſti, inventa eſt iniquitas robuſtior, ut gratia Dei manifeſtaretur.

CAPUT XV.

ADhibita enim ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris occultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen ſicut Dominus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium: ut non dubie, ſed evidenter appareat, quod niſi ubi abundavit peccatum, ſuperabundaret & gratia, nunc quoque univerſum genus Rom. 5. humanum ſimilis obcæcaret impietas. * An forte (ut * C. ante. plerique garriunt) meliora quam veterum ingenia noſtris ſeculis orta ſunt, & aptiores divinis donis animas tempora extrema pepererunt? Quod etiam ſi ita eſſet, ad bonitatem id referendum eſſet authoris, qui vocandis ad vitam æternam populis, ea quæ non reniterentur, corda definxiſſet. Sed nihil prorſus novatum eſt in generatione carnali, nec generoſior avia minorum orta ſucceſſio eſt, cum potius in hominibus illius temporis quo mundi Redemptor advenit, quanto erat propago tardior, tanto ſit iniquitas inventa robuſtior. Probavit hoc Iudaici furoris impietas. Et quam apta Evangelio Chriſti fuerit illa generatio, non ſolum populi, ſed etiam Scribarum & Principum ac Sacerdotum corda docuerunt. Quibus * C. peccaparum fuit in agnum Dei tollentem * peccatum munta. di, contra teſtificationem legis, contra oracula proJoan. 1. phetarum, contra divinarum experimenta virtutum, ſeditionibus, contumeliis, ſputis, alapis, colaphis, lapidibus, flagris, & ad poſtremum crucis atrocitate ſævifſe, niſi etiam teſtes reſurrectionis ejus eadem perſequerentur inſania. Quam Apoſtoli, quando a Pontificibus flagellati ſunt, oſtenderunt in Pſalmo Davidico * prophetatam, dicentes: *Domine, tu es qui* * C. profatum. *feciſti cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis* Act. 4. *ſunt, qui Spiritu ſancto per os patris noſtri David pueri* Pſal. 2. *tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Convenerunt enim vere in civitate iſta adverſus ſanctum filium tuum Ieſum (quem unxiſti) Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael, facere quæ manus tua & conſilium decreverunt fieri. Igitur ad manifeſtandam gratiam Dei quæ ex alieno ejus incommutabilique conſilio in ſalutem omnium gentium diſponebatur, non priora quaſi incapacia declinata ſunt tempora; ſed iſta electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & voluntaria iniquitas non conſulendi affectu, ſed intentione ſæviendi perſiſteret facere quæ manus Dei & conſilium decreverunt fieri, ut mirabilior eſſet gratia & potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebroſis mentibus, tam inimicis cordibus fecit ſibi populum fidelem, ſubditum, ſanctum, qui non per ſapientiam hujus mundi pervenit ad lumen ſapientiæ Dei; ſed per illius donum, de quo teſtatur Ioannes Apoſtolus, dicens: *Scimus quia Filius Dei venit, & dedit nobis ſen-* 1. Joan. 3 *ſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus*. Cui teſtimonio Apoſtolus Paulus conſonat Coloſſ. 1. dicens: *Gratias agentes Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris & de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ*. Et iterum idem: *Eramus*

Ad Tit. 3. *mus enim* (inquit) *aliquando inſipientes, increduli,*
errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis,
in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invi-
cem; Cum autem benignitas & humanitas apparuit
Salvatoris noſtri, non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus
nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit,
per lavacrum regenerationis Spiritus Sancti, quem effu-
dit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem no-
ſtrum ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecun-
dum ſpem vitæ æternæ. Potuit ne plenius, luculen-
tius, verius explicari, quæ merita hominum Chriſtus
invenerit, & quos ſibi mores ſubiecerit, quæ ad ſe
corda converterit, quando venit mederi non ſanis,
ſed male habentibus, & vocare non juſtos, ſed pecca-
Matth. 9. Eſa. 7. tores? *Quoniam gentium populus, qui ſedebat in tene-*
bris, lucem vidit magnam, & ſedentibus in tenebris &
umbra mortis, lux orta eſt illis. Fremebant gentes,
iraſcebantur populi, ſæviebant Reges, & poteſtates
contradicebant, ſuperſtitiones & totius mundi relu-
ctabantur errores. Sed de reſiſtentibus, furentibus,
perſequentibus, populum ſuum Chriſtus augebat,
ac per vincula ac ſupplicia morteſque Sanctorum ro-
borabatur fides, vincebat veritas, perque univerſum
mundum dominici agri ſegetis multiplicabatur uber-
tas. Tanta enim deſuper præbebatur conſtantia fidei,
fiducia ſpei, fortitudo tolerantiæ, ut ille ignis dile-
ctionis, quam in cordibus fidelium Spiritus ſanctus
accenderat, nullo modo ab opprimentibus poſſet ex-
tingui: cum & qui cruciabantur, vehementius inarde-
ſcerent, & qui ſæviebant, eandem quam perſeque-
bantur, flammam ſæpe conciperent, qua beatus Apo-
ſtolus Paulus ignitus, fidenter ferventerque dicebat:
Juſtificati igitur ex fide pacem habeamus ad Dominum
Rom. 5. *noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem & acceſſum habe-*
mus fide in gratiam iſtam in qua ſtamus; ſed & gloria-
mur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolum autem, ſed
& gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribula-
tio patientiam operetur, patientia autem probationem,
probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit, quia
charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum
Rom. 8. *ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et iterum? *Quis nos ſepa-*
rabit a charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an
perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an
gladius? Sicut ſcriptum eſt: *Quia propter te mortifica-*
mur tota die: exiſtimati ſumus, ſicut oves occiſionis. Sed
Pſal. 43. *in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos. Cer-*
tus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli,
neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque
fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque crea-
tura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt
in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Hæc charitas diffuſa
per Spiritum ſanctum, fecit ut mundus Fidelium mun-
dum vinceret impiorum. Hæc Neronis crudelitatem,
Domitiani furorem, multorumq; poſt eos Principum,
* C. rabiem * glorioſo innumerabilium martyrum fine confudit,
donante Chriſto imitatoribus ſuis, de perſecutionibus
Regum, æternarum ſtemmata coronarum.

Quod Chriſtus pro omnibus impiis mortuus ſit.

CAPUT XVI.

Caput 6. NUlla igitur ratio dubitandi eſt, Jeſum Chri-
* C. ſi aliquis add. ſtum Dominum noſtrum pro impiis & pec-
catoribus mortuum, a quorum numero * liber inven-
tus eſt, non eſt pro omnibus mortuus Chriſtus. Sed
* deeſt. C. prorſus pro omnibus mortuus eſt * Chriſtus. Nemo
ergo omnium hominum ante reconciliationem, quæ
* C. aut. rect. per Chriſti ſanguinem facta eſt, non * autem peccator
Rom. 5. aut impius fuit, dicente Apoſtolo: *Si enim Chriſtus*
cum adhuc infirmi eſſemus, juxta tempus, pro impiis
mortuus eſt: vix enim pro juſto quis moritur, nam pro
bono forſitan quis audeat mori: commendat autem
ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam ſi cum ad-
huc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt,
multo magis juſtificati ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab
ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati
ſumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconci-
liati ſalvi erimus in vita ipſius. Idem autem Apoſto- 2. Cor. 5.
lus in ſecunda ad Corinth. ait: *Charitas enim Chriſti*
urget nos, judicantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus
mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus
mortuus eſt, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed
ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. De ſeipſo ve-
ro quid pronunciet, audiamus: *Fidelis*, inquit, *ſer-*
mo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus venit in 1. Tim. 1.
hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus
ego ſum: ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut in
me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam,
ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vi-
tam æternam. Sive ergo circumciſio, ſive præputium,
peccato univerſaliter concludebatur, unuſque omnes
reatus obſtrinxerat, & inter magis minuſque impios
nemo erat qui poſſet abſque Chriſti redemptione ſal-
vari; quæ redemptio univerſo ſeſe intulit mundo, &
omnibus hominibus indifferenter innotuit, quando-
quidem in die quinquageſimo ab illo Paſcha, in quo
ſe hoſtiam Deo verus agnus obtulerat, cum Apoſtoli
& qui cum eis unanimes erant, repleti Spiritu ſancto,
linguis omnium gentium loquerentur conveniebat,
excita miraculo diverſi generis hominum multitudo,
ut Evangelium Chriſti in eis qui aderant, totus mun-
dus audiret. Confluxerant autem (ſicut ſcriptum eſt)
Parthi, & Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſo-
potamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum & Actor. 2.
Aſiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum & par-
tes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen, & advenæ Romani,
Judæi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes, audien- * C. omnes
*tes * eorum linguis prædicari magnalia Dei:* quorum linguis ſuis
teſtificatio etiam in eas gentes quæ remotiores ſunt, P. m.
longe lateque procurreret. Ad cujus rei effectum cre-
dimus providentia Dei Romani regni latitudinem
præparatam, ut nationes vocandæ ad unitatem cor-
poris Chriſti, prius jure unius conſociarentur *
impietatis: quamvis gratia Chriſtiana non con- * C. imperii rect.
tenta ſit eoſdem limites habere quos Roma; mul-
toſque jam * populorum ſceptro crucis Chriſti il- * C. populos.
la ſubdiderit, quos armis ſuis iſta non domuit. Quæ
tamen per Apoſtolici ſacerdotii principatum am-
plior facta eſt arce religionis quam ſolio poteſtatis.

Nationes, quibus nondum gratia ſalutaris illuxit,
diſpoſito tempore vocandas eſſe ad Evangelium.

CAPUT XVII.

QUod ſi forte, quemadmodum quaſdam gen-
tes; * quod ante non norunt, in conſortium * C. non. olim in conſortio rect.
filiorum Dei novimus adoptatas, ita etiam nunc
in extremis mundi partibus ſunt aliquæ nationes,
quibus nondum gratia Salvatoris illuxit: non am- * quod non voſſunt.
bigimus, etiam circa illas occulto judicio Dei tem- Tempore
pus vocationis eſſe diſpoſitum, quo Evangelium Proſperi ad
quod nondum viderant, audiant atque ſuſcipiant. Chriſtum
Quibus tamen illa menſura generalis auxilii, quæ venere
deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, Scoti ope-
non negatur: quamvis tam acerbo natura huma- ra Cœleſti-
na vulnere ſauciata ſit, ut ad cognitionem Dei ne- ni, ut in
minem contemplatio ſpontanea plene valeat erudire; fine libri
niſi obumbrationem cordis vera lux diſcuſſerit, contra
quam inſcrutabili judicio Deus juſtus & bonus, Collatores
non ita * præteritis ſeculis, quemadmodum in no- legitur.
viſſimis diebus effudit. Unde & beatus Apoſtolus * C. in ad.
Paulus ſcribens Coloſſenſibus, ait: *Myſterium quod* Colos. 1.
ab-

Digitized by Google

abſconditum fuit a ſaculis et generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloria ſacramenti hujus gentibus, quod eſt Chriſtus in nobis.

Prioribus ſeculis abſconditam fuiſſe Gentibus gratiam Chriſti, non tamen Prophetis.

CAPUT XVIII.

Cap. 7. NUnquid hoc myſterium etiam Prophetis inco-
gnitum fuit? & illi per quos Spiritus ſanctus
* C. fiebat denunciatio. loquebatur, ea quorum ab ipſis * fiebant denuncia-
tiones, neſciebant? Non ita plane intelligendum
* C. hoc add. puto, ſed ipſis gentibus * abſconditum fuiſſe myſte-
rium, quod Dominus quando voluit, & quibus vo-
Rom. 9. luit, revelavit: Nam de vocatione gentium, quæ
non erant populus Dei, & quibus prius non miſer-
Deut. 32. tus eſt, nunc autem miſeretur, in Deuter. ita dici-
tur. *Et vidit Dominus, et zelavit, et iratus eſt
propter iram filiorum ſuorum et filiarum, et dixit;
Avertam faciem meam ab eis, et oſtendam quid erit
in noviſſimo, quia generatio perverſa eſt filiis, in
quibus non eſt fides in illis. Ipſi in zelum compulerunt
me in hoc quod non eſt Deus, irritaverunt me in idolis
ſuis, et ego in zelum incitabo eos in eis qui non erat*
Pſal. 15. *gens, ſuper gente inſipiente irritabo eos.* Ed David
hæc de adoraturis Deum omnibus gentibus præci-
nit; *Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient et
adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen
tuum.* Et iterum idem: *Et adorabunt eum omnes*
Pſal. 71. *reges terræ, omnes gentes ſervient ei.* Et iterum;
Ibidem. *Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gen-*
Eſaiæ 2. *tes magnificabunt eum.* Eſaias quoque ſimilia annun-
ciat dicens: *Quoniam erit in noviſſimis diebus ma-
nifeſtus mons Domini, et domus Dei in cacumine mon-
tium, et exaltabitur ſuper colles, et venient ad eum
omnes gentes.* Et iterum idem: *Et faciet* (inquit)
*Dominus Sabaoth omnibus gentibus, in monte iſto bi-
bent in jucunditate vinum, ungentur unguento in monte
iſto: tradet hæc omnia gentibus: hoc enim conſilium ſu-*
Eſaiæ 25. *per omnes gentes.* Et iterum idem: *Et revelabit Domi-
nus brachium ſuum ſanctum in conſpectu omnium gen-
tium et videbunt omnes gentes terræ ſalutem quæ a*
Eſaiæ 52. *Domino eſt.* Et iterum: *Ecce advenæ ad te per me*
Eſaiæ 54. *accedent, et ad te fugient.* Et infra: *Gentes quæ te*
Eſaiæ 55. *non cognoverunt, invocabunt te; et populi qui te ne-*
Oſee 1. *ſciunt, ad te confugient.* Oſee quoque paria prophe-
tat dicens: *Et erit in loco in quo dictum eſt eis: Non
populus meus vos, ibi vocabuntur Filii Dei vivi, et
congregabuntur filii Judæ, et filii Iſrael in idipſum.*
Et iterum: *Miſerebor non dilectæ, et dicam non po-
pulus meus es tu; et ipſe dicet, Deus meus es tu.*
Oſee 2. Sub Apoſtolis vero cum ii qui in Chriſtum ex cir-
cumciſione crediderant, eos qui gentiles erant, di-
cebanturque præputium, juſtificationum gratiæ ar-
bitrarentur participes eſſe non poſſe, docet Beatus
Apoſtolus Petrus, quam indiſcretus apud Deum
uterque ſit populus, ſi in unitatem fidei ambo con-
Act. 11. venerint. *Cum autem* (inquit) *cœpiſſem loqui, decidit
Spiritus Sanctus ſuper eos, ſicut et in nos in initio.
Recordatus ſum autem Verbi Domini, ſicut dicebat:
Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem bapti-
zabimini Spiritu Sancto. Si ergo eamdem gratiam dedit
illis Deus ſicut et nobis qui credidimus in Dominum
Jeſum Chriſtum, ego quis eram qui poſſem prohibere
Deum? His auditis, tacuerunt, et glorificaverunt
Deum dicentes: Ergo et gentibus Deus pœnitentiam
ad vitam dedit.* Jacobus quoque Apoſtolus de hac
Act. 15. vocatione gentium dicit: *Viri fratres, audite me,
Simon narravit quemadmodum primum Deus viſi-*

tavit ſumere ex gentibus populum nomini ſuo. Et
huic concordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum
eſt: *Poſt hæc revertar, et reædificabo tabernaculum* Amos 9.
*David quod cecidit, et diruta ejus ædificabo, et
erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum,
et omnes gentes ſuper quas invocatum eſt nomen
meum, dicit Dominus faciens hæc, notum a ſeculo
eſt Domino opus ſuum.* Simeon quoque ille cui re-
ſponſum erat a Spiritu Sancto, non eum viſurum
mortem, priuſquam videret Chriſtum Domini, de
ſalute omnium gentium quæ in Chriſto revelabatur,
hæc dixit: *Nunc dimitte ſervum tuum, Domine,* Luc. 2.
*ſecundum Verbum tuum in pace, quia viderunt ocu-
li mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem
omnium populorum: Lumen ad revelationem gen-
tium, et gloriam plebis tuæ Iſrael.* His & aliis te-
ſtimoniis Scripturarum non dubie demonſtratur,
iſtam ditiſſimam, potentiſſimam, benigniſſimam
gratiam, qua in noviſſimo mundi tempore omnes
gentes in regnum Chriſti vocantur, prioribus ſe-
culis in occulto Dei abſconditam fuiſſe conſilio.

Deus pro omni tempore vult omnes homines ſalvos fieri, aut generalibus donis, aut etiam peculiaribus.

CAPUT XIX.

ET cur hac manifeſtatione, qua nunc univerſis
nationibus innoteſcit, antea revelata non fue-
rit, nullam poſſe * comprehendere nullam intelli- * C. ſcientiam rect. add.
gentiam penetrare, cum tamen illud quod de bo-
nitate Dei piiſſime creditur, quia omnes homines
velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, 1. Tim. 2.
non oporteat, niſi perpetuum æternumque ſentiri,
ſecundum eas menſuras quibus Deus dona genera-
lia ſpecialibus novit cumulare muneribus: ut &
qui exortes gratiæ fuerint, de ſua nequitia redar-
guantur, & qui ejus lumine enituerint: non in ſuo
merito; ſed in Domino glorientur.

Obiectio ex parvulis contra illud: Qui vult omnes homines ſalvos fieri.

CAPUT XX.

IN hoc ſane anguſto quidem, ſed tamen recto
intelligentiæ tramite, non parum difficultatis
opponit conſideratio parvulorum qui nullo judicio
rationis utuntur; quo authoris ſui beneficia ſentien-
tes, ad agnitionem valeant veritatis accedere, nec
videntur de neglectu opitulantis gratiæ juſte argui,
in illa ignorantia naturaliter conſtituti, quam du-
bium non eſt nullam recipere ſcientiam, nullam
ſentire doctrinam. Unde cum omnes homines ve-
lit Deus ſalvos fieri, quod eſt quod alienatur a Caput 8.
ſalute perpetua tanta infantium multitudo, totque
in his ætatibus, hominum millia extra vitam re-
linquuntur æternam: quaſi ad hoc tantum conditi
ſint ab eo qui neminem odens creavit, ut quia in
hunc mundum cum peccati carne venerunt, inſo-
lubilis culpæ vincula ſine reatu propriæ actionis
incidrent? quid hoc profundius, quid mirabilius * C. enim add.
eſſe poteſt? Neque * credi fas eſt, eos qui rege-
nerationis non adepti ſunt * ſacramentum, ad ul- * C. ſacramenta.
lum Beatorum pertinere conſortium. Et magis ſtu-
pendum, magiſque ſit mirum, quod ubi actio non
offendit, ubi arbitrium non reſiſtit, ubi eadem
miſeria, ſimilis imbecillitas, cauſa communis eſt,
non unum eſſe de tanta parilitate judicem, & qua-
les reprobat abdicatio, tales adoptat electio.

Juſte agi cum parvulis pereuntibus, tam in hoc ſeculo quam futuro, propter originale peccatum.

CAPUT XXI.

* C. humilitatis noſtræ. ſ. ſ.
* C. inde eruditionis p. a.
* C. q. ad.
* totum illud quant. a. p. p. voluntates abeſt a. C.
* C. boni
* mali.
* C. in Adæ præſuſcepit add.

VEruntamen de hac altitudine diſcretionis Dei non conturbabitur cor * noſtrum, ſi firma & ſtabili fide omne judicium Dei juſtum eſſe credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit eſſe ſecretum, ut ubi inveſtigari non poteſt quare ita judicet, ſufficiat ſcire quis judicet. Quamquam non ita cognoſcibilis iſta ſit quæſtio, ut nihil * ſit quod de ea eruditionis poſſimus acquirere, ſi ad contemplandum id quod videri poteſt, tranquillus ſobrii cordis adhibeatur intuitus. Cum enim conſideramus inter paganos, inter Judæos, inter hæreticos, inter * ipſos Catholicos Chriſtianos, quam multiplex pereat numerus parvulorum, quos * quantum ad proprias pertinet voluntates, neque * bonum aliquid, neque * malum conſtat egiſſe, diſcimus ſuper eos illam manere ſententiam, quam humanum genus * prævaricatione primi parentis excepit, cujus ſententiæ rigor, dum etiam circa tales non reſolvitur, quam magnum illud peccatum fuerit, demonſtratur. Nemo autem putaretur non innocens naſci, niſi etiam talibus eſſet noxium non renaſci. De immaturitate vero mortis non eſt ratio conquerendi, cum ſemel in naturam noſtram per peccatum ingreſſa mortalitas obnoxium ſibi omnem vitæ noſtræ fecerit diem. Eſſet enim * quoniam ſecundum aliquem modum immortalis dici homo poſſet, ſi eſſet tempus, intra quod mori omnino non poſſet. Sed nunquam corruptio ita incorruptionis eſt particeps, ut non ſemper obnoxium ſit defectioni, quod debetur occaſui. Vitæ hujus principium mortis exordium eſt, nec prius incipit augeri ætas noſtra, quam minui. Cui ſi quid adjicitur ſpatii temporalis, non adhoc accedit ut maneat, ſed in hoc tranſit ut pereat. Quod ergo ab * initii ſui die mortale eſt, qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit, nec unquam ei vicinius eſt poſſe vivere quam poſſe deficere. Quamvis autem ex una cauſa omnium hominum ſit orta mortalitas, non in unam tamen, ſed in multiplicem imbecillitatem corruptibilis natura diſtrahitur. Et ſive morbis, ſive debilitatibus, ſive vulneribus, non ſolum anni aut menſes vel dies ætatis humanæ; ſed & omnes horæ, omniaque momenta ſubiecta ſunt. Nec eſt aliquod mortis genus, aut ullus obeundi modus, qui non intra univerſitatem mortalium in aliquam incidat portionem. Manet enim grave jugum ſuper filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, in diem ſepulturæ, in matrem omnium.

* C. quando rect.
* C. ab initio ſui imo eſt re.
Eccl. 40.

Divina juſtitia cuilibet menſuram & modum miſeriæ ordinat.

CAPUT XXII.

* C. nec ideo rect.

SEd hujus aſperrimi jugi pondera, non ita in Adæ filios irruerunt, ut divina juſtitia nihil eis ſuæ dimenſionis adhiberet: quæ defectionum legibus ita defectura ſubjecit, ut ab eis moderationum ſuarum non averteret poteſtatem. * Ideo omnia omnes inciderent mala, quia per communem conditionem omnes omnibus ſubiacerent: ſed ut generali neceſſitate variata, cauſas ſibi Dominus indulgentiæ correptioniſque ſervaret, eſſetque in uno omnium debito quod & miſericors remitteret, & juſtus exigeret. Cum igitur juſta & omnipotens providentia Dei inceſſabiliter univerſa dijudicet, & nemo in hunc mundum veniat, neque ab hoc mundo exeat, niſi eo ortu atque diſceſſu, * quem rerum arbiter ſecundum altiſſimam ſcientiam ſuam ſapientiamque decernit, ſicut ſcriptum eſt in libro Job: *Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?* In cujus manu anima omnis viventis & ſpiritus univerſæ carnis hominis? Et iterum: *Breves dies hominis ſunt & numerus dierum ejus apud te eſt.* Quis audeat cauſas operum & conſiliorum ejus inquirare? Inſcrutabile enim eſt, valdeque ſecretum, cur tantis differentiis conditio humana variata ſit. Illum ab infantia uſque in ſenectutem longæva carpit infirmitas, nec inter perſeverantes dolores ſtatutæ deficit tempus ætatis. Illum integris valentem viribus annoſiſſimus vigor vegetat. Huic in pueritia finis, illi in adoleſcentia. Huic ultra juventutem non licet progredi, illi impoſſibile eſt uſque ad loquendi rudimenta grandeſcere. Quas vitæ metas multiformiter inæquales, minus acerbas experitur caduca mortalitas, ſi præſentis tantum ſeculi detrimenta pateretur, & non in æternas miſerias caderent, qui hinc ſine lavacro regenerationis exiſſent.

* C. quæ
Job. 12.
Job. 14.

Parvulis pereuntibus generalis gratia tribuitur, dum ea parentibus datur.

CAPUT XXIII.

* C. inſcrutabilius ſ. c. d. q.
1. Tim. 2.
* C. impertitur.

SEd cum * inſcrutabilis ſit cauſa tam donorum quæ gratia tribuit, quam miſeriarum quas natura promeruit, ipſa nos intelligentiæ difficultas ad noſtrum remittit authorem. Et cum quærimus: Quomodo omnes homines ſalvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus * impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ ſint capaces? Non irreligioſe arbitror credi, neque inconvenienter intelligi quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus: qua utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur. Omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ, ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis niſi per alios conſuli poteſt: & conſequens eſt illos ad eorum pertinere conſortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confeſſione credunt, ita ex aliena infidelitate aut diſſimulatione non credunt. Et cum ipſi nec præſentis vitæ deſiderium habuerunt, nec futuræ quam ipſorum factum eſt naſci, tam ipſorum efficitur non renaſci. Sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulſantem excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifeſtatur electio. Quæ quidem nec illis qui renati non ſunt, in parentibus defuit, ſed iis qui renati ſunt, præparantibus affuit: ita ut multis ſæpe quos ſuorum impietas deſeruit, alienorum cura ſervierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat providenda per proximos.

Non

Digitized by Google

Non eſſe juſtam querelam ex diſcretione parium parvulorum, ſed magnam divinæ juſtitiæ & gratiæ Chriſti commendationem.

CAPUT XXIV.

IN quo opere gratiæ, quis niſi arrogantiſſimus atque vaniſſimus de divina juſtitia conqueratur, quod non omnibus parvulis ſimilis providentia conſulat, omniaque pericula, quæ moriturorum regenerationem prohibere poſſunt, aut poteſtate ſubmoveat, aut miſeratione præveniat? Quod utique erga omnes ita fieret, ſi ita fieri omnino deberet. Non autem latet, quantum * cordibus Fidelium deſidiæ gigneretur, ſi in baptizandis parvulis nihil de cujuſquam negligentia, nihil de ipſorum eſſet * mortalitate metuendum: quandoquidem ut tales baptiſmo fraudarentur, nullo modo poſſet accidere. Hac vero tam inamiſſibili felicitate infantium, vehementiſſime opinio illius roboraretur erroris, qui gratiam Dei ſecundum merita hominum dari, audet contra fidem Catholicam prædicare. Videretur quippe inculpabili innocentia hoc tota æquitate deberi ut neminem eorum adoptio præteriret, quos nullus reatus perſtringeret: nec impie a quodam de parvulorum baptiſmo dictum fuiſſet: Habet gratia quod adoptet, non habet unda quod diluat. Sed hoc deteſtabiliter prædicatum omnes diſcipuli veritatis intelligunt: & inde manifeſtum eſt eos qui ſalvi fiunt, non merito, ſed gratia liberari, quia ſine baptiſmo mortuos periſſe non dubium eſt. Qui utique niſi graviſſimi peccati eſſent participes, non perirent. Nunc autem occulta quidem Dei diſcretione, ſed juſta, ſic oſtenditur & quid conferat gratia, & quid prævaricatrix mereatur natura: ut nec contra donum elevetur ſuperbia, nec contra periculum ceſſet induſtria.

* C. in add.
* C. morte.

Deum ob generalem gratiam omni tempore velle omnes ſalvos fieri: at peculiari gratia quoſdam tantum.

CAPUT XXV.

SIve igitur noviſſima contemplentur ſæcula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & pie creditur, omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe, & hoc non aliunde monſtratur, quam de iis beneficiis * eaque providentia Dei, quam univerſis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac ſunt hujuſmodi dona ita generalia, ut * per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum Deum poſſent homines adjuvari quibus donis authorem ſuum per omnia ſæcula proteſtantibus, ſpecialis gratiæ largitas ſuperfuſa eſt. Quæ licet copioſius nunc quam ante præſtetur, cauſas tamen diſtributionum ſuarum Dominus apud ſcientiam ſuam tenuit, & intra ſecretum potentiſſimæ voluntatis occuluit: quæ ſi omnibus uniformiter affluerent, non laterent. Et quam nulla eſt ambiguitas de benignitate generali, tam de ſpeciali miſericordia nihil quod ſtupendum eſſet, exiſteret, ac proinde illa eſſet gratia, iſta non eſſet, Deo autem placuit & hanc multis tribuere, & illam a nemine ſubmovere, ut ex utraque appareat non negatum univerſitati, quod collatum eſt portioni, ſed in aliis prævaluiſſe gratiam, in aliis reſiluiſſe naturam.

* C. quæ providentia Dei uni.g.e.a.
* C. ut ipſorum teſtimonio.

Quod in omnibus juſtificationibus gratia quidem principaliter præmineat, ſed voluntas ei ſubjungatur, quia gratia primo ſibi, tanquam receptricem & famulam donorum ſuorum præparat voluntatem.

CAPUT XXVI.

HAnc quippe abundantiorem gratiam ita * credimus atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur eſſe violentam, quo * quicquid in ſalvandis hominibus agitur, ex ſola Dei voluntate peragatur, cum etiam ipſis parvulis per alienæ voluntatis ſubveniatur obſequium. Gratia quidem Dei * in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum quod * ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, ſive occultos, ſive manifeſtos, omnibus adhibetur, & quod a multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem a multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ. Sive igitur initia, ſive profectus Fidelium, ſive uſque in finem * perſeverantium cogitemus * genus, nulla ſpecies cujuſquam virtutis occurrit, quæ vel ſine dono divinæ gratiæ, vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur. Ipſa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem vocat, primam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem: Nam virtus nolentium nulla eſt, nec poteſt aſſeri vel fidem, vel ſpem, vel charitatem eis ineſſe, quorum ab his bonis conſenſus alienus eſt.

* C. ita credimus benignum v. n. m.
* C. ſi quid inſ.
Caput. 9.
* C. omni juſtificatione.
* C. de add.
* C. perſeverantiam.
* C. nullum genus add.

Conſenſum voluntatis per gratiam gigni, non ſolum ex doctrina & illuſtratione, ſed etiam ex terrore & metu.

CAPUT XXVII.

HUnc autem conſenſum non ſolum cohortatio prædicantium & incitamenta doctrinæ, ſed * & metus gignit, propter quod ſcriptum eſt: *Principium ſapientiæ timor Domini*. Qui quantiſlibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam ut quem fecerit timentem, faciat & volentem, nec ſolum volentem, ſed etiam ſapientem. Unde & illud ſcriptum eſt: *Beatus cui donatum eſt habere timorem Dei*. Quid enim tam beatificum, quam hic timor, qui genitor eruditorque ſapientiæ eſt? In cujus utique devotione devota eſt & voluntas, * quæ authore gratiæ eodem proficit timore quo cœpit. Cum ergo hic timor etiam per quandam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur: ſed illa potius quæ mentem premebat caligo diſcutitur, ut voluntas depravata prius atque captiva, recte efficiatur & libera. Unde ſicut animus nihil virtutis capit, niſi radium veri acceperit luminis, ita gratia nihil ei quem vocat confert, niſi oculos in eo aperuit voluntatis. Quæ in pleriſque, ſicut ſuperius diſputatum eſt, ab ipſo initio ſui ardentiſſima * ſitis & magnis ditatur augmentis, in pleriſque autem tarde cunctanterque proficiens, vix ad ea incrementa provehitur, quæ idoneam ad perſeverandum habeant firmitatem. Dicit quidem Dominus: *Nemo venit ad me, niſi Pater*

* etiam C.
Prov. 9.
Eccl. 25.
* C. quo autore eodem proficit timore q. a.
* C. citis recte.
Joan. 6.

qui

qui miſit me, attraxerit eum. Sed hoc ideo dictum eſt, ut illam fidem, ſine qua nemo ad Chriſtum venit, ex patris haberi munere noverimus, ſecundum illud quod Apoſtolo [* C. Petro add.] * dicitur: *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & ſanguis non revelavit* [Marc. 16.] *tibi; ſed Pater meus qui in cœlis eſt*. Qui in cordibus trahendorum hoc egit ut crederent, hoc effecit ut vellent. Non enim eſſet unde traherentur, ſi ſequaces fide & voluntate non eſſent: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt; neque accedunt qui diſſentiunt, ſed recedunt. Qui ergo veniunt, amore ducuntur: dilecti enim ſunt, & dilexerunt, quæſiti ſunt & quæſierunt: & quod eos voluit Deus velle, voluerunt.

Poſſe eos qui gratia Dei in Chriſtum credunt, non credere, & eos qui perſeverant, a Deo recedere.

CAPUT XXVIII.

[* C. a add.] QUi * ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, ut etiam a perſeveraturis illam mutabilitatem quæ poteſt nolle, non auferat. Alioquin nemo unquam Fidelium receſſiſſet a fide: neminem concupiſcentia vinceret, neminem triſtitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigeſceret, nullius patientia frangeretur, & collatam ſibi gratiam nemo negligeret; ſed quia hæc poſſunt fieri, & in conſenſum talium tentationum, facilis nimium proclivisque deſcenſio eſt, nunquam debet in auribus Fidelium vox illa Domini non ſo- [Matth. 20.] nare, qua Apoſtolus dicit: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*. Ubi ſi de vigilando tantum, non etiam de orando diſcipulos admoneret, ſolas liberi arbitrii vires videretur hortatus. Sed cum addidit: *Et orate*, ſatis docuit ſuperni futurum muneris ut eos etiam vigilantes tentationis procella non [Luc. 22.] vinceret. Tale eſt & illud quod ait. *Simon, Simon,* [* C. cribraret.] *ecce Satanas poſtulavit ut vos * cerneret velut triticum, ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & tu tandem converſus, confirma fratres tuos, &* [* C. rogare.] *roga ne intretis in tentationem*. Si ergo defectura erat [* C. ea.] fides tanti Apoſtoli, niſi pro * eo Chriſtus oraret, inerat ei proculdubio mutabilitas, quæ poſſet in tentatione nutare. Et non ita jam perſeverantiæ fuerat virtute ſolidatus, ut nullis periculis eſſet obnoxius. Siquidem tam gravis eum perturbatio etiam poſt iſta concuſſerit, ut in Caiphæ domo unius ancillæ interrogatione pavefactus, uſque ad trinam negationem Chriſti (cui moriturum ſe ſpoponderat) conſtantia deficiente perductus ſit. Qui ergo tunc conturbatum cor Apoſtoli non humanis, ſed divinis convenit oculis, & ad largos pœnitudinis fletus potenti incitavit aſpectu, potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre diſcipulo, ut ſicut ipſum Dominum nihil ab explendæ Paſſionis propoſito deterrebat, ita nec beatum Petrum ulla tunc formido ſuperaret. Sed hæc ſtabilitas illius tantummodo propria fuit qui ſolus vere potenterque dice- [Joan. 10.] bat: *Poteſtatem habeo ponere animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumere eam*. In cæteris vero [Gal. 5.] [Matth. 26.] hominibus, donec *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, & donec ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, incommutabilis animi fortitudo non poteſt reperiri, quoniam non hujus, ſed alterius vitæ eſt * vere per- [* C. veræ pacis per.] fecta & ſecura felicitas: in præſentis autem agonis [* C. inſidiantis.] incerto, ubi tota vita tentatio eſt, & ab * inſidianti [Job. 7.] ſuperbia nec ipſa eſt tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris Sanctis ſuis donet virtutem perſeverandi uſque in finem divina [* C. aufertur.] protectio, a nullis tamen aufert quod ipſis repugnat ex ipſis, ut in omnibus ſtudiis eorum atque conatibus ſemper inter ſe velle & nolle * decertet. [* C. decertent.] Quam compugnantiam idem beatiſſimus Petrus etiam in ipſa palmarum omnium conſummatione perpeſſus eſt. Si quidem hoc * ipſe Dominus proteſte- [* C. Ipſi] tur & dicat: *Amen, Amen dico tibi; quando juve-* [Joan. 21.] *nis eras, præcingebas te, & ambulabas ubi volebas, cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te præcinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte glorificaturus eſſet Deum.* Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortiſſimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis ſumpſit & nominis, hoc deſiderium ſem- [Matth. 16.] per habuiſſe, ut ei * moriendi pro Chriſto conſtan- [* C. moriendo pro Chriſto con.] tia donaretur? Veruntamen ita inevitabilis erat obluctatio trepidationis, ut vir martyrii avidiſſimus, adepturus quidem denunciaretur victoriam paſſionis, ſed non ſine tentatione formidinis. Merito igitur non ſolum ab incipientibus, verum etiam a * provectiſſimis Sanctis uniformiter Domino ſup- [* provectis C.] plicatur & dicitur: *Ne nos * inducas in tentationem,* [Matth. 6.] [* C. inferas.] *ſed libera nos a malo*. Univerſis enim qui in fide & dilectione permanent, ab ipſo donatur ne in tentatione ſuperentur, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Ipſamque gloriam iiſdem quibus eam impertit, aſcribit: ut quamvis auxilio Dei ſteterint, tamen, quia in ſe habebant unde caderent, ipſorum ſit meritum quod ſteterunt. Igitur ſicut [1. Cor. 1.] qui crediderunt, juvantur ut in fide maneant: ſic & qui nondum crediderunt, juvantur ut credant. Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate ut exeant; ita & iſti in ſua habent poteſtate ne veniant. Fitque manifeſtum quod diverſis atque innumeris [1. Tim. 2.] modis omnes homines vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ſed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, ſua pertinacia reluctantur.

Promiſſio benedictionis omnium gentium ita completur quotidie, ut nec pereuntibus ſit excuſatio juſta, nec ſalvatis de ſua juſtitia gloriatio.

CAPUT XXIX.

QUamvis * autem multi amantes tenebras ſuas, [* C. enim.] ſplendorem non recipiant veritatis, & mul- [Iſa. 40.] ti qui illuminati fuerant, tenebreſcant, verbum tamen Dei manet in æternum, & de promiſſionis veritate nihil excidit. Intrat quotidie præſcita & promiſſa gentium plenitudo, & in Abrahæ ſemine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur. Quod enim Pater Filio dedit, filius [Joan. 6. & 10.] non amittit, neque quiſquam poteſt de manu ejus * eripere quod accepit. Firmum fundamentum Dei [2. Tim. 2.] [* C. rapere.] ſtat, & manſuri in æternum templi ædificatio non vacillat, prætenta ſuper omnes veritate & miſericordia Dei: a quo quod & nemini negatur, & nulli debetur, in iis quos promiſit, efficitur. Ipſe enim operatur omnia in omnibus. Sed omnia proculdubio juſta & bona. *Univerſæ enim viæ Domini* [1. Cor. 12.] *miſericordia & veritas*. Qui ſicut præſcivit ante [Pſal. 24.] ſecula, quanta totius mundi hominum multitudo vel communibus uſa donis, vel ſpecialibus adjuta præſidiis, declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ, ingreſſura eſſet latitudinem erroris & mortis: ita ſemper præcognitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ & per ſervitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret: uti nullo excidente, de plenitudine promiſſorum, qui nec provectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus

quos

Digitized by Google

quos elegit ex omnibus. Univerſitati quippe hominum, quod abunde probavimus, ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper & conſulit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis, neque cuiquam ſit liberum de ſua juſtitia gloriari, cum & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & iſtos Dei gratia perducat ad gloriam.

Repetitio primi capitis libri ſecundi.

CAPUT XXX.

Caput 10. QUod itaque in principio ſecundi hujus voluminis inſinuavimus, hoc nunc iterum commendamus, ut cum de gratiæ profunditate & altitudine diſputatur, tribus illis ſaluberrimis & veraciſſimis diffinitionibus ſimus innixi. Quarum una profitetur æternum & proprium divinæ eſſe bonitatis, ut omnes homines ſalvos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Alia ſimul prædicat, omnem hominem qui ſalvus fit, quique in agnitio-
1. Tim. 2. Gal. 5. nem veritatis venit, Dei auxilio juvari & regi, utique in fide quæ per dilectionem operatur, permaneat cuſtodiri. Tertia vero temperanter & ſobrie proteſtatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi poſſe ratione, & multas divinorum operum cauſas ab humana intelligentia eſſe ſubductas: ut cum in temporibus, in nationibus, in familiis, in parvulis, in nondum natis & * genitis quædam aut varie aut
* C. geminis * ambigamus. * tranſitorio. * C. ſpe ad. inſigniter geſta noſcuntur, non * ambigimus ea ex illis eſſe quæ juſtus & miſericors Deus in hoc * tranſituro ſeculo noluit ſciri. Quod quidem ad utilitatem noſtram depoſitum ſentiendum eſt, ut quoniam * ſalvi facti ſumus, cui præparavit Deus quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, ſicut conſtanter credimus, videndum quod nondum videmus, ita patienter expectemus intelligendum quod nondum intelligimus. Si ergo eſſet inſidioſa malignitas, ſi inſolens præſumptio conquieſcat: his recte (ut arbitror) pertractatis, nullius ſupereſt cauſa certaminis, neque ultra neceſſe eſt nos interminabilibus quæſtionibus occupari.

Omnibus ſeculis adfuiſſe omnibus hominibus generalem Dei bonitatem; ſed tantum ſalvandis peculiarem gratiam.

CAPUT XXXI.

ELaboratum eſt enim, quantum Dominus adjuvit, ut non ſolum in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus affuiſſe, providentia quidem pari & bonitate generali; ſed multimodo opere, diverſaque menſura: quoniam ſive occulte,
* C. multimoda diverſaque [ſine opere] ſive manifeſte, ipſe eſt (ut Apoſtolus ait) Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis & validiſſimi roboris ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc (de qua egimus) controverſiam dirimit. Dicendo enim: Qui eſt Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem. Adjiciendo autem, Maxime fide-
1. Tim. 4. lium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inſpiratæ, ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur: quod utique nulla iniquitate agitur juſtiſſimi & miſericordioſiſſimi Dei cujus judicium in his diſpenſationibus non cum arrogantia diſcutiendum, ſed cum tremore laudandum eſt.

Inter Fideles varios eſſe gradus munerum Dei, idque non ex meritis eorum, ſed juſto & latenti Dei judicio.

CAPUT XXXII.

SIquidem in ipſis quoque Fidelium populis (quod jam ſuperius oſtenſum eſt) non eadem omnibus nec paria conſerantur, & ante ulla humanorum pondera meritorum, diſſimillima divinorum menſura ſit munerum. Si enim de parentium carnalium judiciis conqueri non audemus, cum aliquos filios ſuos ante ulla morum examina, ante aliqua pietatis obſequia, indulgentiore amplectuntur affectu: in dominis quoque erga famulos libera eſt diſpoſitio, nec juſte a quoquam reprehenditur, qui de unius conditionis familia quoſdam ſibi quos benignius honeſtaret, & quos liberius erudiret, elegit: nunquid de ſummi patris & veri domini benevolentiſſima æquitate cauſandum eſt, quod in magna domo ejus innumeris differentiis univerſa variantur? Cumque nemo aliquid boni habeat quod non ille donaverit, non omnes tamen iiſdem virtutis micant, aut eadem chariſmatum dote ditantur. Nec poſſumus hanc diverſitatem graduum cauſis aptare meritorum, cum totius boni meriti principalis cauſa ſit gratia, de cujus opibus ſumitur quicquid in ſingulis probabile reperitur.

Nemo perit, qui perire non debet: ſed omnes ab æterno electi ſalvi fiunt.

CAPUT XXXIII.

SIcut ergo de iis quæ intra Eccleſiam multiformiter Spiritus ſanctus operatur, impium eſt ullam querelam corde concipere: ita etiam de illa providentia quæ Infidelibus præſidet, nullatenus murmurandum eſt. Quoniam & juſtus & bonus arbiter nec voluntatis iniquæ eſt, nec diſcretionis incertæ, ut ſub immenſa omnipotentis Dei miſericordia atque juſtitia putemus quod quiſquam pereat, qui perire non debeat. Nulla para mundi ab Evangelio vacat Chriſti. Et licet illa generalis vocatio quieſcat, tamen etiam iſta ſpecialis jam univerſis eſt facta communis. Ex omni gente, & ex omni conditione adoptantur quotidie millia ſenum, millia juvenum, millia parvulorum: & affectibus gratiæ Chriſtianæ, etiam ipſa quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quam multos enim qui in tranquillitate pacis ſacramentum baptiſmatis ſuſcipere differebant, ad aquam regenerationis * con- * C. conſurgere.
fugere inſtantis periculi metus impulit; & lentis tepidiſque animis quod diu cohortatio quieta non ſuaſit, minax ſubito terror extorſit? Quidam Eccleſiæ filij ab hoſtibus capti, dominos ſuos Chriſti Evangelio manciparunt, & quibus conditione bellica ſerviebant, eiſdem fidei magiſterio præfuerunt. At alij barbari dum Romanis auxiliantur, quod in ſuis locis noſſe non poterant, in noſtris didicere regionibus, & ad ſedes ſuas cum Chriſtianæ religionis inſtitutione remearunt. Ita nihil obſiſtere divinæ gratiæ poteſt, quominus id quod voluerit impleatur, dum etiam diſcordiæ ad vanitatem trahunt, & plagæ in remedia vertuntur, ut Eccleſia unde metuit periculum, inde ſumat augmentum. Ad quoslibet igitur rerum humanarum exitus ſe noſtra convertat inſpectio, nulla ſecula, nulla negotia,

nul-

nullos generationum ortus atque deceſſus ab æternis & inſcrutabilibus judiciis Dei vacare reperiet. Omnes varietatum compugnantiæ, & univerſæ diſſimilium proventuum cauſæ, quas inveſtigare & diſcernere non valemus, in illa æterna ſcientia ſimul notæ, ſimulque diviſæ ſunt. Et nihil ibi inordinatum eſt, etiam de necdum exiſtentium qualitatibus actionum. Quoniam non eſt in Deo accidens motus, aut nova voluntas, aut temporale conſilium, nec cogitatio ejus cum rerum mutabilium inæqualitate variatur, ſed cuncta pariter tempora & temporalia, ſempiterno ac ſtabili comprehendit intuitu, & omnibus omnia jam retribuit,* qui quæ ſunt futura, jam fecit. Hinc illud eſt beati Pauli Apoſtoli ſcribentis ad Epheſios: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus, in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ ſuæ*, & cætera quæ ſibi ejuſdem ſenſus prædicatione connectit, docens donum atque opus gratiæ in æterno ſemper Dei manſiſſe conſilio, omneſque adoptionis filios non ſolum in eo tempore quo jam exiſtentes vocati ſunt, ſed etiam prius quam mundus * conderetur, electos. In qua electione quicquid hominum in Chriſto præcognitum non eſt, nulla eidem ratione ſociabitur. Omnes enim qui in regnum Dei de cujuslibet temporis vocatione venturi ſunt, in iſta quæ ſecula cuncta præceſſit adoptione ſignati ſunt. Et ſicut nullus infidelium in hac ſorte numeratus, ita nullus piorum ab hac ſorte diſcretus eſt. De plenitudine quippe membrorum corporis Chriſti, præſcientia Dei, quæ falli non poteſt, nihil perdit, & nullo detrimento minui poteſt ſumma præcognita, atque in Chriſto ante ſecula æterna prælecta, ſicut ad Timotheum ſcribens Apoſtolus, dicit: *Collabora Evangelio ſecundum virtutem Dei, qui nos liberavit & vocavit vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora æterna.*

*C. quæque. Epheſ. 1. — *C. conſtitueretur. — 2 Tim. 1.

Non fruſtra laborari ad acquirenda bonorum operum merita, vel orationibus inſiſti: quamvis incommutabile ſit Dei propoſitum ſuper ſalute electorum.

CAPUT XXXIV.

CONtra hanc invictæ veritatis ſplendidiſſimam lucem ſolent quidam non ſobrie dicere, ſuperfluo ad acquirenda bonorum operum merita laborari, fruſtra etiam orationibus quibus Deus exorandus ſperatur, inſiſti, ſi ex incommutabili propoſito ejus Chriſtianæ gratiæ ſubſiſtit electio, nec aliter quicquam procedere poteſt, quam omnipotentis voluntate diſpoſitum eſt. Sed qui ſe ingenioſe hoc arbitrantur opponere, non intelligunt ſcientiam Dei, quæ & præterita, & præſentia, & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conſpectu ejus aſtare ea quæ gerenda ſunt, quam illa quæ aut geruntur, aut geſta ſunt. Quod cum veriſſimum ſit, non indiget mora cernendi & diſcernendi illa virtus quæ perpetuo utroque contuitu creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda ſimul aſpicit; & quicquid in univerſitate rerum per ſecula præfinita evolvitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo jam ordine comprehendit quam ex ipſius ſummo illo perfectoque judicio mundi hujus finis accipiet. Hæc autem æterna & ſemper tranquilla cognitio, nulla vos urget neceſſitate peccandi, nec inde manat iniquitas, unde juſtitia. Quia cum bonus Deus omnia bona fecerit, & mali nulla ſit omnino natura, a liberis voluntatibus, quas utique bonum fuit liberas fieri, ſpontanea eſt orta tranſgreſſio, & natura mutabilis, cujus incolumitas ab incommutabili pendebat eſſentia, a ſummo ſe bono, dum proprio perverſe delectatur, abrupit, cui nunc ruinæ medetur gratia Dei.

Gratia datur electis, non ut otientur, vel a nullo hoſte impetantur: ſed ut bene operentur, & hoſtem vincant.

CAPUT XXXV.

ET propterea Jeſus Chriſtus venit in hunc mundum, ut ſolvat opera diaboli: quæ utique ſic ſolvuntur, ut in deſtructione eorum etiam ab iis quibus ſuccurritur, laboretur, quoniam & hoc a ſalvante donatur. Ideo beatus Apoſtolus: *Non ſolum autem*, inquit, *ſed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Itemque idem ad Epheſios: *Gratia*, inquit, *ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur: Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Deus ergo his quos eligit ſine meritis, dat unde ornentur & meritis. Et fruſtra dicitur, quod ratio operandi non ſit in electis, cum etiam ad hoc operentur ut electi ſint. Virtutum quippe munera otioſa eſſe non poſſunt: *Quoniam*, ſicut veritas ait, *omni habenti dabitur, non habenti autem etiam quod habet, auferetur ab eo.* Non igitur ad hoc datur continentia, ut concupiſcentiis non repugnet. Nec ideo cuiquam tribuitur ſapientia & intellectus ut non die ac nocte in Domini lege meditetur. Quid agit donum dilectionis, ſi benevolentiæ ſollicitudo non vigilat? Quis fructus eſt patientiæ, ſi non habet fortitudo quod toleret? Aut quomodo in Chriſto pie vivere oſtenditur, qui nulla perſecutione pulſatur? Vel pax quæ eſt a Deo & cum Deo, nunquid bene quieta eſt, ſi non diſcordat a mundo? Aut amor Dei poterit ſine diaboli inimicitiis obtineri? Neminem prorſus Dei gratia intentabilem facit. Neque ob hoc cœleſtium armorum præſidio a dexteris & ſiniſtris inſtruitur Chriſtiana militia, ut nullo cum hoſte confligat, cum laudabilius ſit * atque * fœlicius pugnantem non potuiſſe vinci, quam deſidem non potuiſſe tentari.

Rom. 5. — 1. Joan. 5. — Epheſ. 2. — Matth. 25. — Pſal. 1. — 2. Tim. 3. — *C. utique. * vox, felicius abeſt a C.

Electio non tollit orandi ſtudium; ſed ejus effectus per orationem & bona opera completur.

CAPUT XXXVI.

ORationum vero ſollicitudinem divinæ electionis propoſito non reſolvi, uno teſtimonio evidenter probabo, ut cætera ſtudio brevitatis omittam. In libro igitur Tobiæ ad filium ejus Tobiam Raphael Angelus dicit: *Memor eſto mandatorum patris tui, quoniam præcepit tibi accipere debere uxorem de genere patris tui. Et nunc audi me, frater, noli computare dæmonium illum, ſed poſtula eam. Et ſci-* Tob. 6.

ſo

to quoniam dabitur tibi hac nocte uxor, & cum intraveris in cubiculum, tolle de jecore piſcis illius, & impone ſuper carbones, & odor manabit, & odorabitur illud dæmonium, & fugiet, & non apparebit circa illam omnino in perpetuum. Et cum cœperis velle eſſe cum illa, ſurgite primum ambo, & deprecamini Dominum cœli, ut detur vobis miſericordia & ſanitas. Et nolite timere; tibi enim deſtinata eſt ante ſecula, & tu eam ſanabis. Quamvis ergo quod ſtatuit Deus, nulla poſſit ratione fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrii devotio relaxatur; cum implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus; ut per laborem operum, per inſtantiam * ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum; & qui bona geſſerint, non ſolum ſecundum propoſitum Dei; ſed etiam ſecundum ſua merita coronentur. Ob hoc enim in remotiſſimo ab humana cognitione ſecreto, præfinitio hujus electionis abſcondita eſt.

* C. ſupplicantium.

De nullo ante finem vitæ hujus pronunciari poteſt quod in electorum gloria ſit futurus: et nullius lapſi eſt deſperanda reparatio.

CAPUT XXXVII.

ET de nullo ante ipſius finem pronunciari poteſt, quod in electorum gloria ſit futurus, ut perſeverantem humilitatem utilis metus ſervet; *et, qui ſtat, videat ne cadat;* * & ſi forte aliqua victus tentatione corruerit, non abſorbeatur triſtitia, nec de ejus miſeratione diffidat, qui allevat omnes qui * ruunt, & erigit omnes eliſos. Dum enim in hoc corpore vivitur, nullius eſt negligenda correctio, nullius eſt deſperanda reparatio. Oret itaque ſancta Eccleſia: & pro iis qui crediderunt, gratias agens, proficientem eis perſeverantiam petat: pro iis autem qui extra fidem ſunt, poſcat ut credant. Nec ideo ab obſecrationibus ceſſet, ſi pro aliquibus exaudita non fuerit. Deus enim qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire, non poteſt quemquam ſine juſtitia refutare.

* C. ac. 1. Cor. 10.
* C. corruunt.
Pſal. 144.
1. Tim. 2.

F I N I S.

PRÆ-

PRÆTERITORUM SEDIS APOSTOLICÆ
EPISCOPORUM
AUTORITATES
DE GRATIA ET LIBERO VOLUNTATIS ARBITRIO
A SANCTO LEONE
ROMANÆ ECCLESIÆ TUNC DIACONO
POSTMODUM EPISCOPO COLLECTÆ.
TITULI SENTENTIARUM.

1 *Quod Adam omnes homines læſerit, nec quemquam niſi gratia poſſe ſalvari.*
2 *Quod nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione ejus, qui ſolus eſt bonus.*
3 *Quod niſi gratia Dei continua juvemur, inſidias diaboli ſuperare non poſſumus.*
4 *Quod per Chriſtum libero bene utamur arbitrio.*
5 *Quod omnia Sanctorum merita dona ſint Dei.*
6 *Quod omnis ſancta cogitatio & motus piæ voluntatis ex Deo ſit.*
7 *Quod gratia Dei non ſolum peccata dimittit, ſed etiam adjuvat ne committantur, & præſtat ut lex impleatur, non, ſicut ait Pelagius, facile, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſſit impleri.*
8 *Quod, præter Statuta ſedis Apoſtolicæ, omnes Orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur.*
9 *Quod gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cum exorciſmis & exſufflatione ſpiritus ab eis abiguntur immundi.*
10 *Quod profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitus aſſerendæ.*

PRÆFATIO.

QUia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum ſenſibus, ſeu pravitate, ſive imperitia demorantes, piiſſimis diſputatoribus obviare præſumunt; & cum Pelagium atque Celeſtium anathematizare non dubitent, Magiſtris tamen noſtris, tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur, eaque tantummodo ſequi & probare profitentur, quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli Petri ſedes contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit & docuit: neceſſarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicarint, & contra nocentiſſimos liberi arbitrii defenſores quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint; ita ut etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias jungeremus, quas utique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, cum probarunt. Ut ergo plenius qui in aliquo dubitant, inſtruantur, conſtitutiones Sanctorum Patrum compendioſo manifeſtemus indiculo, quo, ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum Autoritatum brevitate pendere, nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, cum catholicis credat, & dicat:

Eorum tantum Pontificum Decreto excerpit, quorum temporibus exorta hæreſis Pelag.

1 *Quod Adam omnes homines læſerit, nec quemquam, niſi Chriſti gratia, poſſe ſalvari.*

IN prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem, & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerentis erexerit; pronunciante beatæ memoriæ Papa Innocentio, atque dicente in epiſtola ad Carthaginenſe Concilium: *Libero enim arbitrio olim ille perverſus, dum ſuis inconſultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda, demerſus eſt, & nihil, quemadmodum exinde reſurgere poſſet, invenit; ſuaque in æternum libertate deceptus, hujus ruina ſubjacuiſſet oppreſſus, niſi eum poſtea Chriſti per ſuam gratiam revelaſſet adventus, qui per novæ regenerationis purificationem, præteritum omne vitium ſui baptiſmatis lavacro purgavit.*

Innocentii ep. 31. *In requirendis* Habetur inf. in Cod. Rom. c. 7.

Cap. 4. poſt med. *al.* Liberum enim arbitrium olim ille perpeſſus.

2 *Quod nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione ejus qui ſolus eſt bonus.*

NEminem eſſe per ſemetipſum bonum, niſi participationem ſui ille donet, qui ſolus eſt bonus: quod in eiſdem ſcriptis ejuſdem Pontificis ſententia proteſtatur dicens: *Nam quid nos de eorum poſt hæc rectum mentibus æſtimemus, qui ſibi ſe putant debere quod boni ſunt; nec illum conſiderant cujus quotidie gratiam conſequuntur, qui ſine illo tantum ſe aſſequi poſſe confidunt.*

In ead. epiſtola, c. 2. in fin.

3 *Quod niſi gratia Dei continua juvemur, inſidias diaboli ſuperare non poſſumus.*

NEminem, etiam baptiſmatis gratia renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias,

niſi

Nemo perſeverat, niſi qui perſeverantiam accipit.

In ead. ep. c. 4.

niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit. Quod ejuſdem antiſtitis in iiſdem paginis: *Nam quamvis hominem redemiſſet a præteritis ille peccatis, tamen ſciens illum iterum poſſe peccare, & ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum & poſt iſta corrigere, multa ſervavit, quotidiana præſtans illa remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

4 *Quod per Chriſtum libero bene utamur arbitrio.*

Cap. 1. ep. Innocent. 24. ad Concil. Milevit. quæ habetur inſ. in Cod. Rom. cap. 9.

QUod nemo niſi per Chriſtum libero bene utatur arbitrio, idem magiſter in epiſtola ad Milevitanum Concilium data prædicat, dicens: *Adverte tandem, o praviſſimarum mentium perverſa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipſa decepit, ut dum indulgentius frænis ejus utitur, in prævaricationem præſumtione conciderit; nec ex hac potuerit erui, niſi ei providentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet adventu.*

5 *Quod omnia ſanctorum merita dona ſint Dei.*

QUod omnia ſtudia, & omnia opera ac merita ſanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda ſunt: quia nemo aliunde ei placeat, niſi ex eo quod ipſe donaverit. In quam nos ſententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zoſimi regularis Autoritas, cum ſcribens ad totius Orbis Epiſcopos ait: *Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim bona ad autorem ſuum referenda ſunt, unde naſcuntur) ad Fratrum, & coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam univerſa retulimus.* Hunc autem ſermonem ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem tanto Afri Epiſcopi honore venerati ſunt, ut ita ad eundem virum ſcriberent: *Illud vero quod in litteris, quas in univerſas provincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens:* Nos tamen inſtinctu Dei, &c. *ſic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſiens amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quam quod univerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſti, & tandem inſtinctu Dei quod factum eſſe fideliter ſapienterque vidiſti, veraciter fidenterque dixiſti?* *Ideo utique, quia* præparatur voluntas a Domino, *ut boni aliquid agant paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangat corda fidelium.* Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt: *ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.*

Apud S. Proſperum contra collatorem, c. 20.

Prov. 8. 35. *juxta* 70. *Rom.* 8. 14.

6 *Quod omnis ſancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo ſit.*

QUod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit: quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. Ad hanc enim nos profeſſionem idem doctor inſtituit, qui cum ad totius Orbis Epiſcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur: *Quod ergo*, ait, *tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſſis, cogitationibus, motibus, adjutor, & protector orandus eſt. Superbus eſt enim, ut quicquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo:* Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed contra principes, & poteſtates aeris hujus, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. *Et ſicut ipſe iterum dicit:* Infœlix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Et iterum*, Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus illis omnibus laboravi. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.

Alia Zoſimi epiſt. quæ non extat.

Ephes. 6. 12.

Rom. 7. 24. & 25.

1. *Cor.* 15. 10.

7 *Quod gratia Dei non ſolum peccata dimittat, ſed etiam adjuvet ne committantur, & præſtet ut lex impleatur, non ſicut ait Pelagius, facile, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſſit impleri.*

ILlud etiam, quod intra Carthaginenſis ſynodi decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ ſedis amplectimur, quod ſcilicet tertio capitulo definitum eſt, ut *Quicunque dixerit gratiam Dei, qua juſtificamur per* Jeſum *Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit.* Et iterum quarto capitulo: *Ut quiſquis dixerit, gratiam Dei per* Jeſum *Chriſtum propter hoc nos tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit. Cum enim dicat Apoſtolus:* Scientia inflat, charitas vero ædificat; *valde impium eſt, ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, & ad eam, quæ ædificat, non habere, cum ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate, ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem de Deo ſcriptum eſt:* Qui docet hominem ſcientiam, *ita etiam ſcriptum eſt:* Charitas ex Deo eſt. Item quinto capitulo: *Ut quiſquis dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, poſſimus implere per gratiam; tanquam, ſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit: de fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius poteſtis facere; ſed ait:* Sine me nihil poteſtis facere.

1. *Cor.* 8.

Pſ. 93. 10.

1. *Joan.* 4. 7.

Joan. 15. 5.

8 *Quod præter ſtatuta ſedis Apoſtolicæ, omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur.*

PRæter beatiſſimæ & Apoſtolicæ Sedis inviolabiles ſanctiones, quibus nos piiſſimi patres, peſtifera novitatis elatione dejecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis uſque in finem perſeverantiam ad Chriſti gratiam referre docuerunt; obſecrationum quoque ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita, in toto mundo atque in omni Catholica Eccleſia uniformiter celebrantur,

Digitized by Google

tur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cum enim ſanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt cauſſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ, ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, ut ſchiſmatici ſpiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis ſacramenta perductis cœleſtis miſericordiæ aula reſeretur. Hæc autem non perfunctorie, neque inaniter a Domino peti, rerum ipſarum monſtrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferat in regnum filii charitatis ſuæ, & ex vaſis iræ faciat vaſa miſericordiæ: quod adeo totum divini operis eſſe ſentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

Publicæ preces feria ſexta hebdomadæ ſanctæ fieri ſolitæ, per totum Orbem ex Traditione Apoſtolica.
Coloſſ. 1. 13.
Rom. 9. 22.

9 *Quod gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cum exorciſmis & exſufflationibus ſpiritus ab eis abiguntur immundi.*

ILlud etiam quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplemur intuitu: cum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt ſacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorciſmis & exſufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur: ut tunc vere appareat quomodo *princeps mundi hujus mittatur foras*, & quomodo prius *alligetur fortis*, & deinceps *vaſa ejus diripiantur*, in poſſeſſionem translata victoris, qui *captivam ducit captivitatem*, & *dat dona hominibus*.

Joan. 12.
Joan. 12. 31
Mat. 12. 29.
Marc. 3. 27.
Pſ. 67. 19.
Epheſ. 4. 8.

His ergo Eccleſiaſticis regulis, & ex divina ſumtis autoritate documentis, ita adjuvante Domino conformati ſumus, ut omnium bonorum effectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur autorem, & non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præveniri, qua fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur: ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum. Tanta eſt enim erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona & pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult, & velimus agamus, nec otioſa eſſe in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei, ac ſi quid nobis ex noſtra viderimus remiſſione langueſcere, ad illum ſolicite recurramus, *qui ſanat omnes languores noſtros, & redimit de interitu vitam noſtram*; & cui quotidie dicimus: *Ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos a malo.*

Gratia Dei præveniens omnia merita noſtra non aufert libertatem.

Ipſum bonum velle Deus in cordibus noſtris operatur, ipſumque inſuper operari.
Pſ. 102. 3.
Mat. 6. 13.

10 *Quod profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitus aſſerendæ.*

PRofundiores vero, difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere: quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis non ſcripta docuerunt: ut prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium.

al. occurrentium.

F I N I S.

D. LEONIS MAGNI PAPÆ I.

AD SACRAM VIRGINEM DEMETRIADEM,

Magnis præconiis veram humilitatem exaltantis, adverſantemque illi ſuperbiam digna vituperatione confundentis, ac per hoc ipſam ad elationem cavendam & præſidio ſinceræ humilitatis armandam perſuadentis

EPISTOLA.

LEO Epiſcopus ſacræ virgini Demetriadi. Cum ſplendidiſſimæ ſanctimoniæ tuæ ſublime propoſitum ſuper humilitatis fundamenta conſiſtere, pie & ſapienter intelligis: in hoc uſque, o ſacra virgo Demetrias, dignationem tuæ dignitatis inclinas, ut provectiones etiam meo ſtilo exigas adjuvari. Quod ego, ad tenuitatem facultatis meæ reſpiciens, omnibus modis recuſarem: neque tam maturo & erudiro animo cohortatiunculas meas adhibere præſumerem, niſi fiduciam efficiendi id quod jubetur, a jubente conciperem: & tuis meritis atque orationibus confiderem eſſe præſtandum, ut oriatur in deſerto aqua; & fiant in ſicca terra flumina. [Pſal. 104. Pſal. 18. Sap. 10.] Unde collaborandum tibi mecum eſt, ut qui ſapientiam præſtat parvulis, & linguas mutorum facit diſertas, jubeat de cordis mei ariditate profluere, quod ſitis tua digne poſſit haurire. Quæ ergo materia ſtylo dabitur? & unde loquendi tecum cauſa ſumetur? Si laudes tuas ſcribere aggrediar, & Majorum ſeriem quæ per te multum illuſtratur, evolvam: oneroſum me forte & impudentem videri poſſe arbitror, qui vel humanæ tibi gloriæ tentationem adulando ingeram, vel tuis ac tuorum prædicationibus ingenium meum par eſſe præſumam. Si vero de commendando virginitatis bono diſſeram, ſuperflua erit ejus nunc propoſiti inſinuatio, quod tu a primo ætatis tuæ flore ſive humanis cohortationibus elegiſti: & de quo inter ipſa principia multi qui tunc in Eccleſia præeminebant, merito non ſiluerunt. Valde enim mirabile erat, & inter præcipua divinæ gratiæ exempla numerandum; quod virgo Anicia ſuper omnes faſtigium trahens beatæ nobilitatis evecta, de cujus fœcunditate avis atque atavis reſponſura poſteritas, & familiæ votis expectabatur, & patriæ, converſo repente animo, deſiderio cœleſtium nuptiarum declinaſti mortale conjugium, & ut omnem proſapiam tuam etiam hujus virtutis titulo conſecrares, primam ſtirpis tuæ perpetuam virginem Filio virginis ſpopondiſti. Illam ergo ætatem tuam & illa principio rationabiliter doctiſſimi viri ſuis adhortationibus incitarunt. Et licet plantationi ſuæ ſummus agricola valida ad provectum tuum incrementa præberet; cooperatores tamen gratiæ Dei opportune piam adhibuere culturam, ut germen tenerum fortitudinis robur acciperet & dignos generoſitate ſua fructus propoſiti tui arbor afferret. Noſtris autem paginis quid erit loci? & poſt ornatiſſima ſcripta excellentium magiſtrorum quid utilitatis in eo quem indicere dignata es, ſermone reperies: niſi forte, quia & illorum in doctrinis & tuis ſtudiis ad ſublimiores gradus virtutum conſuetudo proficit, cavendæ te elationis admoneam, & humilitatis tibi ſinceritatem fida ſignificatione commendem, ut in omnibus actionibus in quibus tibi es bene conſcia, nunquam audeas eſſe ſecura. De hoc igitur congruentiſſimo tibi & ſaluberrimo bono quod Dominus donaverit, diſſeramus: ut inſpectioni noſtræ non tantum viſibilia ejus, ſed etiam occulta referentur. Eſt enim multiplex virtutis iſtius qualitas; & licet in exterioribus quoque pulchra ſit, in intimis tamen ſuis multo eſt ſpecioſior, multoque luculentior; ubi nihil obſcurum, nihil turbidum, nihil eſt inquietum; quia *pax multa diligentibus legem Dei, & non eſt illis ſcandalum.* [Pſal. 8.] Acceſſuri autem ad beatæ humilitatis intuitum, omnem illam abjectionem, [* objectionem.] quæ ignavos & inconſtantes animos deprimit, repellamus. Nec generale nomen ita nos a judicio diſcretionis excludat; ut omnes quoquo modo humiles putemus eſſe laudabiles. Imitatur quidem plerumque neceſſitas voluntatem, & ab imagine modeſtiæ parum differt forma ſegnitiæ. Sed aliud eſt quod gravat, aliud quod exercet; nec in eundem finem venit labor indeclinabilis miſeriæ, & expetitæ fortitudo patientiæ. Unum eſt paupertatis vocabulum, ſed non una mens pauperum; quia non idem eſt gaudere bene expenſis divitiis, quod aut gemere de non acquiſitis, aut dolere de perditis. Timoris etiam quo Deus metuitur, nulla eſt in appellatione diſtinctio. Sed aliud eſt timere quia peccaveris, aliud timere ne pecces; & ibi eſt formido de ſupplicio; hic ſollicitudo de præmio. Ob hoc enim de illo ſervili metu dicitur quia perfecta charitas foras mittit timorem. De hoc vero liberali: *Timor Domini manens in ſæculum ſæculi.* [1. Joan. 4.] Remota itaque illa ſpecie humilitatis quæ tota ſine fructu eſt, voluntarios tantum pendamus affectus. Qui etiamſi in gradibus meritorum inveniuntur impares; non ſunt tamen ab ipſa virtute diſcordes. [Pſal. 18.] Prima ergo humilitatis ratio in communis vitæ verſatur officiis; quibus & divina clementia conciliatur, & ſocietas humana connectitur. Multum enim ad roborandum dilectionem valet; cum ſecundum doctrinam Apoſtolicam invicem ſe homines honore præveniunt; & alteri alterum ſuperiorem exiſtimantes amant ſervire ſubjecti, & neſciunt tumere prælati: [Rom. 12.] cum & pauper divitem non ſibi dubitat anteferre, & dives pauperem ſibi gaudet æquare: cum & ſublimes non ſuperbiunt de claritate proſapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ. Cum denique non plus tribuitur magnis opibus quam bonis moribus, nec major ducitur phalcrata iniquorum potentia quam rectorum inhonora juſtitia. Ab hoc æquo & modeſto jure concordiæ, in quo nullum de gradu ſuperiore certamen, nec fœlicitas aut inflat propria, aut urit aliena: pulchre & mirabiliter a pleriſque proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ & ſe extra omnem conſtituit dignitatem, & mavult apta eſſe injuriis accipiendis quam idonea repellendis, ut impleatur quod ait Dominus: *Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium: Et quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo et alia duo.* [Matth. 5.] Illud quod Apoſtolus docet dicens: *Quare non magis injuriam* [1. Cor. 6.]

ac-

1. Cor. 6. *accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Tales
1. Cor. 8. enim multum ad imitationem ipſius Domini noſtri
1. Pet. 2. & Salvatoris accedunt: *qui cum dives eſſet, pau-
per factus eſt, & cum malediceretur, non maledice-
bat: & percutienti ſe non comminabatur*: Et quo-
Matth. 5. niam dixerat. *Diligite inimicos veſtros, benefacite
iis qui vos oderunt*: ut hujuſmodi benevolentiam
confirmaret exemplo, ipſe pro iis a quibus crucifige-
batur, orabat. Qui ergo fideliter & ſcienter intel-
ligunt quo opere ſalvati & quo precio ſiot redem-
pti, nolunt de mundi hujus ſapientibus, nolunt
1. Cor. 1. eſſe de fortibus: quoniam, ſicut ait Apoſtolos: *Quæ
ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſa-
pientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confun-
dat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia ele-
git Deus, et quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret:
ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus*: id eſt, ut
nemo ſe placere Deo per mundi ſapientiam putet,
quæ tota carnalis eſt, & a vera ſapientia cum omni
ſua vanitate deſtruitur. *Dominus enim novit cogitatio-
nes ſapientium, quoniam vanæ ſunt*. Cum itaque di-
ſcipuli veritatis humanam gloriam fugiunt, & a
temporalium amore deſciſcunt, ut quæ Dei ſunt ſa-
piant, non quæ hominum, proficiunt ſenſibus non
deficiunt, neque vigorem cordis amittunt, ſed excel-
lentiſſimæ intelligentiæ lumen accipiunt, viventes
quidem in hoc mundo, ſed omnes mundi ſtrepitus
relinquentes, ut redimant tempus quia dies mali ſunt.
Quo autem precio quies hujus temporis aptius com-
paratur; quam ut ipſi mundo omnes divitiæ, omnes
dignitates & univerſarum cupiditatum materiæ re-
fundantur; & ſancto beatoque commercio ematur
Chriſtiana libertas, fiantque filij Dei de paupertate
divites de patientia fortes, de humilitate ſublimes?
Non enim ut dilectores hujus ſæculi putant, pravi
cordis aut ſegnis eſt animi terrenas opes ſpernere,
honores occiduos faſtidire, nec ibi gloriam quærere,
obi laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qoi
Pſal. 9. iniqua gerit, benedicitur. Unde ſi vere intelligatur
contemptus iſte rerum præſentium ad quæ tendat,
& qualia concupiſcat; nihil hujus modi mentibus re-
ctius, nihil invenietur electius, quæ ſacratiſſimis
deſideriis univerſa tranſcendunt, neque ad ullam
creaturam quamvis potentem atque mirabilem, ſed
ad ipſum omnium viſibilium & inviſibilium ambiunt
Creatorem; cui appropinquare clareſcere eſt, quem
timere gaudere eſt, cui ſervire regnare eſt. Sed hæc
virtus, quæ temporalis copiæ & patientiæ negli-
gens, ad vitam æternam anguſta & ardua mitti-
tur, non debet voluntarios pauperes in conſortium
Chriſtianæ humilitatis admittere: eos autem a ſocie-
tate boni hujus excludere, qui ampla prædia, ma-
gnifica patrimonia, & multas in hoc ſæculo poſ-
ſident facultates: cum in populo Dei multi ſemper
Exod. 3. qui divitiis bene uterentur, extiterint, nec ullo
modo vel dici vel cogitari liceat quod Abraham &
Iſaac & Jacob, quorum ſe eſſe Deum Dominus
proteſtatus eſt, ideo vera humilitate caruerint, quia
pauperes non fuerint. Aut quod vir ſacratiſſimus
Melchiſedech, Domini & Salvatoris noſtri præfe-
Job. 2. rens formam, non fuerit perfecte humilis, quia
& ſacerdotio eminebat & regno. Vel quod beato
Job de quo Deus pronunciat, dicens: *Nunquid
conſideraſti ſervum meum Job quod non ſit ei ſimilis in
terra, homo ſimplex & rectus, & timens Deum &
recedens a malo?* Ideo virtus iſta defuerit, quia
erant (ſicut ſcriptum eſt) in poſſeſſione ejus ſeptem
millia ovium, & tria millia camelorum, quingen-
ta quoque juga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia
multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes
Orientales. Quaſi tunc iſtius gratiæ particeps factus
eſt quando omnibus facultatibus perditis univerſa
quoque familia filiiſque privatus, & percuſſus vulne-
re peſſimo a planta pedis uſque ad verticem capi-
tis, teſta ſaniem radebat, ſedens in ſtercore; ad
imaginem elationis poſtmodum revocatus eſt quan-
do corporis incolumitate renovata, ſeptem rur-
ſus filiorum triumque filiarum factus eſt pater,
& duplo in univerſam ſubſtantiam eſt ditatus aug-
mento. Abſit autem ab animis Fidelium tam irre-
ligioſa perſuaſio; ut cuiqoam Sanctorum quibus
Deus & divitias eſt largitus & honores, ad capien-
dum veræ humilitatis meritum credatur & opulentia
obſuiſſe, vel dignitas: cum eis ad hujus virtutis pro-
vectum utraque profuerint. Quamvis enim tota vita Job. 7.
hominis tentatio ſit ſuper terram, & tam abun-
dantia quam inopia materia ſoleant eſſe peccati,
cum vel dives extollitur ad ſuperbiam, vel pau-
per proſilit ad querelam; extiterunt tamen in omni
tempore, & in noſtra quoque ætate non deſunt,
ſicut & boni pauperes, ita & boni divites. Nec
fruſtra Beatus Apoſtolus Paulus Timotheum ad-
monet, dicens: *Divitibus hujus ſæculi præcipe non* 1. Tim. 6.
*ſuperbe ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum,
ſed in Deo qui præſtat nobis omnia abunde ad fruen-
dum, bene agere, divites fieri in operibus bonis fa-
cile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fun-
damentum bonum in futurum: ut apprehendant ve-
ram vitam*. Quod utique fieri in univerſa Eccleſia
quæ per totum mundum eſt diffuſa, non dubium
eſt, & pauperes Chriſti non eorum tantum fa-
cultatibus ſuſtineri, qui ut expeditiores Domi-
num ſequerentur, ſimul ſe omnibus ſuis opibus
exuerunt: ſed eidem operi etiam illorum ſubſtan-
tias deſervire; qui poſſeſſionibus ſuis non aliter
quam rebus pauperum præſint: ut Eccleſiaſticæ
utilitati ſub quadam procuratione famulentur, ela-
borantes ſinguli pro ſuarum virium portione, ut ad
victum atque veſtitum familiæ Dei neceſſaria con-
ferantur, & ſimul proſpicientes ut in domibus
ipſorum ſub juſto ſanctoque moderamine omnes
& benignitas foveat, & diſciplina contineat, di-
cente Apoſtolo: *Si quis autem ſuorum & maxi-* 1. Tit. 5.
*me domeſticorum curam non habet, fidem negavit,
& eſt infideli deterior*. Cum itaque Eccleſia Dei
quæ eſt corpus Chriſti, ita ſit multimoda varietate
contexta, ut in unum decorem etiam quæ non
ſunt paria, concurrant: & de omni genere ho-
minum, & de omni grado officiorum, de omni
menſura operum, de omni qualitate virtutum fiat
totius ædificationis inſeparabilis connexio, & indiffe-
rens pulchritudo: nec deſit ſoliditati quod non de-
fuerit portioni, tantaque ibi ſit pax, tantaque con-
cordia, ut non poſſit eſſe niſi omnium quod eſt
etiam ſingulorum; indubitanter apparet, copula-
tricem quandam eſſe virtutem, qua ſibi confœde-
ratur & concinit multiplex Sanctorum unitas, &
ſpecioſa diverſitas. Hæc autem virtus vera humilitas
eſt, quæ inter quoslibet meritorum gradus nun-
quam ſui poteſt eſſe diſſimilis: Nam & in officiorum
viciſſitudine, & in manſuetudinis lenitate, & in vo-
luntariæ paupertatis electione, invenitur multa di-
ſtantia, & altera altero in propoſiti ſui devotione aut
maior aut minor eſt. In vera autem humilitate nihil
diviſum, nihilque non ſolidum eſt: & ideo omnes
participes ſuos unum facit, quia inæqualitatem ipſa
non recipit. Hujus igitur boni proprietas in confeſ-
ſione eſt gratiæ Dei; quæ tota repellitur, niſi tota
ſuſcipitur. Sicut enim alienus eſt a numero Fide-
lium & a ſorte Sanctorum qui in aliquo a Catho-
lica veritate diſſentit, ita extra gratiam efficitur
qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur; quaſi

homo

homo auxilio Dei in quadam actionum ſuarum parte egeat, in quadam autem parte non egeat; ſitque ullum tempus ullumve momentum quo pernicioſum illi eſſe non poſſit, ſi ab eo Spiritus ſanctus deſuerit, qui utique ſecundum veræ deitatis eſſentiam, ubique totus eſt, & omnia comprehendit: ſed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos deſtiterit gubernare. Ceſſatio quippe auxilii ejus pro abſentia accipitur, quam ſibi inſaniſſime utilem putat, qui in iis quæ recte geſſerit, ſe magis quam Deum gaudet operatum. Plene ergo & veraciter confitenda eſt gratia Dei: de cujus hoc primum munere eſt, ut auxilium ipſius ſentiatur. Propter
1. Cor. 2. quod dicit Apoſtolus: *Nos autem non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt; ut ſciamus quæ a Deo donata ſint nobis*. Unde ſi quis eſt qui aliqua ſe habere exiſtimat bona, quorum non Deus largitor ſit, ſed ipſe ſibi auctor exiſtat, manifeſtum eſt hunc non Dei ſpiritum habere, ſed mundi, & de illa ſæcularis ſapientiæ tumere doctrina, de
1. Cor. 1. qua dicit Dominus; *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? nonne ſtul-*
Rom. 1. *tam fecit Deus ſapientiam hujus mundi*: ſecundum quam (ſicut ait Apoſtolus) *quidam cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Videſne qualis ſuperbis retributio debeatur, & quali mercede repleantur, qui ſi quomodo ad cognitionem veritatis acceſſerint, ſuæ hoc ſapientiæ tribuunt, & de naturali ingenio gloriantur, tanquam Deum non Dei munere, ſed proprii intellectus facultate cognoverint? Omnia quidem elementa mundi & univerſæ creaturarum naturæ, hoc ipſa ſui exigunt ſpecie, ut in-
Rom. 5. viſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur; & in pulchritudine cœli & terræ quædam ſunt paginæ ad omnium oculos ſemper patentes, & Auctorem ſuum nunquam tacentes: quarum proteſtatio doctrinam imitatur magiſtrorum & eloquia Scripturarum. Sed quid illud eſt quo corporeorum ſenſuum exteriora pulſantur in agro cordis cui impenditur iſta cultura, nec radicem poteſt figere, nec germen emittere, niſi ille ſummus & verus agricola potentiam ſui operis adhibuerit, & ad vitalem profectum ea quæ ſunt plantata, perduxerit? Sive enim contemplatio creaturarum, ſive ſacrorum ſeries voluminum, ſive ſcientia differentium, ſincero &
1. Cor. 3. aſſiduo teſtimonio prædicaret veritatem: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*. Inter omnes igitur lapſus hominum, inter omnia commiſſa peccantium, nulla eſt gravior quam ſuperborum ruina: maxime cum ipſa elatio in Dei tendit injuriam. Nam aliter inflantur qui cupiditate extollentiæ ſingularis omnibus appetunt anteferri; aliter vero intumeſcunt qui Dei auxilium reſutantes, quæ fieri ſine ipſius opere non poſſunt, ex ſua perfici virtute contendunt, & ſpem ſuam a Domino auferunt, atque ad ſe transferunt, ut adimpleatur in
Hier. 17. eis quod ſcriptum eſt: *Maledictus homo qui ſpem habet in homine, & firmat carnem brachii ſui, & a Domino diſcedit cor ejus*. Hæc ſuperbia a diabolo ſumpſit exordium: qui quoniam ſua quam a Creatore acceperat, potentia & dignitate ſibi placuit, ſeque Auctoris ſui gloriæ comparavit, cum iis Angelis quos conſenſu impietatis ſuæ traxerat a cœleſti
Cap. 43. Carminis de ingratis. ſublimitate dejectus eſt. Et ideo primis hominibus nocere potuit: quia illis male credulis per mendacia venenata perſuaſit, ut meliores ſe futuros putarent, ſi in libertate ſui arbitrii proſilirent, quam ſi in legis datæ cuſtodia permanerent. Sive itaque in lapſu diaboli, ſive in prævaricatione hominis, initium peccati ſuperbia eſt: quæ congruenter & avaritia nominatur, quia utraque appellatio eum ſignificat appetitum, qui & ſuam menſuram concupiſcat excedere, & non dignetur dives eſſe niſi propriis, tanquam habeat hoc ſimile Deo, ut bonorum ſuorum ipſe ſibi ſit fons, ipſe ſibi ſit copia. Hæc autem elatio de perverſo uſu donorum Dei naſcitur: Nam ſi conditor naturæ nulla pulchra, nulla ſublimia naturis rationabilibus contuliſſet; unde ſe extollerent non haberent. Non enim de iis quæ non accepit, ſuperbit, nec inflari quiſquam de eo poteſt quod a participatione ejus alienum eſt. Nunquam gloriatur de ſobrietate * tumulentia, ne- * temulentus.
que de benevolentia invidus, aut de lenitate ſævus, vel de caſtitate extollitur impudicus. Ipſa ſe a virtutibus vitia ſecernunt; & cum in peccatis agitur, non inſita per naturam, ſed ex mala voluntate concepta & propria diliguntur, quia ſicut ſcriptum eſt: Joan. 8.
Mendax de proprio loquitur. Cum autem in bonis & rectis actibus laudabilis vita ducitur; Dei eſt quod geritur, Dei eſt quod amatur. *Omne enim*
datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum Jacob. 1.
eſt, deſcendens a Patre luminum. Unde quia inter vitia aut nulla eſt, aut rara jactantia, & facile ſpernitur qui de opprobrio gloriatur, malum ſuperbiæ maxime virtutibus eſt cavendum, quia nullis opportunius inſidiatur quam quibus laus juſta debetur. Cum ergo per ineffabilem miſericordiam Dei captivis libertas, perditis ſalus, mortuis vita reparatur; cum in ſacramento crucis & reſurrectionis Chriſti ad novitatem redit vetuſtas, & ad innocentiam regeneratur impietas; antiquus hoſtis malignius fremit & acrius inardeſcit, & cum innumeris nocendi artibus humanum genus nitatur evertere, ſerens diſcordias, incitans iras, acuens cupiditates, ſuadens turpia, falſa commentans & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus uritur de virtute ſtantium, quam lætetur de fragilitate labentium. Multi enim ſervientes Deo, & in lege ejus die ac nocte meditantes, crucifixerunt carnem ſuam cum deſideriis & concupiſcentiis, omniumque illecebrarum incentiva domuerunt, non damnis victi, non perſecutionibus fracti, non proſperitatibus depravati, mundum iſtum nec dilexere obſequentem, nec timuere terrentem. Tantam itaque firmitatem, & tam ſublime propoſitum qua impugnatione diabolus poſſet adoriri, niſi ut quibus non potuerat perſuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem: & inde noviſſima inſtrueretur tentatio, unde nocuit prima deceptio? Non itaque deſidioſis & tepidis, neque inertibus & incultis, ſed magis quibuſdam animis ſedulis & bonorum actuum probitate luculentis, per gloriam irrepſit humanam, & quos impulſione non movit, elatione dejecit. Quanto enim clariores erant meritis, tanto eos aptiores ſuis invenit inſidiis. In paradiſo namque Eccleſiæ conſtitutos, & virtutum deliciis abundantes, ad confidentiam liberi incitavit arbitrii: ut profectus ſuos in ſe conſtituerent, & ad arborem propriæ voluntatis manum præſumptionis extenderent. Reſtiterunt quidem huic impietati recta innumerabilia corda Sanctorum, & non ſolum docti quique Pontifices, verum etiam univerſales Eccleſiæ plebes Apoſtolicæ ſedis exemplo inſaniam novi dogmatis horruerunt: ſed invenerunt quoſdam viperina conſilia, quibus doctrinæ ſuæ virus infunderent, & quorum linguam per dolos falſæ rationis armarent. Hinc illa erat naturæ humanæ fraudulenta laudatio, & illæſæ per omnes homines originalis defenſio dignitatis. Hinc Adæ peccatum

Digitized by Google

exemplo poſteris aſſerebatur nocuiſſe, non tranſitu :
& quam illi poſſibile fuerat non violare mandatum,
tam liberum eſſe unicuique declinare delictum. Hinc
evacuatio baptiſmatis parvulorum: qui ſola ado-
ptatione donari, nullo tamen reatu dicerentur ab-
ſolvi. Hinc poſtremo divinæ gratiæ ſimulata &
inſincera confeſſio: quæ ſecundum merita daretur,
non ex qua merita naſcerentur, quam partem ſu-
perbæ prædicationis quidam ſibi cum cætera abnue-
rent, ſervaverunt. Sed hoc eos aut nimis imperite,
aut valde nequiter feciſſe non dubium eſt: ut om-
nium generalem ruinam, meritorum privilegio ſub-
levarent: & cum inter noſtros originalis peccati vul-
nera faterentur, inter ſuos tamen hoc tenere oſten-
derent, quod primorum hominum prævaricatio ſo-
lis imitatoribus offuiſſet: Naturalem autem facul-
tatem, nihil ſui in alieno amiſiſſe peccato, cui &
poſſibile eſſet & liberum per voluntariam devotio-
nem promereri gratiæ largitatem. Verum iſtam da-
mnati dogmatis portionem Catholicæ mentes facile
intelligunt, & merito deteſtantur. Dicente enim
Matth. 9. Domino Jeſu. *Non eſt opus ſanis medicus, ſed ma-*
lo habentibus; non enim veni vocare juſtos, ſed
peccatores: convincuntur iſti in ſuperbia etiam, ſi-
ne voce clamare: Sani ſumus, opus medico non ha-
bemus. Quæ nobis expectanda ſunt præſidia de ope
gratiæ, quibus ſuppetunt vires de incolumitate na-
turæ? Non autem fruſtra Joannes proteſtatur &
Joan. 1. dicit: *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata.* Nec
Joan. 5. fruſtra ſcriptum eſt: *Nemo mundus a ſorde, ne in-*
Joan. 14. *fans cujus unius diei vita eſt ſuper terram.* Et,
Quis poterit facere mundum de immundo conceptum
ſemine? nonne tu qui ſolus es? Propter quod ſicut
nunc in Eccleſia manet conſtitutio Salvatoris dicen-
Joan. 3. tis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſan-*
cto, non intrabit in regnum cælorum: Ita ſacratiſſi-
me erat in lege præcautum ut natus puer, niſi die
circumcideretur octavo, exterminaretur anima ejus
de populo ſuo, nullum in hæreditate Iſrael habi-
tura conſortium. Quæ omnia & multo plura do-
cumenta non tanta cura ſacris paginis Spiritus ſan-
ctus inſueriſſet, ſi talis eſſet natura in filiis Adam
1. Joan. 3. qualis in ipſo eſt principaliter inſtituta. Sed quia
Luc. 15. Filius Dei venit ut ſolveret opera diaboli, & ut
quæreret ac ſalvaret quod perierat: manifeſtum eſt
omnes in Adam damnationi obnoxios eſſe naſcendo,
niſi in Chriſto liberati fuerint renaſcendo. Unde
vigilanter nobis conſiderandum eſt, in ipſo regene-
rationis munere quid geratur: Quamvis enim ad
unum concurrant omnes ejuſdem myſterij portio-
nes, aliud tamen eſt quod viſibiliter agitur, aliud
quod inviſibiliter celebratur. Nec idem eſt in ſa-
cramento forma quod virtus: cum forma cum hu-
mani miniſterij adhibeatur obſequio, virtus autem
per divini operis præſtetur effectum. Ad cujus uti-
que potentiam referendum eſt, quod cum homo
exterior abluitur, mutatur interior; & fit nova
creatura de veteri, vaſa iræ in vaſa miſericordiæ
transferuntur, & in corpus Chriſti convertitur caro
peccati. De impiis juſti, de captivis liberi, de filiis
Joan. 1. hominum fiunt filii Dei. *Qui non ex ſanguinibus,*
Rom. 8. *neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis,*
ſed ex Deo nati ſunt. Quod quia indubitanter acce-
pimus, veriſſimum eſt quod Apoſtolus docet dicens:
Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, ii filii ſunt Dei.
Unde videant cujus ſe haberi filios velint, qui definie-
rint omnes homines voluntate propria regi: cum
Ibidem. idem Apoſtolus proteſtetur & dicat: *Qui Spiritum*
Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Refutata igitur
ſuperborum impia vanitate, quibus in peccatum
etiam illa quæ in eis videntur laudanda vertuntur;
nos illam humilitatem, cui virtus & gloria Dei eſt,
eligamus, ſcientes Prophetam David ceciniſſe de Pſal. 88.
Sanctis: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt,*
& in nomine tuo exultabunt tota die, & in tua juſti-
tia exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu
es. Qui & alibi piiſſime confitetur Dominum in
Sanctis ſuis eſſe laudandum, dicens: *Mirabilis Deus* Pſal. 67.
in Sanctis ſuis. Deus Iſrael, ipſe dabit virtutem &
fortitudinem plebi ſuæ. Hinc etiam Hieremias con-
cordat, & dicit: Hæc dicit Dominus: *Non glorie-*
tur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis
in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitiis Hier. 9.
ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere
& ſcire quia ego ſum Dominus. Ipſe vero intellectus
& ſcientia unde habeantur, pandunt Proverbia Prov. 2.
Salomonis, & dicunt: *Quoniam Dominus dat ſa-*
pientiam, & a facie ejus ſcientia & intellectus. Unde
in Eccleſiaſtico libro ipſius legimus, quod & corda
& opera juſtorum in manu Dei ſint; & tantum
in ſtudiis ſuis proficiant, quantum eos ille provexe-
rit. *Quantumcunque,* inquit, *laboraverit homo ut*
quærat, non inveniet. Et quodcunque dilexit Sapiens
ut ſciat, non poteſt invenire, quia univerſum hoc
vidit cor meum, quia juſti & ſapientes & operationes
eorum in manu Dei. Tale eſt quod Apoſtolus præ- 1. Cor. 12.
dicat, dicens: *Omne verbum bonum, & omne opus*
ſanctum donum eſt Spiritus ſancti ſine quo nihil recte
agatur. Ideo, inquit, *notum vobis facio quod nemo*
in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu. Et nemo
poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.
Diviſiones vero ſunt gratiarum, idem autem Spiritus:
& diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Domi-
nus, & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus
qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem da-
tur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alius quidem
per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo
ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum; alteri fides in eo-
dem ſpiritu: alteri operatio virtutum: alii prophetia:
alii diſcretio ſpirituum: alii genera linguarum: alii
interpretatio ſermonum: hæc autem omnia operatur
unus atque idem ſpiritus dividens ſingulis prout vult.
Sunt & alia innumerabilia teſtimonia, quæ ex paginis
& novi & veteris Teſtamenti, quadam conclamatione
confirment hanc eſſe veræ humilitatis excellentiſſi-
mam dignitatem, ut omnia quæ hominem faciunt
Chriſtianum, ad divinæ gratiæ donum referantur.
Sed tantam multitudinem ſententiarum in unum con-
gerere immodicum fuit; præſertim cum mihi ſermo
eſſet ad ſanctimoniam tuam, cui ex formula eorum,
quæ commemoravimus, omnia ſe aut recordanti of-
ferent, aut legenti; licet quædam etiam breviſſima
tantæ ſint plenitudinis, tantæque virtutis, ut nul-
lo adverſantis ingenio poſſint in ſenſum alium de-
torqueri. Nam quæ contradictio admitti poteſt in
eo quod ipſa Veritas diſcipulis ſuis per Evangelium
Joannis dixiſſe narratur? *Sicut palmes,* inquit, Joan. 15.
non poteſt facere fructum, niſi manſerit in vite;
ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos
palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert
fructum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Nonne
convincitur palmes elatus quod omni fertilitate va-
cuatur, ſi vitis ubertate non alitur. Quis enim ſine
auxilio gratiæ fructum poteſt afferre juſtitiæ? Aut
quis audet dicere ſe a Chriſto non dividi qui Chri-
ſtum in ſe diffitetur operari? An forte verendum eſt
ne liberum tollere videamur arbitrium, cum omnia
per quæ propitiatur Deus, ad ipſum dicimus eſſe refe-
renda. Quod nequaquam eſſe conſequens veritatis o-
ſtenditur. Operante enim ſpiritu Dei, juvatur arbi-
trium, non aufertur, & hoc agit gratia, ut voluntas
peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus cir-
cum

Digitized by Google

cumſepta, difficultatibus impedita, non remaneat
in languoribus ſuis; ſed per opem miſerentis mediei
curata revaleſcat, & gaudeat ſe non inteerogantem
odoctam & non quærentem eſſe quæſitam. Quia
impletur quotidie quod Iſaias Propheta predixit;
Eſai 52. *Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt, et qui
non audierunt, intelligent*. Quomodo autem hoc
1. Joan. 5. fiat, Joannes Apoſtolus docet dicens: *Scimus quia
ex Deo ſumus; et mundus totus in maligno poſitus eſt.
Et ſcimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis ſen-
ſum: ut cognoſcamus verum Deum, et ſimus in vero
Filio ejus*. Quod utique nunc eadem potentia Domi-
Matth. 28. nus indeſinenter operatur qui ait: *Ecce ego vobiſcum
ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*
Exod. 33. Ut ergo miſericordiam Dei quæramus, Dei miſeri-
Rom. 9. cordia eſt, qui ait: *Miſerebor cui miſertus ero, &
miſericordiam præſtabo cui miſericordiam præſtitero*.
Unde mire per Hieremiam idem Dominus manife-
ſtat quod Dei gratiam nemo præveniat merito ſuo:
ſed propter dilectionem qua Deus diligit, etiam
Hier. 31. averſos ad miſericordiam trahi. *Dilectione*, inquit,
*æterna dilexi te; propterea traxi te ad miſeratio-
nem; quia ædificabo te & ædificaberis, virgo Iſrael*.
Cui ſententiæ Joannes quoque Apoſtolus congruit,
1. Joan dicens: *Non quaſi nos dilexerimus Deum: ſed quo-
niam ipſe dilexit nos*. Et infra: *Nos ergo diligamus
Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*. Paulus quo-
que Apoſtolus in eadem eſt ſententia, dicens io epi-
2. Tim. ſtola ad Timoth. ſecunda: *Collabora Evangelio ſe-
cundum virtutem Dei qui nos liberavit, et vocavit
vocatione ſancta: non ſecundum opera noſtra, ſed ſe-
cundum propoſitum ſuum et gratiam quæ data eſt nobis
ante tempora æterna*. Ad Titum etiam ſcribens do-
cet, nullo bono hominis merito Dei gratiam præve-
Tit. 3. niri. *Eramus*, inquit, *et nos inſipientes aliquando,
increduli, errantes, ſervientes deſideriis & volupta-
tibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles,
odientes invicem. Cum autem benignitas & humani-
tas apparuit Salvatoris noſtri: non ex operibus juſtitiæ
quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam
ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis Spiritus
ſancti: quem effudit abunde in nos per Jeſum Chriſtum
Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius, hære-
de ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*. Omnis igitur il-
luminatarum mentium pius motus alienari quidem
non poteſt a propria hominis voluntate: Si quidem
nihil recte faciet, niſi quod volens egerit: ſed ut ad
id quod æquum & utile eſt, animi tendat intentio,
de illius æternæ & incommutabilis voluntatis inſpi-
ratione concipitur. Et ſicut arte mediei fit in oculis
caligantibus, ut poſſint videre quod non vident, nec
tamen non ipſorum eſt viſio quam medicina contule-
rit: ita in cordibus tardis & hebetibus, per Spiritum
ſanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine
tenebroſæ jam & deficientis lucernæ lumen acci-
piunt, nec tamen niſi ipſarum erit quicquid fulgoris
Luc. 12. acceperint. Unde dicit Dominus: *Ignem veni mittere
in terram; & quid volo niſi ut ardeat?* idem jubet, lu-
cernæ noſtræ ſint ſemper ardentes ut ſcilicet ſuper-
no igne accenſus animus non tepeſcat, ſed ſtudeat
ſemper ardere; ac ſi vigorem ejus aliqua turbarit ad-
verſitas, unde cœpit inflammari, inde poſcat igniei.
Proinde quia manifeſtiſſime & Prophetica, & Evan-
gelica, & Apoſtolica doctrina nec ſuperbos nos vult
eſſe, nec deſides; cooperatores nos eſſe oportet gratiæ
Dei, ut illam excitantem, juvantem, locupletantem,
& quotidie provehentem, vigilanter & ſobrie ſubſe-
quamur; nunquam ceſſantes ab actione gratiarum,
quia inter ſecunda vitæ iſtius & adverſa, quibus gemi-
na ſemper tentatione pulſamur, ſi proficimus, inde
alimur; ſi ſtamus, inde ſubſiſtimus; ſi cecidimus, inde

reparamur. Dicit enim Spiritus per Prophetam Da- Pſal. 36.
vid: *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam
ejus volet. Cum ceciderit non collidetur; quia Domi-
nus ſupponit manum ſuam*. Non itaque fruſtra præ-
cipitur ut boni ſimus, cum dicitur: *Declina a malo
& fac bonum*. Sed nec fruſtra per Hieremiam dicit
Dominus: *Timorem meum dabo in cor eorum, & vi-* Pſal. 36.
ſitabo eos, ut bonos eos faciam. Nec ſuperflua erat Hier. 31.
præceptio Pauli Apoſtoli ad Romanos dicentis: *No-
li vinci a malo, ſed vince in bono malum*: Cum Co- Rom. 2.
rinthiis dicat, *Oramus autem ad Deum, ut nihil ma-* 2. Cor. 3.
li faciatis. In omnibus enim monitis Dei atque man-
datis una eademque ratio eſt & divinæ gratiæ, & hu-
manæ obedientiæ. Nec ob aliud unquam datur præ-
ceptum, niſi ut quæratur præcipientis auxilium. Vo-
ces enim docentium & litteræ paginarum quæ ad e-
ruditionem audientium vel legentium Deo ſerviunt,
non carent ejus virtute cui ſerviunt; & quando id
quod jubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus
divini operis declaratur. Vigilant autem tentatoris
inſidiæ, ut ubi proficit devotio, ſurrepat elatio, &
ut homo de bono opere in ſe potius quam in Domi-
no glorietur. Sed ſolicitudo nos Apoſtoli contra hoc
periculum monet, dicens: *Cum timore & tremore* Philip. 2.
*veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui opera-
tur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*.
Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quique
proficiunt, tanto majores habent cauſas formidinis
& tremoris: ne de ipſis probitatis augmentis mens
ſibi conſcia, & laudis avida, in ſuperbiæ rapiatur ex-
ceſſus, & fiat immunda vanitate, dum ſibi videtur
clara virtute. Sed contra hoc periculum quid beatus
Petrus in prima epiſtola prædicet, audiamus: *Si quis*, 1. Petr. 4.
inquit, *loquitur tanquam ſermones Dei: ſi quis mini-
ſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus:
ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum
cui eſt gloria & imperium in ſæcula*. Item idem in epi-
ſtola ſecunda: *Gratia*, inquit, *vobis adimpleatur in
recognitione Domini noſtri Jeſu Chriſti qui nunc omnia* 2. Petr. 4.
*nobis divina virtute ſua quæ ad vitam & pietatem
pertinent donavit per agnitionem ſuam; qui vocavit
nos propria gloriæ virtute, per quam maxima nobis &
pretioſa promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divi-
næ conſortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo eſt
concupiſcentiæ corruptionem*. Si ergo omnia quæ ad vi-
tam & pietatem pertinent, Deus nobis divina ſua vir-
tute donavit, nihil magis fugiendum eſt quam appe-
titus hujus concupiſcentiæ: quæ virtutem negat di-
vini operis, amore propriæ dignitatis. Et cum aliæ
cupiditates ea tantum bona, quibus adverſantur, im-
minuant: hæc dum omnia ad ſe trahit, ſimul univerſa
corrumpit. Cum itaque totius ſuperbiæ generale no-
men odioſum ſit: ſive illa de honore ſuo, ſeu de nobi-
litate, vel de immodicis opibus intumeſcat: hæc pars
ipſius omnibus tentationibus nocentior invenitur,
quæ videtur iis quas perditas cupit amica eſſe virtuti-
bus. Sed quia ſublimiora quæque gravius corruunt,
gaudet princeps ſuperbiæ, eos quos potuerit ſua im-
pulſione proſternere, ad celſiora creviſſe. Huic autem
malo firmiſſimum bonum humilitatis occurrit. Quam
ideo diximus veram: quia omnium virtutum inex-
pugnabilis fortitudo, & quædam ſuorum eſt vita
membrorum. Diſcernimus enim illam ab iis officiis
quæ poteſt etiam cum mundi ſapientibus habere
communia: & in eo proprietatem ipſius definimus,
quod per omnia Deo ſubditur. Nec poteſt quicquam
de meritis ſuis perdere, quorum cauſas atque profe-
ctus non in ſe, ſed in ſuo Auctore conſtituit. Dignum
quippe eſt ut imago Dei Deo ſplendeat, & inde
pulchra, inde ſit compta, dicens: *Signatum eſt ſuper
nos lumen vultus tui Domine*. Alioquin adultera Pſal. 4.

eſt; & a divino aliena conjugio: ſi alterius cujuſquam decorem in ſpeculo ſui cordis oſtentat aut ullis aliis monilibus acquieſcit ornari, niſi illis quæ de theſauris ſponſi per ſancti Spiritus pignus accepit. Si autem quælibet anima Chriſtiana hujus debet continentiæ ſoliditate muniri: quia omnes nuptiale ſacramentum in quocunque vocationis ſuæ ordine ſuſceperunt: quanto magis perſonæ tuæ dignitas præſidio hujus virtutis amanda eſt, cui de opulentiſſimis gratiæ Dei donis tam multiplex ſe ingerit materia gloriandi. Quamvis enim communis tibi ſit cum multarum virginum puritate virginitas, non tamen facile reperitur quæ poſſit tibi magnificentia domus & ſplendore antiquiſſimæ familiæ comparari. De quibus ut non ſuperbias, nec tibi hoc ipſum, quod eis Chriſtum præpoſueris, aſcribas: ipſa eſt vera humilitas, vera charitas, vera virginitas. Ab omni quippe contaminatione mens libera eſt, quæ ſive in ſe, ſive in proximo nihil diligit, niſi quod ex Deo eſſe novit: Nam amare aliquid quod non ex opere & ſpiritu Dei ſit, non eſt caſta dilectio, & ſufficit tentatori ſublimes & claras animas hac illuſione violaſſe, ut quas ad illicita non impulit, placendo ſibi ad elationem dejecerit. De hac charitate ſine dubio Apoſtolus loquebatur, & iſtius proprietatem ſubtiliſſimis diſcre-
1. Cor. 13. tionibus eliquebat, dicens: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, et noverium myſteria omnia, et omnem ſcientiam, et habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et ſi tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil prodeſt*. In quarum definitionum for-
* obſcuro. mula multo laboremus * obſcurio, niſi ſequentia demonſtrarent quæ eſſet ſpecies iſtius charitatis, cui ſoli tot operum labores, tot virtutum merita non præirent. Eſto enim ut multiplex loquendi peritia quæ non ſolum ad omnem humanæ facundiæ artem, ſed etiam & Angelici eloquii pervenerit facultatem, ſi charitate careat, inutili æris ſono & tinnitui ſit comparabilis cymbalorum. Eſto ut habens prophetiam, ſcientiam, habens fidem dæmonibus imperantem, nihil ſit qui a charitate ſit vacuus; ut etiam ille ab hac eſſe poſſit alienus, qui in alimoniam pauperum ſuas diſtribuerit facultates, vel qui corpus ſuum igne torrendum pro Chriſti confeſſione tradiderit: incredibile videretur, niſi beatus Paulus hoc diceret; qui tamen cum ejuſdem charitatis membra deſcriberet, doceretque qualis eſſet hæc virtus, ſine qua nullæ poſſint prodeſſe
Ibidem. virtutes: *Charitas*, inquit, *patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, & reliqua*. Inflatio ergo & ambitio, & propriorum bonorum ſuperba defenſio poſſunt deſtruere eleemoſynas, poſſunt evacuare martyria: ſi & magnas opes amore quis humanæ laudis effundat, & ſæva ſupplicia non ea fortitudine quam Deus tribuit, ſed ea quam de ſe præſumpſit, excipiat. Hoc eſt enim propria fiducia inflari, hoc vanam gloriam quibuslibet ambire diſpendiis: hoc poſtremo eſt nolle habere quæ Dei ſunt, & ibi ſuum conſtituere meritum, ubi divinum ceſſarit auxilium: hæc ſuperbia omni peccato nocentior, omni genere eſt elationis inſanior. A quibuslibet enim lapſibus delictorum facile ſurgitur, quando opem a reparatore ſuo poſcit eliſus. Huic autem ruinæ nihil ſubvenit, quia aut difficile peccatum ſuum ſuperbus agnoſcit, aut etiam ſi intellexerit, non currit ad medicum; ſed de ſe ſibi remedium pollicetur: nec unquam ibi proficit cura, ubi morbus eſt ipſa medicina. Hunc autem corruptiſſimum peſtilentiæ ipſius flatum ſpiritus veræ humilitatis & veræ charitatis excludit. In nullo enim hæ virtutes ab invicem dividuntur, & ambarum tam indiſcreta connexio eſt, ut qui in una earum conſtruitur, ſimul utraſque potiatur. Sicut enim pars charitatis eſt humilitas, ita pars humilitatis eſt charitas. Et ſi illa recolamus quæ ſine bono charitatis infructuoſa eſſe Apoſtolus definivit, inveniemus, eadem ſimilem habere charitatem, ſi eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit aut cum inflatione ſcientia, aut cum humana gloria fides, aut cum jactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Unde quia in diſtrictione ſuperbiæ & humilitas tendit & charitas; de utraque habeatur dictum, quicquid de una eſt diſputatum. Super eſt nunc, ſacratiſſima Dei Virgo, ut ſobrio caſtoque judicio ſancti cordis tui arcam diſcutias & aculeo totius elationis obtrito, inveſtiges in te atque dinumeres quæ & qualia tibi Sponſus tuus dona contulerit: quæ a me non oportuit recenſeri, ne aut plura contexerem, aut pauciora percurrerem. Verecundiæ enim tuæ oneroſa foret etiam vera laudatio, & ipſe contra diſputationem meam facerem, ſi cui ab humana gloria continentiam ſuaſiſſem, ad eandem te tuis præconiis incitarem. Ipſa ergo aulam tuæ mentis ingredere, & in ſecretario puriſſimæ conſcientiæ tuæ, qualia tibi repoſita ſint ornamenta circumſpice, & quicquid tibi ſplendidum, quicquid pulchrum precioſumque repereris, divini operis & muneris eſſe ne dubites: ita ut in omnibus bonis opulentiæ tuæ & gratiam donatoris & jus proprietatis agnoſcas. Accepiſti enim quæ habes: & quicquid tibi diligentia tui laboris accrevit, per ipſum tibi eſt auctum, per quem fuerat inchoatum. Itaque utendum tibi eſt eis quæ largitus eſt Deus: & ab eodem ſemper eſt petendum ut donis ejus fideliter & ſcienter utaris. Quid enim nobis boni poteſt eſſe ſine ipſo, quandoquidem etiam ut recte oremus, ex ipſo eſt,
dicente Apoſtolo: *Nam quid oremus ſicut oportet*, Rom. 8.
neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quoniam ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis. Et ne dubium eſſet de quo ſpiritu loqueretur, jam ſupra dixerat: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus*: Abba Pater. *Itaque ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quoniam ſumus filii Dei. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur ut conglorificemur*. Implet igitur Spiritus ſanctus organum ſuum: & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum. Qui ideo cum die Pentecoſtes in Apoſtolos plebemque credentium, ſicut a Domino fuerat promiſſus, influeret in ſpecie linguarum apparuit ignearum, & loquelis omnium nationum eos ſuper quos inſederat, fecit affari ut dubium non eſſet per ipſius inſpirationem, utilem affectum, rationabilem ſermonem animis fidelium miniſtrari. Sicut ipſe Dominus diſcipulis ſuis inſinuavit, &
dixit: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quo-* Math. 10.
modo aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris qui loquitur in vobis. Quod ut non in ſolo magnarum tribulationum tempore credamus fieri, ſed etiam in pace præſtari, audiamus Apoſtolum definientem quod ipſe quoque co-

gita-

Digitized by Google

gitationes noſtræ niſi a Deo nobis inſitæ fuerint ,
rectæ eſſe non poſſint. *Fiduciam* , inquit, *talem*
habemus per Chriſtum ad Deum : *non quod ſufficien-*
tes ſimus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis ,
ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt . Unde cum San-
ctorum animis ex Deo ſit, ut illis meditatio juſta,
petitio efficax, actio ex Deo ſit, in fide firmitas,
in tribulatione patientia, in perſecutione victoria,
magna eſt in vera humilitate fœlicitas , cui Deus
dilectio, Deus ſapientia, Deus conſilium, Deus
fortitudo eſt. Nec dubie iſta ſubjectio jam ex ma-
gna parte in illius futuræ beatitudinis eſt conſtitu-
1. Cor. 15. ta conſortio : *Ubi Deus erit omnia in omnibus* .
Quod ideo in hac vita ad plenum non poteſt ob-
tineri, quia nondum mortale noſtrum induit im-
mortalitatem , nec corruptio tranſiit in incorru-
Gal. 5. ptionem: caro adhuc contra ſpiritum, & contra
Rom. 7. carnem ſpiritus concupiſcit, nec invenitur in ullo
2. Joan. 1. hominum tanta concordia, ut legi mentis lex quæ
membris eſt inſita non repugnet . Propter quod
ex omnium ſanctorum perſona accipitur quod Jo-
1. Joan. 3. annes Apoſtolus ait : *Si dixerimus quoniam pecca-*
tum non habemus , *nos ipſos ſeducimus* , *& veri-*
tas in nobis non eſt. Cum tamen idem ipſe dicat:
Qui natus eſt ex Deo, *peccatum non facit*: *quoniam*
ſemen ipſius in eo manet : *& non poteſt peccare* ,
quoniam ex Deo natus eſt. Utrumque ergo verum
eſt: quia& nemo ſine peccato eſt: in eo quod ne-
mo eſt ſine lege peccati ; & *qui natus ex Deo* ,
peccatum non facit : quia per legem mentis , id 1. Petr. 4.
eſt, per charitatem , quæ Dei ſemen eſt, pecca-
tum non facit. Charitas enim operit multitudinem
peccatorum , & ſine qua nullum poteſt bonum ,
per quam deletur omne peccatum . Dum igitur , Sap. 9.
corpus quod corrumpitur , *aggravat animam* , *&*
deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitan-
tem , non quidem obtinetur ut jam anima in o-
mnibus Deus ſit , quia nullus eſt ſine tentationis
ſtimulo & ſine mutabilitatis incerto . Sed quia ,
Omne datum optimum, *& omne donum perfectum*, Jacob. 1.
deſurſum eſt , *deſcendens a Patre luminum* ; ſine
dubio inde habetur virtutum omnium portio, un-
de habebitur plenitudo ; & tanto quiſque eſt bea-
tior. Deoque conjunctior, quanto plus in eo fue-
rit gratiæ divinæ quam actionis humanæ . *Benedic* Pſal. 33.
itaque *Domino in omni tempore* , *& laus ejus in*
tuo ore ſit ſemper . Anima autem tua non acquie-
ſcat niſi in Domino laudari . Superbi quidam re-
fragabuntur : ſed manſueti hæc audient & læta-
buntur.

FINIS.

DISSERTATIO PRIMA DE AUTORE LIBRORUM DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM, QUI PROSPERO AQUITANO VULGO TRIBUUNTUR,

IN QUA ET ABJUDICANTUR PROSPERO, & Leoni Magni vindicantur.

I.
De autore iſtorum librorum vetus controverſia.

DIU eſt quod a viris eruditis de autore gemini de Vocatione omnium Gentium libelli quæſtio in medium adducta eſt operoſius ventilata: nec ullus fere ſcriptor commentarios ſuos vel de Gratiæ divinæ auxiliis, vel de Eccleſiaſticis Scriptoribus hoc & ſuperiori ſæculo edidit, qui ſuum de genuino libelli hujus parente judicium conferre non geſtierit. Nec id quidem immerito: intereſt enim Eccleſiaſticæ doctrinæ non parum, ut tam eruditus Theologus tamque locuples antiquæ doctrinæ teſtis non ignoretur; cui hanc laudem impertire non veretur ſcriptor celebris: Omnes a concertationibus alienos, nec vel Deo peccatum, vel homini bonum ſpirituale tribuere volentes, eo ex ſcriptore genuinam antiquitatis ſententiam diſcere, atque illam, tanquam inter Scyllam & Charybdim, tutiſſimam inſiſtere viam debere. Magna laus, ſed vera laus, licet ex heterodoxi ore profecta. Quam quavis ille mente protulerit, eamobrem amplectimur, quod Auguſtinianam Catholicamque adeo de Prædeſtinatione Sanctorum & Gratia Dei doctrinam felicius nemo aſſecutus eſt, nemo erudite facundeque magis explicuit. Eumdem *Caſtigatiſſimi ac edecumati plane judicii virum* appellat Voſſius. Ejuſdem autoris ſcribendi ratione ac ſenſibus mirum in modum affici ſe oſtendit Hugo Grotius, qui opus iſtud diligentiſſime perlegiſſe ſe ſignificat. Eum paſſim vocat *ſcriptorem magnum, optimum & Pelagio in primis inimicum, pium & piæ ac ſapienter ſcribentem*. Nec magis ſibi ab hujus ſcriptoris laudibus temperavit Deſiderius Eraſmus vir in aliorum laudes non nimium effuſus: *Res ipſa loquitur*, inquit, *hominem fuiſſe in ſacris litteris diligenter exercitatum, ingenio ſano & acuto. Ipſa phraſis ſic Iſocraticis illis ſchematibus modulata tinnulaque eſt, ut quod eſt in hac affectatione difficillimum, præſertim in argumento ſubtili, nuſquam deſideret ſtyli perſpicuitatem, nuſquam offendaris odio captatæ concinnitatis, nec uſquam frigeat affectatio ſententiarum argutularum; ſed, quod puer in Rhetorum ſcholis didicerat, feliciter accommodat ad ſeriam Scripturarum tractationem. Nec deeſt dictionis copia, itaque citra tædii ſenſum.*

Henricus Cullinger. comment. in epiſt. 1. ad Tim. cap. 1.

Voſſius Hiſt. Pelag. lib. 7 par. 1. p. 199 671. & 725 Ed. 2. Deſid. Eraſmi præfat. in lib. de Voc. gent. tom. 2. Operum ſancti Ambr. Ed. 1527.

II.
Non eſt ſancti Ambroſii opus.

Tam præclarum igitur opuſculum alii aliis vindicant. Datum eſt primum ſancto Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo: ſi quidem Franciſcus Cumel ex hujus autoris verbis certum putavit Ambroſii ætate viguiſſe Pelagianorum hæreſim: non aliam, opinor, ob cauſſam in eam ſententiam veniens, quam quod inter Ambroſianas lucubrationes opus iſtud legerat, inter quas ſuum adhuc hodie locum retinet. Verum alterius eſſe certiſſimum eſt: *Cujus rei ſi nullum eſſet aliud argumentum*, ait D. Eraſmus, *tanta tamen eſt totius phraſeos diſſimilitudo, ut primo ſtatim guſtu lector deprehendat alium loqui quam Ambroſium. Atque utinam tales multos libellos Ambroſianis admiſcuiſſet, qui hos admiſcuit. Tales impoſturas facile tulerimus, quæ pro auro ſupponant aurum.* Phraſeos diſſimilitudini accedit Pelagianorum mentio quos Ambroſio jam inter cœlites receptos natos eſſe conſtat. Nec Pelagianorum modo meminit, ſed & Semipelagianorum, quos præſertim toto opere inſectatur: at de iſtis non niſi poſt viginti ab Ambroſii obitu annos auditum eſt in Eccleſia.

Fr. Cumel. in 1. part. ſancti Thomæ.

Deſid. Eraſmus loco citato.

III.
Non Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi.

Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi opus eſſe ſuſpicari videtur Eraſmus, cum hujus ſtylum ab illius phraſi non prorſus abhorrere admonet. Suſpicionem augere poteſt quod Eucherius ad Lirinenſem inſulam primum appuliſſe videtur, cum Eremi ſecreta quærebat, ac poſtmodum Leroncm Lirino proximam incoluit; hujuſque inſulæ Monachis familiaris fuit: apud quos cum fervêrent diſputationes de Gratia, facile contingere potuit ut his ſe Eucherius immiſceret. Fuit etiam Johanni Caſſiano & Hilario Arelatenſi perneceſſarius illis, inquam, inter Auguſtinianæ de Gratia doctrinæ adverſarios inſignioribus: ut, quod de Leone diximus, potuerit ſuos amicos a pravis opinionibus hoc ſcripto dimovere velle; videtur enim ipſe Auguſtiniano dogmati adhæſiſſe, ut ex ejus filiique Salonii ſcriptis conjicit Noriſiul. Sed iſtæ ſunt longius acceſſitæ conjecturæ; nec talis mihi videtur ſtyli utriuſque ſimilitudo, quæ eumdem ſcriptorem arguat: non modulata tinnulaque illa phraſis, quam in libris de Vocatione gentium agnoſcit Eraſmus, in Eucherio deprehenditur: non idem ſententiarum pondus, delectus verborum, totiuſ-

Henr. de Noris Hiſt. Pelag. l. 2. cap. 13.

tiuſque ſermonis majeſtas, quam in hoc opuſculo demiramur.

IV. *Non eſt Hilarii ſeu Proſperiani, ſeu Syracuſani, ſeu Arelatenſis.* *Epiſt. 88. & 89.*

Sunt qui putent Hilario adſcribendum opus, quam in partem inclinat Joannes Latius lib. de Pelag. & Semipelag. Sed cui Hilario? Tres enim hujus nominis per ea tempora legimus, nempe Hilarium Syracuſanum, cujus epiſtola ad Auguſtinum & Auguſtini reſcriptum de pluribus gratiæ capitibus habentur inter ſancti Doctoris epiſtolas: Alterum, qui e Galliis ſcripſit ad eundem Auguſtinum, & Proſpero ad propugnandam illius doctrinam ſocium ſe adjunxit: Tertium denique Arelatenſem Epiſcopum. Ex tribus unum conflaſſe videntur aliqui, de quibus Hincmarus Remenſis, in libro de Prædeſtinatione. Hincmarus ipſe Syracuſanum quidem ab Arelatenſi diſcernit, at Arelatenſem confundit cum Proſperiano: quæ eſt etiam opinio Cardinalis Baronii & Joannis Gerardi Voſſii. Contra ego Syracuſanum ab Arelatenſi, & Arelatenſem a Proſperiano diſtinguo cum viris eruditis: Proſperianum vero eundem eſſe ac Syracuſanum Monachum facile mihi perſuadeo.

Hincmarus lib. de Prædeſt. cap. 13 & 18.

Hilarium Syracuſanum Monachum alium eſſe ab Arelatenſi Hilario ex annorum ratione nullo negotio conficitur. Syracuſanus ſcripſit ad Auguſtinum circiter annum Chriſti 413. vel 414. Nam ante annum 412. ut ſcripta non credatur epiſtola ſancti Auguſtini reſcribentis, facit mentio judicii contra Cœleſtium facti apud Carthaginem. Cum vero delata ſit in Palæſtinam ab Oroſio, qui illuc venit verno tempore, lectaque ſit in conventu Presbyterorum habito menſe Julii anni 415. manifeſtum eſt ultra annum 414. differendam non eſſe Syracuſani hujus Monachi epiſtolam. At eo anno Hilarius, qui poſtea Arelatenſis Epiſcopus, annum ætatis ſuæ decimum tertium non excedebat; ſi quidem mortuus eſt anno 449. quadraginta & octo annos natus, teſte Honorato Maſſilienſi vitæ ejus ſcriptore.

VI. *Hilarius Syracuſanus idem cum Proſperiano.*

Hilarium porro Syracuſanum ut eundem putem cum Proſperiano, ſeu Proſperi in defenſione ſancti Auguſtini ſocio, iſtæ me movent conjecturæ. Uterque (ſi duo ſunt) diſcipulus ſancti Auguſtini fuit, eique in Africa aliquandiu adhæſit. Uterque Pelagianis erroribus adverſus: Uterque laicus ac opinor Monachus. Tenuioris uterque eruditionis circa Eccleſiæ dogmata, de quibus dubitanti ſimilis interrogat Auguſtinum, ut ex epiſtolis eorum conſtat. Utriuſque demum epiſtolæ ſtylus non abſimilis. Hilarium autem illum Syracuſanum dico, non quod Syracuſis oriundum putem: ſi enim idem eſt cum Proſperiano Gallus fuiſſe credendus eſt. Si quidem hic Maſſilia, ut opinor, vel ex alia Galliarum civitate ſcribens, Auguſtinum parentum ſuorum nomine ſalutat; & ſub fine epiſtolæ hæc addit: *Sciat ſanctitas tua fratrem meum, cujus maxime cauſſa hinc diſceſſimus, cum matrona ſua ex conſenſu perfectam Deo continentiam devoviſſe*: Ex quibus liquet paternam Hilarii familiam in Galliis fuiſſe. Potuit certe idem Hilarius paternam domum relinquens occaſione alicujus cum fratre ſuo diſſidii in Africam transfretare, ſeque diſcipulum tradere Auguſtino erudiendum apud Hipponem. Poſt aliquot annos inceſſit eum reviſendæ patriæ cupido: quam dum repetit celebriora Monachorum Cœnobia luſtrare voluit, quæ erat Monachorum illius ævi conſuetudo. Ad Syracuſanum igitur appulit, comitibus nonnullis, ut reor, Hipponenſibus civibus vel clericis: quibus *de Syracuſano Hipponem remeantibus*, ut ipſe ſcribit, litteras breves ad Auguſtinum tradidit, quibus eum de gliſcente apud Syracuſas Pelagiano dogmate monuit. Demum in Patriam reverſus, cum Magiſtri ſui doctrinam plurimis exoſam in Galliis comperiſſet, monendum illum exiſtimavit, memor forte id antea ab ipſo, dum Syracuſis ageret, poſtulaſſe Auguſtinum his verbis: *Tu magnum conferes beneficium, ſi ea quæ illic a ſanctis fratribus adverſus iſtorum vaniloquia differentur, non me facias ignorare.*

Hilarii Ep. ad ſanctum Auguſtinum.

S. Auguſt. Epiſt. 89. ad Hilarium. in fine.

VII. *Hilarius Proſperi ſocius alius ab Arelatenſi Epiſcopo.*

Hilarium denique Proſperianum male pro Arelatenſi Epiſcopo accipi clariſſime demonſtravit celeberrimus invictiſſimuſque doctrinæ ſanctorum Patrum aſſertor in opere Gallico ante viginti annos edito, idemque probat nuperus hiſtoriæ Pelagianæ ſcriptor Henricus de Noris. Vel hoc unico argumento res conficitur. Jam tunc Epiſcopus erat Arelatenſis Hilarius, cum alter ſcripſit ad Auguſtinum una cum Proſpero: At Hilarius iſte laicus tantum erat eo tempore, quo ſuam exarabat epiſtolam. Talem enim ſe prodit ipſe his epiſtolæ ſuæ verbis, quibus præcipuos ſancti Auguſtini adverſarios deſignat, ac imprimis Hilarium Arelatenſem: *Sunt ex parte tales perſonæ, ut his conſuetudine Eccleſiaſtica* Laicos *ſummam reverentiam neceſſe ſit exhibere. Quod quidem ita* curavimus *Deo juvante ſervare, ut cum opus fuit non taceremus.* Succinit Proſper in epiſtola ſua ad Auguſtinum: *Poſſumus*, inquit, *ad credendum eſſe conſtantes; ſed ad* autoritatem *talia ſententium* non ſumus pares: *quia multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum* adepto nuper ſummo Sacerdotii honore ſupereminent. Deinde Laicus erat iſte Hilarius, cum Auguſtino jam mortuo, ac proinde non ante annum 430. ſcripſit Cœleſtinus Papa ad Galliarum Epiſcopos: Proſperum enim & Hilarium filios vocat, non fratres, ut Coepiſcopos appellari decuiſſet: nec aliter eoſdem compellat ſanctus Auguſtinus initio libri de Prædeſtinatione Sanctorum, quam ut filios.

Apologia ſanctorum Patrum de Gratia parte 1. Henr. de Noris hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 2.

At Hilarius Arelatenſis jam initio anni 429. in Arelatenſi Cathedra conſtitutus fuerat poſt obitum Honorati, qui Patroclo occiſo ſubſtitutus anno 426. biennio tantum, Honorato Maſſilienſi teſte, Epiſcopatum geſſit. Quod adhuc probatur ex vita ſancti Germani Antiſſiodorenſis. Hic enim cum anno 429. ut vult Baronius, vel ut alii 430. ex legatione Britannica reverſus Arelatem ſe contuliſſet: *Illuſtrabatur eo tempore*, inquit Conſtantius, *civitas Hilario ſacerdote multimoda virtute pretioſo.* Denique his expreſſiſſimis verbis ſanctus Proſper Hilarii Arel. Epiſcopatum commemorat in epiſtola ſua: *Unum*, inquit, *eorum præcipuæ autoritatis & ſpiritualium ſtudiorum virum ſanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum ſciat beatitudo tua admiratorem ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de hoc, quod in querelam trahit, jampridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per litteras velle conferre.* Hæc quidem verba *Arelatenſem Epiſcopum* irreptitia eſſe & expungenda cenſet Cardinalis Baronius: cui fere ſubſcribit Voſſius. *Longe tamen magis placet*, inquit, *ſi pro* Hilario *ſcribatur* Honoratus: ſicut ſcriptum dicit a doctiſſimo Eſpencæo commentariis in epiſtolam ad Timotheum, lib. 1. c. 9. *Quod ſive ille*, inquit idem Voſſius, *ex manuſcriptorum fide, ſive ex ingenio fecit, nobis quidem ſententiam ſuam impenſe probat.* Verum nemini probandam ſpero hanc

Proſper in Chron. Honoratus Maſſil. in vita ſancti Hilarii.

Conſtantius Presb. in vita ſancti Germani Antiſſiodor.

S. Proſper in Epiſt. ad ſanctum Auguſt. Voſſius hiſt. Pelag. l. 6.

emendationem, cui manuſcriptorum fides, Chronologiæ ratio, verbaque ipſa Proſperi omnino repugnant: *Poſſumus quidem ad credendum eſſe conſtantes, &c.* Hæc prima ratio diſtinctionis utriuſque Hilarii ex unius Epiſcopatu petita, quo nunquam alter fuit inſignitus.

VIII. Diverſus utriuſque in Auguſtinum affectus.

Proſper ep. ad ſanctum Aug. 25.

2. Longe diverſus utriuſque Hilarii erga ſancti Auguſtini doctrinam affectus. Arelatenſis enim etſi illius ſe *admiratorem ſectatoremque in aliis omnibus* profiteretur, ejus tamen de prædeſtinatione ſententiam *in querelam trahebat*; & unus erat eorum *quos caligo iſtius opinionis*, quæ Auguſtinianæ adverſabatur, *obſcurabat*. Hilarius autem Proſperi ſocius doctrinæ ſancti Auguſtini in omnibus addictiſſimus erat, ut ipſe de ſe teſtatur his verbis: *Nolo autem ſanctitas tua ſic me arbitretur hæc ſcribere, quaſi de iis, quæ nunc edidiſti, ego dubitem . . . Ceterum hac ſuſpicione in tantum careo, ut potius infirmitatem meam, qui tales parum patienter fero, notabilem putem*. Inter eos porro, quos moleſte ferebat, ipſum Arelatenſem Epiſcopum fuiſſe, dubium non eſt, cum, etſi ejus nomen non exprimat, eum tamen iiſdem coloribus depingat, quibus & Proſper: *Sed plane*, inquit, *illud tacere non debeo, quod ſe dicant tuam ſanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari*. En Hilarium Arelatenſis Eccleſiæ Præſulem, quem Proſper ſupra dicebat *admiratorem ſectatoremque in aliis omnibus* Auguſtinianæ doctrinæ, excepta quæſtione, *quam in querelam trahebat*.

IX. Hilarius Arelatenſis ignotus Auguſtino, alter notus.

3. Proſperi ſocius autor fuit eidem Proſpero, ut ad ſanctum Auguſtinum ſcriberet, ejuſque litteras ſuis conjunctas miſit in Africam, quemadmodum ipſe narrat in fine ſuæ epiſtolæ; ubi & alias commemorat ſuperius a ſe ſcriptas ad eundem Auguſtinum, quicum neceſſitudo frequenſque commercium interceſſiſſe videtur. E contra vero eodem tempore ſcribit ſanctus Proſper Hilario Arelatenſi jam olim in mentem veniſſe ut Epiſcopum Hipponenſem litteris conveniret, ſenſum ſuum cum ejus doctrina collaturus; incertum tamen ſibi eſſe utrum id eſſet præſtiturus. Quod omnino ſufficit ut unus ab altero diverſus demonſtretur. Prior enim Auguſtino familiaris fuit, poſterior nequaquam.

4. Hilarius Proſperi commilito olim Auguſtini lateribus adhæſerat, ejuſque doctrinæ lacte aliquamdiu in Africa fuerat enutritus: hoc enim ipſe ſignificat: *Sufficiat*, inquit, *mihi pœna mea, quod a præſentiæ tuæ deliciis exulatus, ubi ſalubribus tuis uberibus nutriebar, non ſolum abſentia tua crucior, verum etiam pervicacia quorumdam*. Arelatenſis vero Hilarius nunquam in Africam peregrinatus eſt. Ex ejus enim & ex Honorati vita docemur hujus ſtudio & opera Hilarium a ſæculi deliciis ad Monaſticæ vitæ inſtitutum traductum conſtanter apud Lerinum perſeveraſſe, quouſque mortuo Honorato in ejus locum ſuffectus eſt triginta nondum annos natus.

X. Nec Hilarii Proſperiani, nec Arelatenſis eſt opus.

His de utriuſque Hilarii diſcrimine elucidatis, evaneſcit Voſſii, aliorumque aſſertio, qui non aliam ob cauſſam Hilario vel Arelatenſi vel Proſperiano opus de Vocatione gentium adſcribendum putarunt, quam quod conflarunt ex duobus unum. Cui argumento alterum addo de utroque ſeorſim. De Hilario quidem Arelatenſi: quod nihil in opere de Vocatione omnium gentium occurrit, quod vel minimum fuliginem Semipelagianam redoleat: qua certum eſt Hilarium Arelatenſem vehementer infectum fuiſſe. Immo vero omnes Semipelagianorum errores hoc ſcripto peſſumdantur.

Ad Proſperianum quod attinet, ſeu idem cum Syracuſano, ſeu alter ab eo, non autor eſt tam præclari opuſculi. Neuter enim tanti fuit in Eccleſia nominis, ut inter Eccleſiæ Magiſtros ac Doctores meruerit a Gelaſio PP. numerari: ut numeratus eſt autor quem diſcutimus. Neuter ea ſanctitatis aut doctrinæ fama claruit, ut Demetrias virgo optaverit ſibi ab eo tractatum ſcribi de virginitatis propoſito: idem enim procul dubio utriuſque ſcripti autor, ut oſtendemus inferius, & vel ſtyli affinitas una demonſtrat. Contra vero a ſtylo librorum de Vocatione gentium longe abhorret Hilarii utriuſque phraſis: hæc jejuna, humilis ac repens; ille ornatus, ſublimis & ad luxuriem uſque exuberans. Neutrius demum epiſtola ullum præ ſe fert characterem, qui tam eleganti, tam eruditæ ſcriptioni ſimile quid expectare ſinat. Syracuſani enim brevior epiſtola & contractior, quam quæ ab homine erudito de hujuſmodi quæſtionibus ſcribi debuerat. Alter ultro profitetur tenuitatem virium ſuarum, videtur etiam non ſatis deprehendiſſe quam pernicioſum eſſet doctrinæ Catholicæ adverſariorum dogma, quos dubitat tolerari poſſe: excuſat apud Auguſtinum, quod aliter in ſuperiori epiſtola ſcripſiſſet de illorum ſententia, quam tunc ſcriberet. Denique imbecillitatis propriæ conſcius, ac timens iterum ne minus digne ac intelligenter opinionem Semipelagianorum referret, monet ſe in Proſperum illius melius explicandæ provinciam tranſmiſiſſe: ut videatur omnino zelo erga Chriſti gratiam ardentiore fuiſſe præditus, quam ea ſcientia inſtructus, quæ in illius defenſore exigeretur.

XI. Proſper Aurelianenſis ſiue libellorum iſtorum autor. *Apollin. Sidonius l. 8. epiſt. 15.*

Hæc eadem ratio retinet me, ne alteri Voſſii conjecturæ ſubſcribam, qui vix dubitandum putat quin Proſperi Aurelianenſis Epiſcopi ſtudio & operæ debeamus hanc de Gratia lucubrationem. Quantam enim in eo dicendi ſcribendique copiam fuiſſe exiſtimemus, qui Apollinaris Sidonii ſtylum emendicare coactus eſt, ut ſancti Aniani Aurelianenſis pariter Epiſcopi res geſtæ, mores, merita, virtuteſque memoriæ commendarentur: quod factum prodit Sidonius; hanc procul dubio provinciam non detrectaſſet, ſuique prædeceſſoris vitam, aliorum Epiſcoporum exemplum ſecutus, ipſe deſcripſiſſet, ſi in eo tanta fuiſſet facundia, quantam in libellis de Vocatione gentium mirantur eruditi. Quid quod eam, de qua agitur, controverſiam vix crediderim ad ea uſque loca penetraſſe, in quibus Proſper ille morabatur?

An Proſper qui Epiſcopus fuit anno 527. & 529.

Alteri Proſpero, qui Carpentoratenſi Vaſenſique Conciliis ſubſcripſit, quod nonnullis placet opus iſtud ex conjectura tradere, ne refutatione quidem indiget. Hunc enim jam mortuum laudare non potuit Gelaſius Papa, qui anno 496. hoc eſt, triginta & amplius annis ante utramque illam Synodum e vivis exceſſit: prior enim anno 527. poſterior 529. habita eſt. Addo librum ſcriptum eſſe circa initia motæ adverſus Auguſtinum controverſiæ: quæ totis centum annis Proſperi hujus ætatem præverteret. Ex quo culpanda hoc loco Voſſii, viri alias diligentiſſimi, indiligentia, qui inter Proſperum Aurelianenſem & hunc poſteriorem non diſcernit.

Venimus tandem ad Proſperum Aquitanum

Leo-

XII. Proſpero Aquitano utrum poſſit opuſculum adſeribi.

Leonis noſtri Notarium, ſive poſtmodum Epiſcopus fuerit, ut vulgo putant, ſive nunquam ad eum gradum evectus ſit, ut modo conſtat inter eruditos. Huic eo difficilius abjudicari poſſe videtur hujus opuſculi poſſeſſio, quod octingentorum annorum præſcriptione, omnium qui habentur MSS. Codicum fide, totiuſque Gallicanæ Eccleſiæ ſuffragio firmata legitur; quod omnium etiam fere ſcriptorum in eum vota concurrunt; & in omnibus fere operum ejus editionibus jam ex antiquo pro genuino ejuſdem fœtu habitum eſt ſcriptum iſtud.

Eſt una quidem Proſperi hujuſque autoris circa Chriſti gratiam doctrina. Uterque ſancto Auguſtino ſuccinit. Verbis tamen & modis loquendi videntur diſcrepare: & ad eam explicandi rationem, eaque velut emollimenta deſcendit iſte autor, ad quæ nunquam Proſper confugiſſe legitur. Quæ eauſſa fuit Gerardo Voſſio aſſerendi, quod *ejus ſententia non ex amuſſim quadrat doctrinæ Proſperi*, ſed mediam potius viam ſequitur inter Auguſtini ſententiam & eam quæ fuit Semipelagianorum: quod an verum ſit, inferius opus erit inquirere.

2. Styli diſparitas autorum quoque diſtinctionem arguit: qnod Joanni Latio primo viſum eſt, lib. 2. de Semipelagianis cap. 3. *Caſſander & Coſterius Proſpero* (tribuunt) *ex antiquorum Codicum auto.itate; verum ſtylus a Proſperi ſtylo abludit, & rerum tractatio diſſimilis eſt*. Quæ cauſa eadem, opinor, fuit, cur opuſculum iſtud aureum, ut ſæpe ab eruditis appellatur, Proſperi non eſſe pronuntiarint viri plures doctiſſimi, quos inter (præter Latium) numerantur Gerardus Voſſius, Hugo Grotius, Antonius Arnaldus, Henricus Noriſius, nunc S. R. E. Cardinalis, & alii nonnulli. Certe autoris librorum de Vocatione ſtylus Proſperiano longe caſtigatior concinniorque, elegantior dictio, periodi magis commenſuratæ, antitheſes ſententiarum verborumque pugnæ frequentiores, ſchematum uſus crebrior, tota denique oratio ex affectato rithmorum occurſu longe modulatior. Hocque imprimis attendendum, utpote non niſi ex conſilio ſtudioque natum: non enim tunc ſolum occurrunt cum in eas velut ſponte currere videtur oratio, quod & nonnunquam in Proſpero inveneris; ſed aliis etiam in locis, ubi non niſi data opera uſurparentur.

3. Scribendi methodus autori anonymo familiaris a Proſperi ratione plurimum diſſidet. Hic enim palam & publice aſſertorem ſe vindicemque ſancti Auguſtini exhibet, ejus doctrinæ apices omnes ubique acriter ac ſtrenue propugnat, premit ſtudioſe omnia ejus veſtigia, ubique ſancti Doctoris animum, doctrinam, ſenſuſque omnes ſpirat. Nihil tale in gemino libello. De ſancto Auguſtino ne apex quidem ullus: ita ut vel ipſum videatur non noſſe (quod nemo crediderit) vel ejus nomen ex certo conſilio, certaſque ob cauſſas reticuiſſe. Proſper cum ſcribit Eccleſiæ Romanæ autoritatem paſſim prædicat ac circumfert, utpote ejus nomine & ex ejus delegationn in arenam deſcendens: alter ex proprio ingenio ſtylum exerit, non tam pugnandi, quam ſeſe exercendi ſtudio, magiſque inquirenti ſimilis, quam certa & jam ſancita dogmata propugnanti. Ille palam aggreditur Semipelagianos, atque ut Catholicæ doctrinæ adverſarios inſectatur: hic non tam ex induſtria, quam aliud veluti agens eos exagitat, nec id ea vehementia eoque zelo exequitur, quo ſanctus ille Auguſtinianæ doctrinæ diſcipulus & vindex.

XIII. Scripti tempus Proſpero non congruit.

4. Cum certum ſit ſcriptum opuſculum fuiſſe aliquandiu ante Gelaſii Papæ tempora, vix tamen unum aliquod temporis ſpatium aſſignare poſſis, quod Proſpero conveniat. Si ſtatim ab initio concertationum, vel paulo poſt eas exortas, exaratum velis, jam ipſum autorem in libri ſui exordio contradicentem habes, qui jamdudum de his quæſtionibus controverſum fuiſſe diſerte aſſerit: *Inter defenſores liberi arbitrii*, inquit, *& prædicatores gratiæ Dei magna & difficilis* dudum *vertitur quæſtio*, *&c.* Si vero ultro conceſſeris, quod negari non poteſt, eam controverſiam dudum efferbuiſſe inter Auguſtinianos & Semipelagianos, cum ad ſcribendum autor ſe applicuit, jam alium a Proſpero fuiſſe neceſſe eſt. Hic enim ſtatim atque Pelagiani veneni reliquiæ per Genuenſium Excerpta, vel Capitula Gallorum, vel Joannis Caſſiani Collationes ſpargi cœpere, ſtylum ocyus arripuit acuitque, & totis viribus illarum vocum novitates inſectatus eſt: Contra vero autor librorum *De vocatione gentium* innuit hanc primam ſuam eſſe de hac materia lucubrationem, & quidem dudum poſt motas quæſtiones elaboratam: *Magna & difficilis* dudum *vertitur quæſtio .... De hac igitur compugnantia opinionum qua menſura & temperantia ſentiendum ſit, quantum Dominus adjuverit*, annitar *inquirere*, *exercens atque diſcutiens modulum facultatis meæ in his, quæ cordi meo ſobrie quantum arbitror inhæſerunt*. En verba poſt longam opinionum iſtarum concertationem ſcribentis, primam in hoc ſcripto operam ponentis primumque conatum, hominiſque magis *inquirentis*, ſeſe *exercentis*, remque ſtudio proprio *diſcutientis*, ac pro modulo facultatis ſuæ, quam confidenter ex Patrum doctrina aſſerentis, propugnantiſque ex delegatione Sedis Apoſtolicæ. Imo timide admodum ac dubitanter ſcribit: quia videlicet quamvis per omnia Auguſtinianæ receptæque in Eccleſia doctrinæ congruentia proponeret, novos tamen loquendi modos inducebat: ſciebat autem ſuſpectas merito eſſe in Eccleſia novitates vocum, etiam ſervata antiquitatis doctrina: unde poſt deſcripta verba, hæc ſubjicit: *Ut ſi in eas regulas proceſſerit ſtylus, quæ nihil offenſionis, nihil habeant pravitatis, non ſolum nobis, ſed & aliis utile ſit, ad aliquem nos limitem perveniſſe, quem non debeamus excedere*. Qui demum, ne ſcriptum Proſpero abjudicent, diſcrimen notatum indenaſci poſſe dixerint, ut dixerunt nonnulli, quod illo tempore exaratum eſt a Proſpero, quo nondum plene hauſerat Auguſtinianæ doctrinæ fluenta, præſertim vero ex iis libris poſteriores ſubque vitæ finem ſcripſit; facile ex fixa ſuperius epocha hujus ſcriptionis refelluntur.

Lib. 1. de Vocat. omn. Gent. cap. 1.

XIV. Quid hactenus de iſto autore pro certo habitum.

His igitur & aliis ejuſmodi rationibus moti ſunt viri eruditi, ut remotis omnibus notatis ſupra præjudiciis, de autore opuſculi novum examen inſtituerent: atque ex diligentiori inquiſitione, expenſiſque hactenus momentis & rationibus hæc tria pro certis habenda eſſe ſtatutum eſt:

Primum nullum ex iis, quos ante Proſperum excuſſimus, eſſe autorem librorum *De Vocatione omnium Gentium*.

2. Etſi graviora Proſpero Aquitano argumenta militent, graviores tamen eſſe rationes in contrarium prolatas: neque illa argumenta majoris eſſe momenti, ut opus iſtud Proſpero adſcribatur,

tur, quam ſimilia quibus eidem ad noſtram uſque ætatem aſſertum eſt opus *De vita contemplativa*. Pariter enim ſub Proſperi nomine laudatum legitur ab octingentis annis in Synodis Eccleſiæ Gallicanæ; pariter inſcriptum Proſperi nomen in manuſcriptis codicibus ejuſdem ætatis; pariter operibus editis jam ex antiquo inſertum; ita denique creditum, nullo refragante, ab omnibus poſterioris ævi ſcriptoribus. Conſtat nihilominus hodie inter eruditos non eſſe Proſperi opus *De vita contemplativa*, nec religio fuit tam antiquis, tamque idoneis teſtibus fidem derogare, vel ex ſola ſtyli diverſitate; ſed Juliani Promerii eſſe omnes conſentiunt, partim ex Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi teſtimonio, partim ex MSS. codicum fide. Unum jampridem laudarunt viri eruditi, qui fuerat primum ſancti Salvatoris Vicecomitis, poſtea illuſtriſſimi doctiſſimique Archiepiſcopi Toloſani Caroli de Monchal: alterum nuper nacti ſumus in Bibliotheca Abbatiæ Beatæ Mariæ de Trappa, quæ ex obſcuro Monaſteriolo, unde penitus obliterata regularis diſciplina, in numeroſiſſimum ſanctiſſimumque Aſceterium derepente evadens, Religioſiſſimi Abbatis ſtudio ac pietate, ſuum ætate noſtra Gallicanæ Eccleſiæ Bernardum, ſuam Bernardo reddidit Claramvallem.

Tertium denique, ad quod poſt operoſam inquiſitionem deventum eſt ab eruditis ſcriptoribus, hoc eſt: prorſus ignotum eſſe autorem librorum iſtorum; atque ita omnibus, quibus hactenus ſunt adſcripti, abjudicarunt, nemini.

XV.
Leonis eſſe opuſculum; & cur ei a nemine tributum.

Porro mirari ſatis non poſſum, dum eruditus quiſque Eccleſiaſticæ rei ſtudioſus autorem præclari venatur opuſculi, neminem de Leone noſtro quicquam eſſe ſubodoratum, neque in ullius oculos incurriſſe ſplendidum illud Eccleſiæ Romanæ lumen. Immo incurrit procul dubio; ſed dum hunc Pontificem tantum cogitant, illinc ſcribendi rationem a Pontifice alienam, qualem habet autor libellorum noſtrorum, illi tribuere opus reformidarunt: non animadvertentes, ut certum habemus, Leonem noſtrum diu ante Pontificatum ſuum adverſus Pelagianos ferventi zelo decertaſſe, ita non gere exiſtimandum ſtylo cum pugnaſſe ac ſcriptis, qua videlicet præditus erat & Scripturarum ſacrarum doctrina & dicendi ſcribendique facultate eximia.

Hoc igitur certiſſimum apud me eſt, Leonem Papam, antequam ad Pontificatus apicem proveheretur ſcripſiſſe libros de Vocatione omnium Gentium. Quod ut mihi perſuaderem difficile non fuit, cui videlicet ſcripta ſancti Leonis ex inſtituti mei neceſſitate ſæpe ſæpius relegenti familiariſſima facta eſt phraſis Leonina, totuſque dicendi character. Utrum autem ad id aliis perſuadendum parem inventurus ſim facilitatem, ſpondere mihi non auſim. Hoc unum ſpondeo, nihil eſſe quo poſſit opinio noſtra concuti: contra vero quicquid a variis ſcriptoribus, qui hanc ſpartam adornarunt, obſervatum eſt, quaſi hujus autoris proprium, & alia inſuper bene multa, omnino congruere Leoni, ipſumque quaſi digito monſtrare, ætas, inquam, patria, ſcribendi character, Scripturæ uſus familiaris, peculiaris locorum quorumdam citatio, aliorum frequentior recurſus, doctrinæ præſertim de gratia Chriſti ſimilitudo, explicandi modus proprius, ſententiæ non abſimiles, nonnullorum verborum affectata frequentatio, conformatio periodorum eadem, eadem ſermonis conſtructio, conflictus verborum crebræque antitheſes, dictionis varietas, elegantia, dignitas, ubertas igneuſque vigor, tota denique ſtyli, ut ita dicam, facies eundem omnino autorem prædicant: ut omittam eaſdem utrique occaſiones fuiſſe, quæ ad ſcribendum opus iſtud movere potuerint.

XVI.
Leonis tempore ſcriptum.

Primum quidem, quod ſcriptionis tempus attinet, iſtud in ætate Leonis noſtri incidere evidentiſſimum eſt. Tunc enim ſcribere aggreſſus eſt autor, cum jamdudum ferverent diſſidia adverſus Auguſtinianam doctrinam mota, quæ quidem vivente ahuc Auguſtino orta erant; adeoque circiter annum quadringenteſimum trigeſimum ſecundum, vel tertium opus exarabat, a quadringenteſimo quadrageſimo, quo electus eſt Leo Pontifex, non longe diſſitum. Præterea non ſcripſit autor, niſi poſt lectas aliorum lucubrationes adverſus Semipelagianos; hoc eſt poſt ſcripta ſancti Proſperi, qui Johannis Caſſiani adhuc tum in vivis agentis collationes confutavit. Accedit, laudatum eſſe a Gelaſio Papa I. Opuſculum iſtud velut ab Eccleſiæ quodam magiſtro jam a pluribus annis conſcriptum: Gelaſius autem Papa anno 496. Pontificatum cum vita reliquit. Denique modo certum apud eruditos eundem eſſe autorem librorum de Vocatione Gentium, & epiſtolæ ad Demetriadem virginem, quæ Proſperi operibus inſerta accenſitaque habetur, quod ſtyli affinitas arguit. At circa hæc eadem, quæ aſſignavimus, tempora ſcripta eſſe videtur epiſtola. Demetrias enim virginitatis propoſitum amplexa erat anno 413. *primæ ætatis flore*, ut loquitur autor epiſtolæ, annos forſan nata viginti vel duodeviginti: ejuſdem autem *tam maturum & eruditum animum* laudat ſtatim ab initio epiſtolæ: quod ante annum circiter 433. fieri vix potuit, quo trigeſimum octavum vel quadrageſimum ætatis ſuæ annum attigerat Demetrias. Et certe poſt Auguſtini mortem ſcriptam eſſe epiſtolam indicant hæc verba, quibus eos, qui piiſſimam virginem inter ipſa conſecrationis primordia adhortationibus ſuis incitaverant, quaſi vita functos laudat: *De quo*, inquit, *inter ipſa principia multi, qui* tunc *in Eccleſia præeminebant, non ſiluerunt*: inter quos Auguſtinum numeratum eſſe, nemo non crediderit.

XVII.
Quæ autoris Patria.

2. Autorem iſtum in Italia natum aut ſaltem commemoratum probabile admodum eſt. Vel enim Galliis noſtris, vel Africanæ Eccleſiæ, vel Romanæ vindicandus omnino videtur: extra quas nec tantam facundiam, nec doctrinam tantam, quantam continent libelli per illa tempora invenire poteris.

Non Africanus.

Africanum non fuiſſe, probare mihi videtur altum de ſancto Auguſtino ſilentium, quod minus ardens ſtudium denotat, quam Africanus pro conterraneo ſuo præ ſe ferre debuerit: nec enim ignoraſſet ipſum Africanarum Synodorum *Ingenium* fuiſſe, amaſſetque de tanto viro dicere cum Proſpero, quod

S. Proſper. Carm. De ingratis

—— Inter cunctos qui de grege ſancto
Inſanas pepulere feras, induſtria major,
Majus opus totum præſtantius imbuit Orbem.

Ibidem.

Hunc, inquam, laudaſſet, vel a conviciis maligniſque adverſariorum accuſationibus vindicaſſet. Nihil porro tale: ut nullum commercium, nullam inter utrumque conſuetudinem interceſſiſſe appareat. Deinde tanti viri aliquam haberemus in Eccleſia Africana memoriam, eum adſciviſſet Auguſtinus pugnæ ſocium adverſus hæreticos, eoſque poſt ſancti Doctoris mortem exagitandos hic

ſuſce-

ſuſcepiſſet. Denique ſtyli perſpicuitas concinnitaſque cùm torgente vel etiam barbara Africanorum illius temporis dictione commune nihil habet. Barbari enim magnam Africæ partem invadentes, barbariem quoque in litteras invexerant: ita ut Auguſtinus, qui inter alios eloquentiæ laudem olim captarat, nihil habeat quod hoc in genere cum autore noſtro conferre queat.

Non Gallus.

Gallum ſi dixeris fuiſſe, difficile cogites cur a Gennadio tam accurato alioqui ſcriptorum Gallicanorum recenſitore vel ignoratus ſit vel prætermiſſus. Cur etiam Proſpero non ſe adjunxiſſet commilitonem adverſus Auguſtinianæ doctrinæ obtrectatores, cum tanta dicendi ſeribendique copia, tam ſingulari eruditione polleret, & tanta eſſet defenſorum gratiæ penuria in Galliis, ut vix eſſet, qui ejus impugnatoribus ſe ſe objiceret: *Nec facile quiſquam*, inquit ſanctus Proſper, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, *tantis ſuperiorum diſputationibus auſus eſt contraire*. In illa, inquam, temporum neceſſitate autor iſte in Galliis delituiſſet, velut pugil inermis aut trepidus: quando ſolus Proſper decertabat, uno ſocio vel potius pugnæ incentore Hilario Monacho, non ſatis, ut apparet, ad pugnam idoneo?

Proſper. ep. ad ſanctum Auguſt.

XVIII. Italus fuit autor opuſculi.

Reſtat ut Italum pronunties hunc autorem; quod & nonnullis adhuc momentis probabile facimus. Styli enim elegantia & nitor hominem deſignat in Romanæ civitatis ſinu aut vicinia educatum: ubi Latina lingua ſe magis adverſus incurrentem barbariem tuebatur. Vix enim ac ne vix quidem coævum Leoni ſcriptorem reperias, quem autor librorum de Vocatione Gentium ſcribendi concinnitate non ſuperet. Præterea autor lib. 2. cap. 33. hæc habet: *Alii*, inquit, *barbari dum Romanis auxiliantur, quod in ſuis locis noſſe non poterant in* noſtris *didicere regionibus, & ad ſedes ſuas cum Chriſtianæ Religionis inſtitutione remearunt*. Incertum qua de expeditione ſermo ſit hoc loco: ſed haud ſcio an aptius ad aliam referri queat, quam ad bellum adverſus Eugenium tyrannum, a Theodoſio magno confectum. Recens enim ejus tunc memoria. Victoria hoc parta prælio pro Imperii rebus decretoria fuit. Imperatorem ex Orientis partibus proficiſcentem ad bellum ſecuta eſt ingens barbarorum multitudo ad Alpes uſque, ubi debellatus tyrannus, quorum pars magna cæſa eſt ab hoſtibus. At facile fuit ut eorum filii religionis Chriſtianæ elementa illic edocerentur, baptizarenturque, hanc illis gratiam vel gratitudinis ergo procurante Theodoſio, quem in eadem occaſione diſcimus hanc ſolicitudinem inimicorum etiam ſuorum filiis ultro impendiſſe: *Inimicorum ſuorum filios*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quos non ipſius juſſus, ſed belli abſtulerat tempus, etiam nondum Chriſtianos ad Eccleſiam confugientes, Chriſtianos hac occaſione fieri voluit, & Chriſtiana charitate dilexit*. Sed & ſenſus magis obvius iſtorum verborum: *In noſtris didicere regionibus*: requirit, ni fallor, ut de Romano ſolo intelligantur; cum his aliis annectantur: *Dum Romanis auxiliantur*. Hoc tamen argumentum Eraſmo, cui etiam in mentem venit, dilutius videtur, quia quacunque ſe Romanum pandebat Imperium, Romana regio dici poterat. Penes lectorem eſto judicium. Forte validior conjectura, quæ ex libri 2. cap. 16. eruitur: ubi magnificis verbis Romanæ Eccleſiæ principatum prædicat, ditionemque illius, diſſeminatæ ubique fidei titulo, longe lateque propagatam. Etſi enim ſit omnium per univerſum Orbem Catholicorum Romanæ Sedis Primatum agnoſcere, ſingularumque prærogativam Petri ſucceſſori, Eccleſiæ vertici debitam profiteri; his tamen loquendi modis gaudere mihi videtur autor noſter, qui hominem prodant vel Romanum vel Romano clero inſitum. Denique opuſculum iſtud nuſquam apud Africanam Eccleſiam citatum legitur: apud Gallicanam, non niſi poſt annum octingenteſimum: At apud Romanam ante annum quadringenteſimum nonageſimum ſextum laudatur, nimirum a Gelaſio Papa I. qui nomen quidem autoris reticet, a quodam tamen Eccleſiæ Magiſtro ſapienteque doctore compoſitum indicat: Sicut quidam, inquit, Magiſter Eccleſiæ ſapienter edocuit dicens: *Ad magnam enim utilitatem fidelium materia eſt ſervata certaminum, ut non ſuperficiat ſanctitas, dum pulſatur infirmitas*. Quis porro alius ſapiens Doctor & Magiſter Eccleſiæ per illa tempora floruit, cui opus iſtud adſcribi poſſit? cum Proſpero aliiſque inſignioribus viris, qui tunc ſcientiæ eloquentiæque primatum tenebant in Eccleſia, abjudicandum eſſe ſupra cenſuerimus.

S. Aug. lib. 5 de Civ. Dei, cap. 26.

XIX. In citanda Scriptura convenit autor cum S. Leone.

Cum ætas & patria autoris Leoni conveniant, inquirendum modo an congruat ſtylus dicendique character. Plura ſunt profecto quæ utique communia ſint.

Primum eſt, quod nova ſancti Hieronymi translatione uterque utitur. Quæ ſimilitudo magis eo penſanda, quo rariſſimi ſcriptores occurrunt, qui verſionem illam uſurpaverint ante medium quinti ſæculi, quo tempore ſcriptum opus conſtat. Inſignis locus eſt libri Job cap. 14. ver. 4. ita citatus apud ſanctum Leonem ſerm. 8. de Nativitate Domini, & in lib. 1. De Vocatione omnium Gentium, cap. 8. *Quis poteſt facere mundum de immunde conceptum ſemine: nonne tu, qui ſolus es?* Qui locus ita legitur juxta veterem translationem: *Nemo mundus a ſorde nec infans cujus unius diei vita ſuper terram*. Juxta utramque translationem uſurpatur idem verſus in epiſtola ad Demetriadem, cap. 11. Ex quo eundem trium opuſculorum autorem non temere ſuſpiceris. Certe ut hunc non Africanum, ſed Romanum credam, facit adhuc promiſcuus iſte utriuſque verſionis uſus. Serius enim receptam puto Hieronymianam in Africa, ubi adverſum paſſa eſt Auguſtinum, quam apud Romanam Sedem, ubi magna Hieronymi autoritas, & apud quam in uſu fuiſſe utramque ante Gregorii I. Pontificatum, Gregorius ipſe teſtatur in epiſtola ad Leandrum expoſitioni in Job præfixa.

Uterque legit hunc primæ Johannis epiſtolæ verſum 3. capitis 4. *Omnis ſpiritus qui ſolvit* Jeſum *ex Deo non eſt*: quæ verba, etſi in aliquot aliorum Patrum ſcriptis habeantur, non tamen in multis. Deſunt certe in omnibus exemplaribus Græcis, verſionibuſque quas hæretici ediderunt in lucem. Scribitque Socrates hiſtor. lib. 7. capite 32. *Hanc ſententiam omnes, qui divinitatem ab humanitate Chriſti ſejungere ſtudebant, ex vetuſtis exemplaribus delere tollereque non dubitaſſe*, idemque teſtatum dicit a veteribus interpretibus. Loca ſunt Lib. 1. de Vocatione omnium Gentium, cap. 23. & in celebri epiſt. 24. ad Flavianum, cap. 5.

Uterque capitis 31. Jeremiæ verſum 33. hoc modo refert: *Dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum ſcribam eas*. Lib. 1. de Vocatione omnium Gentium cap. 8. & 9. Leo ſerm. 95. de Gradibus aſcenſionis ad beatitudinem cap. 1. Ex hiſque verbis notat uterque eodem loco ſeveri-

veri-

Digitized by Google

veritatem legis in miſericordiam per gratiæ infuſionem eſſe mutatam.

Uterque ita legit & paſſim uſurpat textum hunc Apoſtoli: *Nemo poteſt dicere Dominum* Jeſum. Utrique familiare eſt illud libri Job: *Tentatio eſt vitam hominis ſuper terram:* Et ut gentium ſine Deo, & ſine fidei lumine viventium ante Domini Incarnationem ſtatum exponant, perſæpe adducunt hæc cap. 14. Actuum Apoſtolorum verba: *Dimiſit gentes abire vias ſuas.*

Uterque hunc locum capitis 28. Evangelii ſecundum Matthæum uſurpat, ut probet Chriſtum Dominum in verbi ſui ſacramentorumque miniſtris nunquam non operari: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* S. Leo epiſt. 83. ad Theodorum Forojulienſem: *Cui utique operi* (nempe reconciliationi peccatorum per miniſterium ſacerdotum) *inceſſabiliter ipſe Salvator intervenit, nec unquam ab his abeſt, quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit, dicens: Ecce ego,* inquit, *vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Et ep. 2. ad Ruſticum Narbon. *Confirmans*, inquit, *prædicatores Evangelii & ſacramentorum miniſtros: Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum, &c.* Autor vero librorum de Vocat. Gent. lib. 2. cap. 2. *Et ne prædicantium miniſteria humano tantum viderentur opere peragenda; Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum, &c.*

epiſt. 83. ad Theodor. Forojulien. cap. 2.

epiſt. 2. ad Ruſticum Narb. in præf.

Uterque etiam (quod maxime notandum) verſus 31. & 32. cap. 22. ſancti Lucæ refert eodem ac peculiari modo. Sic enim habent: *Simon, Simon, ecce ſatanas* poſtulavit *ut vos* cerneret *ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te ne deficiat fides tua: & tu tandem converſus confirma fratres tuos*; & roga ne intretis in tentationem. Intra enim tam pauca verba tria aut quatuor ſunt, in quibus & ſibi invicem conſentiunt & ab illis diſcrepant ſatis inſigniter, ut ex ſubjecta vulgatæ editionis lectione manifeſtum fit, quæ ſic habet: *Simon, Simon, ecce ſatanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Habet quidem ſanctus Proſper ſimilem fere lectionem cum hoc autore noſtro, ſed tamen non omnino eandem. Nam priori loco, ſcilicet in epiſtola ad Rufinum, non habet *cerneret* pro *cribraret*, etſi cetera concinant: in libro contra Collatorem, cap. 35. ubi eundem textum iterum uſurpat, hæc ultima verba omittit, *& roga ne intretis in tentationem.* Sanctus autem Leo ſerm. 3. in anniverſario Aſſumtionis ſuæ, cap. 3. quo ſolum loco hæc verba adducit, in omnibus convenit cum autore libri de Vocat. Gentium. Opponet quis procul dubio illic non haberi *cerneret* pro *cribraret*. Non ita, fateor, legitur in codicibus excuſis; ſed ex MSS. optimæ notæ adulteratum hunc locum fuiſſe convincimus: cum enim nemini non ſit familiaris dictio, & in omnibus ubique codicibus *cribraret* legamus, non dubitavit ſcriba doctulus erratum, ut putabat, ad vulgatam lectionem emendare, & reponere *cribraret* pro *cerneret*: ſed hoc ultimum eſſe legendum arguunt MSS. codices Victorinus unus, alter Ciſtercienſis, & tertius ſancti Mariani Antiſſiodorenſis Ordin. Præm. qui fuit olim Abbatiæ Regniacenſis Ordin. Ciſterc. non longe ab illa urbe. Ita etiam legit Hincmarus Remenſis Epiſc. Opuſc. 33. Capitulorum 55. capite 16. ubi locum hunc Leonis deſcribit.

XX. In materia gratiæ conveniunt.

2. Iſtius operis doctrina circa Chriſti gratiam eadem prorſus eſt cum doctrina ſancti Leonis: cumque in illo nonnulli ſint tam explicandi quam loquendi in hac materia modi, quibus videtur primo intuitu ab Auguſtini ſententia recedere, iidem quoque paſſim apud Leonem occurrunt. In quibus præſertim eſt quod de generali quadam gratia nulli ætati, nulli homini non impenſa, ſæpius diſſerit, quam quidem ponit in elementorum diſcordi concentu, in terræ cœlique, & creaturarum omnium ſtructura, ordine ac veluti loquela, quæ creatoris omnipotentiam, bonitatem, ſapientiamque ineffabiliter prædicant. Ita ſanctus Leo ſerm. 7. jejun. decimi menſis. Per ipſa, inquit, elementa mundi tanquam per publicas Paginas, *ſignificationem divinæ voluntatis accipimus; nec unquam ceſſat divina eruditio: quando etiam de iis, quæ nobis* famulantur, imbuimur. Serm. 8. de Eodem. *Intelligimus divinis* nihil vacuum eſſe *præceptis, & verbo Dei ad eruditionem noſtram omnia elementa ſervire, dum per ipſius mundi cardines, quaſi per quatuor Evangelia inceſſabiliter diſcimus quod & prædicemus & agamus. Dicente cum propheta:* Cœli enarrant gloriam Dei, &c. *Quid eſt per quod veritas nobis* non loquitur? *Ipſius voces in die, ipſius voce in nocte audiuntur, & pulchritudo rerum unius Dei opificio conditarum non deſinit cordis auribus magiſtram inſinuare rationem; ut inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur; & non creaturis, ſed creatori omnium ſerviatur.* Serm. 6. de Jejunio Sept. menſis: *Devotionem fidelium nihil eſt quod divina providentia non adjuvet: Si quidem exercendis ad ſanctimoniam mentibus atque corporibus ipſa quoque mundi* elementa famulantur, *dum dierum ac menſium diſtincte variata revolutio* quaſdam nobis paginas *aperit præceptorum: ut quod ſacra admonent* inſtituta, *hoc quodammodo* loquantur *& tempora* Serm. 6. in Quadrageſ. cap. 1. *Semper quidem, dilectiſſimi, miſericordia Domini plena eſt terra, & unicuique fidelium ad colendum Deum ipſa rerum natura doctrina eſt, dum cœlum & terra, mare & omnia, quæ in eis ſunt, bonitatem & omnipotentiam* ſui proteſtantur autoris, & famulantium elementorum *mirabilis pulchritudo juſtam ab intellectuali creatura gratiarum exigit actionem.*

Serm. 7. de Jejun. menſis 10. & Eleem. c. 2.

De eod. Jejun. ſerm. 8. cap. 2.

De Vocat. Gent. lib. 2. cap. 4. *Cœlum & terra omniſque creatura, quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipue diſpoſita eſt humani generis utilitatem, ut natura rationalis.... ad cultum & dilectionem* ſui imbueretur autoris. *Quoniam etſi longe eſt a peccatoribus ſalus, præſentia tamen ſalutis* ipſius ac virtute nihil vacuum eſt.... *Quod eſt autem hoc teſtimonium quod ſemper Domino de ſervis, & nunquam de ejus bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam* æternæ legis tabulæ *præbebantur, ut* in paginis elementorum, ac voluminibus temporum *communis & publica divinæ inſtitutionis doctrina legeretur. Cœlum ergo cunctaque cœleſtia mare & terra, omniaque, quæ in eis ſunt conſone ſpeciei ſuæ ordinationiſque concentu* proteſtabantur *gloriam Dei & prædicatione perpetua majeſtatem ſui* loquebantur *autoris.* Et cap. 5. *Quamvis ergo hæc & multa ſimilia veritatis ſcriptura pronunciet; ſecundum ipſam tamen credimus & piiſſime confitemur, quod nunquam univerſitati hominum divinæ Providentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonita-*

nitatis ſuæ dona ſubtraxit: ut propheticas voces & præcepta legalia convincerentur in elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe. Unde & inexcuſabiles facti ſunt, quia Deos ſibi Dei dona fecerunt; & quæ creata erant ad utendum, venerati ſunt ad colendum.

De Generali hujuſmodi gratia (hac voce in latiori ſignificatu accepta) quæ etiam legem includit, omniaque ad cognitionem Dei utilia, fuſe uterque diſſerit iiſdem ut plurimum verbis: quod præter deſcripta ſuperius loca tum ſancti Leonis, tum alterius opuſculi, ex aliis inſuper locis evincitur. Sanctus Leo ſerm. 8. de SS. Apoſt. Petro & Paulo, cap. 2. *Deus bonus*, inquit, *& juſtus omnipotens miſericordiam ſuam humano generi* nunquam negavit, *omneſque in commune mortales ad cognitionem ſui abundantiſſimis ſemper* Beneficiis erudivit, &c. Serm. 5. in Epiphan. *Permanet ſuper omnes benignitas Dei, & nulli miſericordiam ſuam denegat, cum indiſcrete univerſis bona multa largiatur*, &c. Serm. 8. in ead. Feſtivit. *Deus omnes ad cognitionem ſui* generalibus incitans donis, pluit ſuper juſtos, & injuſtos, & Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.

De Vocat. Gent. lib. 2. cap. 10. *Omnium ſæculorum* experimenta *docuerunt juſtam Dei miſericordiam, miſericordemque juſtitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis juvandiſque eorum mentibus defuiſſe*: Semper etenim pluit ſuper bonos & malos; ſemper ſolem ſuum oriri fecit ſuper juſtos & injuſtos. Lib. 1. cap. 5. *Secundum Scripturam credimus, & piiſſime confitemur, quod nunquam univerſitati hominum divinæ Providentiæ cura defuerit: quæ licet acceptum ſibi populum* ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit. Cap. 21. *Quamvis videamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam*. Lib. 2. cap. 17. *Quibus tamen* (gentilibus) *illa* menſura generalis auxilii, *quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur*. Cap. 25. *Omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe, non aliunde monſtratur, quam de iis beneficiis, eaque providentia Dei, quam univerſis generationibus communiter atque indifferenter impendit.... Quibus donis autorem ſuum per omnia ſæcula* proteſtantibus *ſpecialis gratia ſuperfuſa eſt*. Lib. 2. cap. 4. *Igitur, ſicut dicit Propheta*: Miſericordia Domini plena eſt terra: *Quæ nullis unquam ſæculis, nullis generationibus defuit, eamque providentiam, qua univerſitatem rerum adminiſtrat & continet, regendis alendiſque naturis ſemper impendit, &c.* Vide ejuſdem libri caput 9. Eodem uterque modo loquitur de lege legiſque myſteriis, quam fere legis teſtificationem, veteris Teſtamenti ſignificationes, oracula Prophetarum, veteris Teſtamenti decreta appellat.

Uterque eodem modo urget voluntatum patronos. Leo epiſt. 6. ad Aquilejenſem Epiſcopum, cap. 3. ſcribit ad hoc omni conatu eos tendere, *ut gratia Dei ſecundum merita dari accipientium ſentiatur..... Et ideo per naturalem induſtriam gratiam præveniri*, ab iiſdem aſſeri, *ut quæ ante gratiam proprio clara ſit ſtudio, nullo videatur peccati originalis vulnere ſauciata*. Hoc idem aliis verbis expreſſum habes lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 22. & epiſtolæ ad Demetriadem cap. 10.

XXI. Alia ſimilitudinis argumenta. 3. Nec in materia tantum gratiæ eadem cogitata, iidem conceptus, dicendique ratio eadem occurrunt, verum & in aliis quoque, bene multis, v.g. cum de Apoſtolicæ Sedis in urbe Roma fundatione, amplitudine, ac dignitate ſermonem habent.

Sanctus Leo ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo, cap. 1. *Ut gens*, inquit, *ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis & regia per ſacram B. Petri Sedem caput orbis effecta, latius præſideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis jus imperii tui terra marique protuleris: minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubjecit.... Ut autem hujus inenarrabilis gratiæ per totum mundum* diffunderetur effectus, Romanum regnum divina providentia præparavit, *cujus ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum gentium vicina & contigua eſſet univerſitas. Diſpoſito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, & cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis.*

De Vocat. Gent. lib. 2. cap. 16. *Ad cujus rei effectum credimus providentia Dei Romani regni latitudinem præparatam: ut nationes vocandæ ad unitatem corporis Chriſti, prius* jure unius conſociarentur Imperii. *Quamvis gratia Chriſtiana non contenta ſit eoſdem limites habere quos Roma, multoſque jam populos ſceptro crucis Chriſti illa ſubdiderit, quos armis ſuis iſta non domuit: quæ tamen per Apoſtolici ſacerdotii principatum amplior facta eſt arce Religionis, quam ſolio poteſtatis.*

Petrum Apoſtolum a trinæ negationis lapſu reſurgentem cum uterque deſcribit, iiſdem fere terminis utuntur, etſi non ita communiter uſurpari ſolitis. In omne ad ſecretum Chriſti Domini intuitum referunt, indeque arguunt nemini hanc vitam viventi quantumlibet juſto ac pio non ineſſe labendi periculum atque formidinem.

Sanctus Leo, ſerm. 3. de Paſſ. *Reſpexit*, inquit, *Dominus Petrum & inter calumnias ſacerdotum, inter falſitates teſtium, inter cædentium & conſpuentium injurias conſtitutus*, illis turbatum diſcipulum convenit oculis, *quibus eum prædixerat eſſe turbandum*. Serm. 9. de ead. Paſſ. *Petrus perterritus ex infirmitate periculum negationis incurrit, ob hoc, ſicut apparet, hæſitare permiſſus, ut in Eccleſiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur, et nemo auderet de ſua virtute confidere, quando* mutabilitatis periculum *nec Beatus Petrus potuiſſet evadere. Dominus autem* Jeſus, *qui intra Pontificale Concilium ſolo corpore tenebatur, trepidationem diſcipuli foris poſiti divino vidit intuitu, et paventis animum, mox ut reſpexit, erexit*, & in fletu pœnitudinis incitavit.

De Vocatione Gentium, lib. 2. cap. 28. *Si ergo defectura erat fides tanti Apoſtoli, niſi pro eo Chriſtus oraret, inerat ei procul dubio* mutabilitas, *quæ poſſet in tentatione mutari... Siquidem tam gravis tum* perturbatio *etiam poſt ita concuſſerit, ut in Caiphæ domo unius ancillæ interrogatione paveſactus uſque ad trinam negationem Chriſti, conſtantia deficiente, perductus ſit. Qui ergo tunc* turbatum *cor Apoſtoli* non humanis ſed divinis convenit oculis, & ad largos pœnitudinis fletus potenti incitavit aſpectu, *potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre diſcipulo... In præſentis autem agonis incerto, ubi tota vita tentatio eſt, et ab inſidiante ſuperbia nec ipſa eſt tuta victoria*, mutabilitatis periculo non caretur.

Sanctus Leo loquens de ejuſdem Apoſtolorum principis nomine: *Beatus*, inquit, *Petrus.... a principali Petra ſoliditatem et virtutis traxit et nominis.*

De Vocatione Gentium, lib. 2. cap. 28. *Quis ambigat fortiſſimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis ſumſit & nominis.*

De Peccatorum converſione ſanctus Leo: *Dum in hoc corpore vivitur, nullius deſperanda reparatio; ſed omnium eſt optarda correctio, auxiliante Domino, qui erigit eliſos, ſolvit compeditos, illuminat cæcos*. Sermone 4. de Epiphania, cap. 5. ſect. 4. de Coll. cap. 2. *Eliſis reparatio non negatur*.

De Vocatione Gentium, lib. 2. cap. ultim. *Si forte* (quis) *victus aliqua tentatione corruit, non abſorbeatur triſtitia, nec de ejus miſeratione diffidat, qui elevat omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos: dum enim in hoc corpore vivitur, nullius eſt negligenda correctio, nullius eſt deſperanda reparatio*.

Serm. 3. de Paſſione, c. 3. vocatur Judas *Homo* inconvertibilis. epiſt. 125. cap. 2. *In malitia ſua* inconvertibilis *perſeverans* Antichriſtus aut diabolus. Alio ſenſu vox eadem uſurpatur, epiſt. 93. cap. 3. de inconvertibilis Dei natura. Lib. 1. de Vocatione Gentium, cap. 25. *Numquid illa virtus gratiæ, quæ ſibi, quos voluit, ſubdidit, convertere eos, qui* inconvertibiles *permanſere, non potuit*.

Serm. 9. de Collect. & Eleem. 5. cap. 3. De extremo diei ultimæ judicio diſſerens ſanctus Leo, ſerm. 5. de Collectis & Eleemoſyna, ſic ait: *Congregatis omnibus gentibus... in quo laudabuntur, qui ad dexteram Dei ſtabunt, niſi in operibus benevolentiæ & charitatis officiis... ſiniſtris* vero quid objicietur, niſi neglectus dilectionis... *quaſi nec alias virtutes dextri, nec alias offenſiones habeant ſiniſtri*. Serm. 7. de Quadrageſima, cap. 4. *Detruſis in ignem gehennæ propter inhumanitatem ſiniſtris, dextros Eleemoſynarum pietate laudatos æterna cœleſtis regni beatitudo ſuſcipiet*. Serm. 4.

Serm. 8. de Collect. & Eleem. 4. cap. 2. de Collect. & Eleem. *Congregabuntur ante thronum potentiæ ejus omnium Gentium populi.. & eum præparatum ſibi regnum, recenſitis miſericordiæ operibus, filii pietatis acceperint, exprobrabitur duritia ſterilitatis injuſtis. Et nihil habentes ſiniſtri commu-*

Serm. 10. de Coll. 6. c. 1. *ne cum dextris in ignem*, &c. & Serm. 16. *Non ergo hoc ſolum fecerunt ſiniſtri, nec quia*, &c. ſerm. 96. in Cath. S. Petri cap. 3. *ſiniſtrum laſcivientium hædorum numerum effugere*. De Vocat. Gent. lib. 2. cap. 8. *in congregatione omnium gentium alii ducuntur ad dexteram, alii ad ſiniſtram conſtituendi*, Laudatis dextris de operibus charitatis, nihil aliud ſiniſtris objicitur quam miſericordiæ benevolentiæque neglectus.

XXII. Stylus autoris Leonis ſtylo concinit. 4. Nihil eſt unum uni tam ſimile, tamque conſonum, quam ſtylus hujus opuſculi ſtylo S. Leonis ſimile eſt: ut valde mirer hoc a nemine hactenus fuiſſe animadverſum. Eſt enim (ſicut a SS. Patrum non ſatis laudando Apologiſta deſcribitur) ſtylus autoris iſtius elegans ac ſublimis, ſermo nitidus & apertus, non injucunda figurarum varietate diſtinctus, frequenti verborum oppoſitorum conflictu oblitus; gravi ratiocinio, conceptibus nihil humile ac demiſſum habentibus, catholica ubique ac cœleſti prorſus doctrina refertus, Scripturæ ſacræ doctrinam totus ſpirans, atque igneo pietatis vigore, qui ſanctorum ſcriptis ineſſe ſolet, pleniſſimus. Gaudet præterea diverſis periodorum membris ſimiliter cadentibus ac deſinentibus: tota denique compoſitio in æquales fere & commenſuratas partes concinne diſtributa, venuſtam ac perpolitam orationem exhibet. Quid dici poteſt quod ſtylo S. Leonis magis congruat, ejuſque dicendi characterem clarius exprimat? Quidve de uno dixeris, quod de iſto pariter pronuntiari non queat? Hic quidem tam frequens antitheſium conflictus, modulatæque ac tinnulæ orationis affectatio ſcriptorem jam ſæpius laudatum movit ut Africanum hunc autorem ſuſpicatur. Sed, pace tanti viri dixerim, non tam minus Italorum proprius eſt iſte dicendi modus, quam Afrorum, & facile crediderim ex Italia in alias ſubinde regiones tranſiſſe. Tam enim ex S. Leonis ſcriptis, quam aliorum etiam ipſo antiquiorum, qui vel Itali erant, vel in Italia eruditi, manifeſtum eſt hanc ſcribendi affectationem maxime in his regionibus invaluiſſe, & ut hæc erat linguæ jam ſeneſcentis venuſtas & elegantia, prius in ipſius veluti incunabulis, hoc eſt in Italia ortum habuiſſe crediderim, quam in aliis Romani Imperii provinciis. Quod ſi forſan rarius occurrant in hoc opere ejuſmodi caſus, antitheſes, ac rithmi, quam in aliis S. Leonis probatis olim operibus: hoc temporum, materiæ, autoriſque ætatis diverſitati prorſus imputandum. Quantum enim oratorius character ab epiſtolari diſcrepet nemo neſcit, quamque multa rurſus tolerentur in epiſtolis, quæ ab operibus dogmaticis prorſus ablegantur. Unde ſi nemini ſubiit mirari pauciores eſſe hujuſmodi figuræ in litteris, quam in Sermonibus, quid mirum ſi in his rariores adhuc ſint, quam in hoc ſcripto, quod totum dogmati explicando conſecratur.

5. Porro ſi ipſa ſingillatim verba recenſeamus, quæ & huic autori & S. Leoni magis familiaria & communia ſunt, etſi non tam frequentata ab aliis, ipſamque eorum conſtructionem inſpiciamus, ſtatim occurret tanta ubique par paritas ac ſimilitudo, tantus concentus, ut hoc per fortuitum caſum vel ex imirandi ſtudio contigiſſe nemo recte exiſtimet. Præter illa enim quæ a SS. Patrum jam citato vindice notata ſunt inter autorem librorum de Vocatione & epiſtolæ ſubſequentis ſcriptorem communia, centum viginti amplius legentium oculis hic ſubjicimus. XXIII. Voces utrique magis familiares & communes.

Diſcipulus veritatis. Paginæ elementorum. Paginæ veteris teſtamenti. Urere & uri invidia, &c. Parcitas & largitas gratiæ &c. Conſortium. Evincere. Communio naturæ, ætatis, nominis, peccati, dignitatis, &c. Laquei deceptionum, erroris captionum, mortalitatis, &c. Dextri, ſiniſtri. Parilis, parilitas. Variare, varietas diſpenſationum. Refutare, pro rejicere. Abdicare, pro repellere. Diſpenſationes. Diſpoſitiones. Materia dimicandi, certaminis, formidinis, querelam, confuſionis, ruinæ virtutum gaudiorum, gratulationis, cupiditatum, peccati, cæcitatis, gloriandi, &c. Mæſtitudo. Pœnitudo. Convenire oculis, litteris, monitis. Colluvio. Contagium. Colluctationes. Cenſus. Vitiare, vitiatus. Indicere. Univerſitas, numeroſitas, plenitudo, omnis numerus, ſumma, pro omnes. Portio pro parte plenitudini opponitur. Proteſtari & pronuntiare, in citandis autoribus ſacris vel Eccleſiaſticis. Primordia. Exordia. Incitare. Virus invidiæ. &c. Vincula peccati, tranſgreſſionis, conſuetudinis, culpæ, captivitatis, originalia, &c. Incitamenta doctrinæ. Redire, tranſire, transferri de uno ad alterum. Neceſſarie pro inceſſanter. Doctrina Prophetica, Evangelica, Apoſtolica. Veritatis Evangelium, ſententia, judicium, vox, filii, ſchola, magiſter, doctrina, diſcipuli. Vigor fidei, mentium, pietatis, cordis, animi, autoritatis, &c. Conſtitutio legis, conſtitutio divina, conſtitutiones impiæ.

Teſtificatio legis, denunciationes Propheticæ: Ora-

Digitized by Google

Oracula Prophetarum. Temperare, temperamentum. Temerare. Diſputatio & diſputator pro tractatu & tractatore: inſpicere, inſpector, inſpectio. Sublimare, ſublimis, ſublimitas. Significationes pro figuris vet. teſt. inſinuare, inſinuatio. Præjudicium peccati, vetuſtatis, originis. Sordeſcere. Famulari, & obſequium elementorum, famulatus. Moderari. Incommutabilis. Compugnantia; compugnantes. Experimenta virtutum. Sacramentum occultius. Inſtituta diſciplinarum, &c. evacuare. Diſtringere, diſtrictus, diſtrictio. Forma, pro modo aut imagine. Formam præferre. Cooperatores gratiæ. Virtute niteſcere, nitor virtutis, pudicitiæ, mentium, luminis, vitæ, obloqui. Rectus, pravus. Germina virtutum. Summus, ſupernus aut cœleſtis agricola, pro Deo. Ager cordis. Novi Teſtamenti vel gratiæ decreta. Devotio bonorum operum, vel voluntatis, propoſiti, arbitrii. Cultura ſpiritualis. Occiduus, ſucciduus, prociduus. Qualitates operum, &c. Corde concidere. Incidere periculum, tentationem, laborem, laqueos &c. ſine propoſitione, *in*, frequentiſſime. Mutabilitas. Periculum erroris, deceptionis, mutabilitatis, negationis. Tentatio formidinis. Tentationis ſtimulus, concretio. Diſcretio, diſcretus. Pigrum otium. Iners deſidia. Indeſinenter. Plantationibus ſuis Deus incrementa præbet. Deceptiones. Inclinare, inclinatio. Cernere, pro cribrare. Extraneus, alienus pro reprobo. Adoptivus, & vocatus, pro electo. Erudire, eruditio divina, Spiritus ſancti eruditor. Obſcurum, pro obſcuritate. Imbuere, pro docere. Diſpoliare. Obumbratio, fragilitas, firmitas. Solidare, ſoliditas. Extraneus, exors. Religioſus. Sacratus, ſacratiſſimus. Incertum interpretationis, pro incerta interpretatione. Incertum agonis, mutabilitatis, vitæ. Divini operis eſſe & muneris. Recidere. Tumeſcere. Elatio, elatus. Præſumere, præſumtio. Impar. Poſſibilitas pro poteſtate. Menſura poſſibilitatis, intelligentiæ, juris, legum, ultionis, munerum, &c. meritorum ſuffragia. Provehere, provectus, provectio. Inflammare. Præſidia. Languere. Augmentum. Impendere, impenſus. Præcipuus magiſter, &c. Speculum. Privilegium meritorum, humilitatis, honoris, perfidiæ, &c. Coaptare & alia ejuſmodi plurima.

XXIV. *Selecta loca in quibus styli paritas magis conſpicua.*

Ex his aliqua attentius conſideranda, ut quæ proprium authoris characterem clarius exhibent. Exempli gratia eos qui interiori gratiæ voce ad Chriſtum trahuntur, *Vocati* appellantur. Lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 8. cordibus Vocatorum *ſuam inſerit voluntatem*. Et cap. 9. *Unum credentium & non credentium genus ſub* Vocatorum *appellatione diſcrevit*. S. Leo Serm. 6. de Nativitate, cap. 2. *Nihil hic* Vocatorum cordibus *caliginis inferat terrena ſapientia* Serm. 6. de Epiphania, c. 1. *Hoc manifeſtius fieri in omnium* Vocatorum *illuminatione perſpicimus*.

Iidem peccatorum voluntatem, cor, arbitrium appellat *Tenebroſa*. Lib. 2. de Vocat. Gent. capit. 3. *Cum a tenebroſis cordibus etiam nunc radios ſuos veritas revelanda contineat*, & cap. 15. *De tam tenebroſis mentibus fecit ſibi populum fidelem*, &c. S. Leo Serm. 6. de Epiphan. cap. 1. *Quicquid in cordibus tenebroſis novæ lucis apparet*, &c. Serm. 5. cap. 4. *Sint lucernæ mentium veſtrarum ſemper ardentes, & nihil reſideat veſtris in cordibus tenebroſum*. Serm. 4. de Nativitat. c. 4. *In qua (dogmatis execrandi via) nihil non tenebroſum, nihilque non lubricum*. Serm. 1. de Pent. cap. 5. *Spiritus veritatis facit domum gloriæ ſuæ luminis ſui nitore fulgere & in templo ſuo nec tenebroſum aliquid vult eſſe, nec tepidum*, epiſt. 8. cap. 1. *Ne tenebroſis apud vos radicibus ſeminetur hæreſis*. Serm. de S. Laur. cap. 1. *Hæc verarum natura virtutum eſt, ut multas a tenebroſo abducat errore, qui earum clarus eſt lumine*. Serm. 10. de Quadr. c. 4. *tenebroſæ cuſtodiæ*. epiſt. ad Demetr. cap. 14. *De vero lumine tenebroſa jam & deficientes lucernæ lumen arripiunt, nec tamen niſi ipſarum erit quicquid fulgoris arreperint*. epiſt. 79. cap. 1. *Tenebroſus ille inimicus* i, diabolus.

Diſcipulos veritatis eos uterque appellat, qui Catholicam ſectantur doctrinam vel pietatem lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 24. *Hoc deteſtabiliter prædicatum omnes* diſcipuli veritatis *intelligunt*. epiſtola ad Demetriadem cap. 4. & cap. 13. *Ipſa veritas diſcipulis ſuis dixiſſe narratur. Cum itaque diſcipuli veritatis humanam gloriam fugiunt*. Ex utriuſque loci hujus collatione, inter alia colligit ſanctorum Patrum Apologiſta ſtyli ſimilitudinem, atque eundem utriuſque ſcripti autorem: quanto ergo potiori id jure de Leone noſtro aſſerendum, apud quem longe crebrius occurrit iſta appellatio. Serm. 3. de Collectis, *Beatiſſimi illi diſcipuli veritatis*, ait de Apoſtolis. De Jejun. 10. menſis Serm. 1. cap. 3. *Fideles & pios* diſcipulos veritatis *nihil magis commendat*, &c. de Quadrag. 8. c. 2. *Mens Chriſtiana fugax mendacii, Diſcipula veritatis*. Serm. 10. de eadem Quadrag. cap. 2. *Servi Dei & diſcipuli veritatis*. Vide Sermonem 80. de SS. Petro & Paulo, cap. 1. & epiſtolas hujus editionis 24. cap. 1. 59. cap. 1. 62. cap. 1. 93. cap. 2. 97. cap. 1. 140. in medio: ubi eadem locutio habetur.

Lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 7. *Quæ erga natura erat bona*, qualitate *facta eſt mala; & ille animi motus* qui nunquam poteſt ſine aliquo eſſe amore, *hoc eſt, ſine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, ſed mutavit affectum*. S. Leo Serm. 5. de Jejunio 7. menſis cap. 3. *Duo amores ſunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diverſa* qualitatibus, *ſicut dividuntur autoribus: rationalis enim animus*, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, *aut Dei amator eſt aut mundi*.

Gratiæ virtutiſque opus, Dei participationem uterque dicit. Lib. 1. de Vocat. Gent. c. 8. *Apud quem* (Deum) *quod perdidit natura, non perit: æterna eſt enim ſapientia, æterna veritas, æterna bonitas, æterna juſtitia, omnium denique virtutum lumen æternum eſt, totumque quod virtus eſt, Deus eſt. Qui ſi non operatur in nobis, nullius poſſumus participes eſſe virtutis. Sine hoc quippe bono, nihil eſt bonum: ſine hac luce nihil eſt lucidum; ſine hac ſapientia nihil eſt ſanum, ſine hac juſtitia nihil rectum*, & libri ejuſdem cap. 4. *Voluntas*, inquit, *animalis ſine ſummi amoris participatione in terrenis cciduiſque verſatur*. Cap. 3. de Grat. & lib. arb. *Neminem eſſe per ſemetipſum bonum, niſi participationem ſui ille donet, qui ſolus eſt bonus*. S. Leo Sermone 9. de Jejunio ſeptimi menſ. cap. 2. *Qui ad me tendit, ex mei participatione ad me tendit*. & epiſt. 15. ad Turibium cap. 5. *Nemo hominum veritas, nemo ſapientia, nemo juſtitia eſt: ſed multi participes ſunt veritatis & ſapientiæ atque juſtitiæ: ſolus autem Deus nullius participationis indigus eſt*.

Utrique familiares admodum ſunt voces, *Regere, Rector, Regens*, cum de Deo, anima, & anima & corpore, Epiſcopo, & Eccleſia ſermonem habet. Paſſim Rectores appellat Leo, quos vulgo Epiſcopos alii dicunt. Sexcenta loca ſunt hujuſmodi.

modi. Vide, ſi vacat, Epiſtolam 1.cap. 1. 12. cap. 3. 14. ſub finem 115. 128. 138. 139. 140. &c. Item Serm. 2. cap. 1. & 3. Serm. 1. de Jejun. 10. menſis cap. 2. *Suſcipiat fidelis anima autoris ſui atque* Rectoris *immarceſſibilem caritatem*. Serm. 8. de Epiphania cap. 4. *Deum & Rectorem & habitatorem ſui eſſe non dubitet*. Serm. 3. 10 Anniv. Aſſ. c. 1. *Quid enim tam regium, quam ſubditum Deo animum ſui corporis eſſe* Rectorem? De Quadrag. 1. cap. 1. *Si autem* Mens ſuo Rectori ſubdita *&c.* Serm. 4. cap. 2. *Animus quem ſub Dei gubernaculis conſtitutum, corporis ſui decet eſſe* Rectorem. Serm. 7. c. 4. *Utendum ita corpore ſuo, ut* Rectori ſuo *neceſſarium præbeat natura inferior famulatum*. De Paſſione Serm. 7. cap. 3. *Nolens* (Judas) *Chriſtum habere* Rectorem. De Jejun. 7. menſis ſerm. 2. c. 1. *Agnoſcat inferior homo exterioris ſui ſe eſſe rectorem*. De Jejun. 7. menſis ſerm. 5. cap. *Quæ illic declinatio poteſt eſſe peccati, ubi una paſſio eſt &* Regentis & ſubditi; id eſt animæ & corporis, cujus unam paſſionem ut his verbis exprimit; ita Dei & hominis unam actionem iiſdem depingit: *Dum*, inquit lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 6. *Per communionem illuminantis & illuminati, juſtificantis & juſtificati*, Regentis & ſubditi, *omnis actio ad unum refertur, & quod ad unum refertur, utriuſque eſt*. Et lib. 2. c. 10. ait: *Omnium Sanctorum Dei ſpiritum fuiſſe* Rectorem.

Leo de gratiæ infuſione ita loquitur ſerm. 3. de Jejunio 10. menſis cap. 1. *Ager iſte cordis* Rorante deſuper gratia Dei,... *eleemoſynis ſeritur, orationibus fæcundetur, &c.* & Serm. 7. de Paſſione c. 1. *Adfuturam credimus gratiam Dei, quæ* inſpirationis ſuæ rore *ſterilitatem noſtri cordis aſpergat*. Lib. 2. de Vocatione Gent. capit. 1. *Iſta gratiæ largitas... non evacuat eam, quæ ſuper unum Iſrael ſub lege* roravit.

Leo Serm. 5. de nativitate Dom. cap. 1. *Non in ſola opere virtutum, aut in ſola obſervantia mandatorum, ſed etiam in* Tramite *fidei* anguſta & ardua via eſt, quæ ducit ad vitam. Lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 20. *In hoc anguſto quidem, ſed tamen recto intelligentiæ tramite, non parum difficultatis, &c.*

Lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 21. *Nec unquam ei vicinius eſt poſſe vivere, quam poſſe deficere* S. Leo Serm. 5. de Quadrag. c. 2. *Vicinum nimis atque contiguum eſt, ut etiam magnos animos iſta concutiant, &c.*

Lib. 1. de Vocatione Gent. c. 1. *De hac compugnantia opinionum, &c.* & lib. 2. c. 28. *Quam compugnantiam (inter velle & nolle) Petrus perpeſſus eſt, &c.* & cap. 33. *Omnes varietatum compugnantiæ*. S. Leo Serm. 5. de Paſſ. c. 2. *diverſarum compugnantiam affectionum*. Serm. 10. de Nativitate c. 1. *Compugnantes ſententias*. Epiſt. 67. *Compugnantia dogmata*.

Lib. 2. de Vocat. Gent. c. 15. *Flammam conciperent, qua beatus Apoſtolus Paulus* ignitus &c. Epiſt. ad Demetriadem c. 14. *Unde cœpit inflammari, inde peſcat* igniri. S. Leo Serm. 1. de Aſcenſ. c. 2. *Flammam fidei illuminata corda concipiunt*. Serm. 3. de Pentec. *Ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus ſanctus* igniret. Serm. 1. de Pentec. *Eloquium conciperetur ignitum*. Serm. 96. in Cath. S. Petri, c. 1. *Ignitis beatorum ſpirituum cœtibus aggregatus*. Serm. 4. de Coll. cap. 1. *Agro cordis avaritiæ radicibus occupato*. Serm. 3. de Jejun. 10. menſ. c. 1. *bis de agro cordis*.

Serm. 1. de Jejun. 10. menſis c. 3. *Oriatur* de cordis agro *quod terra non dedit*. De Quadrag. Serm. 1. c. 5. *Tunc in nobis bene virtutum ſemina nutriuntur, quando* ab agro cordis *noſtri germen omne externum evellitur*. De Aſcenſione, Serm. 2. cap. 5. *Avaritia, de cujus radice omnium malorum germen emergit: quæ niſi in ſuis ſomitibus eneccetur, neceſſe eſt ut in* agro cordis *illius, in quo hujus mali planta convaluit, ſpinæ potius tribulique vitiorum, quam ullum veræ virtutis ſemen oriatur*. Ser. 6. de Jejun. 10. menſis cap. 1. *De terra quoque cordis noſtri germen juſtitiæ & fructus caritatis oriatur*.

Lib. 2. de Vocat. c. 11. *Semina charismatum, plantæque virtutum non* in omni agro cordis humani *totum hoc pariter, quod ſunt futura, naſcuntur*. Ex hac comparatione cordis cum agro natæ ſunt aliæ locutiones, quas ſæpe uſurpat, ut cum Deum vocat ſupernum agricolam; gratiam inſpirationeſque, rorem, irrigationes, rorationes, virtutes, plantationes Dei, & alia hujuſmodi, quæ cuivis legenti occurrent.

Voluntati judicium uterque tribuit. lib. 1. de Vocat. Gent, cap. 8. *a quo* (diabolo) judicium voluntatis *depravatum eſt, non ablatum*, & cap. 7. *Non perdidit appetitum, ſed mutavit affectum, id recipiens deſiderio, quod debuit refutare* judicio. S. Leo Serm. 9. de Paſſione, cap. 4. *Fons caritatis lavit verba formidinis: nec tardatum eſt remedium abolitionis, ubi non fuit* judicium voluntatis. De voluntate etiam intelligendum, quod Serm. 11. cap. 4. habetur: *Inſurrexit in ſemetipſum impius* (Judas) *non* judicio *pœnitentis, ſed furore pereuntis*. Ep. 37. *Normam præceptionis implet* judicio voluntatis.

De Vocat. Gent. lib. 1. cap. 9. *ut agnitionem Dei non doctrinæ humanæ opere, ſed* magiſterio *ſummi eruditoris accipiant*, & lib. 2. cap. 33. *Fidei magiſterio præfuerunt*. Serm. 2. in Aſſumt. ſua cap. 3. *Omnis lingua ...* magiſterio hujus vocis *imbuitur*. De Quadrag. Serm. 2, cap. 4. *Redemtoris noſtri* magiſterio *edocti*. De Paſſione Serm. 14. cap. 5. *Evangelico magiſterio multa ſunt aucta*. Epiſt. 140. *Magiſterio Spiritus ſancti illa in omnibus unitas expetatur*.

De Vocat. Gent, lib. 1. cap. de Paulo *Totam expoſitionis rationem tranſtulit in ſtuporem*. Leo Serm. 18. de Paſſ. c. 4. de Chriſto. *Totum* inquit, *ſupplicium tranſtulit in triumphum*. Serm. 5. de Nativit. *Si in diſciplinam ipſa remedia transferantur*. Serm. 3. de Epiph. *In indulgentiam ira translata eſt*. Serm. 9. in Quadrag. capit. 3. *Si omnem offenſam tranſtuleritis ad veniam*. Serm. 4. de Jejun. 7. menſ. *Ut quod veſtris uſibus ſubtrahitis, in almoniam pauperum transferatis*. Serm. de grad. Aſcenſ. *Ut exteriores medelas ad remedia interiora transferret, &c.*

Mitto cætera, quæ quiſque legendo facile obſervabit. Monebo tantum, ut notentur diligentius earumdem figurarum uſus, idem orationis numerus & ordo, conſtructio vocum eadem. Oppoſitarum congeries frequens eſt, verbo, a quo pendet ſenſus, ad finem relegato, quæ ternarium plerumque numerum non excedit; etſi ſæpe etiam ad quaternarium extendatur. Exempla aliquot ex Leonis Epiſtolis Sermonibuſque & ex opuſculo de Vocatione Gentium, ad promulſidem ſubiicimus.

S. Leo Epiſt. 1. ad Epiſc. Afric. c. 4. *Ut imperiti magiſtris, novi antiquis, rudes præferantur emeritis*. Epiſt. 12. ad Anaſtaſium Theſſal. *Nihil*

gra-

gratiæ perſanali, nibil ambitioni, nibil redemtis permittas licera ſuffragiis. Serm. 9. de Jejunio ſeptimi menſis, cap. 2. *Si quis amar vanæ gloriæ, ſi qua radix avaritiæ, ſi quod ineſt virus invidiæ*. Serm. 1. de Jejunio decimi menſis, c. 2. *De inimicis reconciliatos, de alienis adaptivos, de impiis facit juſtos*. Sexcenta hujuſmodi exempla ſunt apud S. Leonem. Plurima etiam in libris de Vocat. Gentium, etſi tot eſſe materies librorum non ſinat. Lib. 1. cap. 8. *Quis ille erit, qui tot apinionum colluctatianes, tot vincula conſuetudinis, tot prajudicia vetuſtatis ſuo tantum judicio abrumpat?* Lib. 2. c. 4. *Ut natura rationalis de contemplatiane tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, da perceptione tot munerum ad cultum & dilectionem ſui imbueretur autoris*, & cap. 7. *Hæc vero membra unda apta, unda utilia, unda ſint pulchra, idem doctor exponit, &c.* Cap. 20. *Ubi eadem miſeria, ſimilis imbecillitas, cauſſa communis eſt, &c.* Cap. 36. *Ut per laborem aperum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum*.

Denique quod circa hominum vultus ſæpe contingit, ut aliquid ſæpe ex iis erumpat, incurratque in oculos intuentium, unde aliis ſimiles eſſe pronunties, etſi quid illud ſit verbis efferre non queas, hoc & legenti tum hoc opuſculum, tum ſcripta S. Leonis accidit. Neſcio quid enim audientium auribus ſonat ſimilitudinem ſtyli paritatemque ira ingerens, ut vix dubitare ſinat, quin idem loquatur in hoc opuſculo, qui in epiſtolis & in ſermonibus S. Leonis: etſi forſan exprimi verbis ſatis non poſſit.

XV. Quid de MSS. Codicum autoritate.

Ut omnis tolleretur dubitandi locus, optaverit nonnullus autoritatem alicujus ſaltem manuſcripri Codicis, qui S. Leonis nomen præferret, qua deſtituti, videbimur incaſſum hactenus laboraſſe. Sed ut omittam, quantum plerumque vacillet Manuſcriptorum exemplarium fides, ut ex Codicibus MSS. librorum *De vita contemplativa* & hujus etiam operis *de Vocatiane Gentium* perſpicuum eſt, qui octingentis fere annis Proſperi nomini inſigniti omnibus impoſuerunt: (Proſpero enim hodie abjudicant utrumque opuſculum eruditiores quique:) addo perſuaſum mihi eſſe nullum talem reperiendum Codicem, qui hoc opus S. Leoni adſcribat; nec unquam genuinum hujus autorem fuiſſe cognitum. Qui illud Proſpero tribuerunt hae ætate, illiuſque operibus inſeruere, hoc fecerunt ex fide Codicum aliquot MSS. Proſperi nomen appoſuere MSS. Codices ex ſuffragio autorum noni ſæculi, a quibus ſub nomine ſancti hujus viri paſſim citatum fuit. Inde porro ab his creditus eſt S. Proſper libros iſtos conſcripſiſſe, quod eorum autorem genuinum ignorarent, & propter libri materiem, doctrinæ convenientiam cum ſcriptis Proſperi, ſcriptoris ætatem, hæreticorumque quos impugnat mentionem, nemini potiori jure adſcribendum putarunt, quam ei, qui poſt Auguſtinum acerrimus gratiæ Chriſti vindex fuerat adverſus Pelagianos eorumque reliquias. Verum eum hæc ſuſpicio, etſi tot annorum roborata conſenſu, penſatis quæ ſupra attulimus momentis abiicienda ſit, fatendum eſt etiam nono ſæculo hujus autoris nomen ignotum fuiſſe. Imo vero ipſo Leonis ſæculo, hoc eſt quinto, ex hominum memoria deletum fuiſſe exiſtimo; alioqui Gelaſius Papa ejus teſtimonium proferens in illo opuſculo quod adverſus Pelagianos edidit, ab eo nominando minime abſtinuiſſet, tanto ſcilicet viro, quem Eccleſiæ magiſtris accenſere non dubitavit; nec contentus fuiſſet eo modo ſcriptorem iſtum deſignare, quo notari ſolent ignoti quique: ſi quidem eundem magiſtri titulo non aliam ob rationem, ut apparet, decorat, quam quod ſuo ſe ſcripto hoc honore dignum probabat autor.

XVI. Quando & qua occaſione fuerit ſcriptum opus.

Quod ſi tandem pro germano ſancti Leonis fœtu receptum fuerit opus iſtud, qua ætate in lucem ab autore editum fuerit non valde obſcurum exiſtimo. Certum enim videtur ante compoſitum ab eo fuiſſe, quam in Pontificem Romanum ipſe aſſumeretur. Tantum enim otii per id temporis vigilantiſſimo Paſtori non affuiſſet, quantum hujuſmodi ſcriptioni neceſſarium fuit impendere; nec quicquam occurrit in ejus operis decurſu, quod antoritatem Pontificiam prodat: imo privatum ubique hominem, ut diximus, agit. Unde magis dicendum tunc ab eo ſcriptum fuiſſe, cum Sixti III. Papæ adhuc Diaconus, in excubiis erat adverſus hæreticos Pelagianos, cumque Julianum in Eccleſiæ communionem ſimulata fidei profeſſione irrepere volentem Sixtus Pontifex ſui Diaconi conſilio ac ſuaſione repulit, ut teſtis eſt Proſper in Chronico. Vel potius quandoquidem in hoc opere Semipelagianos magis quam Pelagianos exagitat, tunc temporis exaratum fuiſſe puto, cum Caſſiano neceſſario ſuo ab errore revocando incumbebat: ad quem cum legendus miſſus fuiſſet in Gallias, poſtque ejus obitum inter ſchedas ejus ſine autoris nomine repertus, a nemine potius ſcriptus fuiſſe putatus eſt, quam a Proſpero, quem in hac concertatione Antagoniſtam præcipuum habuerat.

Amicum certe animum ſpirat ubique hoc ſcriptum, talemque qualem ſemper erga Caſſianum exhibuit Leo noſter. Ut facile mihi perſuadeam, quemadmodum aperto marte impugnaverat ſanctus Proſper Caſſianum, ita occultiore conſilio petitum a Leone fuiſſe. Eum quippe jam ante impulerat, ut adverſus Neſtorium calamum ſtringeret, non ea tantum mente, ut graſſantem jugularet hæreſim, ſed ob id etiam ut ipſum vehementius incenderet adverſus Pelagianos, quos Neſtorii præcurſores noverat; eaque arte Semipelagianos, naſcentes ſcilicet ab illis ſurculos, magis exoſos redderet, omneque abrumperet quod intercedere poterat cum illis commercium: ita in præſenti opere, ut errorem Caſſiani impeteret, vehementius inſurgit contra Pelagianos, quos ſolummodo nominat. Semipelagianos quaſi ex tranſverſo tantum aggredi videtur, & veluti orationis ſuæ filo ſenſim ac ſine ſenſu ductus: licet nemo attentus non videat, majorem ſcripti partem in convellendis Maſſilienſium principiis conſumi. Eaſdem quæſtiones tractat, quas ſanctus Proſper in libro contra Collatorem, nec tam interpellat eos, qui gratiæ prorſus neceſſitatem negabant, quam qui ad initium boni operis, aut bonæ ſaltem voluntatis liberum ſibi ſufficere arbitrium contendebant, gratiæque operationi ſubtrahebant aliquid. Hoc ſtatim ab initio operis ſui declarat, ubi ait: *Quod gratiam negent, cum eam bumanæ valuntatis nan ducem volunt eſſe, ſed comitem*.

Ex eodem indulgentiæ erga Caſſianum conſilio, quem ad Catholicum ſenſum reducere ſatagebat, deſcendit humanitas, quam Semipelagianis exhibet, quos tantum liberi arbitrii defenſores & voluntatum patronos appellat: quodque

quæ-

quæſtiones iſtas tranquille admodum verſat ac Theologici exercitii in modum, non tamen alienum refutans ſenſum, quam ſuum exponens: quod denique ex ſancti Auguſtini nomine autoritateque, quibus adducendis abſtinet, nullum creari voluit in hac diſputatione præjudicium, ſciens apud Caſſianum non tanti eſſe in hac materia Auguſtinum, & cupiens præterea probare amico ſuo, ſe non de doctrina ex doctoribus, ſed de doctoribus ex doctrina judicare, ſententiamque Auguſtini de gratia non tam ſe amplecti quia Auguſtini erat, quam quia ex puriſſimis Scripturæ ſacræ traditioniſque Eccleſiaſticæ manabat fontibus.

xxvii. An de hoc ſcripto mentio apud Photium aut alios.

Sunt qui conjecturas, quas hucuſque expoſuimus, inde firmari poſſe putent, quod aliqui de gratia Tractatus a Sancto Leone exarati videntur, quos deſiderent, adducti ad hanc ſententiam verbis tum Sancti Proſperi ſeu potius auctoris anonymi de Promiſſionibus Dei dimidii temporis c. 6. apud Proſperum; tum Photii C. P. Patriarchæ, qui in ſua Bibliotheca hæc habet: *Scripſit & ſanctus Leo Romanus Epiſcopus de Pelagianis converſis, quomodo debeant recipi, quando convertuntur, ſcriptis ſuam opinionem damnantes*. Verum etſi certum eſt ſtrenue ſemper dimicaſſe contra Pelagianos Leonem noſtrum, alioſque etiam libros pro occaſione ſcripſiſſe veroſimillimum ſit; quem enim & doctrina & dicendi copia adeo pollentem ſæpius vidimus cum Manichæis, Eutychianis, aliiſque hæreticis manus conſerentem, haud par eſt credere Pelagianos impune graſſantes per Eccleſiam conſpexiſſe: fatendum tamen eſt, ea quæ mox attulimus teſtimonia id, quod ab auctoribus prædictis contenditur, minime probare. Prior enim ſcriptor tantum dicit quod *Sanctus Leo Manichæos ſubverteret & contereret Pelagianos, & maxime Julianum*. Quod neceſſe non habemus de ſcriptis interpretari, cum e contra obvium ſit magis de ſacerdotali hoc ſolicitudine, ardenti zelo, autoritateque Apoſtolica intelligere, quibus emergentium ſubinde in Eccleſia Pelagianorum conatus ſtrenue compreſſerit. Quod ad Photii teſtimonium pertinet, aliud non intelligit, quam quod epiſtolis Sancti Leonis ad Septimium Altinum & ad Epiſcopum Aquilejenſem continentur. Qui enim Baronium ſecuti hæc Photii verba allegantes aſſeruere ſcripta, quæ commemorat, periiſſe, non animadverterunt id totum quod refert Patriarcha, in citatis epiſtolis haberi, ſcilicet mandatum quo Epiſcopi a Romano Pontifice monebantur, ne quemquam Pelagianorum, qui Eccleſiaſticæ communioni reſtitui poſtulabant, reciperent, niſi erroribus priſtinis ſcripto propria manu obſignato damnatis.

De Promiſſ. dimidii temporis c. 6.

epiſt. vi. ad Septimum Epiſc. epiſt. vii. ad Aquilejenſ. Epiſc.

xxviii. Objectioni bus aliquot reſpondetur.

Gerardus Joannes Voſſius hiſtoriæ Pelagianæ ſcriptor eruditus, lib. 1. cap. 20. ubi de autore operis de Vocatione Gentium, eam ob cauſſam Proſpero abjudicandum exiſtimat, *quod hujus ſcriptoris ſententia non ex amuſſim quadrat doctrinæ Proſperi*. Voſſio ſubſcribit Henricus de Noris Hiſtoriæ Pelagianæ, lib. 2. cap. 14. Atque ut opinioni ſuæ robur adjiciat, nonnulla utriuſque excerpta in medium adducit, quæ noſtri eſt inſtituti ad examen revocare. Etſi enim ultro cum utroque illo rerum Pelagianarum Hiſtoriographo contendimus Proſperi non eſſe libros de Vocatione Gentium, illorum tamen argumentis ſubſcribere nequaquam poſſumus: nec patimur Leonem, cui Opuſculum aſſerimus, de abjurata Auguſtini Proſperique doctrina in cauſſam vocari. Non moleſte igitur feret vir doctiſſimus examen, quod non contradicendi animo, ſed illuſtrandæ veritatis gratia inimus.

Voſſius Hiſt. Pelag. l. 1. cap. xx.

Primum Noriſii Argumentum.

Objectio I. ex gratiæ univerſalitate.

Video, inquit, *librorum illorum ſcriptorem diverſa a Proſpero via abiiſſe. Nam lib. 2. plurimum laboris inſumit, ut communem gratiam Dei omnibus faciat.*

Leonem petit iſta accuſatio, non modo quia autor fuit librorum de Vocatione Gentium, ſed etiam quia multa ſunt in aliis indubitatis ejus operibus ſeu in ſermonibus, quæ cum illa librorum De Vocatione doctrina conveniant, ut merito ex illa doctrinæ affinitate argumentum ſumſerimus pro aſſerendis Leoni noſtro iſtis libris. Aliquot hujuſmodi loca ſuperius collegimus, quæ legi poſſunt: ſed facile eſt & hæc & illa apud æquum lectorem de Noriſii aliorumque accuſationibus purgare, duoque invicte probare: Primum quidem, Leonem noſtrum, cum & in libris de Vocatione Gentium, & in ſermonibus ſuis communem omnibus facit gratiam Dei, longe alio ſenſu latiorique ſignificatione uſurpare gratiæ nomen, quam ſumatur a Proſpero; alterum vero, quod cum idem gratiæ nomen a Leone, eodem ſenſu quo a Proſpero uſurpatur, eandem quoque ab ipſo Auguſtini de gratia doctrinam cum Proſpero prædicari.

Quid per gratiam omnibus communem intelligat autor.

His itaque in locis, ubi gratiam Dei omnibus datam aſſerit, per eam intelligit exteriora & naturalia Dei dona, quæ omnibus promiſcue expoſita ſunt; aliquando Moſaicæ legis documenta, nonnunquam etiam ſancti Evangelii prædicationem, quæ nulli hominum conditioni denegatur. Triplicem hanc gratiæ claſſem explicat tum aliis in locis, tum capite 9. libri 2. *Ad id*, inquit, *unde digreſſa eſt diſputatio, revertamur ad conſiderationem ſcilicet differentiarum, quibus divina Gratiæ opera ac dona variata ſunt. Altitudo quippe divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & inveſtigabiles viæ, ſic ſemper miſericordiam ſuam & juſtitiam temperavit, ut ſecretiſſima æterni conſilii voluntate noluerit in omnibus temporibus ſuper omnes generationes, aut ſuper omnes homines, æquales donorum ſuorum eſſe menſuras. Si quidem aliter eos juverit, quos ad cognoſcendum ſe*, cœli & terræ teſtimoniis *conveniebat: aliter illos, quibus non ſolum* elementorum ſamulatu, *ſed etiam* doctrina legis, Prophetarum oraculis, miraculorum ſignis, & Angelorum cooperationibus *conſulebat: & multo magis aliter miſericordiam univerſis hominibus declaraverit*, quando Filius Dei factus eſt filius hominis, *ut inveniretur ab iis, qui non quærebant, & appareret his, qui eum non interrogabant.*

Incarnationem univerſis hominibus declaratam docet, quia Chriſtus Dominus Apoſtolis præcepit, ut euntes docerent, *omnes gentes*, & ut euntes *in orbem univerſum* prædicarent Evangelium *univerſæ creaturæ*: ſicut habetur, Matthæi 28. & Marci 16. *Numquid*, ait autor lib. 2. cap. 2. *in hac præceptione ullarum nationum ullorumve hominum facta diſcretio eſt? Neminem merito excepit, neminem genere ſeparavit, neminem conditione diſtinxit. Ad omnes prorſus homines miſſum eſt Evangelium crucis Chriſti*. Hinc Evangelium non ad unum peculiarem populum deſtinatus eſt, ſed ad omnes gentes: in quo a lege differt, quæ ſolis Judæis data eſt. Unde & facile eſt agnoſcere quam univerſalitatem hujuſmodi gratiæ tribuat, & quo ſenſu gratiæ nomen ei largiatur.

Reſtat

Reſtat igitur ut primum ſolummodo gratiæ genus omnibus temporibus, omnibus populis, omnibus & ſingulis hominibus commune proprie hic dixerit autor iſte: Cœli, inquam, & terræ teſtimonia, elementorum obſequia & famulatum, totius denique mundi pulchritudinem & ornatum quibus gratiæ nomen tribuere, ſcriptoris eſt primum integri hominis ſtatum, non præſentem lapſi conditionem contemplantis; ſufficientiam vero ad ſalutem largiri exteriori hujuſmodi gratiæ, non eſt niſi hominis Pelagiana lue infecti.

Quæ explicatio lucem afferi his omnibus locis, ex quibus doctiſſimi viri Noriſius & Voſſius occaſionem ſumſere diſcrimen ſtatuendi inter Auguſtinianam Proſperi doctrinam, & eam quam tradit autor librorum de Vocatione omnium Gentium. Qui omnes, ſi paulo attentius examinarentur, nihil aliud deprehenderentur habere de gratia generali, quam quod modo expoſuimus.

Inſignis in primis lib. 2. cap. 4. occurrit locus: *Sed ne in præteritis quidem ſæculis*, inquit, *hæc eadem gratia, quæ poſt Domini noſtri* Jeſu-Chriſti *Reſurrectionem ubique diffuſa eſt, & de qua ſcriptum eſt*: Illuxerunt corruſcationes tuæ Orbi terræ: Defuit mundo. *Quamvis enim ſpeciali cura atque indulgentia Dei populum Iſraeliticum conſtet electum, omneſque alias nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundum propriam permiſſæ ſint vivere voluntatem, non ita ſe tamen æterna creatoris bonitas ab ullis hominibus avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum, nullis ſignificationibus admoneret. Cælum quippe ac terra & mare, omniſque creatura, quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipue diſpoſita eſt humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur autoris: implente omnia ſpiritu Dei, in quo vivimus, movemur & ſumus.*

Evidens eſt hoc unum autoris iſtius conſilium eſſe, ut his verbis comparationem inſtituat triplicis illius medii, ſeu ut vocat, gratiæ, per quam Deus Optim. Max. cognitionem ſui nominis hominibus impertiit per varias temporum ætates. Primam quidem, quam in cœli & terræ, omniumque creaturarum contemplatione conſtituit, omnibus hominibus eſſe communem. Secundam Judæis ſpecialem, quibus præter elementorum, ut ſæpe loquitur, paginas, doctrinam legis addiderit. Tertiam denique, quæ poſt Chriſti Reſurrectionem illuxit, in prædicatione Evangelii ponit, quæ & creaturarum conſiderationi & doctrinæ legis adjecta, *multo magis aliter miſericordiam Dei univerſis hominibus declaravit*. Gratia igitur, quam omnibus hominibus communem facit, creaturarum contemplatio eſt. Naturalis, inquam, & exterior gratia; quæ, ut ſcribit cap. 10. ejuſdem libri, *Docendis juvandiſque hominum mentibus nunquam defuit. Semper etenim pluit ſuper bonos & malos, ſemper ſolem ſuum oriri fecit ſuper juſtos & injuſtos; ſemper vitales auras præbuit; ſemper diei ac noctis viciſſitudines miniſtravit, ubertatem agris, multiplicationem ſeminibus, fœcunditatem generandis hominibus ſemper impendit*. Hanc gratiam capite 4. citato ait eſſe teſtimonium illud, de quo Actor. 14. Paulus ait: Quod Deus *non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit. Quod eſt autem*, inquit, *hoc teſtimonium, quod ſemper Domino deſervit, & nunquam de ejus bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa* totius mundi inenarrabilis pulchritudo, *& innumerabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio: per quæ humanis cordibus quædam æterna legis tabulæ præbebantur, ut* in paginis elementorum ac voluminibus temporum *communis & publica divinæ inſtitutionis doctrina legeretur?*

Hanc gratiam nemo dixerit eandem eſſe, quam ſanctus Proſper omnibus communem negat, niſi qui cum Pelagianis veram Chriſti gratiam in doctrina legis & prædicatione Evangelii poſuerit. Illius enim gratiæ vim omnem & efficaciam ait eſſe, *ſignificationibus admonere, ad cultum & dilectionem Dei imbuere*, hoc eſt, docere, æternam legem velut in tabulis exhibere, & velut in paginis quibuſdam communem & publicam divinæ inſtitutionis doctrinam legendam præbere. Hanc etiam legem vocat, quæ pleriſque facta eſt odor mortis ad mortem, & littera occidens. Ita enim proſequitur & claudit caput illud quartum libri 2. *Cælum ergo cunctaque cæleſtia, mare & terra, omniaque quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſque concentu proteſtabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majeſtatem ſui loquebantur autoris; & tamen maximus numerus hominum, quia vias voluntatis ſuæ ambulare permiſſus eſt, non intellexit, nec ſecutus hanc legem eſt: & odor vitæ, qui ſpirabat ad vitam, factus eſt ei odor mortis ad mortem; ut etiam in illis viſibilibus teſtimoniis diſceretur, quod littera occideret, ſpiritus autem vivificaret.*

Unde autem fit, ut hæc gratia maximo hominum numero littera occidens, & odor ſit mortis ad mortem, facile intelligit, qui quod Paulus Apoſtolus diſſerit de lege Moſaica, non ignorat. Idem enim utriuſque munus & officium eſt, hominem erudire & monere. Exterior porro admonitio & ſcientia eum omnem inflat & ſubvertit, quem interior ſpiritus charitatis & fidei non ædificat, nec convertit. *Hæc autem fides*, ait, *antequam veniret hoc ſemen, de quo Abrahæ dictum eſt*: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ: *intra unius ſtirpis populum continebatur, vigente apud veros Iſraelitas ſpe redemptionis noſtræ. Quoniam etſi fuerunt ex alienigenis, quos temporibus legis veritas illuſtrare dignata ſit, tamen* tam pauci fuerunt, ut vix cognoſcatur an fuerint. Sine illa vero interioris gratiæ Chriſti luce, quid poſſit in cordibus hominum exterioris hujus gratiæ lux & doctrina, docet idem cap. 17. libri 2. *Quibus tamen*, inquit, nationibus quæ de Chriſto non audierunt, *illa menſura generalis auxilii, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur: Quamvis tam acerbo natura humana vulnere ſauciata ſit, ut ad cognitionem Dei neminem contemplatio ſpontanea plene valeat erudire* (En quale eſt generale, de quo loquitur, auxilium,) *niſi obumbrationem cordis vera lux diſcuſſerit, quam inſcrutabili judicio Deus juſtus & bonus, non ita in præteritis ſæculis, quemadmodum in noviſſimis diebus effudit.*

De Vocat. omn. Gent. l. 2. c. 14.

Ibid. lib. 2. c. 17.

Denique, ut intelligat quiſque quantopere a mente autoris iſtius abhorreant, qui generalem, quam aſtruit, gratiam, omnibuſque communem facit, de vera Dei per Chriſtum Servatorem gratia interpretantur, legenda ſunt quæ habet ille cap. 31. Ubi quodnam ſuum fuerit in ſuperioribus conſilium, quæ ſententia, ipſe aperit; ne in alienum ſen-

ſenſum læva interpretatione detorquerentur ejus verba: *Elaboratum eſt*, inquit, *quantum Dominus adjuvit, ut non ſolum in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſæculis probaretur gratiam Dei omnibus adfuiſſe, providentia quidem pari & bonitate generali, ſed multimodo opere, diverſaque menſura. Quoniam ſive occulte, ſive manifeſte* (hoc eſt ſive per gratiam occultam & interiorem, ſive per manifeſtam & exteriorem) *ipſe eſt, ut Apoſtolus ait*, Salvator omnium hominum, maxime fidelium. *Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis & validiſſimi roboris ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controverſiam dirimit. Dicendo enim* Qui eſt Salvator omnium hominum *confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem: Adjiciendo autem*, Maxime fidelium: *Oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inſpiratæ, ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur. Quod utique nulla iniquitate agitur juſtiſſimi & miſericordioſiſſimi Dei, cujus judicium in his diſpenſationibus, non cum arrogantia diſcutiendum, ſed cum tremore laudandum eſt*. Supervacaneum erit loca ſermonum Sancti Leonis his ſimilia hic exſcribere; cum ſuperius poſita adiri poſſint. Quibus illuſtrandis ſufficiunt ea quæ modo expoſuimus.

Henr. de Noris Hiſt. Pelag. lib. 2 cap. 12. Addit Noriſius manifeſte autorem iſtum in hac materia pugnare cum Proſpero. *Hic enim*, inquit, *hanc communem gratiam penitus repudiavit*, ob eam rationem: *quia Evangelium non omnibus gentibus annunciatum ſtatim fuit; cum tamen alter gratiam communem faciat, quia ad omnes miſſi ſunt Apoſtoli ut Evangelium prædicarent*. Pace tua, vir doctiſſime, non pugnant inter ſe autores illi, vel ad ſummum levicula eſt verborum, non ſenſuum, pugna. Veram enim Chriſti gratiam non eſſe communem omnibus hominibus; & omnibus communem eſſe generalem illam gratiam naturalem, quam probavimus ab autore illo conſtitui in contemplatione creaturarum, certum eſt contradictoria vel contraria non eſſe. At non minus certum eſt, de gratia Chriſti Proſperum loqui:

Proſper Carm. de Ingratis.

—— Dic unde probes quod gratia Chriſti
Nullum omnino hominem, de cunctis qui generantur,
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit.

Autorem vero alterum perſpicuum eſt loqui de gratia exteriori & naturali, quæ vicem legis implens, timendum amandumque creatorem admonet, timorem vero amoremque ipſum nequaquam impertit: uti abunde probavimus. Veram porro Chriſti gratiam non omnibus a ſe credi communem ſignificat ſexcentis, ut ita dicam, locis ejuſ-
De Vocat. Gent. lib. 1. cap. 1. dem opuſculi. Hinc lib. 1. cap. 13. *Quod aliquos ſalvantis gratia prætereat, & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ juſtitiæ judicia referendum eſt*, inquit, *& agnoſcendum ſecreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non poſſe*. Quod pluribus aliis locis ab eo reperi-
Ibid. c. 15. tur. Hinc cap. 25. *Tales fuerunt, qui ſunt attracti, quales qui in ſua duritia ſunt relicti. Sed illis tribuit gratia ſtupenda quod voluit; iſtis tribuit veritas juſta quod debuit: ut judicium Dei magis inſcrutabile ſit in electione gratiæ, quam in retribu-
Ibid. lib. 2. cap. 19. tione juſtitiæ*. Et lib. 2. cap. 19. *Qui exortes gratiæ fuerint, de ſua nequitia redarguantur; & qui ejus lumine enituerint, non in ſuo merito, ſed in Domino glorientur*. Verum tantum abeſt ut veram
Idem lib. 1. cap. 25. gratiam Chriſti Salvatoris communem omnibus fecerit: ut etiam ex hoc quod communis omnibus non ſit, tractandam proponat ſibi cap. 25. & ult. libri primi difficultatem, libro ſequenti ventilandam; quomodo videlicet concilietur illa ſententia cum hac parte fidei, quæ generalem de hominum ſalute voluntatem Dei profitetur: *Veruntamen*, inquit poſt verba mox citata, *ne illa pars fidei, qua pie credimus Deum velle, ut omnes homines veritatis agnitione ſalventur, per hoc quod de effectibus gratiæ evidenter oſtenditur, infirmata videatur, annitendum eſt, auxiliante Chriſto, ut nobis ſtabilitas hujus definitionis appareat.*

II. *Argumentum Noriſii.*

VErſans, inquit, autor librorum de Vocatione Gentium, lib. 2. cap. 20. objectionem illam a parvulis ductam, in qua Auguſtinus & ſectatores contra Pelagianos triumphum ſibi cecinerunt; ita cap. 23. reſpondet: *Non irreligioſe arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua bene utique ſi eorum uterentur parentes etiam ipſi per eoſdem juvarentur*. Quibus, inquit, contraria ſcribit Proſper in carmine de Ingratis, cap. 31. XXIX. Objectio 2. ex doctrina circa parvulorum ſalutem petita.

Proſper Carm. de Ingratis.

Et tamen ex iſtis miſeratrix gratia quoſdam
Eligit, & rurſum genitos baptiſmate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum cauſſa fuit ſimilis de vulnere eodem.
Nec meritis iſtud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abſtuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cum videas multos ſanctis genitoribus ortos,
Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum.

Ab illa Proſperi doctrina nequaquam recedit autor noſter: imo vero eidem ſubſcribit utraque manu. Nam lib. 1. cap. 16. cum in ſuperioribus capitibus probare aggreſſus eſſet, cur uni potius quam alteri gratia daretur, ſecretum eſſe ab humana cognitione ſubtractum, & ad altitudinem divitiarum ſapientiæ Dei ſcientiæque referendum, hoc ipſum capite iſto confirmat exemplo parvulorum: *Reſpice*, inquit, *& ad univerſalem multitudinem parvulorum, in quibus, excepto illo, quo in damnationem naſcitur gens humana delicto, nec præterita poſſunt merita, nec futura cenſeri. Omnes enim, de quibus nunc loquimur, ante ullum intelligentiæ uſum, ante liberum voluntatis arbitrium, alii ad æternam beatitudinem regenerati, alii ad perpetuam miſeriam tranſeunt non renati... Non invenit quod diſcernat humana juſtitia; ſed habet quod eligat inenarrabilis gratia Dei, &c.* De meritis parentum prorſus ſilet, non ſecus ac Proſper, quæ ſi poneret, jam inveniret quod diſcerneret etiam humana juſtitia, nec omnino inſcrutabile eſſet Dei judicium: Capite vero 22. vehementius invehitur in eos, *qui neſcire aliquid erubeſcunt, & omnem diſcretionem, qua Deus alios eligit, alioſque non eligit, ad merita humanæ referunt voluntatis... Quæ*, inquit, *definitio, ut interim de gratiæ veritate taceatur, de his videtur aliquam oſtentare ratiunculam, qui libero utuntur arbitrio. De parvulis vero, quibus ſine ullo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cum ceteris mortalibus cauſſa communis eſt*, nihil poteſt expoſitionis aſſerri, qua do-

cca-

ceatur, cur iſti ſalvi fiant renati, illi pereant non renati, *ſub illius providentia & omnipotentia, in cujus manu eſt anima omnis viventis, & ſpiritus univerſæ carnis hominis*. Et inferius: *Fruſtra profunditatem inſcrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire, qui cauſſam electionis in eorum conſtituunt meritis, qui eliguntur: & cum multa de malorum voluntate ac judicio inepta & falſa protulerint*, in parvulorum tamen diſcretione deficiunt &c.

Vides ut non minus autor iſte triumphum ſibi contra Pelagianos canat ex electione parvulorum, quam Auguſtinus, Proſper, & alii Auguſtini diſcipuli. Vides, ut & proprium omne a parvulis meritum excludat, nec tamen ad parentum recurrat merita: quæ ſi admitteret, jam falſo aſſereret autor, *nihil poſſe expoſitionis afferri, qua doceatur, cur iſti ſalvi fiant renati, illi pereant non renati*; nec magis Pelagiani *in parvulorum diſcretione deficerent*, ſi poſſent ex autoris mente, malis parentum meritis præmaturam filiorum mortem ac damnationem æternam adſcribere, quam Catholici & autor ipſe cap. 22. cum præmaturæ parvulorum mortis ac damnationis cauſſam in originale Adami delictum refundunt.

Hæc autor in libro primo, ubi latius quæſtionem iſtam pertractat. In ſecundi vero capitibus 20. 21. 22. & 23. ubi eandem verſat parvulorum cauſſam, priorem de his ſententiam nullatenus mutat, ſed confirmat potius pluribus argumentis. Enimvero probaverat toto hoc libro, 1. Deum velle omnes homines ſalvos fieri, 2. hanc voluntatem Dei generalibus donis, quæ omnibus impenduntur, manifeſtam fieri, nec aliunde. 3. Generalia tamen illa dona, utpote exteriora & naturalia, ad cognoſcendum Deum non ſufficere ſine ſpeciali veræ Chriſti Salvatoris gratiæ dono: *Tam acerbo enim natura humana vulnere ſauciata eſt*, inquit, *ut ad cognitionem Dei* neminem *contemplatio ſpontanea* valeat erudire, *niſi obrumbrationem cordis* vera lux *diſcuſſerit*. 4. Speciale hoc donum ex inſcrutabili judicio Dei non omnibus eſſe conceſſum, *ſive igitur noviſſima contemplemur ſæcula*, ſcribit ille lib. 2. cap. 25. *ſeu prima, ſeu media*, rationabiliter & pie creditur *omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe*; & hoc non aliunde demonſtratur, *quam de iis beneficiis, quæ providentia Dei univerſis generationibus communiter atque indifferenter impendit... Deo autem placuit & hanc ſpecialem multis tribuere, & illam generalem a nemine ſubmovere; ut ex utraque appareat non negatum univerſitati, quod collatum eſt portioni; ſed in aliis prævaluiſſe* gratiam, *in aliis reſiluiſſe* naturam.

His itaconſtitutis, *non parum difficultatis*, ut ait cap. 20. *opponit conſideratio parvulorum, qui nullo Judicio rationis utuntur, quo autoris ſui beneficia ſentientes, ad agnitionem valeant veritatis accedere... Unde cum omnes homines velit Deus ſalvos fieri, quid eſt quod alienatur a ſalute perpetua tanta infantium multitudo?*

Si hoc parentum culpæ deputandum exiſtimaſſet autor, facilis erat reſponſio, nec neceſſe erat ad inſcrutabilia Dei judicia & inveſtigabiles vias recurrere. Huc tamen confugit: *De hac altitudine*, inquit cap. 21. *diſcretionis Dei non conturbabitur cor noſtrum, ſi firma & ſtabili fide omne judicium Dei juſtum eſſe credamus; nec appetamus habere cognitum, quod voluit eſſe ſecretum: ut ubi inveſtigari non poteſt quare ita judicet, ſufficiat ſcire quis judicet*. Tum docet aliam hujus rei cauſſam non eſſe quam *ſententiam, quam humanum genus in Adæ primi parentis prævaricatione excepit, & grave jugum quod eſt ſuper filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum in diem ſepulturæ in matrem omnium: Nec de immaturitate mortis eſſe rationem conquerendi, cum ſemel in naturam noſtram per peccatum ingreſſa mortalitas, obnoxium ſibi omnem vitæ noſtræ fecerit diem*. Unde concludit juſtiſſimo perire judicio, quotquot ex hac vita diſcedunt parvuli priuſquam ſalutari lavacro abluerentur; gratuita autem miſericordia liberari quotquot contra communem mortalitatis legem, ſtatim ut nati ſunt, non intereunt: *Ut generali neceſſitate variata, cauſſas ſibi Dominus indulgentiæ correptioniſque ſervaret: eſſetque in uno omnium debito, quod & miſericors remitteret, & juſtus exigeret*.

Ex iſta doctrina conſectaneum eſt, quod capite 23. ſtatim ſubjicit, quod ſcilicet *inſcrutabilior ſit cauſſa donorum, quæ gratia tribuit* quibuſdam parvulis, *quam miſeriarum, quas natura promeruit*, & juſtitia rependit innumeris aliis: *In quo opere gratiæ*, inquit cap. 24. *quis niſi arrogantiſſimus atque vaniſſimus de divina juſtitia conqueratur, quod non omnibus parvulis ſimilis providentia conſulat, omniaque pericula, quæ moriturorum regenerationem prohibere poſſunt, aut poteſtate ſubmoveat, aut miſeratione præveniat: Quod utique erga omnes fieret, ſi ita fieri omnino deberet*.

Multum igitur abeſt autor, ut capite illo 23. unde ſumitur objectio, bonis vel malis parentum meritis ſalutem parvulorum vel damnationem aſcribat: cum ipſo initio capitis aſſerat inſcrutabiliorem eſſe cauſſam donorum, quæ gratia tribuit, quam miſeriarum, quæ natura promeruit; ex Adami ſcilicet delicto, quæ vera cauſſa eſt, ut in ſuperioribus dixerat, damnationis parvulorum. Et tamen hanc meritis parentum tribuere debuerat, ut Proſperi ſententiæ adverſaretur: quæ opinio Noriſii eſt.

De hoc igitur capite quæſtio non movetur ab autore hujus opuſculi. Hoc porro unum ſolicitum eum habet: quomodo reſpectu parvulorum, qui pereunt, verum erit Pauli Apoſtoli effatum: quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri. Hoc enim, inquit, cap. 25. Non aliunde monſtratur *quam de iis beneficiis, quæ providentia Dei univerſis generationibus communiter atque indifferenter impendit*. Parvuli autem, ait cap. 20. *nullo judicio rationis utuntur, quo autoris ſui beneficia ſentientes, ad agnitionem valeant veritatis accedere*: Nec iis Deus *illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ ſint capaces*. Reſpondet parvulos illos pertinere ad illam gratiæ partem, ſeu generalia creatoris beneficia, quæ ſemper univerſis ſunt impenſa nationibus: quæ etſi per ſe non potuerint percipere, accepere tamen in parentibus, quorum pars quædam cenſentur, donec ab illis nondum rationalis infantiæ exordiis exceſſerint: *Qua utique*, generali gratia ſeu munificentia creatoris, *ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur infantes*.

In qua reſponſione plura notanda veniunt. Primum enim ſententiam illam non velut ſuam ac propriam aſſerit, ſed proponit ſolummodo ab iis tenendam, qui noluerint hujuſmodi parvulos ſine baptiſmo decedentes omnis omnino gratiæ exortes pronuntiare.

2. Timide ac dubitanter explicationem illam profert in medium, non ut Scripturis traditionive

ſanctorum Patrum innixam, ſed velut quæ abſque religionis offenſa teneri queat: *Non irreligioſe*, inquit, *arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines, ad illam pertineant gratiæ partem, qua ſemper univerſis eſt impenſa nationibus.*

3. Quod de meritis parentum ne verbum quidem habet, ex quo contrariam Proſperi doctrinæ ſententiam propugnaſſe credatur.

4. Latum eſſe diſcrimen inter hanc quæſtionem; an ex malis parentum meritis damnatio parvulis non baptizatis proveniat: & hanc alteram; an parentibus imputandum quod parvuli generalium donorum creatoris participes non fiant. Illud cum Auguſtino & Proſpero negat autor; hoc de ſuo timide & quærentis in modum ſuggerit. In quo licet differre videatur a Proſpero quoad modum loquendi, reipſa tamen ei concinit. Eſto enim non deſit parentibus, & per eos parvulis gratia generalis, quam ejus verbis explicuimus, cum hæc nec his, nec illis ad ſalutem ſufficiat, niſi per ſpecialem ſeu veram Chriſti gratiam *excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute* adjuventur: quærendum rurſus cur cum illa detur omnibus, hæc quamplurimis negetur? Cur cum juſtorum ſæpe filii ſine baptiſmate intereant, parentibus nihil omittentibus, ut ſalutari unda abluantur; impiorum e contra filii a propriis deſerti parentibus, alienorum beneficio ad baptiſmatis gratiam veniunt? Et tunc iterum cum Proſpero confugit ad inſcrutabilia judicia Dei, & inveſtigabile prædeſtinationis decretum.

5. Igitur ex his notandum de parvulis ſine baptiſmo decedentibus, aliud non eſſe autoris iſtius judicium, quam de adultis generalis illis ſolum gratiæ beneficio utentibus. Sicut igitur propria horum merita in electione non penſat, ita nec in illis parentum merita conſulit, ut electionis cauſſam inveſtiget. Hæc ſunt autoris verba in illo ipſo capite, quod objicitur: *Sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute, vocatio ſpecialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eodem manifeſtatur electio. Quæ quidem nec illis, qui renati non ſunt in parentibus defuit, ſed iis qui renati ſunt, præ parentibus affuit: ita ut multis ſæpe, quos ſuorum impietas deſeruit, alienorum cura ſervierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis providenda non erat per proximos.*

III. *Noriſii Argumentum.*

PRæterea, inquit, *idem ſcriptor capite ultimo ſatis timide de prædeſtinatione loquitur; imo ſcientiam illi præviam non ſemel ponere videtur, dum illam objectionem ſibi opponens*, fruſtra nos orare & laborare, ſi ex incommutabili propoſito ejus Chriſtianæ gratiæ ſubſiſtit electio: *ita ibi reſpondet*: Non intelligunt ſcientiam Dei, quæ & præterita & præſentia futura complectitur, tempore non teneri. *Et cum id paucis explicaſſet, concludit*: Hæc antem æterna & ſemper tranquilla cognitio nulla nos urget neceſſitate peccandi, &c. *Ibidem electionem ad gratiam ſine meritis adſtruit; electionem vero ad gloriam ex meritis ſuſpendit*: Deus ergo his, quos eligit ſine meritis, dat unde ornentur & meritis. Et fruſtra dicitur quod ratio operandi non ſit in electis, cum etiam ad hoc operentur ut electi ſint.

Miror hominem doctum his ita moveri, ut propterea autorem a Proſperi doctrina alienum putet. Non ignoret ſcientiæ & præſcientiæ nomen plerumque uſurpari ab Auguſtino & Proſpero in explicando æterno prædeſtinationis decreto; ut mirum non ſit ab autore pariter iſto uſurpatum. Sanctus Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. 14. *Hæc*, inquit, *prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud* *Auguſt. de*
eſt, quam præſcientia ſcilicet & præparatio benefi- *don. perſev.*
ciorum Dei, quibus certiſſime liberantur quicunque *cap. 14.*
liberantur. Et adhuc: *Ipſa igitur* obedientia *Dei donum eſt, quod ſe daturum Deus vocatis ſuis, omni Chriſtiano confitente, præſcivit. Hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam fideliter atque humiliter*
prædicamus. Cap. 17. dicit: quod *Deus dona ſua* *Ibid. c. 17.*
in præſcientia præparavit. Et quod *in ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia opera ſua futura diſponere, id omnino nec aliud quicquam eſt niſi prædeſtinare*. Proſper vero ad excerpta Ge-
nuenſium, dubio 8. *Agnoſcamus itaque ſapienter,* *Proſper ad*
pieque fateamur præſciſſe incommutabiliter Deum, *excerpta*
quibus eſſet daturus ut crederent, aut quos daturus *Genuenſ.*
eſſet filio ſuo; ut ex eis non perderet quemquam. *Reſp. ad*
Etſi hæc præſcivit, beneficia ſua illum, quibus nos *dub. 5.*
dignatur liberare, præſciſſe, & hanc eſſe prædeſtinationem Sanctorum: præſcientiam ſcilicet & præparationem gratiæ Dei, qua certiſſime liberantur.

Quod ſi exiſtimavit Noriſius per præſcientiam illam, qua autor noſter definit prædeſtinationem, intellexiſſe eum vel ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu rerum poſſibilium, quæ decretum Dei liberum & præcedat & dirigat, vel præſcientiam conditionatam, ſeu ſcientiam mediam rerum nunquam futurarum, quas homo facturus eſſet, ſi talis gratia vel conditio poneretur; qua Deus noverit quæ media, quiſve gratiarum ordo ſalutem allatura eſſent, ſi conferrentur. Si, inquam, hæc putavit Noriſius de autore noſtro, merito eum diverſa a Proſpero ſentire pronuntiavit. Sed abſit, ut hunc ſenſum illi affingamus. Perſuaſum potius habeamus aliam ab eo præſcientiam non doceri hoc loco, quam ſcientiam viſionis ſeu rerum futurarum, quas Deus ipſe facturus eſt, quam præſcientiam, & electionem & prædeſtinationem & promiſſionem ſæpius cum Auguſtino vocat. De hac enim ſcientia differens lib. 2.
cap. 33. ait: quod *cuncta pariter tempora & tem-* *De Vocat.*
poralia ſempiterno ac ſtabili comprehendit intuitu, *Gent. lib. 2.*
& omnibus omnia jam retribuit, qui quæ ſunt *cap. 33.*
futura jam fecit. *Hinc illud eſt beati Pauli Apoſtoli ſcribentis ad Epheſios*: Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cœleſtibus in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti: *& cetera, quæ ibi ejuſdem ſenſus prædicatione connectit, docens donum atque opus gratiæ in æterno ſemper Dei manſiſſe conſilio, omneſque adoptionis filios non ſolum in eo tempore, quo jam exiſtentes vocati ſunt, ſed etiam prius quam mundus conſtitueretur* electos. *In qua electione quicquid hominum in Chriſto præcognitum non eſt, nulla eidem ratione ſociabitur. Omnes enim qui in regnum Dei de cujuſlibet temporis vocatione venturi ſunt, in iſta, quæ ſæcula cuncta præceſſit, adoptione* ſignati ſunt. *Et ſicut nullus infidelium in hac ſorte numeratur, ita nullus piorum ab hac benedictione diſcretus eſt. De plenitudine quippe membrorum corporis Chriſti* præſcientia Dei, quæ falli non poteſt, nihil perdit; *& nullo detrimento*

minui

Digitized by Google

minui poteſt ſumma præcognita, *atque in Chriſto ante ſæcula æterna* prælecta. Ubi perſpicuum eſt ipſum non de ſola electione ad gratiam, ſed etiam de electione ad gloriam ſermonem habere; & de ea præſcientia, quæ ſimul & regnum Dei electis decernit, & omnia media, quibus ad illud certiſſime poſſint pertingere.

De Vocat. Gent. lib. 2. cap. 29. Pluribus aliis locis doctrinam eandem confirmat: *Quamvis*, inquit lib. 2. cap. 29. *multi amantes tenebras ſuas, ſplendorem non recipiant veritatis; & multi, qui illuminati fuerant, tenebreſcant: Verbum tamen Dei manet in æternum, & de promiſſionis veritate nihil excidit. Intrat quotidie* præſcripta & promiſſa *gentium multitudo, & in Abrahæ ſemine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur: Quod enim Pater Filio dedit, filius non amittit; neque quiſquam poteſt de manu ejus eripere quod accepit. Firmum fundamentum Dei ſtat, & manſuri in æternum templi ædificatio non vacillat, prætenta ſuper omnes veritate & miſericordia Dei: a quo quod & nemini* (id eſt, ut ſuperius explicat, nulli genti, nulli tribui, nulli linguæ) *negatur, & nulli debetur*, in iis quos promiſit efficitur. Et infra: *Semper præcognitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ & per ſervitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret*: ut nullo excidente de plenitudine promiſſorum, *qui nec provectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus*, quos elegit ex omnibus. Ex quibus manifeſtum eſt autorem noſtrum omnino concinere & Proſpero & Auguſtino in doctrina prædeſtinationis, quam ita ex præſcientia & promiſſione pendere contendit, ut in iis ſolis, quos promiſit, effici aſſerat a Deo, quod nulli genti & tribui negatur; promiſſionem illam eo ſenſu proculdubio intelligens, quo ab Auguſtino dictum eſt de Prædeſt. ſanct. c. 10.
Auguſt. de Prædeſtin. SS. cap. 10. *Non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim* quod ipſe facturus fuerat, *non quod homines.*

Ad poſtremum vero locum autoris quod attinet, ubi electionem ad gloriam ex meritis ſuſpendere Noriſio videtur; gravem certe difficultatem in eo hactenus fuiſſe fatendum eſt. Sed reſtituto jam a nobis ſuæ integritati hoc loco, ope MS. Codicis Thuaneæ Bibliothecæ, non modo evaneſcit difficultas, ſed & validiſſimum inde argumentum ſumitur pro aſſerenda, autoritate hujus opuſculi, Auguſtiniana de prædeſtinatione doctrina: *Deus ergo his quos eligit ſine meritis, dat unde ornentur & meritis, & fruſtra dicitur, quod ratio operandi non ſit electis, cum etiam ad hoc ut operentur electi ſint.* Non, ut prius legebatur: *Cum etiam ad hoc operentur ut electi ſint.* Non igitur gloriam ſuſpendit ex meritis, ſed potius ex electione Dei & gloriam, & ipſa opera, quæ gloriam promerentur, evidentiſſime ſuſpendit. Quod licet prius etiam ex doctrinæ ſerie eliceretur, nunc inſuper ex ipſis verbis autoritate Codicis MS. emendatis evincitur. Tanti eſt veterum Patrum ſcripta diligenter ad Codices MSS. recenſere, ac nitori priſtino reſtituere!

Objectio 4. ex ſuppreſſo S. Auguſtini nomine. Quod poſtremo loco addit Noriſius ad ſtatuendum diſcrimen inter Proſperum & hunc autorem: quod nimirum ille ubique S. Auguſtinum laudat; hic vero ne meminit quidem ſemel in libris de Vocatione Gentium: hoc quidem optime: ſed eadem opera noſtram de Leone confirmat ſententiam, cujus hic character ubique apparet ſcriptorum, quæ adverſus Pelagianos vel Pelagianorum reliquias conſcripſit. In nullo enim eorum Auguſtinum vel

laudat, vel nominat. Non in epiſtolis ad Aquilejenſem & Altinenſem Epiſcopos, quæ ſemper ei ſunt adſcriptæ: non in epiſtola ad Demetriadem: non in delectu illo autoritatum ſedis Apoſtolicæ: tametſi illius nominandi occaſio ſeſe ultro objiceret in utroque hoc opuſculo. Sed hoc ubique ſervabat Leo, ne ex præconcepta de Auguſtino opinione ſententiam ejus tueri videretur, ſed ut doctrinam ipſam, remotis omnibus defenſorum præjudiciis, ex Scriptura & Traditione propugnaret.

Sunt & alia quædam apud S. Leonem, ex quibus aliquid ab Auguſtino diſcipulorumque doctrina alienum habere, nec cum libris de vocatione omnium gentium uſquequaque convenire videatur. Sed quoniam quicquid ad utriuſque Pontificis concordiam afferre poſſem, jam pridem occupatum eſt a doctiſſima Eccleſia Lugdunenſi, quæ ſtylo præſulis ſui Remigii ſcripſit nono ſæculo adverſus Joannem Scotum Erigenam: ne actum agam, aut alienæ laudi invidere videar, integrum caput decimum nonum deſcribo ex ejus opere: *De tribus epiſtolis.* XXXI. Objectio 5. ex modo explicandi quæſtionem de Christi morte.

Libri S. Remigii Archiepiſcopi Lugdunenſis, De tribus epiſtolis, Caput XIX.

Ponit quædam verba B. Leo in quibuſdam „
ſermonibus ad populum, ex quibus non- „
nulli vel minus attendentes, vel minus intel- „
ligentes, fortaſſis eum docere & ſentire exiſti- „
mant, quod Dominus noſter etiam pro impiis „
in ſua impietate durantibus paſſus ſit; & eorum „
poſſit dici Redemtor: ſicut illud eſt, quod quo- „
dam loco ait: *Reſpice tandem, Judæe, reſpice,* „ *S. Leo Ser. 1. de Epiphania c. 11.*
& ad Redemtorem etiam tuum depoſita infideli- „
tate convertere. Noli ſceleris tui immanitate „
terreri: non juſtos Chriſtus, ſed peccatores vocat; „
nec impietatem tuam repellit, qui pro te, cum „
crucifixus eſſet, oravit. Sed in his verbis ma- „
nifeſtum eſt bene intelligentibus, quia uſitato „
more humanæ locutionis ſub unius Judæi per- „
ſona totum Judæorum populum alloquitur; & „
idcirco velut in perſona omnium ad unum cla- „
mat, & dicit: *Et ad Redemtorem etiam tuum* „
depoſita infidelitate convertere: Non quia nullus „
ſit infidelium Judæorum, cujus Dominus non „
ſit Redemtor; ſed quia non ſolum aliarum gentium „
etiam illius Judaici populi, cujus ſcelere & im- „
pietate crucifixus eſt, ſi ad eum convertatur, „
Redemtor eſſe dignatur. Et ideo ait: *Qui pro* „
te, cum crucifixus eſſet, oravit: Non quod „
nullus infidelium Judæorum ſit, pro quo non „
Dominus in cruce oraverit; dicens: *Pater,* „
ignoſce illis; non enim ſciunt quid faciunt: cum „
aperte ipſe Dominus dicat: *Ego pro eis rogo,* „
non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mi- „
hi de mundo: ſed quia etiam in ipſo infideli po- „
pulo & ſunt, & fuerunt multi, pro quibus, „
ut a ſuo errore convertantur & ſalventur, Do- „
minus miſericorditer oravit, & quod oravit, „
efficaciter obtinuit, & perfecit. „

Et recte B. Doctor dicit, velut ſub unius „
perſona ad totum illum infidelem populum: *Qui* „
pro te, cum crucifixus eſſet, oravit: quia pro- „
fecto & ex illo & in illo populo & fuerunt, „
& ſunt, & erunt pro quibus oravit: Hæc ver- „
ba B. Leonis ita omnino eſſe intelligenda, etiam „
ipſe in aliis locis eorumdem Sermonum ad po- „
pulum tam clare exponit, ut de his nemini „
dubitandum ſit. Sic enim quodam loco ait: „

S. Leo Ser. xix. de Paſſ. c. iii.

Dominus noſter ita humano generi ſua morte conſuluit, ut ſacramentum ſalutis etiam ipſis perſecutoribus non negaret. Qui enim venerat univerſis credentibus omnia peccata dimittere, a generali indulgentia nec Judaicum voluit crimen excludere. Item alibi de eodem Domino noſtro loquens. *Cujus*, inquit, *etiam circa interfectores ſuos tanta erat pietatis affectio, ut de cruce ſupplicans Patri, non ſe vindicari, ſed illis poſtularet ignoſci, dicens*: Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. *De cujus utique orationis potentia fuit, ut prædicatio Apoſtoli Petri ex his, qui dixerunt*, Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros, *multorum ad pœnitentiam corda converteret, & una die baptizarentur tria fere millia Judæorum: fieretque omnium una anima & cor unum, paratorum pro eo mori, quem popoſcerant crucifigi*.

Serm. xi. de Paſſ. c. iii.

Hæc de expoſitione ſuperiorum verborum, ex ipſis beati Leonis verbis poſuimus, qui his dictis continuo ſubjungit, dicens: *Ad hanc indulgentiam traditor Judas pervenire non potuit, quoniam perditionis filius, cui diabolus ſtabat a dextris, prius in deſperationem tranſiit, quam ſacramentum generalis Redemtionis Chriſtus impleret. Nam mortuo pro impiis omnibus Domino, potuiſſet forte etiam hic conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum*. In quibus verbis poteſt aliquis minus conſiderans & minus intelligens ita exiſtimare, ut quod dictum eſt, *Sacramentum generalis redemtionis*, &, *Mortuo pro omnibus impiis Domino*, ita accipi poſſit, quaſi & illa generalis redemtio, & illa mors Domini pro omnibus impiis, etiam pro non credentibus & in ſua impietate pereuntibus facta credenda ſit. Sed pro quibus omnibus impiis Dominum mortuum dicat, & generalem redemtionem velit intelligi, putamus quod ipſe ſuis verbis, quæ paulo ſuperius poſuimus, diligenter exponat, dicens: *Qui enim venerat univerſis credentibus omnia peccata dimittere, a generali indulgentia nec Judaicum voluit crimen excludere*: ut vere pro illis omnibus impiis mors Domini fuerit impenſa, quibus univerſis credentibus omnia peccata dimittit. Et *generalem redemtionem*, ſive *generalem indulgentiam* ideo dixiſſe intelligatur, quia nec populus Judaicus, nec ullum genus hominum ab illa redemtione & indulgentia inveniatur excluſum. Sed in illis verbis, pro quibus exponendis iſta replicavimus, illud evidenter oſtenditur, quod proditor Judas nullatenus ad Chriſti redemtionem pertineat, nec potuerit conſequi remedium, quoniam feſtinavit ad laqueum. Et ideo illi paſſio Chriſti nihil profuit, quia in eorum damnationem tranſiit, qui apud inferos jam puniti redemtionis Dominicæ participes eſſe non poterant. Et tamen velut ad ipſum infelicem & perditum alio loco ita increpando loquitur, dicens: *Redemtorem etiam tuum, ne tibi parceret* (al. *parceres*) *vendidiſti*: Non quia & ipſum redemit, quem jam ſuperius idem doctor ad redemtionem pervenire non potuiſſe monſtravit; nec quod Redemtor illius intelligendus ſit, qui in ſua impietate permanſit & periit; ſed quia in illa generali redemtione paſſionis Chriſti, *potuiſſet & ipſe fortaſſe conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum*. Et ideo ſic ei dicit: *Redemtorem etiam tuum vendidiſti*; quia vere etiam ipſius Redemtor fieret, ſi ab eo etiam poſt tantum reatum pie & fideliter indulgentiam poſceret. Nimis omnino prolixum eſt, & in ratione fidei exercitatis minime neceſſarium, ut de ſingulis beati hujus doctoris ſententiis, ubi aliqua ejuſmodi occaſio eſſe poteſt, ſicut in iſtis pauciſſimis factum eſt, diligenter omnia exponantur. Illud tantum attentius videtur eſſe commendandum, quod ubi generale chirographum vel generalem pactionem, ſive cautionem memorat, generalis damnatio totius humani generis, quæ introducta eſt per Adam, intelligenda ſit. Et ubi *generalem redemtionem*, vel *generalem indulgentiam* ponit, propter omnium hominum, vel omnium nationum genus dictum accipiendum ſit. Et ubi *pro omnibus impiis* Dominum mortem ſuſcepiſſe docet, *pro omnibus ex impietate converſis, & in eum credentibus*, ſicut ipſa ejus verba in multis declarant, accipiendum ſit.

Ibid. c. iv.

Serm. xix. de Paſſ. c. iii.

Serm. xvi. de Paſſ. c. iv.

Serm. xi. c. iv.

Hæc Remigius Archiepiſcopus Lugdunenſis cum ſua Eccleſia: qui & alia nonnulla S. Leonis loca de prædeſtinatione, gratia, & morte Chriſti eodem opuſculo explicat; ut puta capitibus 9. 16. 27. &c. Item in abſolutione quæſtionis, & in lib. de tenenda veritate Scripturæ cap. 8. 13. 15. &c.

FINIS.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA BIPERTITA,

Qua S. Leoni magno aſſeruntur Capitula,

SEU

PRÆTERITORUM SEDIS APOSTOLICÆ Epiſcoporum autoritates de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio, quæ Cœleſtino Papæ vulgo tribuuntur.

ET CELEBRIS EXCEPTIO DE profundioribus difficilioribuſque incurrentium quæſtionum partibus ad examen revocatur.

PARS PRIMA.

INter S. Leonis Opera collocamus Capitula de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio, quæ jam pridem Cœleſtino Papæ tributa ſunt, ejuſque ad Gallos epiſtolæ ſubjecta. Et hoc quidem plures fortaſſe erunt, qui nimiæ temeritatis arguant, cum id audeamus nullius, quod & fatemur, Codicis MS. autoritate, nullo editionum anteriorum exemplo, nulla cujuſquam autoris ſeu recentioris, ſeu antiquioris ſuffragante conjectura. Audemus tamen, nec conſilium noſtrum ab illis improbandum eſſe confidimus, qui hæc Capitula cum genuinis & indubitatis S. Leonis lucubrationibus conferre ac perpendere (quod a nobis non indiligenter præſtitum) & conjecturas noſtras noo occupato animo perlegere ſtuduerint.

1. Quibus appelletur nominibus ſententiarum indiculus.

Capitula hæc variis ab ipſo autore ab aliiſque donantur nominibus: modo enim *Autoritates*, ut in præfatione, nec non io titulo & fine opuſculi appellantur; modo *Sententiæ*, ut in eadem præfatione & in poſtremo capitulo: aliquando *Regulæ Apoſtolicæ ſedis*, ut in eodem ultimo capitulo; denique & *Compendioſus indiculus* dicuntur in præfatiuncula. Citantur autem ab aliis ſub nomine *decretorum* vel *epiſtolæ Cœleſtini Papæ ad Gallos*; ab aliis *Capitula* generaliori vocabulo appellantur.

Atque ſub hoc poſtremo eitantur non multo poſt ſexti ſæculi initium. Libens enim ſubſcribo doctiſſimi viri conjecturæ, qui hæc Capitula commemorata exiſtimat a Romano Pontifice Hormiſda in epiſtola ad Poſſeſſorem circa annum Chriſti 520. ſcripta, cujus hæc ſunt verba: *De arbitrio*, inquit, *libero & gratia Dei quid Romana, hoc eſt, catholica ſequatur & ſervet Eccleſia, licet ex variis libris beati Auguſtini, & maxime ad Hilarium & Proſperum abunde poſſit agnoſci; tamen & in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur, quæ ſi tibi deſunt, & neceſſaria creditis, deſtinabimus.* De quibus enim aliis capitulis hæc intelligerentur aut quibus clarioribus verbis illa deſignari poſſint, quam quibus utitur hic Pontifex? Convenit enimvero cum his, quæ Leoni aſſerimus, quod ſint *de libero arbitrio & gratia:* cum & titulus & clauſula hoc idem expreſſiſſime habent: *Incipiunt* vel *explicitunt præteritorum ſedis Apoſtolicæ Epiſcoporum autoritates de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio.* Convenit 2. quod *expreſſa* dicuntur *capitula*, hoc eſt, excerpta ex Pontificum Romanorum ſcriptis vel approbatis ab iiſdem decretis. 3. Quod ex illis, quid de gratia Dei & libero arbitrio Romana & catholica ſequatur & ſervet Eccleſia, certo cognoſci poſſit. 4. Quod nulli e Pontificibus Romanis nominatim tribuantur. 5. Quod io ſcrinus Eccleſiaſticis eontineri dicuntur: antequam enim ea Codici ſuo inſeruiſſet Dionyſius Exiguus, nullus Codex ea legitur habuiſſe, ſed io ſcrinus tantummodo aſſervabantur Eccleſiæ Romanæ, unde & a Dionyſio Abbate deſcripta ſunt.

epiſt. 70. Hormiſdæ PP. ad Poſſeſſorem in fine.

Sed, quod extra controverſiam eſt, eitata circa idem tempus reperiuntur a Petro Diacono aliiſque, qui in cauſſa fidei ex Oriente Romam miſſi ſunt, *Lib. de Incarnatione & gratia D. N. Jeſu Chriſti ad Fulgentium cap. ultimo.* Exin a Creſconio Epiſcopo Africano in fine ſuæ collectionis canonum circa annum Chriſti 690. emiſſæ, eidem adſcriptum Pontifici legitur. Tum denique poſterioribus ſæculis a Floro magiſtro, Eccleſiæ Lugdunenſis nomine adverſus Johannem Scotum Erigenam ſeribente: *Inde eſt*, inquit, *illa Eccleſiaſtica & fideliſſima definitio, quam beatus Papa Cœleſtinus ponit in decretis ſuis dicens:* Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operatur arbitrio, &c. Ab Hincmaro Remenſi lib. de prædeſtinatione cap. 22. pag. 128. 130. cap. 22. pag. 133. Epilogi cap. 5. pag. 379. Item beatus Lupus Ferrarienſis Abbas in Collectaneis quæſt. 2. Cœleſtino quoque opuſculum iſtud vindieat; ad cujus commendationem facit, quod eam ob eauſſam Cœleſtinum magnis doctoribus accenſet: Cœleſtinus etiam Papa, inquit,

Digitized by Google

magnis annumerandus doctoribus, de libero arbitrio, ut tantum Pontificem decuit, univerſos inſtituit. Ex ejus decretis verba hæc ſunt: *in prævaricatione*, inquit, *Adæ omnes homines poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe*, &c. Plura deinceps ex capitulis 1. 2. 3. 4. & 5. refert. Remmigius Epiſcopus Lugdunenſis cum ſua Eccleſia in lib. de tribus epiſtolis cap. 23. & in libello de abſolutione quæſtionis, &c. Mitto Ivonem alioſque plurimos autores, qui capitula Cœleſtino aſſeruerunt. Quibus omnibus præiverat Dionyſius Exiguus Abbas Romanus, qui Codicem decretorum Eccleſiæ Romanæ conficiens ſeu ordinans circa annum Dom. 500. Cœleſtini decretis capitula iſta inſeruit, occaſionemque errandi præbuit poſterioris ævi ſcriptoribus, qui eadem Cœleſtini nomine laudarunt.

31. Non ſunt Cœleſtini PP capitula.

Ut enim a Cœleſtino conſcripta eſſe non credamur, tot licet contradicentibus teſtibus, plurima momenta perſuadent, ex quibus emunctioris naris ſcriptores jam pridem alium iſtarum ſententiarum autorem eſſe ſubodorati ſunt.

Ita ſiquidem præſenſit jam a centum & quinquaginta annis Johannes Vvendelſtinus, qui Codicem canonum & decretorum Pontificiorum a Dionyſiano non multum abſimilem edidit Moguntiæ ann. 1525. Indubitanter enim margini hanc notam adſcripſit: *Hæc undecim capitula ſequentia non ſunt Cœleſtini Papæ, ſed ab alio interpoſita*. Hanc cenſuram aliquo modo temperatam in Conciliorum Collectionibus tranſcripſerunt, qui has edendas poſt Merlinum procurarunt, Crabbius ann. 1538. Surius ann. 1551. & Nicolinus ann. 1581. *Sequentia undecim capitula*, inquiunt, *videntur potius ab alio quopiam interpoſita, quam eſſe ipſius Cœleſtini Papæ*. Cœleſtino pariter abjudicant Eminentiſſimi doctiſſimique Cardinales Antonius Caraſa & Cæſar Baronius; hic ad annum Chriſti 431. Ille in collectione epiſtolarum decretalium, quæ ab eo curata, poſt ejus mortem Romæ prodita ann. 1591. & Innocentio PP. IX. dicata. Quibus adde Franciſcum Suarezium in Prolegom. 6. de gratia cap. 1. num. 11. Jacobum Sirmondum in notis ad tom. 1. Concil. Gall. & Gerardum Voſſium lib. 1. Hiſtor. Pelagianæ cap. 30. qui tamen ultimus partim Cœleſtini, partim Gallorum Sancti Auguſtini diſcipulorum eſſe putat capitula: quia videlicet ab his collecta oblataque Cœleſtino, hujus nomine & autoritate poſtea publicata ſunt.

2. Si Cœleſtini eſſent & ab eodem epiſtolæ ſuæ ad Gallos ſubjecta, quomodo circumferuntur, aliquam proculdubio eorum mentionem ipſe habuiſſet: cujus tamen ne apex quidem illorum meminit. Non etiam hanc epiſtolæ appoſuiſſet clauſulam: *Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi*: quæ finem epiſtolæ Cœleſtinianæ demonſtrat.

3. Cum S. Proſper Collatorem exagitans omnia adverſus eum tum Conciliorum, tum Pontificum Romanorum ſuffragia aggerat; eundemque urgeat autoritate non ſolum Innocentii, Zoſimi, & Bonifacii, ſed & ipſius Cœleſtini; nefas eſt ſuſpicari quicquam ab eo autore omittendum fuiſſe e decretis a ſede Apoſtolica contra adverſarios gratiæ promulgatis. Cœleſtini porro unicam commemorat, quæ eſt ad Gallos, epiſtolam: quæ ut ut autoritatem doctrinamque Auguſtini de gratia Chriſti mirum quantum efferat, de doctrinæ tamen ipſius articulis probationibuſque prorſus ſilet: at pene prævaricationis reum dixerim tantum virum, ſi præſſiſſet ſilentio tam egregiam autoritatum congeriem, quæ ex Apoſtolica ſede emanans, tam ſtrenuum gratiæ non potuiſſet latere defenſorem; qui illam Romanæ Eccleſiæ auſpiciis propugnabant.

4. Vincentius Lirinenſis Presbyter & Monachus plurimum laudans eamdem Cœleſtini epiſtolam commonitorii ſui adverſus hæreſes cap. ult. ſed & Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus longe poſterior eam in Bibliotheca recenſens in hæc verba: *Scripſit quoque ad Epiſcopos Galliarum de fide S. Auguſtini*: pari uterque ſilentio præterit dicta capitula; quod argumento eſt neutri ſcriptorum illorum ea fuiſſe comperta, ſaltem ut Cœleſtini Papæ opus.

5. Non eum loquendi modum hujus compilaſionis autor, nec eam autoritatem uſurpat, quæ ſummum Pontificem præ ſe ferant. Pluries enim allegans Romanæ Eccleſiæ præſules, Innocentium puta & Zoſimum, nuſquam eos predeceſſores ſuos appellat: quod maxime tamen fieri ſolet tum a ceteris Pontificibus Romanis, tum ab ipſo Cœleſtino in illa ad Gallos epiſtola. Deinde ita paſſim loquitur ut Pontificum Romanorum & ſcriptorum etiam aliorum ſe prodat diſcipulum, nedum Pontificem Romanum; exempli gratia: *Nos piiſſimi patres docuerunt. Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt: Magiſtris noſtris obloquuntur*. Et alibi ſe alium a præſule Romano demonſtrat, cum de hujus ſedis Epiſcopis ait: *Sacratiſſima beati Apoſtoli ſedes per miniſterium præſulum ſuorum*, &c. *Rectores Eccleſiæ Romanæ: Apoſtolici Antiſtites*.

6. Si pro parte vel appendice litterarum Cœleſtini Papæ habita tunc eſſent ejuſmodi capitula, itane pudorem omnem abjeciſſet Vincentius Lirinenſis, ut pro ſe ſuiſque ſcriptum eſſe a Cœleſtino in illis litteris tam grandi tuba perſonaret, ut fecit in ſuo commonitorio? qui enim auſus eſt novitatis notam, Auguſtini adverſariis a Cœleſtino inuſtam, in ſancti doctoris diſcipulos rejicere; veritus eſſet ne tam apertis definitionibus capitulorum, quibus ſuorum Maſſilienſium & Lirinenſium errores ſæpius proſcribebantur, revinceretur ac impudentis argueretur mendacii.

7. Omnibus, ut jam dixi, erroris occaſionem dedit Dionyſius Exiguus, cum epiſtolæ Cœleſtini annexuit capitula, quæ diſcutimus: ex ipſo enim Creſconius, Petrus diaconus, omneſque noni ſæculi ſcriptores, qui pro Chriſti gratia decertarunt. At ſi curioſius inſpiciatur Codex Dionyſii, nihil deprehendetur ex quo ſtatuere liceat capitula iſta partem eſſe epiſtolæ S. Cœleſtini; e contra vero hoc fuiſſe Dionyſii conſilium, ut unum ab altero diſcerneret, clamant ipſius Codicis ſeries, & affectatæ diſcriminis notæ, quæ in eo conſpiciuntur. Quoties enim unius Pontificis ſcripta ab alterius ſcriptis ſecernere vult, hunc ſemper titulum initio primi decreti ſeu epiſtolæ præponit. Incipiunt decreta N. Papæ; quem non repetit initio ſubſequentium ejuſdem Pontificis decretorum ſeu epiſtolarum. Hanc porro diſtinctionis notam legere eſt in fronte autoritatum de gratia: Incipiunt præteritorum ſedis Apoſtolicæ Epiſcoporum autoritates de gratia Dei. 2. Initio cujuſque ejuſdem Pontificis epiſtolæ autoris nomen nunquam omittitur: Cœleſtini autem nomen in capite ſententiarum de gratia non apparet: ex quo conjicio autoris nomen vel ignoraſſe Dionyſium, vel ex conſilio omiſiſſe. 3. Majorem etiam diſcriminis notam huic ſcripto appoſuit, quam aliis diverſorum Pontificum epiſtolis: legimus enim in fine capi-

capitulorum hanc clauſulam: *Explicitunt* autoritates præteritorum ſedis Apoſtolicæ Epiſcoporum de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio: omiſſo ubique Cœleſtini nomine. Quæ clauſula, ſimiliſve, nec in fine totius Codicis reperitur: ut videatur omnem erroris viam circa ſententias illas tanta diligentia præcludere voluiſſe: nec aliam ob cauſſam commonitorium iſtud epiſtolæ Cœleſtini annexuiſſe, quam quia noverat occaſione hujus epiſtolæ fuiſſe exaratum, ſimulque Proſpero traditum.

8. Juvat & octavum argumentum ſumere ex Codice noſtro antiquo Romano: cum enim omnes ſeu dogmaticas ſeu decretales Pontificum Urbis epiſtolas, & inter alias quæ Cœleſtini Papæ ſunt, collegerit, conjeceritque autor in Codicem, epiſtolam tamen ad Gallos de Proſpero & Hilario omiſit. Cur ita; niſi quia nihil dogmatis vel diſciplinæ continebat? continuiſſet autem dogmatis plurimum, ſi pars epiſtolæ eſſent capitula. Nulla enim fere eſt in toto Codice epiſtola, quæ de uno aliquo doctrinæ catholicæ capite plura, accuratiora, omnimode meliora habeat. Non igitur pro Cœleſtini decreto agnita eſt Leonis tempore, a quo prædeceſſorum ſuorum decreta codici inſerta alibi conjicio. Dionyſius vero qui epiſtolas S. Leonis omiſſas in antiquo codice, in ſuo ſupplevit, ſupplevit etiam capitula de gratia: quibus & epiſtolam in gratiam S. Auguſtini diſcipulorumque ſcriptam præfixit.

III. An Proſper autor ſit capitulorum.

Ex quæſtionum, quæ a Proſpero & ab autore capitulorum ventilantur, affinitate, atque ex ipſo etiam tractandi modo nata eſt aliorum conjectura ſeu potius ſententia, qui opuſculum iſtud Proſpero nuncuparunt. Ita enim legimus in editione Collectionis epiſtolarum decretalium Romæ procurata a doctiſſimo Cardinale Antonio Carafa & in Biniana Conciliorum: *Non videtur dubitandum, quin ſequentia ſint Proſperi, tam ſunt ſimilia & argumento & ſtylo ejus ſcriptis. Libro certe contra Collatorem capita quædam attingit non diſſimiliter atque hic leguntur*. Non alia quoque ſcripta in mente habuiſſe, quam quæ his capitulis continentur, viro erudito viſus eſt Hincmarus, cum in libro *De non Trina Deitate*, allegat: *Decreta Cœleſtini Papæ, ex cujus delegatione beatus Proſper hinc exortam hæreſim per autoritatem ſcripturarum & Doctrinam B. Auguſtini revicit & compreſſit in Galliis*. Unde hujus ſuſpicionis autor latiſſimum excogitavit diſcrimen inter opera, quæ privato Catholicæ Doctrinæ propugnandæ zelo perſemet aggreſſus eſt Proſper, & eam quaſi fidei formulam, quam ab eodem Pontificis Romani vice ac delegatione conſcriptam putat. In illis videlicet quaſi liberiori ingenio & calamo indulgentem abſtruſiores quaſcumque de gratia & prædeſtinatione quæſtiones fuſius expendiſſe; in hac vero perpauca, eaque omnibus pene obvia, vix attigiſſe: ne ab ea brevitate, quæ fidei profeſſionem decet maxime, longius diſcederet.

Pag. 42. Tom. 1. Ed. Sirmon.

Verum ut conjectationi huic non aſſentiar facit. 1. Quod ea, quæ de delegatione Proſperi trahuntur ex verbis Hincmari ad iſthæc capitula, non ſatis firmo nituntur fundamento. Etſi enim in confeſſo eſt Proſperum a Sede Apoſtolica delegatum eſſe ad propugnandam Eccleſiæ Catholicæ de gratia Chriſti doctrinam, nimis tamen conſtringitur illa delegatio, ſi ad pauca hæc breviſſimaque capitula fuerit coarctata: cum ex ipſo Proſpero in præfatione Reſponſionis ad objectiones Vincentianas longe plura ab eo diſcamus eſſe conſcripta adverſus gratiæ inimicos ex mandato Sedis Apoſtolicæ, atque adeo hæc ipſa, in quibus profundiores quæſtiones ventilaſſe dicitur: ita ut pene certum ſit, quicquid ſcriptorum de gratia evulgavit ſanctus Proſper, ſaltem poſt Romanam profectionem, id omne ex Romanorum Pontificum præſcripto ab ipſo editum fuiſſe, & quaſi fidei portionem aſſertas ab eo eſſe propoſitiones illas, quas libris ſuis adverſus Semipelagianos deſendit. Sic enim ſcribit: *Propoſitis ſingillatim ſexdecim capitulis, ſub unoquoque eorum ſenſus noſtri, &* fidei quam contra Pelagianos ex Apoſtolicæ Sedis autoritate defendimus. Ex quibus evaneſcit diſcrimen illud Proſperi nunc privatim, nunc publice; nunc ex proprio ingenio, nunc ex autoritate Sedis Apoſtolicæ pugnantis: Iſthic arduas quaſque quæſtiones excutientis, illic abſtinentis ab abſtruſioribus. Paſſim enim & ubique in aliis ſcriptis eadem arte, iiſdem armis, eadem Eccleſiæ autoritate munitus pugnat & vincit: nullis non ſe immiſcet quæſtionibus, quæ ad gratiam ſpectant, etiam difficilioris ac ſubtilioris inquiſitionis, nec illis tantum, quibus ſe ſe Theologus exerceat, ſed & iis quibus adhærere neceſſitas incumbit Chriſtiano, ſi cum Eccleſia ſentire velit, ut ex relatis fit manifeſtum. Deinde ad Hincmarum quod attinet, nec in eo quidem loco, qui profertur, delegationem Proſperi ad capitula iſta vel ſcribenda vel promulganda refert, ſed ad ea potius omnia quæ reverſus in Galliam vel ſcripſit vel diſſerit. De his enim ſolum opuſculis loquitur Hincmarus in quibus Proſper *hæreſim per autoritatem ſcripturarum & doctrinam B. Auguſtini revicit & compreſſit in Galliis*: At nullo e ſcripturis, nullo ex Auguſtini doctrina ſumto argumento pugnat autor capitulorum, ſed ex ſola Eccleſiæ Romanæ autoritate partim in Pontificum decretis, partim in Africanis decretis, quæ ſua approbando fecerat, partim denique in ſolemnibus ejuſdem precibus cerimoniiſque contenta. E contra vero pluribus aliis locis de Proſperi delegatione ita ſermonem facit, ut nunquam eum non legati perſona indutum, nunquam non legationis jure & autoritate ſcribentem inducat. Hinc in opere de Prædeſtinatione cap. 1. & eodem ſenſu *L. de non Trina Deitate*: *Inſtantia Proſperi ex delegatione ipſius ſanctæ univerſalis Eccleſiæ*, redargutos, convictoſque dicit fuiſſe hæreticos. Hinc *ex delegatione Apoſtolicæ Sedis incompoſita in Gallicis regionibus ab eo compoſita*, dicit ex præfatione ad Vincentianas objectiones. Hinc capite 3. ejuſdem operis eundem Proſperum vocat abſolute *Legatum Romanæ Eccleſiæ, fidelemque ejus interpretem*. Et ſub finem ejuſdem libri, qui de prædeſtinatione Dei aliter ſentire voluerit, *quam beatus Proſper ex delegatione Sedis Apoſtolicæ juſſu ſancti Cœleſtini definivit*, indicat ſane eum non ſentire: quod ad capitula, quæ de prædeſtinatione nihil expreſſe habent, trahi nequaquam poteſt. Denique nec iſto loco, nec in ullo alio Hincmarus adſcribit Proſpero capitula: quæ ſexcentis locis inter decreta Cœleſtini ab eo numerantur, eoque nomine laudantur.

Præf. Reſp. ad objectiones Vincentianas.

Pag. 15. Edit. Sirmondi.

IV. Non eſt hominis vel Sedem Apoſtolicam regentis vel ejus nomine ſcribentis.

2. Minime videtur hujuſmodi ſcriptum nomine & autoritate ſeu Cœleſtini, ſeu cujuſquam Pontificis Romani prodiiſſe, ſed ab homine privato, vel privatum hominem induente fuiſſe exaratum, non ut publicam & autoratam fidei regulam, ſed ut privatum Doctoris Catholici commonitorium, fidem quidem Eccleſiæ inquirentis, elucidantis, exhibentis, non tamen autoritate Apoſtolica promulgantis.

Ubique enim autor ille pacifici conciliatoris perſonam, & *compendioſi indiculi*, ut ipſe loquitur, collectorem agit, non publicum Edicti Eccleſiaſtici præconem; refert præteritorum Romanæ Sedis Antiſtitum autoritates, non præſulis tunc ſedentis autoritatem circumfert: & magis inſtruere videtur errantem amicum, quam Eccleſiam docere univerſam. At ea non eſt tractandi ratio Proſpero familiaris, qui nunquam non ſcribit, niſi ut conductus Eccleſiæ Patronus, totamque ejus veritati propugnandæ circumducens autoritatem; quod nequaquam in autore illo reperire eſt, qui ſic loquitur: *Neceſſarium*, inquit, *fuit inquirere*, &c. *ut plenius, qui in aliquo dubitant, inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum Patrum compendioſo manifeſtemus indiculo. Quod ſi quis non eſt minimum contentioſus agnoſcat*, &c.

3. Autor capitulorum aperte ſatis indicat ſe contra hæreticos publice ſaltem & ex profeſſo non dimicaſſe, cum loquens de iis, qui *profundiores difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum latius pertractarunt reſtiteruntque hæreticis*, & Auguſtinum Proſperumque quaſi digito monſtrat, & ſe ab iiſdem hac in parte ſecernit. Et alibi: *Magiſtris noſtris, tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur*. Quod Proſpero nequaquam convenire Sole clarius eſt.

V. Leonis eſſe hoc opuſculum. Quem ergo dicemus ſcripti hujus autorem? Ego certe non alium putaverim ab eo, qui duos de Vocatione omnium Gentium libros conſcripſit, quos ſuperiori diſſertatione ſanctiſſimo Pontifici noſtro vindicavimus. A Leone, inquam, compactum eſſe compendioſum hunc indiculum prorſus exiſtimo, non ex quo ille Pontificatum geſſit, ſed per id temporis, quo Diaconi ſolummodo fungens munere, Cœleſtino PP. rerum Eccleſiaſticarum miniſter aderat: quo tempore & ipſum Caſſianum ad Eccleſiæ mentem reducere ſatagebat, & geminum de Vocatione omnium Gentium libellum ſcripſiſſe a nobis creditur. Præter quam quod enim vix ullus per illam ætatem occurrit, cui hoc opuſculum attribuere queas, cum Proſpero adimis, niſi Leo noſter, ſeu autor libri de Vocatione omnium Gentium: tam idem ingenium conſiliumque, tam ſtylum eundem in utroque illo opere deprehendere mihi videor, ut nihil ſimilius modò menti occurrat.

Primum enim utriuſque illius ſcripti ſcopus hic eſt: ut quid præciſe ab homine Catholico credi oporteat circa prædeſtinationis gratiæque divinæ myſterium, ſepoſitis abſtruſioribus quæſtionibus, fixum habeatur; quid in hac materia occultum ſit, quid manifeſtum; qui limites diſſerendo ſint attingendi, nec tranſiliendi. Eo unice collimat autoris utriuſque operis intentio, ut legenti tum ea quæ ſubjicimus, tum alia permulta quæ omittimus, perſpicuum fiat.

Lib. 1. de Vocatione omnium Gentium, cap. 1. *Contrariarum diſputationum nullus terminus reperitur, dum non diſcernitur quid manifeſtum, quid ſit occultum. De hac igitur compugnantia opinionum, qua menſura & temperantia ſentiendum ſit, quantum Dominus adjuverit, annitar inquirere ... ut non ſolum nobis, ſed & aliis utile ſit ad aliquem nos limitem perveniſſe quem non debeamus excedere*. Similia habentur ejuſdem libri, cap. 14. & lib. 2. cap. 1. 9. 10. 22. &c.

Autor indiculi idem conſilium prodit in præfatione ſua, ubi ſe ea occaſione ſcripſiſſe ſignificat, quod nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, *Magiſtris tamen noſtris*, inquit, *tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur*. Et poſtea: *Quod ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum autoritatum brevitate pendere, nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum Catholicis credat & dicat*. Et in fine: *Profundiores vero difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt: ut prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium*.

Quamobrem iſtum ſententiarum indicem eodem fere tempore, eodemque conſilio ſcriptum eſſe crediderim, quo opuſculum de Vocatione omnium Gentium. Unus idemque eſt utriuſque ſcopus; non eadem tamen via illuc tenditur ab utroque. In illo ſiquidem de Vocatione omnium Gentium opuſculo, divinis potiſſimum Scripturæ ſacræ teſtimoniis utitur, ad eumque velut Lydium lapidem quaslibet quæſtiones examinat: in hoc vero indiculo Eccleſiaſtica tantummodo autoritate Conciliorum, Pontificum Romanorum, & (quod ad cumulum adjicit) Rituum precationumque ſacerdotalium, rem totam conficit. Quamobrem unum iſtorum opuſculorum alterius eſſe ſupplementum, facile adducor ut credam. Priore enim adverſarii ex Scripturis expugnati, in Apoſtolicæ ſedis autoritatem velut in arcem ſe receperunt: ex qua poſterioris hujus opuſculi ope dejiciuntur. Ut igitur conjecimus geminum illum libellum a Sancto Leone tunc Diacono editum eſſe, ut amico ſuo Caſſiano, ejuſque aſſeclis Pelagiana lue, aliqua ex parte, laborantibus ſuccurreret; ita & hunc exiſtimamus contextum ab eodem fuiſſe autoritatum indicem: ut qui adhuc ex Pontificum Romanorum doctrina, quam jactabant ſuam, dimicabant, & ex eorum autoritate revincerentur. Quibus perſpectis, Caſſianum ſibimet ſilentium impoſuiſſe & mentem mutaſſe, facile credo, tum quod alias ad propugnandam Eccleſiæ de Incarnatione Domini doctrinam adverſus Neſtorium eum non impuliſſet Leo, niſi jam tum erroris abjiciendi ſpem dediſſet; tum quia Romanæ Sedi addictiſſimus ſemper fuit Caſſianus.

2. In utroque opere Semipelagiani magis quam Pelagiani impugnantur, ſed eadem pariter ſobrietate, eademque modeſtia. Uterque aſperioribus verbis abſtinet: neuter iis quos inſtruit hæreticum non impingit; ſed eos tantum *liberi arbitrii defenſores ac voluntatum patronos*, uterque in præfatione appellat. Uterque Sancti Auguſtini nomen auctoritatemque reticet, idque ex conſilio, eo quod Semipelagiani Auguſtinum ſugillarent, tanquam qui neceſſarium modum de gratia diſputans exceſſiſſet, tantum abeſt ut ejus ſe ſubdere autoritati parati eſſent. Quapropter omiſſo ad tempus cauſſæ Patrono, Patroni cauſſam ſuſcepit ex Conciliorum Pontificumque Romanorum autoritate defendendam, aliam iniens viam ab ea, quæ a Proſpero calcata fuerat, quam quidem, infenſis nimirum Auguſtino Semipelagianis, iiſdem ſubvertendis magis quam convertendis idoneam eſſe expertus fuerat. VI. Idem utriuſque conſilium.

Utramque hanc probationem confirmat, quod

in

in præfatione capitulorum legitur in hunc modum: *Ut ergo plenius, qui in aliquo dubitant instruantur, constitutiones sanctorum Patrum compendioso manifestemus indiculo.* Frustra enim pleniorem hanc instructionem vocat, nisi ad aliam respiciat cui accederet, quæ nimirum auctoritatem Conciliorum Pontificumque Romanorum desiderabat. Hæc enim sententiarum series compendiosa est & brevis, ut ipse eam appellat autor, nedum plena & plenior, nisi fusioris alicujus operis veluti pars aut appendix esse cogitetur. Aliud porro nullum nunc superest præter geminum de Vocatione omnium Gentium libellum. Prosperi enim lucubrationes eadem, quæ in indiculo reperiuntur, continent fusiori sermone explicata.

VII. Arguit uterque ex Ecclesiæ precibus infusis pro omnibus.

3. Quod argumentum ab Ecclesiasticis precibus desumitur capitulo seu sententia 8. pro astruenda gratiæ necessitate, idem prorsus adducitur, lib. 1. de Vocatione Gentium, cap. 12. si non iisdem omnino terminis, sed eodem tamen ingenio, & contextura sermonia eadem.

Lib. I. de Vocat. Gent. cap. 12.

De hac ergo doctrinæ Apostolicæ regula, qua Ecclesia universalis imbuitur, ne in diversum intellectum nostro evagemur arbitrio, quid in ipsa universalis Ecclesia sentiat, inquiramus, &c. Præcepit itaque Apostolus fieri obsecrationes... Quam *legem supplicationis* ita omnium sacerdotum & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua hujusmodi orationes non celebrentur a populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Dei non solum pro sanctis & in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Judæis quorum cæcitati lumen Evangelii non refulget, pro hæreticis & schismaticis, qui ab unitate fidei & caritatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant caritatem, & de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt, malæ consuetudinis pondere oppressi, & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas evincere valent; misericors & justus Dominus pro omnibus sibi vult supplicari: ut cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse, quod ut præstaret oratus est, & gratias agentes pro his qui salvi facti sunt, speremus etiam eos, qui nondum illuminati sunt, eodem divinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum, & in regnum Dei, priusquam de hac vita exeant, transferendos.

Uniformiter. Domino supplicatur. *De Vocat. 1. 1. 8*

Capitulo VIII.

Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur: *ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt caussam; & tota secum congemiscente Ecclesia postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ caritatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique Cathecumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cœlestis aula misericordiæ reseretur. Hæc autem non perfunctorie, neque inaniter a Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus; quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum, transferat in regnum filii caritatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

Quibus in verbis multiplex tum rerum, tum vocum similitudo facile deprehenditur. Nam 1. uterque publicam hanc supplicandi legem ab Apostolis traditam agnoscit. 2. uterque per universam Ecclesiam concorditer custodiri asserit. 3. uterque similem & uniformem supplicandi ubique ritum observat. 4. neminem a supplicatione repelli, imo pro omnibus etiam infidelibus, idololatris, Judæis, &c. preces fundi. 5. Sacerdotibus in ea supplicatione totam congemiscere Ecclesiam, nec a præsulibus plebem divelli. 6. Ex Ecclesiæ supplicationibus argui gratiæ divinæ necessitatem. 7. Ex actione gratiarum eamdem evinci. 8. Quemcumque videamus peccati laqueis eximi, hoc totum divini operis esse, & divinæ gratiæ opere præstari. 9. Legem supplicandi legimus in capitulo 8. Legem supplicationis in cap. illo 12. lib. de Vocatione Gentium. 10. In hoc celebrare orationes: in illo obsecrationum sacramenta celebrare. 11. Primus ait: *Quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filii caritatis suæ*: Alter *eximendos de potestate tenebrarum, & in regnum Dei transferendos.* 12. Uterque eodem ordine infideles, idololatras, Judæos, hæreticos & schismaticos, pro quibus oratur, distinguit & numerat, & pro iisdem conversionis, fidei, & caritatis dona postulari dicit. 13. uterque gratiam conversionis per illuminationis & illuminandi voces exprimit, quod & S. Leoni familiare est.

VII. Rerum ac styli similitudo Leonem autorem arguunt.

4. In utroque illo opere duplex statuitur classis eorum, qui in hæreticorum sensibus demorabantur, quorum alii ex imperitia, alii ex pravitate, iisdem inhærebant: ita c. 1. epistolæ vero ad Demetriadem c. 10. Hoc eos (Semipelagianos) aut nimis imperite aut valde nequiter fecisse non dubium est.

5. Stylus utriusque scripti simillimus est. Eædem dicendi formulæ, eædem voces utrique familiares; quales sunt istæ: sacratissimus, contradictio, pravitas, rectus, & pravus, magistri pro doctoribus, disputator, rectores, opitulatio gratiæ, autoritates, hæreticorum sensus, exordia, incrementa, probabilia studia, divini operis esse, otiosus, regula, cooperatores gratiæ, incurrentes, uniformiter, intuitus, inviolabiles sanctiones, erutus de potestate tenebrarum, naturalis possibilitas, profundum, &c.

Cum aliqua seu scripturæ seu sanctorum Patrum loca utrique alleganda veniunt, his ferme utitur uterque formulis: *Pronunciante atque dicente*: *Protestatur dicens, &c. nos instituit dicens, &c.*

Cap. 9. sic habetur: *Agit quippe in nobis ut quod vult & velimus & agamus: nec* otiosa *in nobis esse patitur, quæ* exercenda, *non negligenda donavit, ut & nos* cooperatores simus gratiæ Dei. Quibus similia leguntur in lib. 2. de Voc. Gent. c. 35. *Frustra,* inquit, *dicitur quod ratio operandi non sit electis, cum*

etiam ad hoc ut operentur electi ſint. *Virtutum quippe* munera otioſa *eſſe non poſſunt*. Et cap. 26. *Ad hoc*, inquit, *prædictus* voluntas *eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe* cooperetur operi, *& incipiat* exercere *ad meritum, quod de ſuperno ſemine concepit ad ſtudium*. De jejunio ſeptimi menſis, ſerm. 1. cap. 2. *Ceſſet iniquitas, ſed non ſit* otioſa *juſtitia .... Sub oculis juſti judicis ſumus, novit quantam unicuique bene operandi dederit facultatem*. *Non vult* otioſa eſſe munera ſua. Serm. 5. de Epiphan. cap. 3. *Conſiderantes ineffabilem erga nos* divinorum munerum largitatem, cooperatores ſimus gratiæ Dei operantis in nobis. Serm. 6. de Nativit. cap. 4. *Ipſe qui dedit velle, donabit & poſſe: ut ſimus* cooperatores operum ejus. Serm. 9. de Paſſione cap. 3. cooperatores *audaciæ*. Lib. 1. de Vocat. Gentium, cap. 23. *Quod totum ſive* per cooperatores gratiæ, *ſive per ſubminiſtrationem ſpiritus, ille inchoat, ille auget, &c.* epiſtolæ ad Demetriadem, cap. 1. cooperatores Dei *opportune piam adhibuere culturam*. Et cap. 15. *Nec ſuperbos nos vult eſſe nec deſides*; cooperatores nos eſſe oportet gratiæ Dei.

Capitulo 9. *Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur; ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum*. Jam notavimus in ſuperiori Diſſertatione, quam familiaris ſit Leoni noſtro hæc orationis conſtructio, in qua plures antitheſes congeruntur, relegato ad finem verbo, quod ſenſum impleat. Exempla ex plurimis pauca habes ſub num. XXIV. adhuc nonnulla accipe. Serm. 4. in Anniverſ. Aſſumt. cap. 5. *Mæſtitudines in lætitiam, labores in requiem, diſcordiæ vertuntur in pacem*. Serm. 7. in Nativit. Dom. cap. 2. *De impiis juſti, de avaris benigni, de continentibus caſti, de terrenis incipiunt eſſe cæleſtes*. Serm. 6. de Quadrageſ. cap. 2. *Plurimos novimus in optimos mores tranſiſſe de peſſimis; ex ebrioſis ſobrios, ex crudelibus miſericordes, ex rapacibus largos, ex incontinentibus caſtos, ex ferocibus factos eſſe tranquillos*.

Nec in deſcriptis ſupra Capituli 9. verbis ſola ſtructura obſervanda eſt velut Leoni familiaris; ſed vix apex ullus eſt, qui ſtylum Leonis non referat, nullum verbulum, quod ſibi quaſi proprium non fecerit Pontifex noſter, præſertim quoad epitheta, quibus hominis arbitrium, ſeu peccato vitiatum, ſeu gratia Chriſti ſanatum exprimit. Quam frequenter enim vox *Tenebroſus* ab eo uſurpetur agnoſci poteſt ex locis ſuperiori diſſertatione relatis, quibus & hæc duo adde: epiſt. ad Demetriadem, cap. 14. *De vero lumine tenebroſæ jam & deficientes lucernæ lumen accipiunt*. Serm. de Sancto Laurentio, cap. 1. *Tenebroſus error*. Cum etiam *lucidum* arbitrium dicit poſt juſtificationem, Leoni concinit, qui ſolet lucis nomen uſurpare, ut gratiæ effectus deſcribat: unde *illuminatæ mentes*, *illuminans*, *illuminatum*, *&c.* Hinc gratiam per participationem Dei definiens, lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 8. *Sine hoc bono nihil eſt bonum, ſine hac luce nihil eſt* Lucidum: *ſine hac ſapientia, nihil* Sanum: *ſine hac juſtitia, nihil* rectum. Ubi & duo alia vides arbitrii epitheta *ſanum* & *rectum*: quo ultimo, cui *pravum* opponatur, nihil apud Leonem frequentius. Denique vox *providum* ſæpe ſæpius apud Leonem habes: ut *provide monere*; Serm. 4. de Quadrag. cap. 5. *Provide præeſſe*; De Jejunio ſeptimi menſis Serm. 5. cap. 1. *Provida autoritas*. Serm. 6. de Paſſione, cap. 2. *Providus Rector*; in epiſt. 103. ad Proterium, cap. 3.

Pelagiani & Semipelagiani in utroque opere appellantur liberi arbitrii defenſores: lib. 1. de Vocatione omnium Gentium, cap. 1. Prima verba hæc ſunt: *Inter defenſores liberi arbitrii & prædicatores gratiæ Dei magna & difficilis dudum vertitur quæſtio*. Et Capitulo 1. *Quid contra nocentiſſimos liberi arbitrii defenſores . . . . cenſuerunt*.

In Capitulo 5. *Quia nemo aliunde ei placet, niſi ex eo quod ipſe donaverit*. Lib. 1. de Vocatione Gentium, cap. 24. *Quod omnia bona quibus placetur Deo dona ſint Dei*.

In Capitulo 6. hæc leguntur: *Quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus*. Sanctus Leo epiſt. 2. ad Ruſticum in præfat. *Sine quo nihil poſſumus, per ipſum cuncta poſſumus*. Sermon. 11. de Quadrageſ. cap. 4. *Ut ſine quo nihil poſſumus facere, per ipſum omnia valeamus implere*.

Frequens in Leone uſus vocum iſtarum *otioſus* & *intuitus*, quæ Capitulo 9. occurrunt eo ordine diſpoſitæ, quem affectat ſanctus Doctor. Aliquot exempla hic habes, plura ſponte occurrent.

Non otioſo contemplemur intuitu: Capitulo 9.

Non otioſo tranſire decurſu: Serm. 1. de Aſcenſ.

Non otioſo capiamus auditu: Serm. 12. de Paſſ. cap. 1.

Spiritali attingat intuitu; Serm. 6. de Nativitate.

Corporeo non videntur intuitu: Serm. 2. de Aſcenſione, cap. 1.

Si ad illos dirigas mentis intuitum. Lib. 1. de Vocat. cap. 17.

Sobrii cordis adhibeatur intuitus; Lib. 2. de Vocat. cap. 21.

Tranquillo conſideretur intuitu: Lib. 2. de Voc. cap. 21.

Puriorem exigit mentis intuitum: Serm. 5. de Paſſ. cap. 1.

Ex ſuperiori etiam Diſſertatione obſervandum cum pluribus Leonis locis convenire, quod habetur Capitulo 1. *Neminem eſſe per ſemetipſum bonum, niſi participationem ſui ille donet, qui ſolus eſt bonus*. Vide Num. XXIV.

10. Ex Dionyſio exiguo alicui Eccleſiæ Romanæ alumno vindicanda capitula.

Hæc ſufficiant, ut Leoni reſtituatur præclarus iſte teſtimoniorum delectus, qui ut daretur Cœleſtino, Dionyſii Exigui unius codex feſtinanter nimium inſpectus in cauſſa fuit. Etſi vero ex Dionyſio male aſſertum dicam Cœleſtino opuſculum iſtud; ex eodem tamen non male arguas quadamtenus ad Eccleſiam Romanam pertinuiſſe, in eaque natum. Ut quid enim inter decreta Pontificum recenſitum, inſertumque eſt; ut quid epiſtolæ Cœleſtini annexum, licet ab ea diſcretum, & Cœleſtini nomine non inſcriptum; niſi quia Cœleſtini tempore & juſſu confectum eſſe ſciebatur, ab eoque concinnatum, penes quem eo tempore, propter Archidiaconi munus, præcipua Eccleſiaſticarum rerum cura, ſcriniorumque ſedis Apoſtolicæ cuſtodia credita erat, & ad quem propter ſingularem doctrinam deferebatur quicquid rerum hujuſmodi ſcribendum erat in Eccleſia Romana. Quæ quantopere ſententiam noſtram adjuvent, nemo non videt: ſi quidem ex Caſſiano conſtat eo tempore Archidiaconi munere functum Leonem eſſe in Eccleſia Romana.

Quamobrem quæ affinitas reperitur inter hæc Capitula & caput 10. libri contra Collatorem: ubi eadem adducuntur teſtimonia Pontificum Innocentii, Zoſimi, & Africanorum; non inde nata eſt, quod ab eodem Proſpero utrumque opuſculum

(quæ

Digitized by Google

(quæ docti Noriſii conjectura eſt) concinnatum ſit: ſed quod indiculus traditus Proſpero Romam redeunti, ob ejus oculos verſatus ſit, dum in Galliis ſcribebat adverſus Collatorem: eo quippe conſilio datus erat, ut eſſet ei velut commonitorium, ex quo quid reſponderet Maſſilienſibus autoritatem ſedis Apoſtolicæ opponentibus aſſumeret; quod & fecit. Enimvero ſi pro authentico ſedis Apoſtolicæ decretum habitum eſſet ſcriptum iſtud, vel eo fine ut in publicum prodiret, fuiſſet conditum Romanæ Eccleſiæ nomine, eſſet ne a Proſpero neglectum omiſſumque; an non potius cum laude protuliſſet, ſive eo loco ubi eadem teſtimonia in medium adducit, ſive alibi cum Semipelagianos exagitat.

X.
Quo tempore & qua occaſione edita Capitula.

Jam vero quo tempore, qua occaſione conſcripta fuerint hæc capitula, unde Cœleſtino tributa, ejuſque annexa epiſtolæ, ita conjectamus. Cum poſt S. Auguſtini mortem, quæ anno Chriſti 430. menſe Auguſto contigit, Gallicanorum Presbyterorum, imo & Epiſcoporum nonnulli adverſus ſanctiſſimi Gratiæ Doctoris vehementius inſurrexiſſent, quaſi reſumtis ex fortiſſimi Eccleſiæ pugilis morte viribus; Proſper & Hilarius Auguſtini Doctrinæ ſequaces Romam ſe contulerunt, ſedis Apoſtolicæ opem & autoritatem adverſus Magiſtri ſui catholicique dogmatis æmulos imploraturi. Romanam tunc Eccleſiam regebat Cœleſtinus, cui Leo Archidiaconus egregiam in adminiſtrandis rebus Eccleſiaſticis navabat operam. Expoſita Proſper profectionis ſuæ cauſſa, litteras accepit a Cœleſtino ad Epiſcopos Gallicanos deferendas, quibus mirum in modum commendantur S. Auguſtini memoria & doctrina, atque ab adverſariorum contumeliis vindicantur. Porro inter Presbyteros Gallos, a quibus Auguſtiniana doctrina infamabatur, Caſſianus eminebat & pietatis profeſſione & ſcribendi facilitate; quem ut ceterorum primipilum, & libelli *de protectione Dei* autorem indicavit Pontifici Proſper, qui & hanc provinciam a ſede Apoſtolica ſuſcepit, ut adverſus illius ſcripta ſtylum exereret; quemadmodum ex præfatione reſponſionis ad objectiones Vincentianas colligitur. Jam multoties doctrina catholica adverſus iſtas Pelagianorum reliquias aſſerta & ex Scripturarum ſanctarum autoritate confirmata fuerat. Sed hoc præſertim tunc temporis argumento & cauſſam ſuam defendebant, & S. Auguſtini impetebant doctrinam, quod hæc ſaluberrimæ Romanæ ſedis doctrinæ adverſaretur, illiuſque decretis:

Præfat. Capitulorum.

Quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli ſedes Petri contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium præſulum ſuorum ſanxit & docuit. Ea ſe tantummodo ſequi & probare profitebantur: ut & hac arte autoritati ſcriptorum ſancti Auguſtini detraherent, & in ſuorum patrocinium pertraherent Apoſtolicæ ſedis præſulem. Hanc novam pugnandi viam Proſpero cauſſam fuiſſe reor Romam petendi. Senſit enim vir cordatus, antequam talia obiicientibus reſponderet, rem cum ipſo Pontifice ceteriſque Romanæ Eccleſiæ proceribus eſſe communicandam; ut majori fiducia adverſarios confutaret, autoritate ſcilicet Apoſtolicæ ipſius ſedis, cujus tunc maxime cauſſa agebatur, munitus, excuſſiſque ipſius ſcriniis, e quibus Pontificum Romanorum decreta aſſumeret adverſus doctrinæ Auguſtinianæ æmulos torquenda. Hanc præcipue ob cauſſam ad Pontificem profectum eſſe Proſperum ipſius Pontificis litteræ innuunt, quibus hoc unum agit; ut Gallicanos Epiſcopos doceat, nihil eſſe in Auguſtini ſcriptis, quod ab Apoſtolicæ ſedis doctrina diſcrepet, hujus communionem ſemper illum, dum vixit, habuiſſe, ne in minimam quidem unquam erroris ſuſpicionem adductum, tantum denique ipſum extitiſſe doctorem, ut a Romanæ ſedis Epiſcopis ſemper inter optimos Eccleſiæ doctores habitus fuerit. *Auguſtinum*, inquit, *ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam a meis ſemper præceſſoribus haberetur.*

Epiſt. Cœleſtini PP. ad Gallos Epiſcopos.

Nec hoc ſolum Cœleſtinus, ſed & ſcrinia ſedis Apoſtolicæ diligenter inveſtigari juſſit, ut inde quicquid ad repellendam Presbyterorum illorum proterviam poterat inſervire, depromeretur, tradereturque Proſpero Romam ea de cauſſa profecto. Hanc provinciam Leoni ceſſiſſe, etſi jam ex ſtyli ipſius charactere aliiſque rationibus non probaſſemus, ex ipſius vel munere probaretur: Archidiaconi quippe erat ſcriniorum Eccleſiæ cura & adminiſtratio: hoc ex ejus officiis unum, illic decreta Apoſtolica condere, illinc promere, quandocunque pro occurrentibus negotiis ad ſcriniorum fidem recurrere opus erat.

Ex his igitur memorialem indiculum contexuit Leo, quem & Proſpero cum aliis ejuſmodi ſcriptis tradidit: ut illi ad refellendas Maſſilienſium objectiones uſui eſſet. Et revera in libro contra Collatorem, quem poſt Cœleſtini obitum conſcripſit, eaſdem prope autoritates adducit quas capitulorum autor, eadem excerpta, ex Innocentii ſcilicet, & Zoſimi Pontificum epiſtolis, nec non & ex Carthaginenſi Synodo & Africanorum reſcriptis: ita ut indiculum ob oculos habuiſſe videatur. Quin & in fine operis recapitulans omnes Caſſiani propoſitiones erroreſque ex ejuſdem ſcriptis expreſſos, eaſdem omnino & totidem fere notat in eo ſententias, quot & quas capitulis ſuis inſervit autor; puta de peccato originali, de neceſſitate gratiæ ad ſuperandas tentationes & ad omnes omnino pietatis actiones ab ipſo fidei crepuſculo ad ultimam uſque perſeverantiæ metam, omiſſis pluribus aliis propoſitionibus, quæ catholicos inter & Pelagianos Semipelagianoſque agitabantur. Hæc, quæ dicimus, ſupponunt indiculum confectum eſſe antequam adverſus Collatorem opus illud ſcriberet S. Proſper; quod certum mihi videtur: tum quia incaſſum laboraſſet autor, & neceſſarium non fuiſſet (quemadmodum fuiſſe ait) diligenter inquirere quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi Pelagiana judicaſſent & ſentiendum cenſuiſſent: cum idem jam a Proſpero præſtitum abunde fuiſſet. Tum etiam propterea quod opuſculum adverſus Collatorem, jam mortuo Cœleſtino, Sixto vero regente Romanam Eccleſiam editum eſt; indiculum vero ſeu commonitorium paulo ante mortem Cœleſtini exaratum eſſe probant & rerum quæ Pelagianos attinent ſtatus, & quod inter Cœleſtini decreta in antiquiſſimo Dionyſii Codice reperitur: unde & ad ejus tempora referendus eſſe videtur & ea fuiſſe opinio Abbatis illius ætate. Qui enim ex eadem collectione putarunt Cœleſtini opus eſſe, & partem quamdam ſuperioris epiſtolæ, non ſatis attenderunt, ſic epiſtolæ illi ſubjectam fuiſſe a Dionyſio vel a quocunque alio, ut ab illa tamen magis diſtingueretur, quam aliæ epiſtolæ ab aliis, præfixa illa diſtinctionis nota, *Incipiunt præteritorum*, &c. & altera hac in fine appoſita: *Expliciunt*

au-

autoritates, &c. quæ pro diſtinctione epiſtolarum poſitæ non inveniuntur.

DISSERTATIONIS

PARS ALTERA.

XI
Ex clauſula Capitulorum autoritas S. Auguſtini a recentioribus coarctatur.

PRima diſſertationis parte defuncti, quæ Leoni opuſculum iſtud vindicat, ad ejus clauſulam pergimus, quam etſi plurimorum jam vexatam commentariis, intactam non audemus prætermittere. Sunt igitur ex recentioribus ſcriptoribus non pauci, qui per *profundiores difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum*, de quibus ad calcem Capitulorum de gratia agitur, eas omnes intelligi velint, quæ iſto indiculo non expreſſe continentur; ac proinde omnia illa doctrinæ de Gratia Chriſti capita, quæ a S. Auguſtino latius pertractata ſunt adverſus Pelagianos & Maſſilienſes, in eorum dogmatum claſſem rejicienda, quæ *nec audemus contemnere, nec neceſſe habemus aſtruere*; ſi iſtis capitulis aſſerta non legantur. Quicquid igitur præter ea quamlibet conſtanter protulerit Gratiæ doctor, ſolide ex ſcripturis & traditione probaverit, ſecure velut fidei catholicæ dogma propoſuerit, quod poſtmodum etiam Eccleſia ſummo omnium ſæculorum conſenſu confirmarit, non neceſſe habent Theologi iſti aſtruere, ſi ea vel non legerint vel non legere ſibi viſi fuerint in iſto compendioſo propoſitionum catholicarum commonitorio. Hac una reſponſione, velut ariete, disjiciuntur catholica dogmata de electorum non ex præviſis eorum meritis, ſed ex gratuita Dei miſericordia, prædeſtinatione, de concupiſcentia, de pœnis peccati, de gratiæ Chriſti ab Adami gratia diſcrimine, & alia quæ ex his velut fontibus derivantur doctrinæ Catholicæ capita, ab his abjiciuntur aut velut *ἀδιάφορα* libero cujuſque aſſenſui vel diſſenſui eſſe permiſſa, ubique prædicant.

Quam longe aberrent a Cœleſtini mente, qui hujuſmodi argumentatione Auguſtini doctrinam concutere nituntur, difficile non eſt demonſtrare. Ac prius quidem revocandum in memoriam, in S. Auguſtini ſcriptis quadruplicem eſſe ordinem quæſtionum & propoſitionum. Primus eſt earum, quæ ad fidem ſpectant, quaſque ut inconcuſſæ fidei dogmata adverſus hæreticos aſſeruit ac propugnavit: quales eæ ſunt, quas de divinæ Chriſti ſervatoris gratiæ natura & effectibus, deque omnipotentiſſima, quam Deus habet, humanorum cordium quocunque voluerit inclinandorum poteſtate. Alter eſt eorum dogmatum, quæ ex prioribus illis velut naturaliter fluere cognoſcuntur, ſicuti ex ejus gratiæ natura, qua, quicquid vult Deus, in hominum voluntate invicte operatur, conſectaneum eſt vel ex ipſo naturali lumine, ad certam & indefectibilem prædeſtinationis metam duci & perventurum quiſquis hujuſmodi gratia ad finem uſque vitæ regitur, hancque ex gratuita Dei bonitate iis deſtinari non aliis. Tertius ordo eſt eorum, quæ S. Auguſtinus humanæ menti impervia pronuntiavit: quia nec a Deo ſunt revelata, nec naturali lumine penetrari poſſunt: v. g. *Cur hunc trahat & illum non trahat? Cur huic ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; non alteri*. Quartus denique ordo eorum eſt capitum in quorum inquiſitione ſudavit plurimum Auguſtinus, nec tamen certi aliquid unquam auſus eſt affirmare ſe eſſe aſſecutum, modo in hanc, modo in illam ſententiam propenſior factus: ita res obſcura & difficultatibus obſita illi viſa eſt. Opinionum hujuſmodi plura inferius proferemus exempla.

De prima & altera opinionum claſſe abſit, ut autor Capitulorum cenſuerit liberum eſſe homini Catholico eas vel abjicere vel amplecti. Recens erat, vel potius eodem tempore, quo cudebatur indiculus iſte, ſcribebatur a Cœleſtino, non illo autore inconſulto, epiſtola ad Gallos, in qua Semipelagianos exagitat ob eam maxime cauſſam, quod S. Auguſtinum aliqua docuiſſe jactabant, quæ doceri nefas eſſet; eundem affirmat nunquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumore aſperſum eſſe, ſed inter magiſtros optimos ſemper a ſuis prædeceſſoribus eſſe habitum; atque his, qui tanti viri memoriam laceſſebant, reſiſtendum eſſe. At vero ſi eorum, quæ de prædeſtinatione ſanctorum, liberatrice Chriſti gratia, & aliis ejuſmodi pro certis & indubitatis propoſuit aſſeruitque Auguſtinus adverſus Pelagianos, Pelagianorumque reliquias, aliqua eſſent a quibus diſcedere liberum eſſet, immerito arguerentur Pelagiani & Maſſilienſes, quod ab iis revera diſcederent, quod Auguſtinum in aliquibus haberent ſuſpectum, quodque ejus de prædeſtinatione & gratia ſententiæ nollent accedere. Recte enim obſervat doctiſſimus Cardinalis Bellarminus, lib. 2. de gratia & libero arbitr. cap. 11. delatam eſſe ad Apoſtolicam ſedem a Proſpero & Hilario querimoniam, quod in Gallia Presbyteri quidam doctrinam S. Auguſtini de prædeſtinatione reprehenderent; contraque publica Eccleſiæ approbatione hanc doctrinam fuiſſe tunc roboratam. XII.

2. In ipſa teſtimoniorum iſtorum præfatione Semipelagiani coercentur, eo quod Auguſtinum dicerent neceſſarium modum ſcribendo exceſſiſſe, iidem ob hanc cauſſam vel imperitiæ, vel pravitatis, vel præſumtionis arguuntur; & licet Catholico nomine gloriarentur, in hæreticorum tamen damnatis ſenſibus hærere dicuntur. Igitur Auguſtinus, juxta ipſius Capitulorum autoris ſententiam, modum non exceſſit in iis, quæ adverſus Pelagianos ſcripſit, quæque conſtanter aſſeruit: nec ullum dogma pro certo & indubitato prolatum eſt ab eo & propugnatum, quod juxta ejuſdem autoris mentem pro certo & indubitato Theologus quiſque habere non debeat: alioqui non parum exceſſiſſet modum Auguſtinus, ſi quid velut ex Eccleſiæ doctrina aſſeruiſſet & tenendum docuiſſet, quod vere non eſſet ex Eccleſia doctrina, quod neceſſe non eſſet adſtruere, quod liberum eſſet vel abjicere vel amplecti. XIII.

3. Autor Indiculi ſeu Capitulorum ea ratione motus eſt, ut ipſe profitetur, ad inquirendum diligenter, quid Romani præſules de gratia Chriſti judicaverant ac ſentiendum eſſe cenſuerant contra liberi arbitrii defenſores, quod hi S. Auguſtinum accuſabant quaſi modum exceſſiſſet in ſuis de gratia ſcriptis, nec aliud conſequenter autor in mente habuit, quam ut hanc adverſariorum Auguſtinianæ doctrinæ calumniam repelleret ex ipſis Romanorum Pontificum teſtimoniis, quibus & Auguſtini contrariam eſſe doctrinam, & ſuam conformem jactabant. Niſi igitur conſilii ſui oblitus eſſe dicatur, hoc ex allegatis explicatiſque ab eo teſtimoniis evincendum eſt, in nullo modum exceſſiſſe Auguſtinum, ſed omnia, quæ ſcriptis ſuis docuit, apprime convenire cum Romanorum Pontificum & Africanarum Synodorum decretis. Quod ſi eorum nihilominus dixeris XIV.

ali-

aliqua non neceſſe nos habere aſtruere, dicere pariter cogeris, neceſſe non eſſe Pontificum & Synodorum decreta, quibus congruentia docuit Auguſtinus, aſtruere. Quis enim duorum ex ejuſdem autoris mente convenientium, unum abiici, alterum admitti velit?

XV. Incaſſum laboraſſet S. Proſper pro S. Auguſtino.

4. Si per illas profundiores quæſtiones nec contemnendas, nec neceſſario aſſerendas, quæ de Prædeſtinatione electorum, de vocatione ſecundum propoſitum, deque aliis hujuſmodi ſcriptis conſtanterque docuit S. Auguſtinus, incaſſum pene laboravit S. Proſper etiam in his, quæ ex Apoſtolicæ ſedis autoritate defendebat; nihil fere etiam pro S. Auguſtini doctrina fecit adverſus Maſſilienſes Presbyteros eorumque aſſeclas. Hæc enim præcipua erant doctrinæ Auguſtinianæ capita, quæ ab illis carpebantur, vel certe ex illis pendebat quicquid controverſiæ adverſus Auguſtinum vel Proſperum movebant adverſarii. Hæc ſunt pro quibus acerrime decertavit iſte Auguſtini diſcipulus & defenſor; hæc omnium ejus opuſculorum materies. Si quis inficias ierit, facillime ex ipſorum inſpectione revincetur. Quid enim objiciebant Galli quindecim illis Capitulis, quibus Proſper reſpondet, niſi quod vel ipſa Auguſtiniana erat de prædeſtinatione & vocatione ſecundum propoſitum doctrina, vel ex ea male intellecta catholicæ fidei adverſum ſequi videbatur. Hoc ipſum clamant Gallorum objectiones quindecim, & reſponſiones Proſperi, totidemque ejus ſubjectæ ſententiæ: in quibus, ut ex præfatione clarum eſt, profitetur ſe *in nullo recedere a tramite earum definitionum, quæ in ſancti viri Auguſtini diſputationibus continentur*; ſed eam ſe in omnibus ſectari *doctrinam, quam ſanctæ memoriæ Auguſtinus Epiſcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Chriſti & liberi arbitrii decomtores per multos annos apoſtolice aſſeruit, litteriſque mandavit*. Sexdecim quoque Vincentii objectiones ex eadem de prædeſtinatione & gratuita Dei Vocatione doctrina natæ ſunt: quibus cum reſpondet S. Proſper, & S. Auguſtini doctrinam explicat, & fidem *adverſus Pelagianos ſe ex Apoſtolicæ ſedis autoritate defendere* profitetur. Quod ad dubia Genuenſium attinet, ut ex uno Auguſtini de prædeſtinatione ſanctorum opere excerpta ſunt, ita aliud nihil habent præter ſancti doctoris de prædeſtinatione ſententiam. Denique in opuſculo contra Collatorem, etſi hunc imprimis & ſpecialiter errorem impugnet, quem decimæ tertiæ ſuæ Collationi inſperſerat Caſſianus: *Gratiam ſecundum meritum dari, initiumque aliquod bonæ voluntatis ab homine eſſe, non a Deo*: tamen omnia ſancti Auguſtini ſcripta ſic ab Apoſtolica ſede approbata fuiſſe prædicat, ut nihil prorſus eorum reprobatum, nihil *ſiniſtræ ſaltem ſuſpicionis rumore aſperſum* eſſe, ſumma fiducia aſſeveret in eo opere, quod ex Apoſtolicæ ſedis autoritate condebat. Falſum profecto iſtud eſſet, ſaltem de his quæ cum a Presbyteris Galliarum in culpam vocarentur, vel ex hoc novitatis notarentur, quod extra Catholicæ doctrinæ indiculum ponerentur, relegarenturque ad inutilium diſputationum claſſem.

XVI. De ea exceptione ſiluerunt Semipelagiani.

5. Si objecta verba Capitulorum Auguſtinum carperent, aſſertamque ab eo doctrinam de prædeſtinatione & gratia, nunquam ea Semipelagiani prætermiſiſſent, ſed ex eis potius inexpugnabilem ſibi ſtruxiſſent adverſus Auguſtiniana ſcripta munitionem. Si enim Vincentius Lirinenſis clariſſima etiam Cœleſtini Papæ pro Auguſtino verba ex epiſtola ad Gallos, non dubitavit ſancti Doctoris defenſoribus objicere, tanquam contra eum emiſſa a Pontifice: qui dum ſcripſit: *Ut deſinat inceſſere novitas vetuſtatem*: Auguſtinum tanquam novitatis inventorem arguerit. Si vel ex ſilentio ejuſdem Pontificis circa librorum Auguſtini titulos auſi ſunt Semipelagiani in vulgus ſpargere, poſtremas doctoris gratiæ lucubrationes ab Apoſtolica ſede eſſe rejectas; quanto magis triumphum ſibi cecinissent, ſi de ejuſdem doctrina circa gratuitam prædeſtinationem ſanctorum & vocationem ſecundum propoſitum, talia ſcripta eſſe cognoviſſent, ſi non a Pontifice Romano, ſaltem ab ejus Archidiacono & adminiſtro, quem Caſſianus ipſe *Romanæ Eccleſiæ & divini miniſterii decus* appellat in præfatione librorum de Incarnatione Domini? *Contra iſtam*, inquit Proſper, *clariſſimæ laudationis tubam*, Cœleſtini epiſtolam intelligit; *contra iſtam ſacratiſſimi teſtimonii dignitatem audet quiſquam malignæ interpretationis murmur emittere: & perſpicuæ ſinceriſſimæque ſententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere: ut ſcilicet, quia in epiſtola Papæ librorum, pro quibus actum eſt, non expreſſus eſt titulus, hinc eos appareat non probatos, & iſtam in ſanctum Auguſtinum laudationem pro anteriorum ſcriptorum meritis eſſe collatam*. Qui ergo collata Auguſtino præconia in ipſum torquent Auguſtinum, ea negligerent, quibus doctrina ab eo latius explicata, & plurimis ſcriptis aſſerta apertiſſime petebatur? Hoc-ne fugiſſet Vincentium, hoc Genuenſes, Maſſilienſeſque Presbyteri omiſiſſent, hoc denique Fauſto fuiſſet elapſum? ut nihil dicam de ſcriptoribus illis, qui circa nonum Chriſti ſæculum adverſus Auguſtinianam doctrinam redivivis conatibus inſurrexerunt.

XVII. Scripta ſancti Auguſtini de prædeſtinatione a Patribus maxime laudata.

6. Veteribus ſeu Conciliis, ſeu Pontificibus, ſeu ſcriptoribus Eccleſiaſticis nota fuiſſe hæc Capitula, ex iis quæ hujus diſſertationis initio attulimus, manifeſtum eſt. Nec illa noverunt modo ſed & ab Apoſtolica ſede profecta crediderunt, cum ab iiſdem Cœleſtini Papæ nomine laudata inveniantur. Dubium pariter non eſt, quin ad illam de profundioribus quæſtionibus exceptionem attenderint: nihil tamen quicquam ex illa ſiniſtrum ſuſpicati ſunt adverſus S. Auguſtini doctrinam: neque propter illa verba a laudandis omnibus hujus doctoris ſcriptis abſtinuerunt. Imo vero eam maxime ſcriptorum ejus partem laudant ac prædicant, quam Semipelagiani oppugnabant, quæque ipſam doctrinam continent & propugnant, a novellis ſcriptoribus inter profundiores hujuſmodi quæſtiones amandatam. Ita Hormiſdas Papa (ut reliquos omittam) in epiſtola ad Poſſeſſorem Africanum Epiſcopum, a quo, quid de Fauſti ſcriptis ſentiendum eſſet, conſultus fuerat, ea ſcribit, quæ Auguſtinum ab omni verborum illorum invidia abſolvant. Hæc etſi jam ſupra deſcripſimus; iterum juvat oculis legentium objicere. Poſtquam declaravit Fauſti libros ab Eccleſia non recipi, tum ſub finem epiſtolæ: *De arbitrio*, inquit, *libero & gratia Dei quid Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur & ſervet Eccleſia, licet ex variis libris beati Auguſtini*, & maxime ad Hilarium & Proſperum, *abunde poſſis agnoſci: tamen & in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur, quæ ſi ibi deſunt, & neceſſaria creditis, deſtinabimus*.

XVIII. Quæ ex Hormiſda Papa eruuntur.

Ex quibus plura, quæ ad rem præſentem pertinent, eruimus. Primum eſt Fauſti libros, quibus eam maxime Auguſtini doctrinæ partem in-

ceſſe-

ceſſebat, quam ad profundiores illas quæſtiones modo relegant, ab Eccleſia fuiſſe reprobatos, ac proinde contrariam de prædeſtinatione & gratia Dei doctrinam ab eadem approbari. 2. Poſſeſſorem omneſque qui de gratia Dei & libero arbitrio inquirere vellent, quid a Romana, quid a Catholica Eccleſia ſentiretur, ad unum Auguſtinum remittit Pontifex *abunde* ex ejus ſcriptis *agnoſci poſſe* aſſerens Eccleſiæ Catholicæ ſententiam. 3. Tantum abeſt, ut ex libris Auguſtini aliquos excipiat, quos Semipelagiani ab Apoſtolica Sede poſthabitos aſſerebant, ut eos potius præ omnibus commendet; *Maxime*, inquit, *ad Proſperum & Hilarium*, hoc eſt, libros *de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Dono perſeverantiæ*, quos in ultima ſenectute ac morti proximus elucubravit, & in quibus tota Auguſtini de prædeſtinatione & gratia Chriſti doctrina diſerte fuſeque aſſeritur. Hanc doctrinam ſedi ſuæ aſſerit Hormiſdas: ex his maxime *libris abunde poſſe agnoſci* dicit *quid Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur & ſervet Eccleſia*. Et hos Semipelagianorum reliquiæ audeant a generali laude & approbatione Auguſtino ſcriptiſque ejus a Pontificibus impertita ſecernere; hæc ad ſupervacaneas quæſtiones opinioneſque dejicere quas cuique liberum ſit vel amplecti vel abjicere? 4. Cum hæc ſcribebat Hormiſdas, immemor non erat iſtorum de gratia Dei capitulorum, de quibus nunc agimus; imo vero ejus tunc oculis obſervabantur: ut prorſus certum ille habuerit, profundiores illas quæſtiones vel Auguſtinum non attinere, vel has tantummodo opiniones, de quibus inquirendo magis ac tentando, quam aſſerendo ſcripſerat, non ea dogmata, quæ ab eo velut Eccleſiæ doctrina toto animo, totis viribus intrepide defenſa fuerant. 5. Quanta eſſet doctrinæ Auguſtini de prædeſtinatione & gratia cum Romanæ Catholicæque Eccleſiæ ſententia, cumque ipſis capitulis conſenſo, inde manifeſtum eſt, quod unam indifferenter ex altera poſſe cognoſci aſſereret, liberum relinquens, ut vel ad Romanæ Eccleſiæ monumenta, vel ad Auguſtini libros, vel ad capitula in ſcriniis Eccleſiaſticis ſervata ſe conferat, qui de Catholicæ Eccleſiæ doctrina vellet inquirere. 6. Ita tamen optionem offert Poſſeſſori, ut primas det Auguſtino. Hæc enim prima Hormiſdæ mentem inceſſit cogitatio, ut conſulentem Epiſcopum de Eccleſiæ doctrina circa liberum hominis arbitrium & Dei gratiam, ad Auguſtini libros velut ad authentica Eccleſiæ archivia remitteret: tum breviorem quandam viam indicat de capitulis ſuggerens, quæ tamen neceſſaria non putavit ei, qui Auguſtinum ipſum adire vellet: *Quæ, ſi ibi deſunt &* neceſſaria creditis, *deſtinabimus*.

XIX. Alia reſponſione ex Hormiſdæ ſatisfit exceptioni.

Poſtrema hæc Hormiſdæ verba aliam nobis ſuggerunt reſponſionem ad hujus indiculi caput ultimum; cujus videlicet autoritas tanta non eſt cenſenda, quanta hactenus a pleriſque habita eſt. Cœleſtini quippe Sedis Apoſtolicæ Pontificis nomen, vel Proſperi ex ejuſdem præſcripto ſcribentis & Auguſtinianæ doctrinæ addictiſſimi, maximam ſcripto autoritatem conciliabat. Jam vero cum apud omnes fere certum habeatur nec Cœleſtini, nec Proſperi opus iſtud eſſe, plurimum ei ponderis detrahitur. Leonis quidem Pontificis non minor autoritas, imo & longe major apud omnes, at Leonis diaconi, & adhuc junioris, non item. Eſto enim mandatum a Cœleſtino acceperit commonitorium iſtud Romanorum Pontificum decretis conſarciendi, verum quod poſt confectum indiculum præter Apoſtolicorum decretorum excerpta de ſuo addidit, non Apoſtolicæ Sedi, ſed proprio Diaconi ingenio tribuendum: Cui quidem cum cordi eſſet Caſſianum amicum ab errore revocare, ſtudebat maxime ne addictior Auguſtino videretur; ſicque ſermonem ſuum temperabat, ut nihil ſanctiſſimo doctori detrahens, in aliquo ejus adverſariis indulgere crederetur: quo facilius abalienatos eorum animos ad Catholicum ſenſum reduceret.

Hanc reſponſionem confirmant Hormiſdæ verba, qui hæc capitula nec Cœleſtino, nec Sedi Apoſtolicæ, nec Proſpero tribuit, ſed velut incerti autoris opuſculum indicat. Quod etſi in Eccleſiaſticis ſcriniis aſſervatum narret. Sedis tamen ſuæ non ei conciliat autoritatem; Imo vero capitula tanquam non admodum neceſſaria tepide promittit a ſe mittenda: *Si neceſſaria*, inquit, *creditis*. Qui loquendi modus longe procul dubio diverſus eſt ab eo, quem uſurpare ſolent Pontifices Romani, cum de prædeceſſorum ſuorum decretis verba faciunt, vel de his quæ authoritate Sedis Apoſtolicæ ſunt emiſſa. Ita demum loquitur, ut ſi ſcripta Auguſtini a capitulis diſcreparent, vel hæc aliquid illis infenſum haberent; Auguſtino potius adhærendum quam capitulis velit: neque hæc aliam ob cauſſam proponat, quam quia Catholicam doctrinam ab Auguſtino fuſius explicatam ſub compendioſo indiculo repræſentarent.

Hæc iis reſpondenda cenſemus, qui pervicacius contenderint per poſtremam illam capitulorum partem ſuggillata eſſe ſancti Auguſtini ſcripta, tametſi ſuperioribus ſecuturiſque mox reſponſionibus magis inhærendum putamus, putabuntque, ni fallor, nobiſcum æquiſſimi quique harum rerum judices.

XX. Quæſtio da Prædeſtinatione non eſt incurrens.

7. Quis doctrinam de prædeſtinatione Sanctorum incurrentibus quæſtionibus accenſeat in materia gratiæ, iiſque difficultatibus, quæ velut ex tranſverſo inſiliunt myſteria auxiliantis gratiæ verſantibus? Imo vero omnium præcipuum caput eſt, omnium fundamentum ac baſis. Ex æterno enim Dei conſilio circa hominis ſalutem pendet menſura donorum gratiæ, quibus ad beatum illum finem provehatur. Prædeſtinatio enim quid aliud eſt apud S. Auguſtinum, quam *præparatio mediorum, quibus certiſſime liberantur quicunque liberantur? Quos* enim *prædeſtinavit*, inquit Apoſtolus, *hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* (Rom. 8,30.) Quamobrem cur unus vocatus, alter non vocatus; cur hic perſeverantiæ donum accipiat, ille non accipiat: ſi ſcrutari quis velit, ratio ex prædeſtinatione facile occurrit, quia videlicet ille, non iſte, ad æternam vitam prædeſtinatus eſt inſcrutabili Dei decreto. Cur vero unus prædeſtinatus eſt, alter minime: hoc ad incomprehenſibilia judicia Dei & inveſtigabiles vias ejus referendum. Unde perſpicuum eſt quæſtionem de prædeſtinatione non ex occaſione tantum & quaſi extra propoſitum tractari, cum de gratiæ divinæ auxiliis diſputatio inſtituitur.

XXI. Continetur in capitulis.

8. Doctrina ſancti Auguſtini de prædeſtinatione non includitur his difficiliorum incurrentiumque quæſtionum partibus quas neceſſe non habemus adſtruere ad plene confitendam gratiam Dei: imo ipſis capitulis antea deſcriptis continetur velut in principiis vel connexis dogmatibus. Cum enim iis docemur *omnes homines in Adam naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe: neminem*

inde

inde conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerentis erexerit, & ſui participationem 'ille 'donet, qui ſolus eſt bonus; neminem niſi per Chriſtum bene libero uti arbitrio; neminem aliunde ei placere, niſi ex eo quod ipſe donaverit; neceſſe eſſe ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur; nullam ſanctam cogitationem, nullum pium conſilium, nullum motum bonæ voluntatis eſſe, niſi illa Deus in cordibus hominum atque in ipſo libero operetur arbitrio; omnia ſtudia, omnia opera & merita, omnem tentationum victoriam, omnes virtutes, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, eſſe dona Dei, qui agit in nobis, ut quod vult & velimus & agamus; gratiæ operi & dignationi nihil penitus eſſe ſubtrahendum: Denique Deum nonniſi pro his quæ largitus eſt æterna præmia eſſe donaturum. Cum hæc, inquam, illis legimus, ſupponi procul dubio intelligimus gratuitam electionem Dei ac prædeſtinationem, qua ſolis his, quos liberare decrevit, ea beneficia præparavit, quibus certiſſime liberarentur, nec aliis merita perſeverantiæ aliam ob cauſam eſſe negatam, quam quia his æterna præmia non decrevit eſſe donanda.

XXII. Cur non aperte expreſſa in Capitulis. Cur porro, inquies, quod implicite & per dogmatum connexionem in compendioſo iſto indiculo continetur, non expreſſis verbis, apertaque definitione explicatum in eo fuit? Ratio in promtu eſt, habeturque in præfatione capitulorum clariſſime expreſſa. Collectoris quippe inſtitutum non erat plenam & perfectam fidei in hac materia profeſſionem proponere: hoc unum potius ſatagebat, ut adverſarios ſancti Auguſtini ex hac una munitione dejiceret, ad quem pleniore diſputatione compulſi confugerant: Scilicet *ea ſe tantummodo ſequi & probare, quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli ſedes contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſancit & docuit.* Ut hoc erroris velamen depelleret autor, his terminis indiculum ſuum continuit, ut *quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de 'hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicarent, & contra nocentiſſimos liberi arbitrii defenſores, quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint, inquireret.* Et ita fixum erat animo in hac inquiſitione extra Romanæ Eccleſiæ limites non excurrere, ut Africana decreta, quæ religio fuiſſet in hac materia reticere, cum retulit, eo ſolum nomine a ſe recenſita profiteatur, quod *ea utique ſua fecerunt Apoſtolici Antiſtites cum probarunt*, & eadem, *quaſi propria Apoſtolicæ Sedis* ipſe amplecteretur. Nihil porro de prædeſtinatione adverſus Pelagium Cœleſtiumque definitum fuerat ſive a Romanis Pontificibus, ſive ab Africanis: quia nihil controverſiæ circa illam expreſſe motum fuerat ab hæreticis, qui peccati originalis labem ab Adamo in poſteros tranſmiſſam nullam agnoſcebant: unde nec adverſus eoſdem laborandum fuit, ut ſtatueretur hominum a maſſa perdita ſecretorum æterna electio ac prædeſtinatio.

Cœterum ſenſit autor non omnia, quæ integra confeſſio poſceret, aperte contineri iſtis capitulis. Nam & ex præfatione verba relata teſtantur conſilium fuiſſe hoc unum inquirere, quod ad gratiam Dei confitendam præciſe pertinet: *Quid de gratia Dei ſentiendum:* Quod & in indiculi clauſula repetit: *Ad confitendam gratiam Dei, cujus operi & dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt.* Gratiæ, inquit operi: quo efficacem operationem gratiæ *Dei in cordibus hominum atque in ipſo libero operantis arbitrio* deſignatam habes; & dignationi: quo gratuitam humaniſque indebitam meritis gratiæ largitionem exprimit: His duobus capitibus *omnium diſputationum connexionem pendere*, ſcribit in præfatione, *nullamque ei contradictionis ſupereſſe eationem*, circa alias quæſtiones illis connexas, qui compendioſo ſubditarum autoritatum indiculo ſubſcripſerit: *Ut ergo*, inquit, *plenius qui in aliquo dubitant inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum Patrum compendioſo manifeſtemus indiculo, quo ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum autoritatum brevitate pendere; nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum Catholicis credat & dicat, &c.* Igitur non omnia hujus materiæ capita diſerte habentur expreſſa in indiculo, ſed *compendioſe*: Igitur aliæ diſputationes ſunt his connexæ, quæ ex his pendeant, & circa quas contradicendi Auguſtino rationem non habeant, niſi nimium contentioſi, ſi ſemel propoſitis in indiculo ſententiis aſſenſi fuerint.

Quæ porro iſtæ quæſtiones, niſi de prædeſtinatione, quæ ex iſta definitione pendet: *Gratiæ Dei* operi & dignationi *nihil penitus eſſe ſubtrahendum: Neminem niſi per Chriſtum libero* bene uti arbitrio: Bonæ voluntatis exordia *& incrementa probabilium ſtudiorum & in eis uſque in finem perſeverantiam ad Chriſti gratiam referenda: Omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus* ab initio fidei *ad Deum tenditur, Deum eſſe autorem profitendum; nec dubitandum ab ipſius gratia omnia hominis merita* præveniri *per quem fit, ut aliquid boni &* velle incipiamus *& facere: Noſtra denique* merita eſſe Dei dona, *qui pro his, quæ largitus eſt, æterna præmia eſt donaturus.* Nimirum hoc unico fundamento nitebantur Semipelagiani, ut æternam electionem ac prædeſtinationem hominum ex eorum meritis ſuſpenderent, quod aliquod bonæ voluntatis ac fidei initium, aliqua humana merita ſtatuerint, quæ gratiæ Dei opus non eſſent, ſed gratiæ potius ad juſtitiam conſequendam & ad bonum opus perficiendum meritoria: *Hæc enim ipſorum definitio* *Proſperi Epiſtola ad S. Auguſt.* *ac profeſſio eſt... univerſis hominibus propitiationem, quæ eſt in ſacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam; ut quicunque ad fidem & ad baptiſmum accedere* voluerint *ſalvi eſſe poſſint. Qui autem credituri ſunt, quive in ea fide, quæ* deinceps *per Dei gratiam ſit* juvanda, *manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos*, dignos futuros electione, *& de hac vita bono fine exceſſuros eſſe prævideris.* Et infra: *Quantum ad Deum pertinet* omnibus *paratam vitam æternam: Quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo* ſponte *crediderint, & auxilium gratiæ* merito credulitatis *acceperint. In iſtam vero talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur, cum prius meliora ſentirent, ideo ſe vel maxime contulerunt: quia ſi profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, & ab ipſa ut poſſint eſſe donari, neceſſitate concederent Dum ſecundum propoſitum & conſilium voluntatis ſuæ, occulto judicio & opere manifeſto aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam: quia nemo niſi per gratiam juſtificetur, & nemo niſi in prævaricatione naſcatur. Sed refugiunt iſtud fateri, divinoque adſcribere operi ſanctorum merita formidant: nec acquieſcunt prædeſtinatum*

ele-

Digitized by Google

electorum numerum nec augeri poſſe, nec minui, &c.

Ex his verbis perſpicuum evadit, quæ connexio ſit inter Auguſtinianam de prædeſtinatione doctrinam, & ſententias in indiculo aſſertas. Cum enim prædeſtinationem ex meritis gratiam prævenientibus pendere aſſererent Semipelagiani, & viciſſim profiteri recuſarent, omnia bona merita Dei gratia præveniri, ne gratuitam prædeſtinationem confiteri cogerentur: liquido apparet prædeſtinationem ex merito pendentem profligari, aſtrui vero gratuitam eo ipſo, quo omnia bona merita, ipſumque fidei initium gratia gratuita præveniri, nulla gratiam ipſam præcurrere, ex Patrum autoritate certum indubitatumque demonſtratur.

Revera huc tandem totam cum Pelagianis, Semipelagianiſque concertationem eſſe devolutam: *Utrum gratia ſecundum merita daretur, nullaque meritis præveniretur*, ex Leonis diſcimus epiſtolis & ex opuſculis de Vocatione Gentium & ad Demetriadem. In epiſtola igitur 6. ad Aquilejenſem Epiſcopum, cap. 3. *Cum omnes*, inquit, *definitiones ſuas ad ſubrependi facilitatem improbare ſe ſimulent atque deponere, hoc ſibi tota arte fallendi, niſi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei ſecundum merita dari accipientium ſentiatur .... & per naturalem induſtriam præveniri.* Magna pars librorum de Vocatione Gentium in hujus aſſertionis confirmatione conſumitur: *Gratiam meritis non dari accipientium.* Præſertim vero in 1. libro, in cujus cap. 22. hæc de Semipelagianis: *Iſti autem qui neſcire aliquid erubeſcunt, & per occaſionem obſcuritatis tendunt laqueos deceptionis, omnem diſcretionem, qua Deus alios eligit, alios vero non eligit, ad merita humanæ referunt voluntatis, docentes ſcilicet neminem gratis, ſed ex retributione ſalvari, quia naturaliter omnibus ſit inſitum, ut ſi velint poſſint veritatis eſſe participes, eiſque effluere gratiam, a quibus fuerit expetita.* Epiſt. ad Demetriadem, cap. 10. *Hinc*, inquit, *poſtremo divinæ gratiæ ſimulata & inſincera confeſſio, quæ ſecundum merita daretur, non ex qua merita naſcerentur. Quam partem ſuperbæ prædicationis quidam ſibi, cum cetera abnuerent, ſervaverunt.* Ex hac porro ſervata dogmatis Pelagiani portione ſequi oſtendit autor tribus illis locis, naturam nullo peccati originalis vulnere eſſe ſauciatam, ut quæ ante omnem gratiam proprio clara ſit ſtudio: quæ arguendi ſimilitudo notanda ad confirmationem aſſertionis noſtræ de iſtorum opuſculorum autore.

XXIII. Quæ quæſtiones incurrentes.

Doctrina ſancti Auguſtini de prædeſtinatione deque aliis capitibus neceſſitati gratiæ Dei ad ſingulos actus connexis, quale eſt adhuc quod de operibus infidelium ex profeſſo docuit adverſus Julianum, hac inquam doctrina vindicata ab exceptione poſtremi illius capituli, vix nobis incumbit oſtendere quid per *profundiores difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum* intellexerit autor. Sufficit enim probaſſe nihil eorum, quæ ſanctus Auguſtinus conſtanter docuit de gratia & prædeſtinatione tanquam certum Eccleſiæ dogma, ad illas partes relegari poſſe: de his tamen conjecturas noſtras promimus.

Cum primum orta eſt Pelagiana hæreſis atque ab Africanis Epiſcopis & a Pontifice Innocentio damnata, duobus fere capitibus concludebatur; negatione ſcilicet peccati originalis, & neceſſitatis gratiæ Dei ad ſingulos actus. Succedente tempore geminus iſte ramus, qui ex radice dogmatis de Adamo mortali creato natus erat, alios ſubinde emiſit ramuſculos, quibus præſcindendis adlaborarunt Eccleſiæ Catholicæ Magiſtri. Harum quæſtionum aliæ evidentem ac neceſſariam omnino cum utroque illo dogmate connexionem ita habent, ut unum ſine altero dogmate intelligi minime poſſit. Aliæ neceſſitudinem quidem maximam habent, ſed nec tam evidentem, nec tam neceſſariam; ut abſque operoſa inquiſitione ſtatim animo occurrat, aut de his facile, quæ ſit Eccleſiæ ſententia, decernere queas. Ad primam claſſem referenda quæſtio de prædeſtinatione Sanctorum; ad alteram, plures quæ ab Auguſtino latius pertractatæ ſunt: quales ſunt; An homo poſſit eſſe ſine peccato in hac vita: Qua pœna plectantur infantes ſine baptiſmo ex hac vita decedentes: An morbi ex culpa, an ex natura ortum habuerint; Quomodo infantes ante baptiſmum morientes a Chriſto judicandi: Quomodo peccatum originale tranſmittatur in poſteros: Unde in nuptias, quæ bonæ ſunt & Dei inſtitutum, tot mala invecta ſunt; Quid ſit peccatum, quid concupiſcentia, quid ejus natura, qui effectus; quod infinitas propemodum amplectitur difficultates iſtis connexas: An & quomodo Chriſtus antiquis ſub veteri Teſtamento profuerit: Utrum ſine fide in Chriſtum ſalvus quis aliquando fuerit: denique quæſtio illa adeo celebris & ſalebroſa de animarum origine, an ex propagatione, an ex creatione ortum habeant, quæ quidem & diutiſſime torſit Auguſtinum, & fuſioribus diſputationibus locum dedit. Iſtas igitur ſimileſque quæſtiones fuiſſe crediderim, quas *profundiores, difficiliores, latius pertractatas* dicit, quaſque *ſicut non audebant contemnere, ita non neceſſe habebant aſtruere* Catholici. Ubi tamen adhuc ſtrictius intelligenda verba hæc, quam vulgo intelligantur: Non enim ait *incurrentes illas quæſtiones aſtruere neceſſe non eſſe*, ſed *profundiores difficilioreſque* earum *partes*. Non ait etiam *ad confitendam Dei gratiam ſatis ſufficere* prædictas regulas ſeu ſententias: ſed *quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt*: qui loquendi modus complecti videtur *omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum autoritatum brevitate pendentem*, ut ait expreſſis verbis.

Inter alias autem quæſtiones recenſitas, duas imprimis profundiores difficilioreſque in animo habuiſſe autorem indiculi exiſtimo: Unam, quomodo transfundatur originale peccatum a parentibus in filios, alteram de animæ origine: quam poſteriorem ipſe Auguſtinus profundam, difficilem, & non neceſſariam cenſuit. Imo vero hanc eandem S. Doctor incurrentem, *non neceſſariam* inſtitiam atque a Pelagianis invectam, quæſtionem dicit lib. 4. ad Bonifacium cap. 2. *Huc*, inquit, *laudi creaturæ adjungunt & quod Chriſtum Dominum nullo dicunt macula peccati fuiſſe reſperſum, quantum attinet ad ejus infantiam; quia ejus carnem ab omni peccati contagione puriſſimam non excellentia propria & gratia ſingulari, ſed communione naturæ quæ omnibus ineſt infantibus, aſſerunt. Eo pertinet etiam quod de animæ origine inferunt quæſtionem, ſic animæ Chriſti coæquare molientes omnes animas parvulorum, quas volunt eſſe ſimiliter nulla peccati macula aſperſas.* Hæc quippe creaturæ laus, ejuſque conſectanea de animæ origine quæſtio, ex illis erant quibus Pelagiani cum a Catholicæ Doctrinæ defenſoribus urgerentur, eoſdem alio avertere ac lu-

Digitized by Google

Lib. 3. ad Bonifac. cap. 8. ludificare conabantur: *Cum igitur Pelagieni his atque hujuſmodi veritatis teſtimoniis & vocibus urgeantur ..... immittunt aliarum nebulas quæſtionum in quibus eorum apud homines ſimpliciores ſive tardiores, ſive ſanctis litteris minus eruditos impietas deliteſcat. Hæ ſunt nebulæ de laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude Sanctorum*, &c. Et cap. 9. *In his quinque rebus quas propoſui in quibus quærunt latebras & de quibus connectunt calumnias*, Et denique cap. 10. *Addunt ſane ad latebrarum ſuarum nebulas Pelagiani de origine animæ non neceſſariam quæſtionem, ad hoc ut res manifeſtas, aliarum rerum obſcuritate turbando moliantur latendi locum. Ajunt enim nos animarum traducem cum peccati traduce conſueri.*

Denique poſtremum iſtud Capitulum explicare mihi videtur eximia illa epiſtola Synodica Africanorum Epiſcoporum in Sardinia exulum, quæ ſancti Fulgentii ſtylo creditur exarata. Viderat, opinor, autor epiſtolæ, quiſquis eſt, capitula, de quibus diſſerimus, ſiquidem ea Poſſeſſor ab Hormiſda Papa accepiſſe videtur, niſi jam antea manibus Africanorum verſabantur, quod ex epiſtolæ Hormiſdæ ad Poſſeſſorem loco in Synodica illa relato aſſerere non vereor. Porro in iſta exulum Epiſcoporum epiſtola præcipua gratiæ capita aſſeruntur quaſi ad fidem Eccleſiæ pertinentia: in quorum fronte legitur Auguſtiniana de gratuita prædeſtinatione Sanctorum doctrina: *Contra quam prædeſtinationem*, inquit, *magnæ pervicaciæ eſt aliquem vel parare vel habere conflictum .... & Apoſtolicam fidem perverſus oppugnat quiſquis prædeſtinatum Chriſtum & ſanctos*
Epiſt. Synodica Africanorum tom. 4. Concil. Labbei pag. 1591. *ejus negat: per miſericordiam* ſcilicet *gratuitam, bonitatem, per gratuitum beneficium miſericordiæ*
Num. 21. *ſuæ: in quo eum non pro meritis futuræ cujuſquam bonæ operationis elegit, cui ſeipſum & fidem & bona opera donaturum eſſe præſcivit.* Quam doctrinam tradunt doctiſſimi confeſſores *ſequentes*
Num. 7. *donum ejuſdem gratiæ, quod ſanctorum Patrum*
Num. 8. *cordibus & linguis ipſa eſt dignata infundere.*
Num. 9. Demum poſt tradita fidei dogmata circa prædeſtinationem Sanctorum, gratiam Dei, & liberum
Num. 6. hominis arbitrium, exceptionem quamdam non abſimilem ei, quæ poſtremo capitulo continetur, ſed explicatiorem ſubjungit in hunc modum: *Quæſtionem vero animarum aut tacitam debemus* Num. 14.
relinquere, aut ſine contentione tractare: quia ſive ex propagine veniant, ſive novæ ſingulis corporibus fiant, quod ſanctarum Scripturarum autoritas non manifeſte pronunciat, cum cautela debet inquiri: maxime quod ſine fidei detrimento poteſt a fidelibus ignorari. Sed & idem ſanctus Fulgentius proprio nomine ſcribens de veritate prædeſtinationis & gratiæ lib. 3. cap. 18. de eadem quæſtione diſſerens, quam velut appendicem ad controverſiam de prædeſtinatione & gratia, tractat. S. Auguſtini, ſuamque de illa ſententiam his verbis exprimit: *Cujus quæſtionis*, de anima *Beatus Auguſtinus* profunditatem *ſibi imperſcrutabilem cernens nullam voluit hujus rei definitam proferre ſententiam, incongruum prorſus exiſtimans aliquid affirmare ſine dubitatione velle, quod alter poſſet contraria reſponſione convellere .... conſenſum ab utraque definitione continuit: ne laborem tantæ diſputationis inaniter ſuſciperet, quem cujuslibet ſententiæ temeraria definitio vacuaret*, &c. An non diceres capitula illa Cœleſtini credita ante oculos habuiſſe Fulgentium & illius ſcriptoris preſſiſſe veſtigia. Hæc ſufficiant ad explicationem loci a pluribus ſcriptoribus alienum in ſenſum diſtracti, & ex quo nonnulli gratuitæ Sanctorum prædeſtinationi infenſiores, præpropere ſibi triumphum cecinerunt.

His ita ſcriptis, jamjamque prælo ſubjiciendis incidi in Vindicias Auguſtinianas doctiſſimi viri Henrici de Noris, ex quarum capite octavo plurima ſcite ſincereque ſcripta huc transferenda eſſent; ſed quoniam inſtant operæ, ſufficiat locum indicaſſe, quem adiiſſe, Lectorem nequaquam pœnitebit. Adeat, qui otio abundaverit, librum Gallicum, cui titulus: *Traditio Eccleſiæ Romanæ circa prædeſtinationem Sanctorum & gratiam efficacem*, Tom. 1. part. 3. a pag. 336. ad p. 363. ubi autor prolixiori ſermone & alia via hanc Capitulorum particulam & concluſionem explicat.

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO
TERTIA
DE AUTORE LIBELLI.
SEU EPISTOLÆ
AD
DEMETRIADEM
VIRGINEM
PROSPERO HACTENUS ADSCRIPTÆ,

IN QUA NEC PROSPERI ESSE, NEC alterius quam S. Leonis Papæ I. ex conjecturis aſſeritur.

1\. *Idem autor l. de Vocat. & Epiſt. Leg...*

ITa concinit ſtylus epiſtolæ ad Demetriadem ſtylo librorum de Vocatione Gentium, ut eidem hactenus autori utrumque opus merito ſit adſcriptum, ſive cum Ambroſio datum, ſive cum Proſpero. Quamobrem qui multis nec futilibus, ut confidimus, argumentis alterum S. Leoni vindicavimus ſecunda Diſſertatione, peculiarem inſtituere alterius eidem aſſerendi gratia ſupervacaneum duceremus, niſi in re hujus momenti probationes probationibus cumulare, nullique diligentiæ parcere neceſſarium videretur.

Remiſſo itaque ad priorem Diſſertationem Lectore, ut de tempore ſcriptionis hujus epiſtolæ inſtruatur, multaque etiam ibi legat de ſtyli, doctrinæ, conceptuumque ſimilitudine, quæ inter S. Leonem, auctoremque librorum de Vocatione Gentium intercedit, & ad epiſtolæ quoque autorem transferri poſſunt, cetera quæ hujus propria ſunt, paucis abſolvemus.

In Scripturæ verſione conveniunt

Primum igitur animadverto hoc epiſtolæ commune eſſe cum opere de Vocatione Gentium & ceteris ſancti Leonis operibus, quod Scripturam ſanctam ex ſancti Hieronymi verſione allegent. Sed hoc inſuper habet cum ſancto Leone affine, quod utraque verſione utatur, Vulgata ſcilicet & Hieronymiana. Quod in eodem verſu 4. capitis 14. libri Job contigit: ubi ſecundum vulgatam verſionem ita legimus apud ſanctum Leonem ſer. 8. de Nativit. & in Epiſt. ad Demetriadem circa med. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine: Nonne tu qui ſolus es?* Et ſecundum ſeptuaginta Interpretes in ſerm. 1. ſancti Leonis de Nativit. & in citato epiſtolæ loco: *Nemo mundus a ſorde, nec infans cujus unius diei vita eſt ſuper terram.* Quod ad id quod probatum volumus validum, puto, argumentum eſt: cum nemo facile ſibi perſuadeat fortuito contigiſſe, ut eadem ætate, duo ſcriptores diverſi eundem ejuſdem libri verſum aſſumſerint ex verſione ſancti Hieronymi, quæ nondum in uſum vocata erat, & vix ab alio autore illius ævi uſurpata reperiatur.

S. Leo ſer. 8. de Nativ. c. 3. Epiſt. ad Demetriadem cap. 11.

2\. Ut probet Chriſtum Dominum Sacramentorum Evangeliique miniſtris ſemper adeſſe ac cooperari, adducit textum e capite 28. S. Matthæi, quem a ſancto Leone & ab autore librorum de Vocatione Gentium uſurpatum diximus eodem conſilio: *Utique nunc*, inquit, *eadem potentia Dominus indeſinenter operatur, qui ait*: Ecce ego vobiſcum ſum, &c. Vide ſupra pag. 196. loca ex ſancto Leone & ex opere de Vocatione Gentium deſcripta.

3\. Hæc epiſtola, cum varias Sathanæ deſcribit inſidias, conatuſque vehementiores, quibus eos impetit, quos per baptiſmatis conſecrationem, vitæque melioris profeſſionem ſibi cernit eripi; cumque e contra, quo ſtudio, qua vigilantia adverſus illum pugnari debeat, monet, iiſdem fere utitur verbis, quibus & Leo noſter. Exemplum habe ex cap. 10. *Cum in ſacramento crucis & Reſurrectionis Chriſti ad novitatem redit vetuſtas, & ad innocentiam regeneratur impietas, antiquus hoſtis malignius* ſremit, *& acrius inardeſcit: & cum innumeris nocendi artibus humanum genus nitatur avertere*, ſerens diſcordias, incitans iras, acuens cupiditates, *ſuadens turpia, falſa commentans & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus uritur de virtute ſtantium, quam lætetur de fragilitate labentium.* 11.

Sanctus Leo ſerm. 6. de Epiphan. cap. 3. *Vigilanter cavenda ſunt illa diſcrimina, quæ de otio ipſius pacis oriuntur. Adverſarius enim, qui in apertis ineſſicax perſecutionibus fuit, tecta nocendi arte deſævit, ut quos non perculit impetu afflictionis, lapſu dejiciat voluptatis... Quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit.* Inflammat *concupiſcentiis, quos non poteſt vexare tormentis.* Serit diſcordias, accendit iras, incitat linguas; *& ne ab illicitis dolis cautiora corda ſe revocent,*

con-

Digitized by Google

conſummandorum ſcelerum ingerit facultates : Et ſerm. 2. de Quadrag. cap. 2. *Modo tibi major cautio, & ſolicitior aſſumenda prudentia eſt, quando idem hoſtis tuus acriori ſævit invidia....appropinquante novæ creaturæ ortu, ſpiritalis nequitia ab his, quos poſſidebat, excluditur*. Fremit *ergo eſpoliati hoſtis impius furor; & novum quærit lucrum, quia jus perdidit antiquum*. Inflammat atque iras, *nutrit odia*, acuit cupiditates, *irridet continentiam*, incitat *gulam*, Serm. 3. de Quadrag. *Exinde (nos) vehementiore odio & invidia* ſæviore *perſequitur, ex quo eum in baptiſmo renuntiavimus, & ab illa, cui dominabatur, origine in novam creaturam divina regeneratione tranſivimus..., non deſinit nobis hoſtis antiquus* laqueos peccati *ubique* tendere.

Quibus in locis præter ſenſus, conſtructionis ac verborum ſimilitudinem & concentum, quæ eundem autorem arguunt, multæ ſunt inſuper voces in textu epiſtolæ, quæ a ſancto Leone paſſim uſurpantur, velut; *Opinionum commenta: Sacramentum crucis & reſurrectionis Chriſti: Redit ad innocentiam iniquitas, & in novitatem vetuſtas: uri de virtute ſtantium: fragilitas labentium, &c.*

III. Autor epiſtolæ ſic habet; *Malum ſuperbiæ maxime virtutibus eſt cavendum: quia nullis opportunius inſidiatur, quam quibus laus juſta debetur*. Et c. 10. *Quibus non potuerat perſuadere vitiorum amorem, immittit laudis cupiditatem.... Per gloriam irrepſit humanam, & quos impulſione non movit, elatione dejecit*. Ad eundem ſenſum, c. 16. Sic loquitur: *Vigilant autem tentatoris inſidiæ, ut ubi proficit devotio, ſubrepat elatio, & ut homo de bono opere in ſe potius, quam in Domino glorietur. Sed ſolicitudo nos Apoſtoli contra hoc periculum monet, dicens:* Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate: *Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent cauſſas formidinis & tremoris: ne de ipſis probitatis augmentis mens ſibi conſcia & laudis avida in ſuperbiæ rapiatur exceſſus, & fiat immunda vanitate, dum ſibi videtur clara virtute*.

Sanctus Leo his admodum ſimilia habet ſerm. 4. de Quadrageſima, c. 3. *Non ambigatis*, inquit, *Diabolum ad hoc vim ſuæ malignitatis armare, ut pietati laqueos de ipſa pietate prætendat, & quos non potuerit dejicere per diffidentiam, conetur ſuperare per gloriam. Vicinum eſt enim rectis actionibus ſuperbiæ malum, & de proxima ſemper virtutibus inſidiatur elatio. Quia difficile eſt ut laudabiliter viventem laus non capiat humana*. Et ſer. de Epiph. c. 8. 2. *Cum timore & tremore, inquit Apoſtolus, veſtram ſalutem operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Et hæc ſanctis cauſſa eſt tremendi atque metuendi, ne ipſis operibus pietatis elati deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ*.

De Melchiſedech diſſerens epiſtola, ait: *Vir ſacratiſſimus Melchiſedech Domini & Salvatoris noſtri* præferens formam. Sanctus Leo ſerm. 4. de Natali ſuo. *Ipſe eſt*, inquit, (Chriſtus) *cujus* formam *Melchiſedech Pontifex* præferebat.

De lege & gratia eodem uterque modo loquitur epiſtola: *Non ob aliud*, inquit, *unquam datur præceptum, niſi ut quæratur præcipientis auxilium*. Sanctus Leo ſerm. 5. de Quadrag. *Ad jubentem recurras, qui ideo dat præceptum ut excitet deſiderium, & præſtet auxilium*. Et expreſſius ſerm. xi. de eadem: *Ideo enim datur præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium*.

De Paupertate & divitiis. *Tam abundantia, quam inopia*, ait epiſtola, *materia ſolet eſſe peccati, cum vel dives extollitur ad ſuperbiam, vel pauper proſilit ad querelam*. S. Leo ſerm. xi. de Quadrag. cap. 1. *Non minoris eſt periculi carere deſideratis, quam abundare conceſſis. Inſidiæ ſunt in divitiarum amplitudine, inſidiæ in paupertatis anguſtiis. Illæ elevant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam*.

Sanctus Leo Epiſt. 10. Ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis, cap. 1. *Apoſtolicum munus in Petro principaliter collocavit* (Chriſtus). Autor epiſtolæ: *Natura in Adam principaliter inſtituta*. Ubi eadem voce utuntur in eo ſenſu qui tam primariam inſtitutionem, quam Primatum includit. Quæ vox raro ita uſurpatur.

Hoc etiam commune habent tria hæc ſcripta, ut illud Act. 14. *Dimiſit gentes ingredi vias ſuas*, *frequenter aſſumant*. Et illud: *Tentatio eſt vita hominis ſuper terram*. Ex libro Job ſæpius quoque uſurpent.

De præſentis vitæ ſtatu S. Leo ſerm. 7. cap. 3. IV.
Contriſtati ſunt, non de conſcientiæ reatu, ſed de humanæ mutabilitatis incerto. Serm. 14. de Paſſ. c. 3. *Quamvis enim non iſtius vitæ ſit, ſed æternæ, ut ſit Deus omnia in omnibus: tamen, &c.* epiſtola ad Demetriadem: *Non quidem obtinetur, ut jam omnia in omnibus Deus ſit: quia nullus eſt ſine tentationis ſtimulo, & ſine* mutabilitatis incerto, &c. Et ſupra: *In futuræ beatitudinis conſortio Deus erit omnia in omnibus: quod ideo in hac vita non poteſt ad plenum obtineri: quia nondum mortale hoc, &c.* Cap. 24.

In utroque Deus ſub agricolæ imagine inducitur animam hominis colens, fœcundamque reddens bonis juſtitiæ fructibus, ac propterea Deus *ſummus & verus agricola* nuncupatur; pia ejus erga homines ſolicitudo, *cultura*: anima, *ager cordis*, virtutes, *ſemina*; bona opera, *germina juſtitiæ* appellantur: Autor epiſtolæ, cap. 1. *Licet plantationi ſuæ* ſummus Agricola *valida ad profectum tuum incrementa præberet; cooperatores tamen gratiæ Dei opportune piam adhibuere culturam: ut germen tenerum fortitudinis robur acciperet, & dignos generoſitate ſua fructus propoſiti tui arbor afferret*. Et cap. 7. *Sed quid illud eſt, quo corporeorum ſenſuum exteriora pulſantur, in agro cordis cui impenditur iſta cultura, nec radicem poteſt figere, nec germen emittere, niſi ille* ſummus & verus Agricola *potentiam ſui operis adhibuerit; & ad vitalem profectum, ea, quæ ſunt plantata, perduxerit*. Lib. 2. de Vocat. Gent. capit. 6. *Quæ* (bona voluntas) ſuperni Agricolæ *prima plantatio eſt... Bona voluntas omnium virtutum germen eſt primum*.

S. Leo ſerm. ult. de Jejunio decimi menſis: *Deus namque* verus & ſummus Agricola, *non ſolum corporalium, ſed etiam ſpiritualium autor eſt fructuum, & utraque ſemina, utraque plantaria duplici novit exercere* cultura, *dans agris profectus germinum, dans animis incrementa virtutum*. Item Ser. 3. de eod. Jejunio dec. menſis. *In agro Dominico, cujus operarii ſumus, oportet nos prudenter atque vigilanter ſpiritalem exercere culturam... Quæ bona opera ſi pigro*

otio

atio & inerti deſidia negligantur, terra noſtra nihil generoſi germinis pariet, &c. Serm. 6. De terra cordis *noſtri germen juſtitiæ & caritatis fructus oritur*. Serm. 1. de Quadrag. *Tunc in nobis bene ſemina virtutum nutriuntur, quando ab* agro cordis *noſtri omne germen externum evellitur*. Serm. 4. de Jejun. Pent. cap. 3. *Terra enim carnis noſtræ niſi aſſiduis fuerit ſubacta culturis cito*, &c. *cuſtodienda igitur nobis omnium germinum ſeminumque generoſitas, quam ex ſummi agricolæ plantatione concepimus*, &c. Similia habet Serm. 2. de Reſurrect. & 2. item de Aſcenſione.

Conſulat etiam Lector quæ in ſecunda diſſertatione a nobis relata ſunt tam ex S. Leone, quam ex autore de Vocatione Gentium circa mutum illud creaturarum de ſuo creatore teſtimonium, quod cuivis ſemper patet: paribus enim ac potius iiſdem verbis illud depingit autor epiſtolæ, c. 7. in hunc modum: *Omnia quidem elementa mundi, & univerſæ creaturarum naturæ hoc ipſa ſui exigunt ſpecie, ut inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur, & in pulchritudine cæli & terræ quædam ſunt paginæ ad omnium oculos ſemper patentes, & amorem ſuum nunquam tacentes: quarum proteſtatio doctrinam imitatur magiſtrorum & eloquia Scripturarum*.

S. Leo Serm. 11. de Quadrageſima, c. 6. *Qui aliquam*, inquit, *das portionem ſubſtantiæ ſuæ, intelligat ſe miniſtrum eſſe miſericordiæ divinæ, qui partem pauperis in manu poſuit largientis*. Et Ser. 5. de Collectis c. 1. *Terrenæ & corporeæ facultates ex ipſius largitate proveniunt, ut merito rationem eorum quæſiturus ſit, quæ non magis poſſidenda tradidit, quam diſpenſanda commiſit*. Epiſtola ad Demetriadem, c. 5. *Qui poſſeſſionibus ſuis non aliter, quam rebus pauperum, præſunt: ut Eccleſiaſticæ militiæ ſub quadam procuratione famulentur, elaborantes ſinguli pro ſuarum virium portione, ut ad victum atque veſtitum familiæ Dei neceſſaria conferantur*, &c.

V. Epiſtola ad Demetr. c. 10. *Hinc evacuatio baptiſmi parvulorum, qui ſola adoptione donari, nullo tamen reatu dicerentur abſolvi*. Lib. 2. de Vocatione Gentium, c. 24. *Nec impie a quodam de parvulorum baptiſmo dictum fuiſſet: Habet gratia quod adoptet, non habet unda quod diluat*. Hanc hominis Pelagiani ſententiam deſcripſit autor librorum ſex Hypognoſticon, lib. 5. capit. 8. ex ſcriptis Pelagiani quem confutat. Hunc Julianum eſſe, illum vero Sixtum Papam III. conjicit Johannes Garnerius: quæ conjectura, ſi vera eſſet, juvaret ſententiam noſtram: cum enim Sixto adhæſerit Leo noſter, ab eo accipere potuit Pelagiana ſcripta, quæ forſan Sixto, cum Cœleſtio favebat, familiaria fuerant.

Diſſert. vi. ad Marium Mercatorem cap. 6.

Epiſtolæ c. 5. *Ad vitam æternam per anguſta & ardua eunti*, &c. Reſpicit procul dubio autor ad verſum 14. capitis 7. Evangelii ſecundum Matthæum, quem ita ſemper refert S. Leo: *Anguſta & ardua via eſt, quæ ducit ad vitam*. Exempla vide in Diſſertatione 2. pag. 200.

S. Leo Serm. 8. de Jejunio decimi menſis, c. 1. *Ut anima*... in aula mentis *poſſit divinæ vacare ſapientiæ*. Epiſt. ad Demetriad. cap. 22. *Ipſa ergo*, inquit, aulam tuæ mentis *ingredere & in ſecretario puriſſimæ conſcientiæ tuæ*, &c.

S. Leo Ser. 1. de Jejun. 10. menſis, c. 1. *Deus dat unde ipſi quod operatur operemur, accendens ſcilicet mentium noſtrarum lucernas, & igne nos ſuæ caritatis inflammans*. Epiſt. ad Demetriad. c. 14. *De vero lumine tenebroſæ jam & deficientes lucernæ lumen accipiunt .... Superno igne accenſus animus non tepeſcat .... unde cœpit inflammari, inde poſcat igniri*. Hanc ultimam vocem in Diſſert. 2. Leoni familiarem obſervavimus, pag. 201.

Epiſt. cap. 24. *Sine dubio inde habetur virtutum omnium* portio, *unde habebitur* plenitudo. S. Leo Serm. 2. de Paſſione, cap. 2. *Ut quod veſtri generis impia perdidit portio, aſſequatur hoc fidelis gentium plenitudo*. Serm. 15. c. 4. *Qui primus hominum reſurrexit, ejus plenitudinis eſt portio, quam præceſſit*.

Epiſt. c. 17. *Dignum quippe eſt ut imago Dei Deo ſplendeat, & inde pulchra, inde ſit comta, dicens:* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: *alioquin adultera eſt & a divino aliena conjugio, ſi alterius cujuſquam decorem in ſpeculo ſui cordis oſtentat*. Lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 8. *Quærat Dominus imaginem ſuam, & omnium, quæ in eam inciderunt, ſordium concretione deterſa ſpeculum humani cordis enubilet*. Serm. 95. de gradibus beatitud. cap. 7. *In creatura creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat*. Serm. 5. de Quadrag. cap. 3. *Solicitiore cura cordis noſtri ſpecula tergamus .... Nitor enim mentium ad imaginem Dei conditarum non ita a fumo totius vanitatis alienus eſt, ut nulla poſſit ſorde fuſcari*. Ser. 1. de Jejun. 10. menſis, c. 1. *Inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet autoris; & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat*. Ser. 4. de Nativit. c. 2. *Ut homo ad imaginem & ſimilitudinem autoris ſui vivens, formam Dei bonitatis atque juſtitiæ in ſplendore imitationis tanquam in ſpeculi nitore ſervaret*.

Epiſtolæ cap. 7. *Gratia Dei tota repellitur, niſi tota ſuſcipitur ... Extra gratiam efficitur, qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur .... Plene & veraciter confitenda eſt gratia Dei, de cujus hoc primum munere eſt, ut auxilium ipſius ſentiatur*. Capitulo 10. de gratia & lib. arb. *Ad confitendam gratiam Dei ejus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt*.

Epiſtolæ cap. 8. *Nulla eſt gravior, quam ſuperborum ruina; maxime cum ipſa elatio in Dei tendat injuriam*. S. Leo epiſtola 80. ad Anatolium: *In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio*. Creberrimus eſt iſte loquendi modus apud S. Leonem.

Epiſtolæ c. 10. *Ut omnium hominum generalem ruinam meritorum privilegio ſublevarent*. S. Leo Serm. 7. de Epiphania, cap. 4. *Deus cauſſam noſtram nimis malam humilitatis privilegio bonam fecit*.

Epiſtolæ c. 18. *Ab omni contaminatione mens libera eſt, quæ ſive in ſe, ſive in proximo nihil diligit, niſi quod ex Deo eſſe novit. Nam amare aliquid, quod non ex opere & Spiritu Dei ſit, non eſt caſta dilectio*. Lib. 1. de Vocat. Gent. c. 6. *Bene ſe amant, qui in ſe opera Dei amant. Nam & Deus hoc amat in nobis, quod ipſe fecit; & hoc odit quod ipſe non fecit. Si ergo opus Dei amamus in nobis, bonam voluntatem recte amamus, quæ utique, ſi opus Dei non eſſet, amanda non eſſet*.

Frequens ea verborum conſtructio & congeries, figurarumque uſus, quæ in Diſſert. 2. obſervavimus Leoni familiaria eſſe. Epiſtolæ c. 6. *De omni genere hominum, de omni gradu officiorum, de omni menſura operum, de omni qualitate virtutum, fiat*

totius

totius ædificationis inſeparabilis connexio & indifferens pulchritudo, nec deſit ſoliditati, quod non defuerit portioni. Præter conſtructionem verborum, vix etiam ullum eſt, quod Leonis non ſit proprium familiare: Cap. 10. *Cum . . . captivus libertas, perditis ſalus, mortuis vita reparatur. Cum . . . ad novitatem redit vetuſtas, & ad innocentiam regeneratur impietas*. Cap. 4. *Fiant Filii Dei de paupertate divites, de pauciatia fortes, de humilitate ſublimes* ſexcenta his ſimilia reperies in aliis S. Leonis opuſculis. Vide Diſſertationem 3. pag. 215.

VI. Vocum earumdem uſus.

4. Jam vero ſi minutatim velimus expendere ſtyli affinitatem, vocabulaque utrique magis familiaria, eadem prorſus hæc eſſe facile deprehendemus, eandemque dictionis totius ſtructuram. His enim ferme frequentius utuntur vocibus, aut ſi non frequenter aliquibus, ſaltem citra uſum communem uſurpant. Tales ſunt ſequentes: Voluntaria devotio. Gratiæ largitas. Incitare. Igniri. Diſcipulus veritatis. Prophetica, Evangelica, & Apoſtolica doctrina. Redire, tranſire transferri in innocentiam & novitatem proteſtari. Indicere. Murmura querelarum. Incunctanter. Inſpicere, inſpector. Sublimitas. Tranſcendere. Accreſcere, famulari, famulatus. Inſinuare, inſinuatio. Moderamen. Incommutabilis voluntas. Tepeſcere. Deſides & tepidi. Evacuare. Inſania, novi dogmatis. Dogmatis portio. Vipereus. Formam præferre. Cooperatores gratiæ. Impendere. Diſpendium. Provehere, provectio. Exordium ſumere. Conſenſio pro conſenſu. Menſura donorum gratiæ. Impar. Tumere, intumeſcere. Elatio. Præſumere, forma. Univerſitas pro omnes. Recidere. Fragilitas. Divini operis & muneris eſſe. Soliditas. Sacratus, ſacratiſſimus. Confœderari. Religioſus. Oneroſus. Obſcurum pro obſcuritate. Erudire, eruditio. Diſcretus, diſcretio. Portio, plenitudini & ſoliditati oppoſita. Sacramentum Paſſionis & Reſurrectionis. Urere, uri invidia. Virus invidiæ. Commenta. Paginæ Evangelicæ veteris & novi Teſtamenti. Deceptiones. Laquei. Dextri, ſiniſtri. Communio naturæ, &c. Scienter. Materia. Germen, ſemen, ager cordis. Conſortium. Plantationibus ſuis Deus incrementa præbet. Variare, varietas. Indeſinenter. Tentationis ſtimulus. Periculum mutabilitatis. Mutabilitatis incertum. Corde concipere. Cultura. Tenebroſæ mentes. Inclinare. Occiduus. Refutare pro rejicere, &c. Magiſtri pro SS. Patribus, & doctoribus Eccleſiæ. Conſtitutio Salvatoris, &c.

5. Conjectationes ſuperiores hic altera firmamus. Quod ſtyli hujus epiſtolæ nitor ac venuſtas, non eſt hominis Africani, ſed ipſis potius latinæ linguæ incunabulis enutriti. Et certe ſi Africanus fuiſſet, non ignoraſſet Demetriadem ex S. Auguſtini maxime cohortationibus ſervandæ virginitatis conſilium concepiſſe; nec ſcripſiſſet tale ipſum *propoſitum ſine humanis cohortationibus elegiſſe*, cum ex ipſius Auguſtini Epiſt. 143. ad Julianam Demetriadis matrem diſcamus, per ejus miniſterium caſtitatis propoſitum amplexatam eſſe piam hanc virginem. *Per miniſterium*, inquit, *noſtrum cum accepiſſetis verbum auditus Dei, ſicut dicit Apoſtolus, accepiſtis non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei. Cujus miniſterii noſtri, adjuvante gratia & miſericordia ſalvatoris, in domo veſtra tantus fructus exortus eſt, ut humanis nuptiis jam paratis ſancta Demetrias ſpiritalem ſponſi illius præferret amplexum, cui ſpecioſa præ filiis hominum, &c.* Hominem vero Italum, longe ab Africa poſitum & nunc temporis forte adhuc adoleſcentem, qualis erat S. Leo, non mirum eſt hanc compertam non habuiſſe circumſtantiam. Quid quod hujus epiſtolæ autor ſatis ſe Romanæ Eccleſiæ alumnum prodit, dum ejus gloriam ubique æmulatus Apoſtolicam Sedem omnibus tum Sacerdotibus tum plebibus exemplo fuiſſe aſſerit, ut Pelagiani dogmatis inſaniam abhorrerent: cum hæc palma Epiſcopis Africanis debeatur, qui omnium primi ſignum adverſus Pelagium levaverunt, ſic canente Proſpero:

Tu cauſſam fidei flagrantius, Africa, noſtræ
Exequeris: tecumque ſuum jungente vigorem
Juris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
Conficis, & lato proſternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu
Decernis quod Roma probet, quod regna ſequantur.

VII. Leonis & Demetriadis neceſſitudo.

6. Juvat porro non modicum aſſertionem noſtram ſingularis, quæ Demetriadi virgini cum S. Leone interceſſit, neceſſitudo, ſanctaque familiaritas, ex qua etiam hanc fiduciam ſumſit, ut ipſam impelleret ad conſtruendam Baſilicam ſub S. Stephani invocatione conſecrandam, ut fidem faciunt varii ſcriptores. Platina: *Leo*, inquit, *ad reparandam Urbem & Templa converſus Demetriam Ancillam Dei impulit ut Baſilicam beato Stephano via latina tertio ab Urbe milliario in fundo ſuo conderet*: quod & refertur in Breviario Romano. Cur de alia Demetriade itidem virgine hæc intelligi debeant aut poſſint non video; cum aliam huic cognominem & aliquatenus illuſtrem, nec illius ævi ſcriptores commemorent, nec eam, de qua loquimur, aliqua nota diſtinguant, cum de ea mentionem faciunt. Unicum eſt, quod quempiam poſſit movere, videlicet Demetriadem jam ab anno 410. Barbarorum ſævitiam, qui Romam ceperant, fugientem in Africam tranſmeaſſe, una cum Juliana matre ſua & avia Proba, ibique ſedem apud Carthaginem fixiſſe. Verum ſi ſemel redierit in memoriam, Vvandalos irrupiſſe in Africam anno Domini 427. cum innumerabili prope exercitu, qui regionem illam immaniter vaſtavit; poſt expugnatam vero anno 431. Hipponem omnes illius tractus provincias Barbarorum armis ſubjectas eſſe, exceptis ſolum duabus civitatibus, Cyrta & Carthagine, hancque ultimam tandem in illorum manus deveniſſe anno 439. nemini puto perſuadendum Demetriadem in illa provincia remanſiſſe, experturam nimirum, niſi fuga ſibi conſuluiſſet, hæreticorum barbarorumque furorem, apud quos fides catholica caſtitaſque virginalis, quibus clarebat Demetrias, ſummo æque crimini vertebantur. Imo vero nemo eſt qui non credat piam virginem, ſicut expugnata a Gothis Roma, aufugit Carthaginem tutiſſimum tunc a barbaris aſylum, ita invadentibus Africam Vvandalis, longe potiori ratione reliquiſſe Carthaginem, Romamque remeaſſe, in qua patriam, cognatos, amicos, & quod non ſemel indicatur in hac ipſa epiſtola, ampliſſimas poſſeſſiones a parentibus ſuis relictas habebat. Quamquam & uſque ad incurſionem Vvandalorum in Africa non remanſiſſe, vero ſimillimum eſt, vel Julianam adhuc ſuperſtitem poſt Gothorum ex Italia diſceſſum cariſſimum pignus in urbem

Digitized by Google

ſecum reduxiſſe, vel Demetriadem, mortua Juliana, ultro repetiiſſe patriam, ut quæ apud Carthaginem ſine cognatorum Gentiliumque ſuorum ope ac ſolatio vix potuiſſet reſidere.

Urbem igitur reverſa Leonem invenit primatum ſeu doctrinæ ſeu pietatis inter omnes, qui tunc in urbe florebant, facile tenentem; cumque Archidiaconum Eccleſiæ ſpectaret potior virginum Dei dicatarum cura, Demetriadem Sanctus Leo ex officii ſui debito ad ſanctioris, quam profeſſa fuerat, vitæ perfectionem dirigendam ſuſcepit, ſanctumque Leonem viciſſim ſacra virgo, ut ad ſublimis propoſiti obſervantiam magis magiſque accenderetur, pro jure ſuo precata eſt. Nec renuit S. Leo onus impoſitum, ſed hanc ad eam ſcripſit eximiam epiſtolam, cujus materiem eſſe debere cenſuit Chriſtianam humilitatem, quam in ſacra virgine natalium ſplendore, immenſis opibus largiter in pauperes effuſis, ac ſingulari pietate, commendata periclitari merito timuit: ne partas tot laboribus, operumque bonorum aſſiduitate palmas una eriperet elatio: in cujus virtutis laudes quam propenſus aliunde eſſet, cetera ejus ſcripta pluribus locis atteſtantur.

VIII.
Nihil titulus Proſperum præ ſe ferens nocet,

Sit igitur S. Leonis tam inſignis epiſtola, non vero Proſperi, cujus nomen præ ſe tulit, ex quo inter ejus opera excuſa eſt ſub hoc titulo: *Proſper Epiſcopus ſacræ virgini Demetriadi*. Qui titulus additiтius eſſe tum inde convincitur, quod ante centum ferme annos, quo tempore S. Ambroſii operibus accenſebatur hoc opuſculum, ſine hoc titulo ſemper prodierit: tum quod certum ſit apud eruditos Proſperum Auguſtini diſcipulum ac vindicem nunquam Sacerdotali dignitate, ſed nec ullo forte Eccleſiaſtico miniſterio inſignitum fuiſſe, cum a Gennadio & ipſo Gallo, Gallorumque ſcriptorum diligentiſſimo Encomiaſte, dictus ſit tantum, *Homo Aquitanicæ regionis*. Gelaſius quoque recenſens in Concilio Romano ſcripta orthodoxorum Patrum, quos exactiſſima ſecundum cujuſque gradum appellatione diſcrevit, enumeratis eorum ſcriptis, qui Pontificali dignitate præfulſerant, addito ad ſingulos Epiſcopi nomine, ſubjungit de ſancto Hieronymo in hunc modum: *Item opuſcula beati Hieronymi Presbyteri*: ac demum ita in Proſpero definit: *Item opuſcula Proſperi viri Religioſiſſimi*; ſatis innuens ipſum Epiſcopali infula etſi digniſſimum, nunquam tamen decoratum fuiſſe. Idem probatum habetur ex cyclo Victorii ad Hilarium P. R. ex Marcellino comite in Chronico, Bedæ Martyrolog. VII. Kalend. Julii, &c. de quo vide plura apud Sirmondum in notis ad Apoll. Sidonii, lib. VIII. Epiſt. XV. Sed miſſa illa pſeudepigraphe, non eſſe Proſperi hanc epiſtolam arguit ſtyli diſparitas, & ejuſdem affinitas cum ſtylo autoris librorum de Vocatione Gentium. Etſi enim Proſperi ſermo nonnullis interdum rythmis, ut ajunt, ubique ſonat, quod omnibus illius ævi ſcriptoribus non inſolens eſt, minus tamen frequentes ſunt apud Proſperum, qui etiam iis perſæpe vitandis ſtuduiſſe videtur, ut legenti planum erit. Non ita quoque de ordinando & adamuſſim conſtruendi ſermone, aut ſecandis periodorum membris ſolicitus eſt ac autor gemini de vocatione gentium opuſculi; ſed ut ratiocinii pondere atque arte præſtat alteri, aſſertionibuſque, ut de ipſo Gennadius, magis nervoſus eſt, ita dictionis puritate, ſermonis nitore, compoſitioniſque elegantia longe inferior eſt. Probatur præterea ex diſcrimine, quod inter utrumque ſupra annotavimus, cum unus Eccleſiam Romanam in profligenda hæreſi Pelagiana omnibus epiſcopis præiviſſe ait; alter ab Africana Eccleſia in hac pugna præventam eſſe etiam ſedem Apoſtolicam aſſerit: quod diverſum autorem fuiſſe demonſtrat. Denique altum de ſancto Auguſtino ſilentium, cujus cum laude nominandi nullam Proſper ſibi eripi ſinit occaſionem, eidem hoc opuſculum abjudicat. Quam enim opportunam magis, ac magis obviam habere poterat occaſionem celebrandi invicti illius gratiæ Doctoris, quam in ea epiſtola, quæ & de gratia Chriſti, & de humilitate gratiæ cuſtode tota eſt, in qua Pelagianum dogma, Pelagiique ad Demetriadem epiſtolam exagitat; quæ Epiſcopos iſtius hæreſiarchæ adverſarios commemorat, quorum pars magna erat Auguſtinus, *præcipua portio*, ut loquitur ipſe Proſper, *Domini Sacerdotum*; in qua alloquitur virginem, quam miniſterio verbi Chriſto pepererat, aut potius quam æmulans Dei æmulatione deſponderat uni vero virginem caſtam exhibere Chriſto. Proſpero enim omnium, quæ Auguſtini erant, curioſiſſimo indagatori hoc ignorare non licuit, nec tacere, cum id ſacræ virgini gratiſſimum eſſe futurum non dubitaret. Denique cum de propoſito caſtitatis a Demetriade concepto *inter ipſa principia multos, qui tunc in Eccleſia præeminebant, merito non ſiluiſſe* aſſerat, atque illa *rationabiliter doctiſſimos viros ſuis adhortationibus incitaſſe*, Nemo eſt qui credat hanc ſibi ipſi vim facere potuiſſe Proſperum, ut orationem in Auguſtini nomen ac elogium ſponte currentem, compeſceret reprimeretque.

S. Proſper Ep. ad Aug.

Hæc omnia ſi mente ab omni præjudicio libera lector attenderit, non dubito quin conjecturis noſtris ultro ſubſcribat, hocque opuſculum ſancto Leoni, ut genuino parenti, reſtituendum judicet.

IX.
Demetrias immerito accuſata.

Nihil agam ab inſtituto meo alienum, ſi ad incudem hic revocavero, quæ autor nuperus refert de pia Virgine, melius dixerim adverſus piam Virginem, cujus memoriam in Eccleſiaſtica hiſtoria honorabilem immeritis notis dedecorat. Tribus enim quatuorve criminibus Demetriadem arceſſit. Primum quod humanæ gloriæ avida, quicquid boni ageret labe iſta inficeretur. 2. Quod Pelagianum venenum a Juliano gentili ſuo propinatum ultro exceperit. 3. Quod hujus farinæ homines libenter foverit. 4. Denique quod admiratrix ingeniorum (novum crimen,) ambitioſis ſuperbiſque hominibus ac pietatem mentientibus impenſius faverit. Reddo autori verba ſua: *Julianus*, inquit, *affini familiæ venenum ſuum afflaverat, illudque Demetrias, ut erat glorioſæ amantior, facilius excepit, fovitque contemtrix opum ac mundi, ſed admiratrix ingeniorum, hominibus, qui ſeverioris diſciplinæ ita præferrent ſpeciem, ut tamen amarent videri dicendi ſimul & Evangelicæ perfectionis principatum tenere*.

Joban. Garnerius Diſſert. 6. ad Marium Mercatorum.

Non hauſtum a Demetriade Pelagii venenum.

Sed unde habes, vir erudite, hauſtum a pia virgine Pelagii toxicum? Quod ſi aſſertionis teſtem nullum habes idoneum, non vereris de infamata puellæ Deo ſacræ memoria reum coram Deo poſtulari? Si magnum porro admiſſæ hæreſeos argumentum putas, quod ſacra puella ex Aniciana ſtirpe nata eſt, Anicianæ autem familiæ junctam eſſe Æmiliam, ex Æmilia jam oriundam fuiſſe, hanc demum nupſiſſe Juliano: jam non ſola Demetrias, ſed & quotquot utramque hanc familiam ſanguine vel affinitate attigerunt, Pelagiana dicendi ſunt labe infecti: atque adeo vix

ab

Digitized by Google

ab iſta peſte, ut ita dicam, originali quiſquam nobilium Romanorum immunis erit.

S. Aug. ep. 188. al. 143 ad Julian.
S. Hieron. Ep. ad Demetriadem.
S. Leon. Ep. ad Demetr. cap. 1.

Imo vero, inquit, non in omnes Juliani aſfines tranſmiſſum iſtud venenum, ſed hoc *Demetrias, ut erat gloriolæ amantior, facilius excepit*. Et hoc unde? Unde, inquam, habes Demetriadem gloriolæ amantiorem fuiſſe? An inde, quod *in diſciplina & humilitate Chriſtiana nutrita & educata eſt*, teſte Auguſtino; an quod, *cum & nobilitate & divitiis prima eſſet in Orbe Romano, hæc universa contemſerit; quod ſe non nobilem, non divitiis præpollentem, ſed hominem cogitarit?* An quod *puellares annos fidei ardore ſuperavit, & inde cœperit, ubi alii deſiiſſe, perfectæ conſummatæque virtutis eſt?* Forſan *gloriolæ amantior* ideo dicitur, quia tam *ſublime propoſitum ſuper humilitatis fundamenta conſiſtere pie & ſapienter intellexit*. Quia *Virgo Anicia ſuper omne faſtigium Trabeatæ nobilitatis evecta, converſo repente animo, deſiderio cæleſtium nuptiarum declinavit mortale conjugium . . . & ſtudiis ſuis ad ſublimiores gradus virtutum profecit*. Hæc ſi elatioris animi & gloriæ avidi indicia ſunt, nemo Demetriade, fateor, gloriolæ amantior fuit: ſed ſi contra dejectiſſimæ humilitatis argumentum ac meritum, vel potius, ut cum S. Hieronymo loquar, *miraculum* iſtud fuit, fatebitur vel ipſe Garnerius humanæ gloriolæ cupiditatem perinique affingi piiſſimæ virgini.

x. Admonitio ream non fecit Demetriadem.

Sed ſæpius *monita eſt Demetrias de vitandis Pelagii reliquiis & ſuperbia fugienda*. Verum id quidem; ſed ſi de vitanda culpa vel errore fugiendo eſſe admonitum, admiſiſſe eſt, nec poſſit quiſquam agere monitorem, qui ſimul criminatorem non agat, neſcio quis a quovis crimine abſolutum ſe confidere audeat. Rei fuerunt Romani omnes omnis Manichaicæ impietatis, omniumque Arii, Neſtorii, & Eutycheris hæreſeon, quandoquidem toties de his fugiendis a Leone ſunt admoniti. Omnes Apoſtoli, imo Chriſtiani omnes fermento ſunt infecti Phariſæorum, quod eſt hypocriſis, quos toties hortatus eſt Dominus Jeſus, ut ab eo ſibi caverent. Impudicus dicendus erit Timotheus & prophanis vocum novitatibus addictus, ad quem ſcribit Apoſtolus ut ſeipſum caſtum cuſtodiat, & devitet prophanas vocum novitates. Enimvero quis miretur de humilitate potius quam de aliis virtutibus ſermonem a Leone eſſe inſtitutum, cum Demetriadem alloqueretur, quæ ad eum virtutum apicem evecta erat, cui maxime timendum *ſuperbiæ malum omnibus virtutibus vicinum*, ut ſcribit S. Leo, *quodque videtur iis, quas perditos cupit, amicum eſſe virtutibus*. Unde *nihil magis*, inquit, *fugiendum eſt quam appetitus hujus concupiſcentiæ, quæ virtutem negat divini operis amore propriæ dignitatis*. Hunc amorem totis eloquentiæ viribus piæ virgini inſufflarat Pelagius in ſua epiſtola; contra hunc tota qua pollet facundia Leo noſter dimicat.

1. Timot. 5. 25. & 6. 20.
Ad Demetr. cap. 16.

Litteræ Pelagii ad Demetr. non nocent.

Quod ſi propterea Pelagianum dogma admiſiſſe credenda eſt Demetrias, quod a Pelagio epiſtolam acceperat; credatur potius catholicam ſuſcepiſſe ſervaſſeque doctrinam: quia a ſanctis Hieronymo Presbytero, Auguſtino Epiſcopo, Innocentio Pontifice Romano, Leone Archidiacono, poſtea etiam Antiſtite, aliiſque *excellentiſſimis*, ut hic loquitur, *Magiſtris, qui tunc in Eccleſia præeminebant*, litteræ datæ ſunt vel ad Demetriadem ipſam, vel ad ejus matrem Julianam, quibus non minus ad doctrinæ Catholicæ, quam ad virginitatis amorem accendebatur. Et certe multo magis caritati Chriſtianæ convenit hanc de Virgine tantis munita præſidiis opinionem concipere, quam capite ipſe Auguſtinus, etſi de illis nihil cogitans: *Et nos quidem*, inquit, *de ſanctæ Virginis diſciplina & humilitate Chriſtiana, in qua nutrita & educata eſt, hoc exiſtimamus, quod illa verba cum legeret, ſi tamen legit, ingemuit, & pectus humiliter tutudit, ac fortaſſe & flevit, Dominumque, cui dicata & a quo ſanctificata eſt, fidenter oravit: ut quomodo illa non ſunt verba ipſius, ſed alterius; ita non ſit talis & fides ejus, qua ſe aliquid habere credat, de quo in ſe non in Domino glorietur*. Et infra: *Abſit omnino, ut tale aliquid, quod in animo non dicimus tuo, vel ſacræ Virginis filiæ tuæ, ſed in cujuſque extremi meriti famuli vel famulæ veſtræ, liber iſte fecerit*.

S. Auguſt. Ep. 143.

xi. Cur ſanctus Aug. ad Julianam potius quam ad Demetriad. ſcripſit.

Jam quod ſanctus Auguſtinus non ad Demetriadem, ſed ad matrem ejus Julianam ſcripſerit, neſcio an inde magnum ſententiæ ſuæ patrocinium ſcriptor laudatus accerſat. Sacra puella Demetrias conſecrationis ſuæ præſertim primordia in ſilentio egit, nec litteris ullis aliorum ad ſe litteras allexit; quod nec virginitatis nec humilitatis pudori congruebat. Juliana porro de filiæ ſuæ profectibus ſolicita, Sanctorum opem adhortationeſque enixe poſtulavit, ut ad ſancti propoſiti obſervantiam perſeverantiamque ardentior efficeretur. Sic ad Innocentium, ad Hieronymum, ad Pelagium adhuc pietatis & doctrinæ nomine conſpicuum ſcripſiſſe teſtantur reſcriptæ litteræ. De ſancto Auguſtino par ratio: eum enim a Juliana litteras accepiſſet, non a Demetriade, non ad hanc ſed ad illam reſcripſit, certus nihil accepturam matrem, quod cum filia ſua commune non faceret. Audiamus Auguſtinum: *Neſciremus*, inquit, *quemadmodum noſtra illa tunc exhortatio a fideli & nobili virgine fuiſſet accepta, niſi nobis profectis, cum poſt paululum profeſſa fuiſſet ſanctimoniam virginalem, hoc ingens Dei donum, veſtrarum litterarum lætiſſimo nuntio & veraci teſtimonium diſceremus*. Quod porro reſcribens Auguſtinus ad Julianam, hanc a cavendis Pelagii inſidiis moneat, ratio eſt obvia. Nimirum hoc omnibus Eccleſiæ Doctoribus commune eſt, ut quo tempore contra recenter natum in Eccleſia errorem dimicandi provinciam acceperunt, tunc nullam occaſionem prætermittant adverſus eumdem inſurgendi, omneſque ad quos vel ſermonem habent vel litteras ſcribunt, ab hujuſmodi hæreſi ſtudioſe deterreant. Hoc ſciunt qui Auguſtini aut Leonis ſcripta vel a limine ſalutarunt. Sed in hoc negotio clarum eſt exemplum. Res erat Hieronymo maxime cum Origeniani dogmatis ſectatoribus, inde eſt quod Demetriadem alloquens, hanc ab illo dogmate ut caute ſe defendat, vehementer adhortatur. Auguſtinus cum Pelagianis manus conſerere per eadem tempora cœperat, ideo Demetriadem a Pelagiano maxime errore deterret.

S. Auguſt. Epiſt. 135.

Sed peculiarem adhuc rationem affert ipſe Auguſtinus: *Quomodo*, inquit, *a vobis, quibus tantam dilectionem debemus, admonendis ut alia caveatis, diſſimulare poſſemus, cum legiſſemus librum, quem ad ſanctam Demetriadem quiſnam ſcripſerit, vel utrum ad vos pervenerit, veſtris* po-

S. Auguſt. Epiſt. 143.

potius reſcriptis noſſe volumus? Pene igitur prævaricationis reum ſe Auguſtinus prodidiſſet, niſi contra venenum ſacræ Virgini per hæretici litteras propinatum, Catholicæ doctrinæ pharmacum adhiberet: nec aliud myſterium habent ſanctæ Doctoris litteræ. Cæterum longe a Pelagianorum errore ſemper fuiſſe Julianam cum omni ſua familia, teſtatur ipſa diſertis verbis ab Auguſtino relatis. Illam prioribus litteris de hac hæreſi vitanda monuerat, deque pia admonitione gratias uberes egerat Juliana, hæc ſubjungens: *Sed noverit Sacerdotium veſtrum longe me ac domunculam meam ab hujuſmodi perſonis eſſe diſcretam: omniſque familia noſtra adeo Catholicam ſequitur fidem, ut in nullam hæreſim aliquando deviaverit; nec unqnam lapſa ſit, non dico in eas ſectas, quæ vix expiantur, ſed nec in eas, quæ parvos habere videntur errores.* Probe intellexit Auguſtinus Pelagianam ſectam a Juliana inter eas numerari *quæ parvos videbantur habere errores*: quia nimirum cum nondum plene innotuiſſet imperitiori præſertim ſexui, quam exitioſum eſſet Pelagii Cœleſtiique venenum, eorum ſecta dogmaque tolerabiliora videbantur, ſi cum illis ſectis dogmatibuſque conferrentur, *quæ vix expiantur*. Parvum non eſſe iſtum errorem docet Julianam Auguſtinus, ut magis exoſam ei ſectam redderet, in quam nunquam ſe domumque ſuam lapſam eſſe, & a cujus aſſeclis longe ſe eſſe diſcretam clariſſime profitetur: ſed hanc ejus fidei profeſſionem vel obſcuritatis arguere, vel parum ſinceram ſuſpicari, nunquam, quod noverimus, in mentem venit Auguſtino: nec cujuſquam ingenui & Chriſtiani hominis animum debet ſiniſtra hæc ſubire ſuſpicio.

Ibidem.

XII. An obſcura remanſerit Demetrias.

Miratur denique autor *quod Demetrias tanta olim totius orbis gratulatione virginitatem profeſſa, poſtmodum latuerit in obſcuro, nec ulli penitus laudata ſit, niſi forte cuidam Proſpero.* Laudis profecto nimis avidum dixerim, qui parcius laudatam dixerit Demetriadem. Quid in virgine melius laudaveris, quam virginitatis profeſſionem? Quid in virgine *quæ & nobilitate & divitiis prima erat in orbe Romano*, quam *quod hæc univerſa contempſerit, ut ſe hoſtiam vivam, Deo placentem ac ſine ulla macula æternæ pudicitiæ conſecraret?* Hæc laudavit Hieronymus, hæc Innocentius; hæc Auguſtinus, hæc excellentiſſimi quique magiſtri, qui tunc in Eccleſia præeminebant: hæc univerſus orbis gratulatus eſt. Iſtud ſi cui parum eſſe cenſetur, neſcio quid ei ſufficiat. Sed & in obſcuro latuiſſe poſt profeſſam virginitatem, Virginis Deo ſacræ & in obſcuro faciei Dei latitantis, non eſt laus infima: cujus videlicet ardentius ſtudium totiuſque virtutis meritum hoc eſt, ut amet neſciri. Nec tamen obſcurus remanſit piæ virginis profectus, quem poſt triginta fere annos univerſæ Eccleſiæ notum fecit eximia, non Proſperi cujuſdam, ſed Leonis Magni epiſtola. Apud quem quanti meriti eſſet Demetrias, vel inde perſpicuum eſt, quod in magnum trahat humilitatis argumentum, quod *in hoc uſque*, inquit, *o ſacra Virgo Demetrias, dignationem tuæ dignitatis inclines, ut provectiones tuas etiam meo ſtylo exigas adjuvari. Quod ergo ad tenuitatem facultatis meæ reſpiciens, omnibus modis recuſarem; neque tam maturo & eruditæ animæ cohortatiunculas meas adhibere præſumerem, niſi fiduciam efficiendi id quod jubetur, a jubente conciperem, & tuis meritis & orationibus confiderem eſſe præſtandum, &c.* Demum in obſcuro non remanſit poſterioribus annis Demetrias, quæ a pluribus ſcriptoribus Eccleſiaſticis laudatur, quod in fundo ſuo via Latina Baſilicam in honorem ſancti Stephani Protomartyris, hortante Leone, extruxerit. Cujus quidem memoria tam non eſt in obſcuro, ut potius in ore & manibus verſetur omnium, quotquot quotidianum Eccleſiaſtici officii penſum perſolvunt; & quotannis in anniverſaria ſancti Leonis feſtivitate ubique Eccleſiarum recolatur: adeo ut pene in Virgine Demetriade impletum dixerim, quod de Magdalena prædixit Dominus Jeſus: *Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.*

Hieronym. Ep. 8. ad Demetriadem.

Mat. 26, 13.

F I N I S.

Digitized by Google

TRACTATUS S. LEONIS PAPÆ
ADVERSUS ERRORES EUTYCHETIS.
& aliorum hæreticorum.

AD Eccleſiæ filios inſtruendos, addendum eſt noſtri ſermonis obſequium. Non enim timemus ne ſpiritalea & eruditi nota faſtidiant ad quorum fructum pertinet alus inſinuari, quod ipſi cum magna ſui utilitate didiecerunt. Fiat ergo per corda omnium, diſpenſatio munerum divinorum, & ſermonem oris noſtri, docti indoctique non ſpernant. Adſit etiam noſtræ fidei ipſius' largitas, de cujus majeſtate loqui * tentamus: ut ad profectum totius Eccleſiæ ſuæ, & vos capaces, & nos faciat abundantes. Cum igitur ad intelligendam dignitatem Spiritus ſancti oculos mentis intendimus, nihil diverſum ab excellentia Patris & Filii cogitemus: quia in nullo ab unitate ſua diſcrepat divinæ * Trinitatis eſſentia. Sempiternum eſt Patri, coæterni ſibi Filii eſſe genitorem. Sempiternum eſt Filio, intemporaliter a Patre eſſe progenitum. Sempiternum quoque eſt Spiritui ſancto, Spititum eſſe Patris, & Filii: ut nunquam ſine Filio Pater, nunquam Filius ſine Patre, nunquam Pater & Filius ſine Spiritu ſancto fuerint. Et omnibus exiſtentiæ gradibus exclusis, nulla ibi perſona ſit anterior, nulla poſterior. Hujus enim beatæ Trinitatis * incommutabilis divinitas, una eſt in ſubſtantia, indiviſa in opere, conſors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. De qua cum Scriptura ſancta ſic loquitur, ut aut in factis, aut in verbis aliquid * deſignet, quid ſingulis videatur convenire perſonis, non perturbatur fides Catholica, ſed docetur: ut per proprietatem aut vocis, aut operis, inſinuetur nobis veritas Trinitatis, & non dividat intellectus, quod diſtinguit auditus. Ob hoc enim quædam ſive ſub Patris, ſive ſub Filii, ſive ſub Spiritus ſancti appellatione promuntur, ut confeſſio * Fidelium in Trinitate non erret. Quæ cum ſit inſeparabilis, nunquam intelligeretur Trinitas eſſe, ſi ſemper inſeparabiliter diceretur. Bene ergo ipſa difficultas loquendi cor noſtrum ad intelligentiam trahit, & per infirmitatem noſtram cœleſtis doctrina nos adjuvat: ut quia in deitate Patris & Filii & Spiritus ſancti nec ſingularitas eſt, nec diverſitas cogitanda, vera unitas & vera Trinitas poſſit quidem mente ſimul ſentiri, ſed non poſſit ſimul ore proferri. Fundata igitur, dilectiſſimi, in cordibus noſtris hac fide, qua ſalubriter credimus, quod tota ſimul Trinitas una virtus eſt, una majeſtas, una ſubſtantia, indiſcreta * operatio, inſeparabilis dilectio, indifferens poteſtas ſimul implens omnia, ſimul continens univerſa. Quod enim eſt Pater, hoc eſt & Filius, hoc eſt & Spiritus ſanctus: Et vera deitas, in nllo eſſe aut minor aut major poteſt. Quæ ſic in tribus eſt confitenda perſonis, ut & ſolitudinem non recipiat Trinitas, & unitatem ſervet æqualitas. * Nunquam enim ab omnipotentia Patris, & Filii, Spiritus ſancti eſt diſcreta majeſtas. Et quicquid in diſpoſitione omnium rerum agit divina moderatio, ex totius

al. *loqui geſtimus.*

al. *divinitatis eſſentia.*

al. *incommutabilis Deitatis una eſt ſubſtantia &c.*

al. *aſſignet, quod ſingulis videatur convenire perſonis, &c.*

al. *credentium.*

Fides S. Trinitatis. Quod opera Trinitatis ſint indiviſa.

al. *indiſcreta in opere, inſeparabilis dilectione, indifferens poteſtate, &c. in nullo, ſeſe aut minor, aut major eſt.*

venit providentia Trinitatis. Una eſt ibi benignitas miſericordiæ, una cenſura juſtitiæ: nec aliquid eſt in actione diviſum, ubi nihil eſt in voluntate diverſum.

Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius; illuminat Spiritus ſanctus. Cumque alia ſit perſona miſſi, alia mittentis, alia promittentis, ſimul nobis & unitas manifeſtatur & Trinitas: ut eſſentia habens æqualitatem, & non recipiens ſolitudinem, & ejuſdem ſubſtantiæ, & non ejuſdem intelligatur eſſe perſonæ. Quod ergo ſalva cooperatione inſeparabilis deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam proprie Spiritus ſanctus exequitur, noſtræ redemptionis diſpoſitio, noſtræ ſalutis eſt ratio. Si enim homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, in ſuæ naturæ honore manſiſſet, nec diabolica fraude deceptus, a lege ſibi poſita per concupiſcentiam deviaſſet, creator mundi creatura non fieret: neque aut ſempiternus temporalitatem ſubiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus, formam ſervi & ſimilitudinem carnis peccati aſſumeret. Sed quia *invidia diaboli mors intravit in orbem* * terræ & aliter ſolvi captivitas humana non potuit, niſi cauſam noſtram ille ſuſciperet * ſine majeſtatis ſuæ damno & verus homo fieret, & ſolus peccati contagium non haberet: diviſit ſibi opus noſtræ reparationis miſericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus ſanctus igniret. Si, igitur duce gratia, dilectiſſimi, fideliter ſapienterque noſcamus, quid Patri, quid Filio, quid Spiritui ſancto, in reparatione noſtra proprium, quidve commune ſit, ea quæ pro nobis humiliter & corporaliter geſta ſunt, ita proculdubio ſuſcipiemus, ut nihil indignum de una atque eadem Trinitatis gloria ſentiamus. Quamvis enim nulla mens ad cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua ſufficiat, tamen quantumcumque illud eſt, quod humano intellectu de eſſentia paternæ deitatis attingitur, niſi unum atque idem eſt, cum * id de Unigenito hujus, & de Spiritu ſancto cogitatur, non pie ſapitur, ſed nimis carnaliter caligatur, & ipſum quod de Patre congruenter ſentiri videbatur, amittitur, quia de tota Trinitate receditur, ſi in ea unitas non tenetur. Nulla autem ratione vere eſt unum, quod aliqua eſt inæqualitate diverſum. Cum ergo ad confitendum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum aciem mentis intendimus, procul ab animo formas viſibilium rerum, & ætates temporalium naturarum, procul corpora locorum & loca corporum repellamus. Diſcedat a corde, quod ſpatio extenditur, quod fine concluditur, quicquid nec ſemper ubique, nec totum eſt. Cogitatio de deitate Trinitatis concepta, nihil per diſtantiam intelligat, nihil per gradus quærat, aut * ſi quid dignum Deo ſenſerit, nulli hoc ibi audeat negare perſonæ. * Hanc autem fidem non terrena ſapientia reperit, nec opinio humana perſuaſit: ſed ipſe Unigenitus Filius docuit, ipſe Spiritus ſanctus inſtituit: de quo nihil

Geneſ 1.

Sapient. 2.

al. *terrarum*

al. *qui ſine &c.*

al. *cum vel de unigenito ejus, vel de Spiritu ſancto, &c.*

De S. Trinitate, ut ſit cogitandum.

al. *etſi quid de Deo dignum ſenſerit, &c.*

Iſta ſub finem ſer-

eſt

eſt aliter, quam de Patre & de Filio ſentiendum: quia licet niſi ſit Pater non ſit Filius, non tamen eſt a Patre Filioque diviſus. Et ſicut propriam habet in Trinitate perſonam, ita unam habet in Patris & Filii deitate ſubſtantiam omnia implentem, omnia continentem, & cum Patre & Filio univerſa moderantem in ſæcula. * Quid enim tam adverſatur Prophetis, tam repugnat Evangeliis, tam denique eſt Apoſtolicis rebelle doctrinis, quam in Domino Jeſu Chriſto ex Maria Virgine genito, & ſempiterno Patri intemporaliter coæterno, unam ac ſingularem prædicare naturam? quia ſi hominis intelligenda eſt, ubi eſt quæ ſalvat deitas? ſi tantummodo Dei, ubi eſt quæ ſalvatur humanitas? Fides autem Catholica, quæ omnibus reſiſtit erroribus, etiam iſtas ſimul impietates refutat, damnans Neſtorium divina ab homine dividentem, deteſtans Eutychetem, in divinis humana vacuantem: quoniam veri Dei Filius, Deus verus, unitatem & æqualitatem habens cum Patre, & cum ſpiritu ſancto; idem verus homo eſſe dignatus, nec conceptu Virginia matris ſejunctus a carne, nec partu; ſic humanitatem ſibi uniens, ut Deus incommutabiliter permaneret; ſic deitatem homini impertiens, ut eum glorificatione non conſumeret, ſed augeret. Qui enim factus eſt in forma ſervi, in forma Dei eſſe non deſtitit; nec alter in altero, ſed unus in utroque eſt. Nullis diſpenſationum varietatibus fides noſtra turbetur, ſed ſive in miraculis virtutum, ſive in contumeliis paſſionum, & Deum qui homo eſt, & hominem credamus eſſe, qui Deus eſt. Verus itaque Deus, & verus homo unus eſt Chriſtus, dives in ſuis, pauper in noſtris, dona accipiens, & dona diffundens, particeps mortalium, & vivificatio mortuorum: ut in nomine Jeſu Chriſti omne genu flectatur.

monis terſii de Pentecoſte habentur.

Hucuſque ex ſine Sermonis terſii de Pentecoſte.

Contra Neſtorium & Eutychet.

Neſciens igitur Eutyches, quid deberet de Verbi Dei incarnatione ſentire, neque volens in ſanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam ſaltem communem confeſſionem ſollicito recepiſſet auditu, qua fidelium univerſitas profitetur, credere ſe in Deum Patrem omnipotentem: & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, * & Maria Virgine. Quibus tribus ſententiis, omnium fere hæreticorum machinæ deſtruuntur. Cum enim * Deus & omnipotens Pater creditur, ſempiternus eidem Filius demonſtratur, in nullo a Patre differens: quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus eſt coæternus: non poſterior tempore, non inferior poteſtate, non diſſimilis gloria, non diviſus eſſentia. Idem vero ſempiterni genitoris unigenitus ſempiternus, natus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine. Quæ nativitas temporalis, nativitati divinæ & ſempiternæ nihil minuit, nihil contulit: ſed totam ſe reparando homini, qui erat deceptus, impendit; & * ut mortem vinceret, & diabolum, qui habebat mortis imperium, ſua virtute deſtrueret.

Iſta ſunt in epiſtola S. Leonis ad Flavianum

al. *ex Maria Virgine.*

al. *cum enim Deus & omnipotens & æternus creditur, conſempiternus eidem Filius demonſtratur.*

al. *ut & mortem.*

In quo etiam conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis jure certatum eſt, dum omnipotens Deus cum ſæviſſimo hoſte non in ſua majeſtate, ſed in noſtra humilitate congreditur, obiciens eandem formam, eandemque naturam, mortalitatis quidem noſtræ participem, ſed peccati totius expertem. Non enim ſuperare nos poſſemus peccati & mortis auctorem, niſi naturam noſtram ille ſuſciperet, & ſuam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe eſt de Spiritu ſancto, intra uterum Virginis matris; quæ illum ita ſalva virginitate edidit, quemadmodum ſalva virginitate concepit. An forte ideo putavit hæreticus ille, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, non noſtræ eſſe naturæ, quia miſſus Angelus ad Virginem ait: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei;* ut quia conceptus Virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti? Sed non ita intelligenda eſt illa generatio ſingulariter mirabilis, & mirabiliter ſingularis, ut per novitatem creationis proprietas remota ſit generis. Fœcunditatem enim Virgini Spiritus ſanctus dedit, veritas autem corporis de corpore ſumpta eſt, & ædificante ſibi ſapientia domum, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, hoc eſt, in ea carne, quam ſumpſit ex homine, & quam Spiritus vitæ rationalis animavit. Verbum igitur Dei Deus, Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil; propter liberandum hominem ab æterna morte factus homo, ita ſe ad ſuſceptionem humilitatis noſtræ ſine diminutione majeſtatis ſuæ inclinans, ut manens quod erat, aſſumenſque quod non erat, veram ſervi formam ei formæ, in qua Deo Patri eſt æqualis, uniret, & tanto fœdere naturam utramque conſereret, ut nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Salva igitur proprietate utriuſque naturæ, & in unam coeunte perſonam, ſuſcepta eſt a majeſtate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas; & ad reſolvendum conditionis noſtræ debitum, natura inviolabilis naturæ eſt unita paſſibili, ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero. Integra * ergo perfectione veri hominis, perfectaque natura, verus natus Deus eſt, totus in ſuis, & totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Nam illa, quæ deceptor intulit, & homo deceptus * amiſit, nullum habuerunt in Salvatore veſtigium. Nec quia communionem humanarum ſubiit infirmitatum, ideo noſtrorum fuit particeps delictorum. Aſſumpſit formam ſervi ſine ſorde peccati, humana augens, divina non minuens: quia exinanitio illa, qua ſe inviſibilis viſibilem præbuit, & creator ac Dominus omnium * unus voluit eſſe mortalium, inclinatio fuit miſerationis, non defectio poteſtatis. Proinde qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma ſervi factus eſt homo. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam utraque natura. Et ſicut * forma ſervi, Dei formam non adimit: ita forma Dei, formam ſervi non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem ſua fraude deceptum, divinis caruiſſe muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis ſubiiſſe ſententiam, ſeque in malis ſuis quoddam de * prævaricatoris conſortio inveniſſe ſolatium, Deum quoque juſtitiæ exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, propriam mutaſſe ſententiam: opus fuit ſecreti diſpenſatione Concilii, ut incommutabilis Deus (cujus voluntas non poteſt ſua benignitate privari) primam erga nos pietatis ſuæ diſpenſationem ſacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis verſutia actus in culpam, contra Dei propoſitum non periret. Ingreditur ergo

Prov. 9.

Joan. 1.

Eadem ſunt in epiſtola ad Flavianum.

al. *In integra ergo veri hominis, perfectaque natura &c.*

al. *admiſit.*

ad omnium rerum.

Et ſicut formam ſervi, Dei forma non adimit: ita formam Dei, ſervi forma non minuit.

al. *prævaricationis.*

Ex eadem epiſtola ad Flavianum

al. *infirma.*

Digitized by Google

ergo hæc mundi * infima Filius Dei, de cœleſti ſede deſcendens, & a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatur. Novo ordine, quia inviſibilis in ſuis, viſibilis eſt factus in noſtris. Incomprehenſibilis, voluit comprehendi. Ante tempora manens, cœpit eſſe ex tempore. Univerſitatis Dominus ſervilem formam, obumbrata majeſtatis ſuæ immenſitate, ſuſcepit. Impaſſibilis Deus, non dedignatus eſt homo eſſe paſſibilis, & immortalis, mortis legibus ſubjacere. Nova autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiſcentiam neſcivit, carnis materiam miniſtravit.

al. *Aſſumpta eſt igitur de, &c.*

Aſſumpta eſt * de matre Domini natura, non culpa, nec in Domino Jeſu Chriſto, ex utero Virginis genito, quia nativitas eſt mirabilis, ideo noſtræ * naturæ eſt diſſimilis.

al. *noſtra eſt natura diſſimilis.*

Qui enim verus eſt Deus, idem verus eſt homo. Et nullum in hac unitate eſt mendacium, dum invicem ſunt & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miſeratione; ita homo non conſumitur dignitate: agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt; Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt; & carne exequente, quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis. Et ſicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non * recedit: ita caro naturam noſtri generis non reliquit.

al. *non receſſit.*

Unus enim idemque eſt, quod ſæpe dicendum eſt, vere Dei Filius, & vere hominis Filius. Deus, per id, quod in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Homo per id, quod Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.

Joan. 1.
In eadem epiſtola ad Flavian.

Quem utique ſicut hominem diabolica tentat aſtutia, eidem ſicut Deo angelica famulantur obſequia. Eſurire, ſitire, laſſeſcere, atque dormire, evidenter humanum eſt. Sed * quinque panibus, quinque millia hominum ſaturare; largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus hauſtus bibenti præſtat, ne ultra jam ſitiat; & ſupra dorſum maris plantis non ſubſidentibus ambulare, & elationes fluctuum increpata tempeſtate conſternere, ſine ambiguitate divinum eſt.

al. *Sed & de quinque panibus, &c.*
Joan. 6.
Joan. 4.
Matth. 14.
Luc. 8.
Matth. 11.

Sicut ergo (ut multa prætermeam) non ejuſdem naturæ eſt, flere miſerationis affectu Lazarum amicum mortuum, & eundem, remoto quatriduanæ aggere ſepulturæ, ad vocis imperium excitare redivivum, aut in * cruce pendere, & in noctem luce converſa omnia elementa tremefacere, aut clavis transfixum eſſe, & paradiſi * portam, fidei latronis aperire; ita non ejuſdem naturæ eſt, dicere: *Ego & Pater unum ſumus*, & dicere: *Pater major me eſt*.

al. *in ligno-rum.*
al. *portas.*
Joan. 10.
Joan. 14.

Quamvis enim Domino Jeſu Chriſto, Dei & hominis una perſona ſit: aliud tamen eſt, unde in utroque communis eſt contumelia: aliud, unde communis eſt gloria. De noſtro enim illi eſt minor Patre humanitas, de Patre illi eſt æqualis cum Patre divinitas. Propter hanc ergo unitatem perſonæ in utraque natura intelligendam, & Filius hominis legitur deſcendiſſe de Cœlo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine de qua eſt natus, aſſumpſerit. Et rurſus Filius Dei crucifixus dicitur ac ſepultus, cum hæc non in divinitate ipſa, qua unigenitus conſempiternus, & conſubſtantialis eſt Patri; ſed in naturæ humanæ ſit infirmitate perpeſſus. Unde unigenitum Filium Dei, crucifixum, & ſepultum, omnes etiam in Symbolo confitemur, ſecundum illud Apoſtoli dictum: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum majeſtatis crucifixiſſent*, quia Eccleſia Catholica hac fide vivit, hac proficit, ut in Domino Jeſu Chriſto, nec ſine vera divinitate humanitas, nec ſine vera humanitate credatur divinitas.

1. Cor.

Cum autem in Concilio, Eutyches profiteretur ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt adunationem vero unam naturam confiteretur; miror tam abſurdam, tamque perverſam ejus profeſſionem, nulla judicantium increpatione reprehenſam, & ſermonem nimis inſipientem nimiſque blaſphemum, ita omiſſum, quaſi nihil quod offenderet, eſſet auditum; cum tam impie duarum naturarum ante Incarnationem unigenitus Dei filius fuiſſe dicatur, quam nefarie poſtquam *Verbum caro factum eſt*, natura in eo ſingularis aſſeritur. Quod non * Eutyches ideo vel recte vel tolerabiliter æſtimet dictum, quia nulla veſtra eſt ſententia confutatum.

al. *ne Eutyches ideo.*

Tunc enim fructuoſiſſime vera fides defenditur, cum etiam a ſectatoribus ſuis opinio falſa damnatur. * Inter hæc ergo quantum Neſtorius a veritate deviavit, deitatem Verbi ab aſſumpti hominis ſubſtantia ſeparando, tantum a recto tramite etiam iſte diſceſſit, qui unigenitum Dei filium, ſic de utero beatæ Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis ſpeciem geſſerit, ſed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit.

Hucuſque ex Epiſt. ad Flavian.

De quo prodigio falſitatis, quis non videat, quæ opinionum monſtra naſcantur? Negator enim mediatoris Dei & hominum hominis Jeſu Chriſti neceſſe eſt, ut multis impietatibus impleatur: eumque aut Apollinaris ſibi vindicet, aut Valentinus uſurpet, aut Manichæus obtineat, quorum nullus in Chriſto Jeſu humanæ carnis credidit veritatem.

Apollinaris, Valentini, & Manichæi errores.

Qua utique non recepta, non ſolum quod ſecundum carnem atque animam rationalem, qui erat in forma Dei, manens idem in forma ſervi homo natus denegatur: ſed etiam, quod crucifixus eſt, & mortuus, ac ſepultus, quodque die tertia a mortuis reſurrexit, & quod ad dexteram Dei Patris ſedens, ad judicandos vivos & mortuos, in eo corpore ſit venturus, in quo eſt judicatus, abnuitur: quia hæc redemptionis noſtræ Sacramenta vacuantur, ſi Chriſtus veram veri hominis totamque naturam ſuſcepiſſe non creditur. An quia manifeſta erant ſigna divina, falſa dicentur documenta corporea? & teſtimonia utriuſque naturæ valebunt, ut creator intelligatur; non valebunt, ut creatura ſalvetur? Quod deitatis eſt, caro non minuit; quod carnis eſt, deitas non peremit. Idem enim & ſempiternus ex Patre, & temporalis ex matre; in ſua virtute inviolabilis, in noſtra infirmitate paſſibilis: in deitate Trinitatis cum Patre & cum Spiritu ſancto, unius ejuſdemque naturæ; in ſuſceptione autem hominis, non unius ſubſtantiæ ſed unius ejuſdemque perſonæ: ut idem eſſet dives in paupertate, omnipotens in abjectione, impaſſibilis in ſupplicio, immortalis in morte. Nec enim Verbum, aut in carnem, aut in animam aliqua ſua parte converſum eſt, cum ſimplex & incommutabilis natura deitatis, tota in ſua ſit ſemper eſſentia, nec damnum ſui recipiens, nec augmentum; & ſic aſſumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconveniens, aut impoſſibile videatur, ut Verbum & caro, atque anima unus Jeſus Chriſtus, & unus Dei hominiſque ſit Filius, ſi caro & anima, quæ diſſimilium naturarum ſunt, unam faciunt, etiam ſine Verbi Incarnatione perſonam: cum multo facilius ſit, ut hanc unitatem ſui atque hominis deitatis præſtet poteſtas, quam ut eam in ſubſtantiis ſuis obtineat ſolius humanitatis infirmitas? Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata eſt: ſed utrumque in uno manet, & unus in utroque eſt, non diverſitate diviſus, nec permixtione confuſus. Nec alter ex Patre, 2. Tim. 2.
alter ex matre, ſed idem aliter ex Patre ante omnes Coloſſ. 2.
prin-

principium, aliter de matre in fine ſæculorum: ut eſſet mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, in quo habitare plenitudo divinitatis corporaliter: (Philip. 2.) quia aſſumti non aſſumentis provectio eſt, quod *Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*. Nativitas enim Domini ſecundum carnem, quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia tranſcendat, ſive quod ſolus ab inviolata Virgine ſine concupiſcentia carnis eſt conceptus, & natus: ſive quod ita e viſceribus matris eſt editus, ut fœcunditas pareret, & virginitas permaneret, non alterius tamen naturæ erat ejus caro, quam noſtra, nec alio illi, quam cæteris hominibus, anima eſt inſpirata principio, quæ excelleret, non diverſitate generis, ſed ſublimitate virtutis. Nihil enim carni ſuæ habebat adverſum, nec diſcordia deſideriorum gignebat compugnantiam* (al. voluntatum.) voluptatum. Senſus corporei vigebant ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine deitatis & mentis. Nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis. Verus homo, vero unitus eſt Deo: nec ſecundum exiſtentem prius animam deductus eſt e cœlo, nec ſecundum carnem creatus ex nihilo, eandem gerens in Verbi deitate perſonam, & tenens communem nobiſcum corpore, animaque naturam. Non enim eſſet Dei hominumque mediator, niſi idem Deus, idemque homo in utraque & unus eſſet & verus. Deinde non Deum tantum dicimus Chriſtum, ſicut hæretici Manichæi, nec hominem tantum ſicut hæretici Photiniani: nec ita hominem, ut aliquid ei deſit, quod ad humanam certum eſt pertinere naturam, ſive animam, ſive mentem rationabilem, ſive carnem, quæ non de fœmina ſumpta ſit, ſed facta de Verbo in carnem converſo, atque mutato: quæ tria falſa, & vana Apollinariſtarum hæreticorum tres* (al. tres partes varie protulerunt.) varias protulerunt partes. Nec dicimus, quod beata Virgo Maria hominem ſine deitate conceperit, qui creatus a Spiritu Sancto, poſtea ſit ſuſceptus a Verbo, quod Neſtorium prædicantem merito juſteque damnavimus: ſed dicimus Chriſtum Dei Filium, Deum verum natum de Deo Patre, ſine ullo initio temporis, eundemque hominem verum natum de matre homine, certa plenitudine temporis, nec ejus humanitatem, qua major eſt Pater, minuere aliquid ei * naturæ qua æqualis eſt Patri. (al. minor eſt Patre. al. ejus natura.) Hoc autem utrumque unus eſt Chriſtus, qui veriſſime dixit, & ſecundum Deum: *Ego & Pater unum ſumus*, (Joan. 10.) & ſecundum hominem: *Pater major me eſt*. (Joann. 14.) * Quamvis ergo in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Dei atque hominis filio, Verbi & carnis una perſona ſit, & utraque eſſentia communes habeat actiones, intelligendæ tamen ſunt ipſorum operum qualitates & ſinceræ fidei contemplatione cernendum eſt, ad quæ provehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid ſit, quod caro ſine Verbo non agit, & quid ſit, quod Verbum ſine carne non efficit. (Joan. 1.) Sine Verbi enim potentia, non conciperet Virgo, nec pareret, (Luc. 2.) & ſine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret. (Matth. 2. Joan. 1.) ſine Verbi potentia, non fieret redintegratio debilium, (Matth. 14.) & vivificatio mortuorum: & ſine veritate carnis, (Joan. 16.) nec cibus jejuno, nec ſomnus eſſet neceſſarius fatigato. (Joan. 14.) Poſtremo, ſine Verbi potentia, non ſe Dominus Patri profiteretur æqualem: & ſine veritate carnis, non idem diceret, Patrem ſe eſſe majorem: cum Catholica fides utrumque ſuſcipiat, utrumque defendat, quæ ſecundum proprietatem divinæ humanæque ſubſtantiæ unum Dei Filium & hominem credit, & Verbum. Quamvis ergo ab illo initio, quo in utero Virginis Verbum caro factum eſt, nihil unquam inter divinam humanamque ſubſtantiam diviſionis extiterit, & per omnia incrementa corporea, unius perſonæ fuerint totius temporis actiones: ea ipſa tamen, quæ inſeparabiliter facta ſunt, nulla permixtione confundimus; ſed quid cujuſque formæ ſit, ex operum qualitate ſentimus. Nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis: cum in id ipſum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas abſumatur, nec perſona geminetur. (Conveniunt quæ in ejuſdem ſunt ep. 83. ad Palæſtinæ Monachos.) Quamvis ergo unus ſit Dominus Jeſus Chriſtus, & veræ deitatis, veræque humanitatis in ipſo una prorſus eademque perſona ſit, neque hujus unitionis ſoliditas ulla poſſit diviſione ſejungi; exaltationem tamen, qua *illum exaltavit Deus, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei, æqualis erat Filius Patri: & inter genitorem atque unigenitum, nulla erat in eſſentia diſcretio, nulla in majeſtate diverſitas, nec per incarnationis myſterium, aliquid deceſſerat Verbo quod * Dei Patris munere redderetur. (al. quod ei Patris munere, &c.) Forma autem ſervi, per quam impaſſibilis deitas, Sacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas eſt, quæ gloria divinæ poteſtatis evecta eſt in tantam unitatem ab ipſo conceptu Virginis, (al. in gloriam.) deitate & humanitate connexa, ut nec ſine homine divina, nec ſine Deo agerentur humana. Propter quod ſicut Dominus majeſtatis dicitur crucifixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt Deo, dicitur exaltatus. Nec intereſt, ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur: cum inſeparabiliter manente unitate perſonæ, idem ſit & totus hominis filius, propter carnem, & totus Dei Filius, propter unam cum Patre deitatem. Quicquid ergo in tempore accepit Chriſtus, ſecundum hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Nam ſecundum potentiam Verbi, indifferenter omnia quæ habet Pater, etiam Filius habet: et quæ in forma ſervi a Patre accepit, eadem in forma Patris etiam ipſe donavit. Eam fidem, cum plurimi hæreticorum impugnarent, Neſtorius & Eutyches, diverſa quidem aſſertione, ſed ſimili impietate conati ſunt irrumpere. Anathematizetur ergo Neſtorius, qui beatam Virginem hominis tantummodo credit genitricem, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret deitatis. Cum ita intra virginea viſcera Verbum caro ſit factum, ut per ineffabile Sacramentum uno conceptu, unoque partu ſecundum veritatem atque unionem utriuſque naturæ, eadem Virgo & ancilla Domini eſſet, & mater. Percellatur quoque Eutyches eodem anathemate, qui negata humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, unius aſſeruit eſſe naturæ, tanquam Verbi deitas ipſa ſe in carnem, animamque converterit. Quæ * mendacia tam ſacrilega, per totum mundum, (al. impietatis mendacia.) ſanctorum Patrum damnata ſunt ſententiis. Fides autem Catholica ſingularis atque vera juſtificans impium, & creans juſtum, ad humanitatis ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo * invenerit innocentem. (al. ſe invenit innocentem.) Eam fidem ſecundum Propheticam, Evangelicam, Apoſtolicam, & ſalutaris ſymboli doctrinam, Nicæna Synodus inſtituit, examen Chalcedonenſe confirmavit, orbis terrarum celebrat, atque veneratur. Eandem, Dilectiſſimi, pio ſtudio & amore laudabili defendite, imo fideliter firmiterque retinete, ac conſtanter aſſerite. Quoniam ſicut ait B. Apoſtolus Paulus: *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in hoc mundo, aſſumptum eſt in gloria*.

APPEN-

Google

APPENDICULA
SERMONUM S. LEONIS PAPÆ I.

SERMO I.

De Reſurrectione Domini. II.

SYNOPSIS.

1 *Crucem Chriſti nobis & ſacramentum eſſe & exemplum.*

2 *Noſtram naturam a verbo in incarnatione eſſe ſuſceptam, ut eam ſolveret in pretium.*

3 *Nos Chriſto commortuos & correſuſcitatos, a Chriſto conſervari nobiſcum permanente in terris, & ad gloriam invitari regnante in cælis.*

4 *Ubique nobis & virtutem crucis & exemplum adeſſe, quo adverſus cupiditates armemur.*

5 *Per terrenorum contemtum ad cæleſtia tendendum, ſervata fide utriuſque in Chriſto naturæ.*

6 *Per Chriſti tranſitum, qui non eſt niſi in natura noſtra, nobis ad cæleſtia tranſitum præparari.*

7 *Eutychianos Paſchalis feſti exortes eſſe, qui naturam noſtram in Chriſto negant.*

Cap. I.
al. nonum. Sabbato ſancto lecta ex Evangelio Paſſionis & Reſurrectionis hiſtoria.

TOtum quidem, Dilectiſſimi, Paſchale Sacramentum Evangelica nobis narratio præſentavit, & ita per aurem carnis penetratus eſt mentis auditus, ut nemini noſtrum rerum geſtarum imago defuerit: cum divinitus inſpiratæ textus hiſtoriæ evidenter oſtenderit, qua Dominus Jeſus Chriſtus impietate traditus, quo judicio addictus, qua ſævitia crucifixus, & qua ſit gloria ſuſcitatus. Sed adjiciendum eſt etiam noſtri ſermonis officium, ut, ſicut pia expectatione repoſcere vos conſuetudinis debitum ſentio, ita ſolemnitati ſacratiſſimæ lectionis ſubjungatur exhortatio Sacerdotis. Quia igitur apud fideles aures ignorantiæ locus non eſt, ſemen Verbi quod eſt in prædicatione Evangelii, debet in terra veſtri cordis aureri, ut remotis ſuffocationibus ſpinarum ac tribulorum, libera in fructus ſuos exeant plantaria piorum ſenſuum, & rectarum germina voluntatum. Crux enim Chriſti, quæ ſalvandis eſt impenſa mortalibus, & ſacramentum eſt, & exemplum: Sacramentum, quo virtus impletur divina; exemplum, quo devotio incitatur humana; quoniam captivitatis jugo erutis, etiam hoc præſtat redemtio, ut eam ſequi poſſit imitatio. Nam ſi mundana ſapientia ita in ſuis gloriatur erroribus, ut quem ſibi quiſque ducem elegerit, ejus opiniones & mores atque omnia inſtituta ſectetur; quæ nobis erit communio nominis Chriſti, niſi ut ei inſeparabiliter uniamur, qui eſt, ut ipſe inſinuavit: *Via, & Veritas, & Vita?* Via ſcilicet converſationis ſanctæ, Veritas doctrinæ divinæ, & Vita beatitudinis ſempiternæ.

Conſuetudo Epiſcopalis exhortationis in Eccleſia Romana.

Crux ſacramentum eſt & exemplum.

Quid exigat communio nominis Chriſti.

Joan. 14. 6.

Cap. II.

Collapſa enim in parentibus primis humani generis plenitudine, ita miſericors Deus creaturæ ad imaginem ſuam factæ per unigenitum ſuum Jeſum Chriſtum voluit ſubvenire, ut nec extra naturam eſſet naturæ reparatio, & ultra propriæ originis dignitatem proficeret ſecunda conditio. Felix, ſi ab eo non decideret, quod Deus fecit; ſed felicior, ſi in eo maneat, quod refecit. Multum fuit a Chriſto recepiſſe formam, ſed plus eſt, in Chriſto habere ſubſtantiam. Suſcepit enim nos in ſuam proprietatem illa natura, (quæ ſe in quas voluerit menſuras benignitatis inflectit, nec uſquam converſionem mutabilitatis incurrit. Suſcepit nos illa natura) quæ nec noſtris ſua, nec ſuis noſtra conſumeret: quæ ita unam in ſe fecit Deitatis humanitatiſque perſonam, ut ſub diſpenſatione infirmitatum atque virtutum, nec caro per divinitatem inviolabilis, nec divinitas per carnem poſſet eſſe paſſibilis. Suſcepit nos illa natura, quæ & propaginem noſtri generis a communi tramite non abrumperet, & contagium peccati in omnes homines tranſeuntis excluderet. Infirmitas ſane atque mortalitas, quæ non peccatum erant, ſed pœna peccati, a Redemtore mundi recepta ſunt ad ſupplicium, ut impenderentur ad pretium. Quod ergo in omnibus hominibus tranſfuſio erat damnationis, hoc in Chriſto Sacramentum eſt pietatis. Præbuit enim ſe crudeliſſimo exactori liber a debito, & miniſtras diaboli Judaicas manus in cruciatum immaculatæ carnis admiſit. Quam ideo uſque ad Reſurrectionem voluit eſſe mortalem, ut credentibus in eum, nec perſecutio inſuperabilis, nec mors poſſet eſſe terribilis: cum ita dubitandum non eſſet de conſortio gloriæ, ſicut dubitandum non erat de communione naturæ.

Quanta homini ex incarnat. provenerit.

al. poteſtatem.

Quæ parentheſi clauduntur ex MSS. Thu. & Reg. add. ſunt, & in prioribus ed. deſiderantur.

ad Celeberrimam Reſurrectionem.

Cap. 3.

Si incunctanter itaque, Dilectiſſimi, credimus corde, quod ore profitemur, nos in Chriſto crucifixi, nos ſumus mortui, nos ſepulti, nos etiam in ipſo die tertio ſuſcitati. Unde Apoſtolus dicit: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Ut autem noverint corda fidelium habere ſe, unde ad ſupernam ſapientiam, ſpretis mundi cupiditatibus, valeant elevari, ſpondet nobis Dominus præſentiam ſuam, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Non enim fruſtra per Iſaiam dixerat Spiritus ſanctus: *Ecce virgo in utero accipiet & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus.* Implet ergo Jeſus proprietatem nominis ſui: & qui aſcendit in cœlos, non deſerit adoptatos: qui ſedet ad dexteram Patris, ipſe totius habitator eſt corporis: & ipſe deorſum confortat ad patientiam, qui ſurſum invitat ad gloriam.

Coloſ. 3. 1.

Matth. 28. 20.

Iſai. 7. 14.

Matth. 1. 23.

Chriſtus totius corporis ſui habitator.

Cap. 4.

Joan. 16. 33.

Nec inter vana igitur nobis deſipiendum eſt, nec inter adverſa trepidandum. Ibi quidem blandiuntur deceptiones, & hic graveſcunt labores. Sed quia *miſericordia Domini plena eſt terra*, adeſt nobis Chriſti ubique victoria, ut impleatur, quod ait: *Nolite timere, quia ego vici mundum.* Sive ergo contra ambitionem ſæculi, ſive contra

Crux arma Chriſtiani. *abſunt hæc a MSS.*

concupiſcentias carnis, ſive contra hæreticorum jacula dimicemus, Dominica Cruce ſemper armemur. Nec enim unquam a Paſchali feſto recedimus, ſi a fermento malitiæ veteris (veritatis ſinceritate) abſtinemus. Inter omnes namque vitæ hujus varietates, quæ diverſarum plenæ ſunt paſſionum, Apoſtolicæ exhortationis meminiſſe debemus, qua nos inſtruit, dicens: *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto* Jeſu: *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in Nomine* Jeſu *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* Jeſus Chriſtus *in gloria eſt Dei Patris*. Si magnæ, inquit, pietatis Sacramentum intelligitis, & quod pro ſalute humani generis unigenitus Dei Filius geſſit, advertitis, hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu, cujus humilitas nulli aſpernenda divitum, nulli eſt erubeſcenda nobilium. Nec enim in tantum provehi poteſt quælibet felicitas humana faſtigium, ut æſtimet ſibi pudendum, quod manens Deus in forma Dei Deus, non eſt arbitratus indignum.

Philip. 2. 5.

Cap. v.

Imitamini quod operatus eſt; diligite quod dilexit, & invenietis in vobis Dei gratiam. Veſtram in illo redamate naturam, quoniam ſicut ille paupertate divitias non amiſit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit; ita & vos eiſdem gradibus, eiſdem veſtigiis, ut cœleſtia apprehendatis, terrena deſpicite. Suſceptio enim Crucis eſt interfectio cupiditatum, occiſio vitiorum, declinatio vanitatis, & abdicatio omnis erroris. Nam cum Paſcha Domini, non impudicus, non luxurioſus, non ſuperbus celebret, non avarus; nulli tamen ab hac feſtivitate longius quam hæretici ſeparantur, maximeque illi, qui de Verbi Incarnatione male ſentiunt, aut minuendo quod eſt Deitatis, aut evacuando quod eſt carnis. Verus enim Deus eſt Filius Dei, totum habens ex Patre, quod Pater eſt, nullo exordio temporalis, nulla varietate mutabilis; nec ab uno diviſus, nec ab omnipotente diverſus, ſempiterni genitoris unigenitus ſempiternus; ut mens fidelis credens in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, in eadem unius Deitatis eſſentia, nec unitatem gradibus dividat, nec Trinitatem ſingularitate confundat. Non autem ſufficit Dei Filium in ſola Patris noſſe natura, niſi eum non recedentem a propriis, agnoſcamus in noſtris. Exinanitio enim illa, quam reparationi impendit humanæ diſpenſatio fuit miſerationis, non privatio poteſtatis. Nam cum & ex æterno conſilio Dei *non eſſet aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri*; inviſibilis inviſibilem, intemporalis temporalem, impaſſibilis paſſibilem ſubſtantiam ſuam fecit: non ut virtus deficeret in infirmitate, ſed ut infirmitas in incorruptibilem poſſet tranſire virtutem.

Quid ſit crucem portare.

Contra Neſtorium & Eutychen.

Act. 4. 12

Cap. vi.

Propter quod ipſa feſtivitas, quæ a nobis Paſcha nominatur, apud Hebræos Phaſe, id eſt, tranſitus dicitur, atteſtante Evangeliſta atque dicente: *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens*, Jeſus, *quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*. Cujus autem naturæ futurus erat tranſitus iſte, niſi noſtræ, cum inſeparabiliter & Pater in Filio, & Filius eſſet in Patre? Sed quia Verbum & caro una perſona eſt, non dividitur a ſuſcipiente ſuſceptus, & honor provehendi, provehentis nominatur augmentum, dicente Apoſtolo, quod jam commemoravimus: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*. In quo utique aſſumti hominis exaltatio commendatur: ut in cujus paſſionibus manet Deitas indiviſibilis, idem coæternus ſit in gloria Deitatis. Ad hanc participationem ineffabilis muneris, beatum tranſitum fidelibus ſuis ipſe Dominus præparabat, cum inſtanti jam proximus paſſioni, non ſolum pro Apoſtolis ſuis atque Diſcipulis, ſed etiam pro univerſa Eccleſia ſupplicaret; & diceret: *Non pro his autem rogo tantum, ſed pro iis etiam, qui credituri ſunt per verbum ipſorum in me: ut omnes unum ſint, ſicut & tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*.

Joan. 13.

Philip. 2. 9.

Pro univerſa Eccleſia oravit Chriſtus.

Joan. 17. 20.

Cap. vii.

Cujus unitatis nullum poterunt habere conſortium, qui in Dei Filio Deo vero humanam negant manere naturam, impugnatores ſalutiferi ſacramenti, & paſchalis exules feſti: quod, quia ab Evangelio diſſentiunt, & Symbolo contradicunt, nobiſcum celebrare non poſſunt: quia etſi audent ſibi Chriſtianum nomen aſſumere, ab omni tamen creatura, cui Chriſtus caput eſt, repelluntur; vobis in hac ſolemnitate merito exultantibus, pieque gaudentibus, qui nullum recipientes in veritate mendacium, nec de nativitate Chriſti ſecundum carnem, nec de paſſione ac morte, nec de corporali reſurrectione ejus ambigitis: quoniam ſine ulla ſeparatione Deitatis, verum Chriſtum ab utero Virginis, verum in ligno crucis, verum in ſepulchro carnis, verum in gloria reſurrectionis, verum in dextera paternæ majeſtatis agnoſcitis. Unde etiam, ſicut Apoſtolus ait: *Expectamus Salvatorem Dominum noſtrum* Jeſum Chriſtum, *qui reformabit corpus noſtræ humilitatis, conforme fieri corpori gloriæ ſuæ*: Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hæretici non ſunt Chriſtiani.

Philip. 3. 20

SERMO II.

In Cathedra S. Petri Apoſtoli.

Ex Codice MSS. Bibliothecæ Regiæ nunc primum editus.

SYNOPSIS.

1. *Non minori devotione & gaudio celebrandum feſtum Cathedræ ſancti Petri, quam ejus Martyris diem.*
2. *Exterius templorum ornatu, & interius cordis munditia eſſe colendum: Petri doctrinam in ſucceſſoribus audiendam.*
3. *Quibus populum Chriſtianum documentis Apoſtolus inſtruat.*

Cap. i.

ADeſt, dilectiſſimi Fratres, beati Apoſtolorum Principis glorioſa ſolemnitas, quam tota debemus animi alacritate ſuſcipere, tota mentis devotione celebrare. Cum enim dies Martyrii ejus merito habeatur in toto orbe clariſſima, hæc non impari eſt totius Eccleſiæ ſanctæ gaudio celebranda. In illa ſiquidem alternantibus hymnidicis Angelorum

Cho-

Digitized by Google

Choris eſt ineffabiliter coronatus; in iſta vero exultantibus undique fidelium turmis Pontificali Cathedra cum magna gloria eſt ſublimatus. In illa ad ſuam beatitudinem cæli conſcendit thronum; in hac vero ad noſtram ſalutem ſanctæ Eccleſiæ adeptus eſt principatum. In illa ignitis beatorum ſpirituum cœtibus eſt aggregatus, ut præmia æterna ipſe ſuſciperet; in iſta vero populo Dei prælatus eſt, ut nos omnes ad præmia æterna vocaret. Illa ergo feſtivitas præcipue eſt Angelorum; iſta autem ſpecialiter eſt fidelium *Ephes. 2. 16.* populorum. Sed per gratiam illius qui *interfecit inimicitias in ſemetipſo in uno novo homine faciens pacem*, quæ poterat eſſe propria ſingulorum, facta eſt omnium, hominum ſcilicet & Angelorum.

CAP. II. Hanc itaque ſolemnitatem noſtram, ut ita dixerim, dilectiſſimi, duplici ut dignum eſt jucunditate colamus; & non modo exterius, ſed etiam interius *Cantus in Eccleſiis.* pleno animi deſiderio celebremus. Hinc ergo ſuaviter modulantium ſymphoniæ reſonent; illinc concordes animorum motus concordent. *Luminaria.* Adornetur luminaribus Eccleſia; reſplendeat virtutibus conſcientia. Mundetur ſordibus Baſilicæ pavimentum, purgetur vitiis interioris hominis templum, dicente Paulo: *Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos, & 1. Cor. 3. 17. Spiritus Dei habitat in vobis*. Nihil diſſonum comprehendatur in vocibus: nihil diſcordabile reperiatur in moribus. Habet enim ſancta dies dignitatem ſuam; habet & mens noſtra ſolemnitatem ſuam. Illa videlicet, ut a laborioſis hujus mundi negotiis vacetur; iſta vero, ut ab æſtu terrenæ concupiſcentiæ & *Ceſſatio a labore in feſtis.* ab omnium vitiorum illecebris abſtineatur. Illa ut ut ornamentis viſibilibus ſplendeat, iſta ut virtutibus eniteſcat. Sed qui tam egregium paſtorem hodierna die ex divinæ gratiæ largitate ſuſcepimus, qua temeritate ad loquendum vobis ex noſtra parte os aperire tentamus? Intueamur ergo oculis fidei beatiſ*Epiſcopale ſubſellium, ſacerdotales inſulæ, mos concionandi.*ſimum Pontificem noſtrum Epiſcopali ſubſellio ſublimatum, ſacerdotalibus inſulis redimitum, populo ſuo per ſemetipſum loquentem, & in conventu ſanctæ Eccleſiæ more ſolito concionantem. Ipſe, ipſe per ſemetipſum dicat, quod vobis & nobis agendum eſſe decernat. Ecce, o beatiſſime Paſtor noſter, nos tuæ oves ſimul adſumus, & ut nobis doctrinæ tuæ alimenta tribuas, humiliter obſecramus. Sed nec etiam oves ex nobis eſſe poſſumus; niſi ipſe nos inſtruas, qualiter vellus innocentiæ inducre debeamus: Ais enim: *Quaſi modo geniti infantes rationa- 1. Petr. 2. 2. biles ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem*.

CAP. III. Jam quia qualiter oves fieri debeamus, audivimus; reſtat ut nobis inſinuet, qualiter etiam siniſtrum laſcivientium hædorum numerum effugere *1. Petr. 2. 11* valeamus: *Obſecro*, inquit, *vos tanquam advenas & peregrinos, abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam*: & ut hanc mortificationem carnis, quam docet verbo, præcipuo con- *1. Petr. 2. 21* firmet exemplo: *Chriſtus*, inquit, *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Solent autem cuſtodes pecudum a noxiis herbis gregem ſuum ſtudioſe compeſcere, & in longinquos ſaltus ſincera paſcua indaganda migrare: & cum ab aliis, interitum cavendo, prohibent, alia vitam refovendo præbent. Alibi enim noxia ſubtrahunt; alibi profutura permittunt: ne dum a venenatis pabulis cauta proviſione jejunant, a ſalutiferis quoque vacuæ incauta diſtrictione deficiant. Quia igitur Paſtor noſter a mortiferis carnalium deſideriorum paſcuis nos prohibendo coercet, ad ſalutaria *1. Petr. 1. 3.* jam vireta ſpei noſtræ ora relaxet. Ait enim: *Per Reſurrectionem* Jeſu Chriſti *ex mortuis, qua vocavit nos in ſpem vivam: in hæreditatem incontaminatam & immarceſſibilem conſervatam in cælis*. Voces ergo cuſtodis noſtri beati Petri Apoſtoli, Fratres cariſſimi, erectis cordium auribus intendamus; & rectam veſtigiorum ejus lineam tenentes, a paſcuis, ad quæ vocat, nuſquam exorbitemus. Si enim conſilium ejus libenter admittimus, frementium beſtiarum inſidias non timebimus. Nunquid enim cuſtos noſter ſuper gregem ſuum ſtudioſe non vigilat, & ferarum incurſus ut caveri debeat, ſolicitis vocibus non clamat? *Diabolus* enim, inquit, *tanquam Leo* *1. Petr. 5. 8.* *rugiens, circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide*. Expedit ergo, Fratres cariſſimi, ut conſulentem nobis cœleſtis curiæ Conſulem intentis cordibus audiamus; & certiſſimum ſalutis noſtræ conſilium parvipendere formidemus. Hic eſt enim qui ex ore veritatis audivit: *Tu es Petrus, & ſuper* *Matt. 16. 18.* *hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claves regni cælorum*.

SERMO III.

In Nativitate Domini.

Ex Codice S. Petri Corbejenſis, in quo S. Leoni tribuitur.

SAlvator noſter, dilectiſſimi, hodie natus eſt, *CAP. I.* gaudeamus: neque enim locum oportet eſſe triſtitiæ, ubi natalis eſt gaudiorum. Ad omnes itaque gaudium iſtud pertinet, quia Chriſtus omnibus venit. Nullus ergo ſe lætitiæ diei hujus arbitretur alienum. Si Sanctus eſt quis, gaudeat; quia accipiet remunerationem. Si peccator eſt gaudeat; quia invitatur ad veniam. Si gentilis eſt, gaudeat; quia admittitur ad ſalutem. Carnem humani generis pro nobis Deus aſſumſit. Si ipſi nos alienos a Chriſto non faciamus, jam in Chriſto ſumus. Agnoſcamus ergo redemtionem noſtram; agnoſcamus ſalutem noſtram. Ipſe ſe alienum a conſortio Chriſti efficit, qui ſe eſſe in corpore Chriſti denegaverit. Se illud, dilectiſſimi, quod ſecundum Scripturas, quæ lectæ ſunt, hodie Dominum natum eſſe, cognoſcimus, videamus; quomodo in fine ſæculi natus ſit, qui creator eſt ſæculorum: *Ipſe enim dixit & facta* *Pſ. 148. 6.* *ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt*.

Chriſtus ergo Salvator noſter, Dilectiſſimi, ho- *CAP. II.* mo & Deus creditur; Deus ex patre, homo de matre; Deus ex Deitate, corporeus ex carne; Et ideo Deus ante ſæcula, homo poſt ſæcula. Deus ante initia, homo inter extrema. Qui in principio creavit per majeſtatem, hodie venit ſalvare per carnem. Creatio hominum prima potentia fuit; ſalvatio, ſecunda pietas. Benignitatis motus affectu Dominus, voluit ut nobis redderet miſericordia quidquid abſtulerat offenſa. Deſcendit ergo ille ut nos aſcenderemus, cœleſtia ſummiſit, ut terreſtria ſublevaret: fecit ſe hominis participem, ut hominem faceret Dei eſſe conſortem; *factus*, ſicut per Apoſtolum audi- *Galat. 4. 4.* ſtis, *ex muliere, factus ſub lege*. Sed nemo cum mulierem audit matrem Domini, de nominis offenſione moveatur. Virgo concepit ex Spiritu ſancto, ſed mulier nominatur ex ſexu; Et ideo Evangeliſta, qui lectus eſt, virginem; Apoſtolus autem mulierem nuncupavit: ut omnes in partu virginis omnipotentiam agnoſcerent divinitatis; In appellatione autem mulieris, nomen conditionis audirent.

Natus eſt ergo Dominus noſter ex carne quidem, *CAP. III.* ſed non ex corruptione carnali: natus ut homo, ſed non genitus ut homo. Ita ſuſcepit carnem, ut ſervaret

ret

ret majeſtatis honorem. Et ſic ſegregando puritatem nativitatis ſuæ a concretione colluvionis humanæ, peregit quidem in ortu ſuo plenam hominis diſpenſationem, ſed Dei tamen non deſeruit dignitatem. Ideoque in mundo iſto talis, qualis nativitate, puritatem ortus ſui etiam in vitæ ſinceritate ſervavit. Solus enim ille eſt in cujus ore, ſicut ſcriptum eſt, dolus non fuit: utique ut qui colluvionem humanam in creatione neſcierat, etiam in converſatione neſciret. Cum enim, inquit, Apoſtolus, in forma Dei eſſet, formam ſervi accepit &c. Omnes homines, Dilectiſſimi, ſervi peccatorum fuerunt, & ideo bene ait Apoſtolus, formam tantummodo ſervi aſſumſiſſe; quia homo quidem verus, ſed humanis vitiis non coinquinatus, formam tantum habuit ſervi, non conſcientiam: quia licet habuerit ſpeciem hominis, non tamen habuerat conſcientiam peccatoris: quia ſicut Apoſtolus dicit: *Cum in forma Dei eſſet, formam ſervi accepit, & habitu inventus eſt ut homo.*
Philip.6. 2. Habitu homo, ſed potentia Deus: quaſi ſervus in forma, ſed Dominus in natura: foris oſtendens matris infirmitatem, intus poſſidens patris majeſtatem; foris humilis corpore, intus pollens divinitate.

CAP. IV. Denique & ipſa ejus inter homines converſatio ſimul utrumque monſtravit, in paſſionibus hominem, in virtutibus Deum. Eſurivit enim, ſed eſurientes multiplicatis per benedictionem panibus pavit. Quod eſurivit, caro fuit; quod pavit, Deus. Ex homine fuit quod lacrymavit; ex divinitate quod præſtitit. Hominem indicavit, quod precem fudit. Oravit, exauditus eſt. Omnibus ergo rebus duplicem in ſe naturam monſtravit; & ideo ſubſtantiæ utriuſque mediator eſt: quia dum ſummiſit cœleſtia, exaltavit humana, fecit ſummam ex diverſitate concordiam, ut in eo una utraque fieret, qui in ſe utrumque retinet Dominus noſter Jeſus Chriſtus qui vivit & regnat cum Patre & ſancto Spiritu in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO IV.

In Aſcenſione Domini.

Ex Codice S. Petri Corbejenſis, in quo S. Leoni tribuitur.

CAP. I. HOdie, Fratres, victoria Chriſti completa eſt, hodie triumphalia vexilla ejus eriguntur. De ſpoliatione ſua dolet cum Principe ſuo tartarus; de reſtauratione damni ſui gaudet cœleſtis exercitus. Hodie caro illa, quæ de terris ſublevata eſt, ad dexteram Patris collocata eſt, quia omnes ei naturæ proſtratæ ſunt, & omnis principatus & poteſtas ante eam
Hebr.10.20 incurvata eſt. Hodie via nova, de qua dicit Apoſtolus, nobis initiata eſt: quia per carnem Chriſti aditus cœli, per quem nulla prius caro tranſierat, reſervatus eſt: quam adhuc viventem idem Apoſtolus dicit; quia hæc membris Chriſti ſuo tempore per eandem intraturis præparata eſt. Hodie apertio libri perfecta eſt, quem nemo potuit aperire, niſi agnus qui occiſus eſt; quoniam ſacramenta ejus revelata ſunt, cum ea, quæ in lege & Prophetis inveniuntur, conſummata diſpenſatione humanitatis ejus hodie completa ſunt. Deſcendit primo Chriſtus, ut noſtræ particeps fieret naturæ: Poſtremo aſcendit, ut ſuæ nos participes faceret gloriæ. Deſcendens temporali converſatione viſibilibus miraculis quaſi lactavit infantes; *al. enutriti.* aſcendens dedit dona hominibus quibus eruditi & quaſi in virile robur educati jam temporalem ejus viſionem non appeterent, ſed quo eos præceſſerat toto jam deſiderio ſequi ſtuderent.

Quia ergo temporali ejus præſentia viduati ſumus, CAP. II. ad æternam ejus viſionem tota intentione feſtinemus. *Pſ. 26. 14.* Dicamus ei ex voce Pſalmiſtæ: *Tibi dixit cor meum; quaſivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne avertas faciem tuam a me.* Tota enim diſpenſatio humanitatis Chriſti, nihil aliud intendit, nihil aliud fecit, niſi ut intentionem noſtram ad ſuperna dirigeret, & expleto tempore noſtræ mortalitatis, ad manifeſtam viſionem ſui perduceret, perductos æterna vultus ſui gloria ſatiaret. Quia teſtante Apoſtolo: *Videbimus eum ſicuti eſt.* *1. ep. Joan. 3. 2.* Unde Pſalmiſta: *Satiabor, cum manifeſtabitur gloria tua.* Hæc *1. Cor. 2. 9.* ſunt *bona Jeruſalem, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit: quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Hæc bona quantum poterat in ænigmate contuebatur Pſalmiſta cum diceret: *Quid enim mihi eſt in cælo, & a te quid volui ſuper terram?* *Pſ. 72. 25.* Ammirando dicebat: *Quid mihi eſt in cælo &c.* Quia cœleſtis gloriæ magnitudinem, nec dicendo explicare, nec cogitanto ſufficiebat comprehendere.

Hæc ergo eſuriamus, hæc ſitiamus, quoniam ad CAP. III. hoc Pontifex ſummus pro nobis præcurſor in vera ſancta ſanctorum, ad dexteram ſcilicet Patris, aſcendit, ut ſpem membrorum ſuorum confirmaret, eo ſecuturam gregis humilitatem, quo ſuum credit præceſſiſſe Paſtorem. Sic enim ipſe Dominus promittit *Luc 17. 37.* Diſcipulis: *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ.* *Philip. 1. 23* Aquilas vocat ſanctos *qui cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Fertur enim natura eſſe Aquilarum ultra mare odoratu ſuo cadavera ſentire; & eo celeri volatu ſuo ad ſaturandam eſuriem ſuam feſtinare. Hæc ergo eſuries Aquilarum, deſiderium ſanctarum ſignificat animarum, quæ caput ſuum extra mundi turbines in ſumma quiete locatum fidei naribus ſitientes, ſpei volatu præſentiæ conditoris vellent aſſiſtere, & ſatietate vultus ejus ſine fine gaudere. Hæc quippe hujus ſolemnitatis eſt ratio, ut Chriſtum ad dexteram Patris jam regnare credamus; & interim eum quaſi geminis virtutum alis, charitatis ſcilicet & ſpei ſubſequamur; ut *eum tradiderit regnum Deo & Patri,* *1. Cor. 15. 24.* eum eo ſine fine regnemus.

Igitur ſecundum quod hortatur Pſalmiſta: Quia CAP. IV. *Dominus regnavit exultet terra,* *Pſ. 96. 1.* id eſt Eccleſia: Exultet in fide, *Ibid. 9.* *quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.* Exultet in ſpe, quoniam *replebitur in bonis domus tua.* Exclamemus ex medullis cordis, cum Apoſtolo: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio,* *Rom. 8. 35.* *an anguſtia? an fames, an nuditas, an gladius?* *1. Cor. 15. 28.* Cum enim de ſpe perduxerit nos ad ſpeciem: *erit Deus omnia in omnibus.* Ipſe cibus & potus, ipſe veſtitus, & omnia quæ honeſte cogitari & deſiderari poſſunt ab omnibus. Hoc donativum Chriſti milites concupiſcant, & militiam ſuam non deſerant, donec hæreditatem immarceſſibilem ab Imperatore ſuo, completo agone, percipiant.

FINIS.

SANCTI
MAXIMI
TAURINENSIS
EPISCOPI,
Homiliæ.

Digitized by Google

SEQUUNTUR

HOMILIÆ SANCTI MAXIMI,

EPISCOPI TAURINENSIS,

De quo ſic Gennadius in Catalogo illuſtrium virorum.

MAXIMUS Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir in divinis Scripturis ſatis intentus, & ad docendam ex tempore plebem ſufficiens, compoſuit in laudem Apoſtolorum tractatus, & in Joannis Baptiſtæ, & generalem omnium martyrum homiliam; ſed & de capitulis Evangeliorum, & Actuum Apoſtolorum multa ſapienter expoſuit: fecit & duos de Sancti Euſebii, Vercellenſis Epiſcopi, & Confeſſoris vita tractatus, & de S. Cypriani ſpeciale: de baptiſmi gratia librum edidit, ſcripſit de avaritia, de hoſpitalitate, de defectu lunæ; de eleemoſynis: de eo, quod ſcriptum eſt in Iſaia; Caupones tui miſcent vino aquam; de paſſione Domini, de jejunio ſervorum Dei generali, de jejunio ſpeciali quadrageſimæ, & quod non ſit in eo jocandum: de Juda traditore, de cruce Domini, de ſepulchro ejus, de reſurrectione ipſius, de accuſato & damnato Domino apud Pilatum, de Kalendis Januariis. Scripſit etiam homilias & de natali Domini, homilias de Epiphania, de Paſcha, & de Pentecoſte multas, de hoſtibus carnalibus non timendis, de gratiis poſt cibum Deo agendis, de pœnitentia Ninivitarum, & multas alias ejus homilias de diverſis legi, quæ nec retineo. Moritur Honorio & Theodoſio juniore regnantibus, anno ab orbe redempto, CCCCXX.

INDEX
HOMILIARUM SANCTI MAXIMI, Taurinenſis Epiſcopi, partis Hyemalis de tempore.

De Adventu Domini.

Movet fortaſſe vos fratres. 317

Superiore Dominica. ibid.

In Vigiliis Natalis Domini.

Lætitia quanta ſit. 318

In Natali Domini.

Hodie fratres chariſſimi. 319

Juſtiſſime fratres. ibid.

In adventu dominico, fratres chariſſimi, ſolutus eſt. 320

Hodierni myſterii ſacramentum. 321

Inveſtigabiles humanis ſenſibus. ibid.

In adventu dominico, fratres chariſſimi, cujus honorem. 322

In Circumciſione Domini, ſive de Kalendis Januarii increpatio.

Quamquam non dubitem. 322

In Epiphania Domini.

In hac, dilectiſſimi, celebritate. 323

Audiſtis fratres lectionem Evangelii. 324

Quamvis, dilectiſſimi fratres, Chriſtus. 225

Ait Prophetarum præcipuus Eſaias. ibid.

Salutare nobis eſt, fratres. 326

Complura nobis, fratres. 327

Licet, fratres dilectiſſimi. 328

Redemptionis noſtræ auctor æternus. ibid.

In die Cinerum.

Quia nonnullorum eſt conſuetudo. 329

De jejunio quadrageſimæ.

Audiſtis, chariſſimi, ſicut Evangelica tuba. ibid.

Conflictus iſte mirabilis. 330

Advertite, fratres chariſſimi, 331

Peractum a Domino noſtro. 332

Dominica in ramis palmarum, in illud Pſalmi, *Deus Deus meus reſpice in me.*

Pſalmi viceſimi primi. 333

De accuſatione Domini apud Pilatum.

Mirum forſitan videatur. 334

Ante dies proſecuti ſumus. ibid.

De Juda traditore.

Retinet dilectio veſtra nos hoc. 335

De paſſione, & cruce & ſepultura Domini.

Sæculi ferunt fabulæ Ulyſſem. 336

Diximus heſterna die. 337

Fortaſſe quis dicat de prioris dominicæ. ibid.

Hæret adhuc ſenſibus veſtris. 338

De ſancto Latrone, Petro Apoſtolo, & ancilla oſtiaria.

Quoniam heſterno die de latrone. 339

Meminit, fratres, veſtra dilectio. ibid.

Diximus, fratres, quod ad ſimilitudinem Evæ. 340

Adſtruximus ſuperiore dominica. ibid.

Index Homiliarum de diverſis.

In ſolemnitate Paſchali.

Beneficia Dei noſtri cum magna. 341

Non immerito, fratres, hodierna die. 342

Exultandum nobis eſt, fratres. 343

Magnum, fratres, & mirabile donum. 344

Retinet ſanctitas veſtra, fratres. ibid.

In Litaniis ac Ninivitarum jejuniis.

Legimus in Prophetis cum Ninive. 345

In ſolemnitate Pentecoſtes.

Noſſe credo vos, fratres, quæ ſit ratio. 346

Non incommode ante dies complures. ibid.

Scire debet ſanctitas veſtra. 347

Index Homiliarum hyemalium, ac æſtualium de ſanctis.

In Natali divi Stephani.

Lectio actuum Apoſtolorum quæ. 348

In Natali divæ Agnetis.

Cum in toto mundo virgineus flos. 349

In Nativitate divi Joannis Baptiſtæ.

Solemnitatem nobis diverſorum martyrum. 350

Cunctorum quidem Prophetarum. 351

Feſtivitatem præſentis diei. 352

In Natali ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum.

Glorioſiſſimos Chriſtianæ fidei principes. ibid.

Apoſtolici natalis gaudio. 354

Beatiſſimorum Apoſtolorum paſſio. ibid.

Cum omnes beatiſſimi Apoſtoli. 355

In Natali divi Laurentii martyris.

Sanctum eſt, fratres, ac Deo placitum. ibid.

Sicut patrum noſtrorum, fratres chariſſimi. 356

Beatiſſimi Laurentii fratres. 357

In Natali divi Euſebii, Vercellenſis Epiſcopi.

Sanctorum Patrum memorias. ibid.

Ad ſancti ac beatiſſimi iſtius patris. 358

In Natali divi Cypriani Epiſcopi, & Martyris.

Sancti Cypriani feſtivitatem. 359

In martyrio beatiſſimi Cypriani. ibid.

In feriis divi Michaelis.

Si diligenter audiſtis Evangelicam lectionem. 350

In Natali ſanctorum Tauricorum martyrum.

Cum omnium ſanctorum martyrum. 361

In communi Martyrum.

Sufficere nobis deberent. ibid.

Index partis Æſtivæ de tempore.

De expoſitione Symboli.

Cum apud Patres noſtros. 363

De

De non metuendis carnalibus hoſtibus, & gratiis poſt cibum agendis.
Frequenter admonui vos fratres. 364
Satis abundeque dixiſſe me credo. 365
De avaritia vitanda.
Legimus in libro qui Apoſtolorum actibus adſcribitur. 366
Retinet dilectio veſtra, fratres. 367
De eleemoſynis largiendis.
Dicit Scriptura divina. ibid.
Retinet dilectio veſtra. 368
De hoſpitalitate.
Advertit ſanctitas veſtra. ibid.
De defectu lunæ.
Et ipſi videtis, fratres, quod mea non ceſſat humilitas. 369
Super illud Eſaiæ: Caupones tui miſcent aquam vino.
Non incommode ante dies paucos profecuti ſumus functionem hanc ſacerdotalem. ibid.

HOMI-

HOMILIÆ SANCTI MAXIMI EPISCOPI TAURINENSIS,

De Tempore; Hyemales.

IN ADVENTU DOMINI, DE EO QUOD ſcriptum eſt: Sicut fulgur coruſcans de Cœlo, ita erit adventus filii hominis: *& de duobus in lecto uno.*

HOMILIA PRIMA.

MOvet fortaſſe vos, fratres, cur Dominus adventum ſuum indicans, noctis ſe tempore oſtenderit adventurum, cum utique ejus adventus magna cum claritate diei, magno cum nitore & timore ſuſcipi deberet a cunctis. Frequenter namque audi-
2. Theſſ. 3. vimus ſacris litteris prædicatum, priuſquam Dominus Chriſtus adveniat, Antichriſtum regnaturum, qui ita tenebras humano generi ſuæ pravitatis infundet, ut lucem veritatis nemo pene reſpiciat, & caligine propria operiens mentes hominum, cœcitatem quandam ſpiritualibus oculis exhibebit. Nec mirum ſi diabolus emittat iniquitatis tenebras, cum ipſe nox ſit omnium peccatorum. Ad hujus igitur tetram caliginem depellendam velut fulgur quoddam Chriſtus adveniet. Et ſicut luceſcente die nox ſubvertitur: ita coruſcante Salvatore, Antichriſtus effugatur, nec ulterius poterit diſſeminare iniquitatis ſuæ tenebras, cum lumen veritatis effulſerit. Quod autem
Luc. 17. Matth. 24 ait: *Illa nocte erunt duo in lecto uno, unus aſſumetur, & unus relinquetur:* Hic jam reſurrectionis meritum demonſtratur, quod pro qualitate vivendi ſit gratia reſurgendi, ac tantam in ſingulis quibuſque reſurrectionis eſſe diſtantiam, ut duobus etiam pariter dormientibus, & una ſede quieſcentibus æqualis non poſſit eſſe aſſumptio. Quamvis enim eodem conſortii lectulo teneantur, pro meritis tamen alter eorum rapietur ad cœlum, alter relinquetur in terris. Lectus enim quidam noſter communis eſt terræ hujus ampliſſimum ſolum, in quo corpora noſtra depoſita tutiſſima ſede requieſcunt. In hoc autem lectulo ille mollius dormit quiſquis durius in vita ſe geſſerit. Poſſumus enim ipſa membra noſtra lectulos noſtros proprios nuncupare, in quibus animæ noſtræ veluti in quodam ſtrato ſuaviſſime demorantur. Quod quidem ſanctum Prophetam ſenſiſſe arbitror, cum dicit:
Pſalm. 40. *Univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus* Beatus enim eſt ille, cujus ſtratum Dominus in ipſius infirmitate convertit, ut qui fuerat paulo ante iracundus, adulter, & petulans, & cunctorum ſcelerum infirmitatibus plenus, aſſuetum corpus ejus malo verſans Dominus, fiat caſtus, humilis & modeſtus. De quo ſtrato ſpiritualiter ad paralyticum dictum eſt a Domino: *Surge: tolle lectum* Lucæ 5. Matth. 2
tuum, & ambula. Non enim tam in eo admirationis aliquid erat, ut confracti lectuli ligneam cratem portaret paralyticus, quam ut reſoluti corporis membra, & debilitate confracti velut animæ ſuæ neceſſarium lectulum paralyticus ipſe geſtaret: & coram poſitis Judæis propriis abiret pedibus, qui manibus allatus fuerat alienis. In hoc plane (ſicut dixi) completa eſt Prophetica illa ſententia: *Verſaſti ſtratum ejus in infirmitate ejus*, ut verſa vice portaret lectum in quo fuerat paulo ante portatus, & anima illius quæ prius vaſculo corporis ferebatur, poſtea corpus ſuum ipſa utilius circumferret. Poteſt etiam accipi quod ait: *Erunt duo in lecto uno, unus aſſumetur, & unus relinquetur*, Chriſtianorum plebs, & populus Judæorum, qui velut uno lectulo, hoc eſt una mandatorum lege tenentur, & velut ſimili reſurrectionis * ſpecie gloriantur. Tunc igitur *alias* ſpe.
Chriſtianorum beatus populus aſſumetur in gloriam, Judæorum autem execrabilis conventus relinquetur in terra.

Homilia ſecunda, de eodem Adventu.

SUperiore Dominica capitulum Evangelicum diſſerentes, partem quandam ex illo perſtrinximus: ſupereſt ut ſequentia decurramus; deſcripſimus enim quid eſſet quod Dominus ait: *In* Matth. 24.
illa nocte erunt duo in lecto uno, & reliqua. Nunc ergo videamus quod reliqnum eſt: Dicit enim eadem divina ſententia: *Erunt duæ molentes in pi-* Luc. 17.
ſtrino, una aſſumetur, & una relinquetur. Primum igitur conſiderandum eſt, quomodo conſtet molentis officium: deinde quæ ſint duæ, quæ molere dicuntur: tertio quid piſtrinum ſit, quidve molitionis effectus. Nulli dubium eſt quod molere aliter non conſtat, niſi duobus lapidibus apparatis & convenientibus ſibi, ut alteri ex his magnitudo alterius imponatur: & illum quidem lapidem, qui prior ſolo ſternitur eſſe pigrum & tardum, & pene (ut ita dixerim) otioſum, ac niſi ſuperioris participatione lapidis ornaretur, forſitan neceſſarius non videretur. Ita dum ille operatur, etiam iſte utilis invenitur. Ille autem, id eſt, ſuperior lapis tota velocitate operis circumfertur, ut fallens oculos in ipſa celeritate ſtare credatur, & putetur immobilis eſſe, dum currat. Qui quanto violentius actus fuerit, tanto opus per-

fectuis

Digitized by Google

fectius conſummatur. Ita ergo prior lapis ſtat,
jacet, & pene nihil prodeſt: ille vero alter quæ
inſeruntur cuncta ſuſcipit, quæ veniunt univerſa
complectitur: & per cavernulas quaſdam uter-
que quod operetur, acquirit. Qui molit autem,
hoc habere videtur officii, ut pervigili cura gra-
norum aſperitate confracta ex intimis eorum oc-
cultiſque viſceribus ſimilaginem medullamque
producat, & ſordium levitate diſcuſſa, in apertum
profert omne quod purum eſt, ex quo mundiſſimum
panem conficiens, gratiam Domini conſequatur.
Hos igitur duos molares lapides duo eſſe arbitror
Teſtamenta, hoc eſt, legem Moyſis & Evangelium
Domini, quæ ita ſunt diſpoſita, vel parata, ut
ſibi Teſtamentum utrumque conveniat: ſicut ait
Salvator: *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere.*
Matth. 5. Et ad vicem molarum aliud prius ſolo poſitum,
aliud inſuper collocatum, hoc eſt, legem primum
hominibus conſtitutam, deinde ad perfectum Evan-
gelium. Quæ lex velut inferioris molæ ſaxum ita
erat tarda, pigra, & penitus otioſa, ut quicquid
operando acceperat, id omne perdiderit: dicente de
Pſalm. 15. Judæis Propheta. *Omnes declinaverunt, ſimul
inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non
eſt uſque ad unum.* Ergo niſi Evangelium ſuper-
poſitum fuiſſet, adhuc lex veluti tarda & gravis
jaceret in terra Judaica, & unius provinciæ coope-
riretur anguſtiis. Niſi Evangelium, inquam, datum
Rom. 4. eſſet, lex neceſſaria omnino non eſſet. Hoc autem
lex operabatur ſine Evangelio, quod uno ſaxo fieri
poteſt. Confringere poterat, non prodeſſe: ſicut ait
beatus Apoſtolus. *Lex autem iram operatur, gratiam
vero non præſtat.* Stante ergo lege, Evangelium da-
tum eſt, quod veteri ſuperpoſitum Teſtamento,
utrumque condecorat: ac tanta velocitate operis
circumfertur, ut volubilitate ſui ſæculum omne cir-
cumeat, hoc eſt, inferna viſitet, cœleſtia penetret,
terrena colluſtret. Quod Evangelium tanquam
ſuperior mola cunctos credentes ſuſcipit: omnes
advenientes accipit, & veluti per quaſdam caver-
nulas præceptorum ad interiora tranſmittit: ut ibi
hinc inde duorum Teſtamentorum ſalutaribus man-
mollita. datis gentilitatis aſperitate * molita, producat
Ezech. 1. omne quod purum eſt. Quam ſimilitudinem Teſta-
mentorum Ezechielem Prophetam arbitror per-
ſtrinxiſſe, cum dicit rotam in medio rotæ eſſe con-
nexam. Harum igitur molarum operatione, id eſt,
novi ac veteris Teſtamenti hoc agit ſancta Eccleſia
cura pervigili, ut peccatorum aſperitate diſcuſſa, ex
occultis cogitationibus medullam mundi cordis
eliciat, & cœleſtibus mandatis mundata, ex intimis
1. Cor. 3. ſpiritalia alimenta producat. De quibus alimentis
Hebr. 5. Paulus Apoſtolus ait: *Lac vobis potum dedi, non
eſcam.* Et iterum: *Perfectorum autem eſt ſolida
eſca, qui propter habitum ſenſus excercitatos ha-
bent*; & reliqua, ac ſpiritum noſtrum omni huma-
nitate purificans velut ſimilaginem Deo offerre
Pſal. 50. contendit, ſicut David ſanctus ait: *Sacrificium Deo
ſpiritus contribulatus.* Tanta autem velocitate cir-
cumfertur Evangelium, ut non niſi ſapientes cur-
2. Theſſ. 3. ſum ejus intelligant, quam beatus Paulus intelli-
gens ait: *ut ſermo Dei currat & clarificetur in vo-
bis*, Amen.

In vigiliis natalis Domini homilia.

LÆtitia quanta ſit, quantuſque concurſus cum
Imperatoris mundi iſtius natalis celebrandus
eſt, bene noſtis, quemadmodum duces ejus & prin-
cipes omnes etiam militantes accurati ſericis veſti-
bus, accincti operoſis ſingulis, auro fulgente præ- Doctrina moribus ſæcularibus trahitur.
tioſis, ambiant ſolito nitidius in conſpectu regis
incedere. Credunt enim majus eſſe Imperatoris
gaudium, ſi viderit majorem ſuæ apparitionis or-
natum, tantoque illum lætum futurum, quanto ipſi
fuerint in ejus feſtivitate devoti: ut quia Impera-
tor tanquam homo corda non conſpicit, affectum
eorum circa ſe probet, vel habitum contuendo: ita
fit ut ſplendidius ſe accuret, quiſquis regem fide-
lius diligit. Deinde quia in die natalis ſui ſciunt
eum largum futurum, ac donaturum plurima, vel
miniſtris ſuis, vel his qui in domo ejus abjecti pu-
tantur & viles, tanta prius theſauros ejus replere
divitiarum varietate feſtinant, ut in quantum præ-
rogare voluerit, in tantum prærogatio copioſa non
deſit, & ante voluntas donandi deficiat, quam
ſubſtantia largiendi. Hæc autem ideo ſollicite fa-
ciunt, quia majorem ſibi remunerationem pro hac
ſollicitudine ſperant futuram. Si ergo, fratres, ſæ-
culi iſtius homines propter præſentis honoris glo-
riam terreni Regis ſui natalis diem tanta appari-
tione ſuſcipiunt: quanta nos accuratione æterni
Regis noſtri Jeſu Chriſti natalem ſuſcipere debe-
mus, qui pro devotione noſtra non nobis tempora-
lem largietur gloriam, ſed æternam, nec terreni ho-
noris adminiſtrationem dabit, quæ ſucceſſore fini-
tur, ſed cœleſtis imperii dignitatem, quæ non ha-
bet ſucceſſorem? Qualis autem noſtra remuneratio Eſai. 64. &
ſit futura, dicit Propheta: *Quia oculus non vidit,* 1. Cor. 2.
*nec auris audivit: nec in cor hominis aſcendit,
quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Quibus in-
dumentis nos exornari oportet. Quod autem dixi-
mus nos, hoc eſt, animas noſtras, quia Rex noſter
Chriſtus non tam nitorem veſtium quam anima-
rum requirit affectum: nec inſpicit ornamenta cor-
porum, ſed conſiderat corda meritorum: nec fragi-
lis cinguli præcingentis lumbos operoſitatem mira-
tur, ſed fortis caſtimoniæ reſtringentis libidinem
ad pudicitiam plus miratur. Ambiamus ergo inve- In adventu dominico quales inveniri debeamus.
niri ante ipſum probati fide, concepti miſericordia,
moribus accurati: & qui fidelius Chriſtum diligit,
nitidius ſe mandatorum ejus obſervatione compo-
nat, ut vere nos in ſe credere videat, cum ita in ejus
ſolemnitate fulgeamus, & eo magis lætus ſit, quo nos
perſpexerit puriores Atque ideo ante complures dies
caſtificemus corda noſtra, mundemus conſcientiam,
purificemus ſpiritum, ac nitidi, & ſine macula im-
maculati Domini ſuſcipiamus adventum: ut cujus
nativitas per immaculatam Virginem conſtitit, ejus
natalis per immaculatos ſervulos procuretur. Quiſ-
quis enim in illa die ſordidus fuerit ac pollutus,
natalem Chriſti votumque non curat. Interſit licet
dominicæ feſtivitati corpore, mente tamen longius
a Salvatore ſeparatur. Nec ſocietatem habere pote-
runt immundus & ſanctus, avarus & miſericors,
corruptus & virgo, niſi quod magis ingerendo ſe
indignus offenſionem contrahit, cum minime ſe
cognoſcit. Dum enim vult officioſus eſſe, injurio- Matth. 2.
ſus exiſtit, ſicut ille in Evangelio qui in cœtu ſan- Luc. 14.
ctorum invitatus ad nuptias venire auſus eſt, ve-
ſtem non habens nuptialem. Et cum alius niteret
juſtitia, alius luceret fide, alius caſtitate fulgeret, ille
ſolus conſcientiæ fœditate pollutus, cunctis ſplen-
dentibus, deformi horrore ſordebat: & quanto plus
ſimul diſcumbentium beatorum candebat ſanctitas,
tanto magis peccatorum illius apparebat improbi-
tas, qui potuerat minus diſplicuiſſe forſitan, ſi in
conſortium juſtorum minime ſe dediſſet. Propterea
ergo ſublatus manibus & pedibus in tenebras ex-
teriores expellitur, non ſolum quod peccator erat,
ſed quia cum peccator eſſet, ſanctitatis ſibi meri-
tum

tum vindicabat. Igitur, fratres, ſuſcepturi natalem Domini ab omni nos delictorum fæce purgemus, repleamus theſauros ejus diverſorum munerum donis, ut in die ſancta ſit unde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes veſtiantur.

Adhortatio, cultus myſticus natalis dominici.

Nam quale erit ſi in una eademque domo inter ſervulos unius Domini alter exultet in holoſericeis, alter conſumetur in pannis, alius æſtuet cibo; alius famem frigusque ſuſtineat: ille eructet heſternam indigeſtionis crapulam, hic heſternam jejunii inediam non reſolvat? Aut qui erit noſtræ orationis effectus, petimus ut liberemur ab inimico, qui non ſumus liberales in fratres? Simus imitatores Domini noſtri. Si enim ille pauperes in cœleſti gratia voluit nobis eſſe conſortes, cur nobis non ſint in ſubſtantia terrena conſortes? Nec extranei ſunt alimoniis, qui fratres ſunt ſacramentis, niſi quod rectius apud Deum per ipſos agimus cauſam noſtram, ut noſtris eos alamus ſumptibus, qui illi gratias agant. Quicquid autem pauper Dominum benedicit, illi proficit, quo faciente Dominum benedicit. Et ſicut ſcriptum de illo: *Væ illi homini per quem nomen Domini blaſphematur*, ita & de iſto ſcribitur: *Pax huic homini per quem nomen Domini benedicitur Salvatoris*. Quale autem eſt meritum largientis, ut ſolus quis operetur in domo, & per multos in Eccleſia Dominum deprecetur; & quod ille fortaſſis petere de divinitate non audeat, plurimorum interpellantium orationibus etiam quod non ſperabat, accipiat? Quod ad adjutorium noſtrum commemorans beatus Apoſtolus ait: *Ut per multos gratiarum actio referatur pro nobis*. Et iterum: *Ut fiat oblatio noſtra accepta, ſanctificata in Spiritu ſancto*.

Rom. 2.

Rom. 15.

In Natali Domini, Homilia prima.

HOdie, fratres chariſſimi, Chriſtus natus eſt, nos renati. Hodie Salvator mundi per matrem naſcendi tempus accepit, qui de Patre nativitatis non habet tempus. Hodie per hominem Filius Dei ingreſſus eſt mundum, eujus manu ante hominem factus eſt mundus. Hodie habitator cœli venit ad terras, qui terrarum incolas evocaret ad cœlum. *Mirabilis*, inquit, *Deus in Sanctis ſuis*. Si in Sanctis ſuis mirabilis Deus, quomodo non in ſeipſo mirabilis? Si mirabilis in Joanne, quem naſci de patre ſeniſſimo, & ſterili de matre præcepit, quanto magis in ſe eſt mirabilis, qui ut noſtræ conditionem carnis indueret, novum Virgini & conceptum dedit & partum? Ait ſanctus Abacuc Propheta: *Domine audivi auditionem tuam, & timui, conſideravi opera tua & expavi*. Quis non expaveſcat & metuat tanti profunditatem myſterii, quandoquidem unus idemque ſine conceptione natus eſt Deus, & ſine etenim ante factus eſt homo?

Pſal. 67.

Luc. 1.

Abac. 3.

Duæ in Chriſto generationes.

Duas in Chriſto generationes legimus, fratres chariſſimi, ſed in utraque incomprehenſæ divinitatis eſt virtus. Ibi enim illum ex ſemetipſo genuit Deus: hic eum Virgo Deo operante concepit. Ibi ſine initio, hic ſine exemplo. Ibi natus ut conderet vitam, hic factus ut tolleret mortem. Ibi patri natus, hic hominibus procreatus. Illa nativitate hominem fecit, hac generatione hominem liberavit. Utramque, fratres, generationem ejus non poſſe enarrari ſententia hac una complectitur. Illa enim eſt ante hominem, iſta ſupra hominem. Illa incogitabilis, iſta mirabilis. Cum autem duas Chriſti docemur nativitates, non bis aſſeritur Dei Filius natus, ſed gemina in uno Dei Filio confirmatur eſſe ſubſtantia. Ibi quod erat natus eſt, hic quod non erat, factus eſt. Ait de his beatus Evangeliſta Joannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Et Deus erat Verbum*. Et iterum. *Et Verbum caro factum eſt*. Igitur Deus qui apud Deum erat, prodiit a Deo, & caro Dei, quæ in Deo non erat, proceſſit ex fœmina. Ita Verbum caro factum eſt: non ut Deus vacuaretur in hominem, ſed ut homo glorificaretur in Deum. Itaque non bis natus eſt Deus, ſed ex duabus nativitatibus, id eſt, Dei & hominis ſeipſum Unigenitus Patris, atque in ſeſe hominem unum eſſe voluit Deum. Generationem ergo ejus quis enarrabit? Fratres, generatio Chriſti ſi narrari non poteſt, credi poteſt. Si lingua deficit, fides proficit. Magnus enim profectus eſt fidei, cum tantum de Deo ſuo concipit, quantum ſermo non poteſt parturire. Cavete, dilectiſſimi, ne quando vos de his incredulitas moveat, quia ſi homo non valet explicare quod ſentit, Deus ſine dubio potuit implere quod voluit. Et perabſurdum eſt, fratres, ut ineffabilem Deum infirmiſſimo fragilitatis noſtræ ſermone penſemus. Amentiæ res eſt, ut operationes majeſtatis immenſæ, inter exigua corruptibilis oris noſtri conemur verba concludere. Quomodo enim comprehendere poteſt homo Deum, factus ingenitum, mortalis æternum? Si inveſtigare niteris qualiter Deus in hominem, vel homo tranſivit in Deum, inveſtiga prius ſi potes, quomodo ex nihilo factus eſt mundus, cœlum unde reſplenduit, aquarum liquor, terræ ſoliditas qua ratione ſubſiſtunt. Quomodo etiam de terra homo, de maſculo fœmina, itemque per fœminam maſculus: quid illud eſt poſt omnia, quod lumen gignit ac tenebras, quod vitam facit ac mortem? Si ergo te ipſum, o homo, & quæ propter te facta ſunt, qualiter aut unde ſunt facta, comprehendere non vales, qua præſumptione, quave ſtultitia tuum ipſius atque omnium diſcutis creatorem? Natum ergo de Deo Patre Deum, eundemque hominem factum de Virgine confitemur. Sed hæc, chariſſimi, rationi cæca ſunt, fidei manifeſta. Tunc enim parte ex aliqua indefinitæ majeſtatis ejus poterimus immenſa rimari, ſi advertamus, quantus, qualiſve ſit Deus a nobis non poſſe cognoſci, ut ait Dominus ad Moyſen: *Tu autem non poteris videre faciem meam*, id eſt, non potes carnalibus oculis meam ſicut eſt inſpicere deitatem. Beatus namque David virtutem omnipotentiæ ejus intendens clamabat dicens: *Mirabilia opera tua, Domine, & anima mea novit valde*. Valde enim ſciebat anima Prophetalis opera Dei omnem meditationem humanæ mentis excedere, propter quod ſapientiſſimus Patriarcha mortalis ſenſus concluſus anguſtiis, quæ inveſtigare non poterat, mirabatur. Quis ergo hominum diſcutere aut inquirere audet, tantus quod Propheta miratur? *Mirabilia*, inquit, *opera tua, & anima mea novit valde*: Ipſum enim quod incomprehenſibilis eſt Deus, anima ejus noverat, caro ſentire non poterat. Omnis ergo qui opera Dei magis vult examinare quam credere, non ſequitur animæ ſenſum, ſed carnis errorem. Et ideo, fratres, non diſcutiamus, qualiter Deus de Deo natus eſt, ſed credamus: nec retractemus partum Virginis, ſed miremur, ut Unigenitum Dei Deum & hominem confitentes, inoffenſam teneamus cœleſtis fidei veritatem.

Joan. 1.

Eſai. 53.

Exod. 33.

Pſalm. 133.

Opera Dei magis ſunt credenda quam examinanda.

Homilia ſecunda de eodem.

IUſtiſſime, fratres, feſtivitate præſentis diei in omne ſe gaudium totus ubique ſuſcitat mundus, quia hodie promiſſus a ſæculis univerſo orbi judex ortus eſt & redemptor. Et neceſſe eſt, ut in commune

nos

nos omnes, qui futuri examinis reſurrectioniſque promiſſæ ſalutarem ſuſcepimus fidem, habeamus metum quidem de Judice, ſed de Redemptore lætitiam. Omnis namque fidelis anima timore corrigitur, correctione lætatur. Et in hoc, chariſſimi, quanta erga humanum genus omnipotentis Patris diſpenſatio eſt, quantave benignitas, ut quem judicem præparabat incredulis, hunc credituris præmitteret redemptorem: quatenus percurrens miſericordia, ſeveritatem advenientis judicis præveniret. Hodie itaque natus eſt Chriſtus, ſed in nativitate ejus noſtra omnium habet vita natalem: quia qui privilegia primæ nativitatis amiſimus, viſitante nos Chriſto, ſanctiore partu redimus ad vitam. Hodie peperit Maria, ſed ipſa ſuum parturivit auctorem. Hodie edidit mundo hominem, quem non ſuſcepit ab homine.

Renovati- vitas.

Quid hoc eſt miraculi fratres? Naſcitur caro de carne, non tamen generata per carnem, & ſecreto quodam incomprehenſoque conceptu procedit de mortali fœmina divina progenies. Nec mirum ſane ſi extitit divina nativitas, ubi non erat humana conceptio, aut ſi illam matrem non violavit partus, quam coitus non fœdavit. Ille quondam futurorum conſcius Eſaias populis, & gentibus ſignum novæ ſalutis aperiens: *Ecce*, inquit, *Virgo in utero concipiet & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emanuel, quod interpretatur, nobiſcum Deus*. Atque ut advertamus novi ac veteris Teſtamenti unum eſſe conſenſum, unumque conſilium, ait etiam beatiſſimus Lucas Dominicæ generationis relator egregius, dicens: *Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo ad Virginem deſponſatam viro cui nomen erat Joſeph, & ait ad illam: Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabunt nomen ejus Jeſum*. Jeſus autem, chariſſimi, Latino ſermone Salvator dicitur. Ecce qualiter ſe invicem concordantibus ſententiis teſtimonia divina confirmant, & cum prædicantium diverſa ſint tempora, non tamen diverſa narratio. Nam partum Virginis quem ille prædixerat, iſte teſtatur. Quis igitur de divinitate Chriſti, quis de redemptione cunctetur, quem & Eſaias profitetur Deum, & Gabriel annunciat Salvatorem? Quis intactæ puerperæ alvum dubitet floruiſſe, quod uno pene ore atque eodem ſpiritu proloquuntur Evangeliſta, Angelus, & Propheta? Ubi tanti taleſque ſunt teſtes non erubeſcit veritas, ſed auditor incredulus confutatur.

Eſai. 7.

Luc. 1.

[illegible] teſtimonio, [illegible] nuntiatio de Chriſto.

Chriſti nati humilitas.

Sed jam videamus, quas pro nobis natus perferat Chriſtus injurias, quibuſve rurſus injuriæ illæ virtutibus decorentur: & ante omnia fœmineo ſexu ſe concipi patitur, qui in exordio mundi omnipotenti manu de maſculo operatus eſt fœminam. Sed hanc humilitatem naſcendi virginalis matris ſublimat integritas. Et quamvis natus Chriſtus fœmineo (ut infans) lacte paſcatur, tamen ut rerum potens virgineis nutritur uberibus, atque ut primum illum in has ſæculi procellas, & fluctuantis ſentinam mundi uterus maternus effudit, viliſſimis circumdatur pannis. Pannis ſiquidem induitur ille pro nobis, qui quum crearet omnia, terras luce perfudit, cœlum ſideribus adornavit, & ignea Solem claritate veſtivit. Obvolvitur quidem pannis; ſed hi panni nova ſtella radiante munerantur a Magis, & exultantibus Angelis honorantur. Et ut noverimus univerſa hæc per myſterium vel fieri, vel dici, hic qui pannis circumvolvitur prædicatus ab initio de ſinu Patris, æternoque thalamo ſalutarium nuptiarum ſponſus venit e cœlo, ſicut ait venerandus David: *Ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*. Deinde (ut legitur) ponitur in præſepi, quia ut ait Evangeliſta: *Non erat illis locus in diverſorio*. Ne quem, fratres, iſta permoveant quia omnis hæc in Salvatore utilitas pretioſiſſimum noſtræ ſalutis eſt Sacramentum. Videte enim quanta ſapientia collocari Chriſtus dicitur in præſepi, qui gemina quadam gratia humani generis & eſca erat futurus & paſtor. Qui bene in præſepio ponitur, ut ad pabula perennis vitæ, ſpiritualium ovium greges agni cœleſtis balatus invitet. Non erat, inquit, eis locus in diverſorio. Numquid tantæ illius erant anguſtiæ manſionis, ut nati ſub hora parvuli membra non caperet? Sed idcirco myſtico refertur ſermone non inveniri locum in diverſorio, quia ingreſſus mundum Chriſtus fidem in qua poſſit requieſcere non invenit, ut ait ipſe in Evangelio dicens: *Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet*. Unde advertimus, quia unicus Dei Filius non in ſpatioſis domibus auratiſque laquearis, ſed in fide credentium requieſcit. Hunc ergo Chriſtum Jeſum ſugentem ubera, naſcentium infantium more vagientem, vilibus circumdatum pannis, jacentem in præſepi angelica miniſteria proſequuntur, & omnis cœleſtis exercitus multitudo miratur, conſona eum voce collaudans & dicens: *Gloria in excelſis Deo, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis*. Gloria utique, qui deſperatis mortalibus munus æternæ ſalutis exhibuit: & pax hominibus bonæ voluntatis, quos certamine ſuo Chriſtus, ſuoque prælio in regnum proprium diabolica de captivitate revocavit. Et quam congrue Evangelicus intonat ſermo cum dicitur: *Gloria in excelſis Deo, & pax in terra hominibus*. Quod idem ipſe Dei Filius & apud Angelos glorioſus eſt in cœlis, & bonæ voluntatis hominibus pacem præſtat in terris. Propter quod, dilectiſſimi, competentibus gaudiis tanta de ſalute lætemur, atque Angelicis nos vocibus ſociantes, honore debito myſteria ſemper Chriſti virtuteſque laudemus.

Pſal. 18.

Luc. 2.

Chriſtus cur in præſepi ponatur.

Matth. 8.

Luc. 2.

Homilia tertia de eodem.

IN adventu dominico, fratres chariſſimi, ſolutus eſt omnis paternæ prævaricationis metus, quem diabolicis dudum fraudibus incurrit circumventa mortalitas. Adeſt enim nobis cœli terræque judex, qui reſciſſo chirographo delictorum, reatum noſtrum miſeratus abſolvit. Adeſt ille Dominus, qui jugum captivitatis antiquæ noſtris a cervicibus ſolvens, mœrorem mundi æterna libertate lætificat. Adeſt Rex ille manſuetus, qui per ſpatia totius orbis, cœleſtis juſtitiæ greſſibus incedens, ſuperbientem furentis inimici continuit tyrannidem. Hodie namque parturiente Maria natus eſt nobis Dei Filius, ut germanæ carnis noſtræ conceptione productus creato a ſe homini & pietatem paternam, & fraternum largitetur affectum. Et natus ſane ab intacta eſt fœmina, ut eum pariter & hominem teſtaretur partus humanus, & Deum probaret æterna virginitas. Nam ſicut non poterat niſi caro de carne naſci: ita non poterat Dei caro de fœmineo utero niſi ſine generante prodire. Propter quod ait Angelus beatiſſimæ Mariæ: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei: Spiritus*, inquit, *ſanctus ſuperveniet in te*. Idcirco tibi, frater, virtutem ſancti Spiritus Angelicus ſermo prætexit, ne conjecturis carnalis diſputationis hebetatus, cœleſte tibi ipſe myſterium terrena argumentatione confundas. Aut non putas eum novum puerum in alvo Virginis potuiſſe formare, qui quum primum conderet hominem, nec ſemen Patris, nec viſcera materna quæſivit? Dic itaque quicumque es ſupernæ diſpenſationis arbiter & diſcuſſor, quæ tibi videtur virtus eminen-

Luc. 1.

nentior partum dediſſe Virgini, aut perfectum ho-
1. Cor. 15. minem creaſſe de terra? *Primus* enim *homo*, ut ait
Apoſtolus, *de terra terrenus*, *ſecundus homo de cœlo*
cœleſtis. Si contra naturam eſſe contendis, quod in
myſterio redemptionis noſtræ ſine viro puella aſſeri-
tur concepiſſe, cujus, quæſo, naturæ eſt quod in pa-
rente generis noſtri caro ſine carne formata eſt? Quæ
iſta eſt ratio, immo quam cæca contentio, ut non
Pſalm. 134. credatur Deus facere hominem poſſe de fœmina, quem
creditur feciſſe de pulvere? Si omnipotentis, o homo,
tali in negotio eſſe perſpicis voluntatem, de opere cur
retractas? *Omnia enim* (ſicut legitur) *Dominus quæ-*
cumque voluit fecit in cœlo & in terra. Et ſi ſollicitus
perſcruteris, præter hunc legitimum humanæ con-
ceptionis uſum, tres valde mirabiles naſcendi ſpecies
operatam reperies Trinitatem. Et prima eſt quidem,
quod Adam figuratus ex limo eſt: ſecunda quod mu-
lier formata de maſculo: tertia, quæ & cœleſtis eſt
quod Chriſtus proceſſit ex Virgine. Quid horum
non novum? Quid horum non mirabile? Quid ho-
rum, ſi non fidem ſequamur, inquiſitio poterit hu-
mana complecti? Quod autem myſtico hoc conceptu
viſitare mundum ſuum Dei dignatus eſt Filius, noſtræ
hoc ſalutis neceſſitas flagitabat, nimirum ut cœle-
ſtis tandem generatio reparet, quod nativitas ter-
rena perdiderat. Sed fortaſſis, hunc qui natus præ-
dicatur ex fœmina, dum vilibus obvolvitur pannis,
dum jacere contentus eſt in præſepi, dum lachry-
moſis vagitibus concrepat, dum maternis lactatur
Mich. 2. Luc. 2. uberibus, Deum eſſe diffidis? Immo per iſta, frater,
adverte eum & ut hominem infirma pro infirmis
pertuliſſe, & ut Deum potentiam exercuiſſe cœleſtem.
Hic namque qui ſordentibus circumdatur pannis,
regiis per Chaldæos muneribus honoratur. Hic qui
in præſepi humilis jacet, lumine novi ſideris co-
ruſcat e cœlo. Hic qui vagitus reddit infantiæ, an-
Joan. 6. Luc. 11. gelici exercitus vocibus collaudatur. Hic qui fœmi-
neo lacte nutritur, multa hominum millia parviſſi-
mo pane ſatiavit. Quid illud adjiciam, quod Deum
illum & verum Dei eſſe filium reſurgens a mortuis
Luc. 18. Marc. 14. Matth. 3. Lazarus probat, recepto lumine cæcus annunciat, ve-
nerandis ejus calcata veſtigiis maris unda teſtatur, &
quod præcellit hæc omnia, reſultans e cœlo vox pa-
Adhortatio ad venerationem Sacramenti dominicæ nativitatis. terna confirmat? Propter quod, dilectiſſimi, tam ma-
gnum hoc nativitatis dominicæ Sacramentum dignis
vocibus honoremus, diligamus præ omnibus caſti-
tatem, quia ut placere hanc ſibi Chriſtus oſtenderet
pudicitiam uteri virginalis elegit. Sectemur miſeri-
cordiam, quia pietas eſt quod ſalvamur. Juſtitiam ſol-
licite teneamus, quia ob hoc unigenitus Dei effici di-
gnatus eſt homo, ut veritatem prædicans, univer-
ſam mundi faciem damnata iniquitate purgaret.

Homilia quarta de eodem.

HOdierni myſterii ſacramentum, fratres cha-
riſſimi, ſicut credidiſtis ſemper & creditis,
reparatio eſt ſalutis humanæ, virtutum nativitas,
ruina vitiorum. Hodie namque Chriſtus Jeſus Do-
minus noſter, in quo divinitatis eſt plenitudo, car-
nis noſtræ infirma ſuſcipiens, novus natus eſt homo.
Hodie refulſit ſecundus ille Adam non incola, ſed
Dominus paradiſi, quem interdictæ arboris pulchri-
tudo non fallat, ſerpens non decipiat, mulier non
ſeducat. Hodie exortum eſt in tenebris lumen, ho-
die illud quod cœlum & cœli cœlorum ſe habere
gaudebant, mundus dum neſcit, accepit. Neque
enim ut temporalis quidam, aut qui ante non fuerit,
de fœmina nobis repentinus emerſit: ſed qui ſem-
per erat cum Patre Deus, ſemperque regnabat, no-
vo per Virginem voluit mortalibus apparere myſte- Chriſtus a Prophetis prænunciatus.
rio. Novus quidem homo, ſed Dominus ſempiter-
nus; novus Chriſtus, ſed Rex omnium ſæculorum.
Ipſe eſt in fine temporum natus ex Maria, qui ante
omnia ſæcula unigenitus proceſſit a Patre. Hic eſt
prædictus a Patriarchis, a Prophetis prædicatus, an-
nunciatus ab Angelis, ab Apoſtolis approbatus. De
uno eodemque legis: *In principio erat Verbum*: & Joan. 1.
Verbum caro factum eſt. Gaude nunc & exulta ad
Deum tuum tandem converſa gentilitas. Percepiſti
donum quod Abraham in ſpiritu ſe vidiſſe lætatus Joan. 6.
eſt: meruiſti per Chriſtum quod mereri quondam
Hebræorum gens electa non potuit. Timens enim
Iſrael & tremens mirabatur, ut legimus, quod Moy-
ſes populi princeps reconditus in nube & in verti-
ce montis altiſſimi ſolus cum Domino loqueretur.
Tibi vero ſic natus eſt Chriſtus, & tanta ſe nobis
dignatione conceſſit, ut loqueretur omnibus, & ab
omnibus videretur. Ad illum tunc montem Sina
quicumque acceſſiſſet ex populo, præſenti punieba-
tur interitu. Ad hunc vero montem qui hodie na-
tus eſt mundo, quicumque non acceſſerit, morietur.
Et tunc quidem unus populus erudiebatur ad fi-
dem, nunc vero omnes gentes vocantur ad vitam.
Viderunt venerabiles patres noſtri innumera ma-
gnaque mirabilia. Cœlum illis Angelicas rotavit Exod. 16. & 7.
eſcas, dulcia pocula lapis duriſſimus miniſtravit, Joſue 3.
Jordanis perpetem meatum ſuum retorſit in fontem, Joſue 6.
validiſſimi hoſtium muri ad turbarum ſtrepitum
corruerunt. Sol quoque commoratus in cœlo longio-
rem triumphanti populo præſtitit diem. Hoc vero Joſue 10.
nullis antea videre ſæculis datum eſt, ut unigenitus
Altiſſimi, quem trementes Archangelorum ſuſci-
piunt poteſtates, hominem ſe hominibus exhiberet,
& carnem quam ſumpſit ab homine, transformaret
in Deum. Amplectere ergo dignationem majeſtatis
æternæ, & ne arcanam Dei tui diſcutias voluntatem;
quia omnibus quidem natus eſt Chriſtus, ſed Fide-
libus dat ſalutem. Quod ſi tibi ſenſuum tuorum fra-
gilitate minus dignum videtur Filium Dei natum de
fœmina credere, virginem cogita peperiſſe. Si tibi
panni, quibus obvolutus eſt, fortaſſe vileſcunt, An-
gelos collaudantes & multitudinem cœleſtis exer-
citus admirare. Si præſepe in quo infans jacuit de-
ſpicis, erige pauliſper oculos, & novam in cœlo ſtel-
lam proteſtantem mundo nativitatem dominicam
contuere. Si credis vilia, crede mirifica. Si de his,
quæ humilitatis ſunt diſputas, quæ alta ſunt & cœle-
ſtia venerare. Iiſdem enim referentibus, iiſdemque
autoribus de Domino ſalvatore, quæ humilia & quæ
glorioſa ſunt, didiciſti. Univerſa quæ ad ſalutis tuæ
myſterium pertinebant, ſacra tibi Evangelia prodi-
derunt. Habes in his unde Dominum Jeſum & natum
hominem credas, & Deum eſſe dubitare non poſſis.

Homilia quinta de eodem.

INveſtigabiles humanis ſenſibus diſpoſitiones eſſe
divinas ipſa operum Dei altitudo teſtatur. Sed
eo magis nobis Chriſti ſunt veneranda myſteria,
quo magnitudine ſui, capacitatem ingenii mortalis
excedunt. Et ideo, fratres, cum annunciatur nobis Chriſti nativitas non diſcutienda ſed credenda.
ſempiternus ille unigenitus Dei Patris, cui ſubjacent
omnia, & per quem creata ſunt univerſa, ſub fine
temporum naſci voluiſſe de fœmina, infantiam per-
peti, noſtræ carnis ſubire conſortia, tantæ dignatio-
nis gratiam non debemus examinare, ſed credere:
nec diſcutere, ſed mirari. Quid enim eſt æquius,
quidve tam congruum, quam ut in rebus divinis om-
nipotentiam magis ſequamur Dei, quam ſapientiam

mundi? Hodie igitur nobis (ſicut decurſa Evangelii
lectione cognovimus) ſecundum carnem natus eſt
Chriſtus, incipiens quidem eſſe quod non erat, ſed
non deſinens eſſe quod erat. Nec enim nativitas
hominis imminuere aut ſeparare indiſcretæ maje-
ſtatis poterat unitatem. Quod Deus de Deo Patre
proceſſit, ineffabilis ac permanentis eſt ſecretum vir-
tutis: quod homo eſt natus ex fœmina, noſtræ ſalutis
eſt gratia. Illic gloria naturæ: hic myſterium volun-
tatis. Quis ergo, fratres, profundum hoc cœleſtis
conſilii valeat æſtimare, quod immortalitatis domi-
nus incorruptæque ſubſtantiæ, ut conditione carnis
mortem ſuſcipere pro mortalibus poſſit, de fœmi-
neo utero nulla corporeæ generationis lege conce-
ptus, humana voluit ſub lege prodire, atque hoc
Luc. 2. ita, ut eum beata mater, quæ intacta conceperat, in-
violata proferret? Obvolvitur præterea pannis, &
ponitur in præſepi. Vilitas iſta infanti precioſum
Dei eſt Sacramentum: in pannis enim noſtras infir-
mitates, noſtra ſe indicat ſuſcepiſſe peccata. Quod
vero in præſepi, ubi paſtus eſt animalium, ſua col-
locari membra permittit, in æternam refectionem
veſcendum a mortalibus ſuum corpus oſtendit. Quid
illuc dicam quod in terras Angelica multitudo de-
ſcendens vagientem parvulum glorioſa laude pro-
ſequitur? Stupet enim omnis creatura tam grande
miraculum, quod unus idemque & Deus regnat in
cœlo, & homo nutritur in terra. Cujus myſterii bea-
tus David annuncians novitatem, omne hominum
genus ad concentum cantici ſpiritualis invitat, di-
Pſalm. 95. cens: *Cantate Domino canticum novum, cantate
Domino omnis terra.* Quod tam novum, chariſſimi,
quam quod omnipotens Deus majeſtatis immenſæ,
Patri coæternus, & perpetui regni Dominus ad in-
firmitates corporeas, & humilitatem ſe inclinavit hu-
manam? Quid tam novum, quam concipiente &
parturiente fœmina, illæſam virginitatem perma-
nere? Et talis revera Salvatorem mundi decebat in-
greſſus; ut qui humani generis veniebat peccata mun-
dare, præ cæteris mundius naſceretur. Bene etiam
Propheta ſubjunxit: *Cantate Domino omnis terra.*
Cui enim alii omnis debet cantare terra, niſi qui
univerſo terrarum orbi delictorum veniam, & ſpem
ſempiternæ ſaluti invenit? Magnificemus ergo, fra-
tres, Dominum ac Deum noſtrum, pſallamus ei at-
Exhortatio. que cantemus. Dignum eſt enim ut eorum præcipue
laudibus honoretur, quos proprii corporis paſſione
& ſanguinis ſui effuſione ſalvavit.

Homilia ſexta de eodem.

IN adventu dominico, fratres chariſſimi, cujus ho-
norem debitum præſenti feſtivitate deferimus,
multimoda cœleſtium myſteriorum gratia revela-
tur. Hodie enim, hoc eſt, in fine temporum editus
eſt ille, cujus æternitatem nulla ſæculorum tempo-
ra comprehendunt. Hodie cœli terrarumque Domi-
nus pro libertate ſervorum formam induit ſervitu-
tis. Hodie nova fœminei ſexus gloria peperit Virgo,
& quod univerſa nobiſcum creatura miratur, natus
eſt homo non per hominem procreatus. Sed quam-
vis novum videatur, non tamen incredulum quod
Chriſtus in utero Mariæ ſine generatione conce-
ptus eſt, qui de Deo Patre ſine conceptione proceſſit.
Quod enim Deus eſt, ſolius Patris eſt unigenitus,
quod homo eſt, ſolius matris eſt filius. Atque
ideo illum qui ex Patre Deus eſt, & ex matre homo,
hoc eſt, Deum & hominem unum Dominum con-
fitemur. Hoc autem totum factum eſt, ut & Deus
per carnem hominis myſterium ſalutaris ſuſciperet
paſſionis, & homo per virtutem Dei, æternitatis
ſuæ reciperet dignitatem. Naſcitur itaque Chriſtus
ex Maria, ut & ſexus fœmineus hominem daret,
& Deum proderet integritas virginalis. Naſcitur
Chriſtus ex fœmina, ut ſicut Adam decipientem
per Evam diabolum non potuit præcavere, ita dia-
bolus adventaneum per Mariam Deum non depre-
henderet eſſe præſentem. Parturit igitur fœmina ſa-
lutem mundi, ut quæ extiterat fomes iniquitatis,
fieret miniſtra juſtitiæ, & per quam mors ſibi in
hunc mundum aditum pateſecit, per eam ad nos
vita haberet ingreſſum. Atque ut oſtenderet crea- Chriſtus utriuſque ſexus curam habet.
tor humani generis utriuſque ſe ſexus curam habe-
re, & utrumque ſe velle ſalvare, vir naſcitur &
procedit ex fœmina, quatenus advertemus nul-
lam eſſe apud Deum inter virum ac fœminam in
percipienda ſalute diſtantiam. Cur autem non to-
ta devotione credamus ſaltem puerum naſci po-
tuiſſe de Virgine, qui perfectum hominem credi-
mus de pulvere fuiſſe formatum? Exultemus er- Exhortatio.
go, fratres, & lætemur celebrantes natalem Do-
mini noſtri Jeſu Chriſti: quia in ejus Nativitate
nos omnes natos ſentimus ad vitam. Factus eſt e-
nim homo, non ut ſibi viveret, qui autor eſt vi-
tæ, ſed ut morte ſua vitam redimeret mortuorum.
Tantis enim vinculis humanum genus vinxerat ini-
micus, tantaque nos mole immanium preſſerat pec-
catorum, ut nullus nobis eſſet reditus ad ſalutem,
niſi naſceretur ille, qui virtute propria ad vitam
poſſet redire poſt mortem.

---

*In Circumciſione Domini, ſive de Kalendis
Januarii increpatio.*

QUanquam non dubitem vos, chariſſimi, per
paternam ſollicitudinem inſtructione divini
ſermonis edoctos, univerſas Kalendarum ſu-
pervenientium vanitates declinare penitus & horre-
re; ad perfectioris tamen emendationis augmentum,
non me piguit viſitatum veſtris auribus inſerre ſer-
monem, ſicut ait beatiſſimus Paulus: *Fratres, ea-* Philip. 3.
*dem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis au-
tem neceſſarium.* Neceſſarium, dilectiſſimi, nec
ſuperfluum reor, ſi pro commonitione ſancta du-
dum habita præcedentium patrum vobis repetan-
tur alloquia. Et revera quid faſtidii, quid oneris
habet pro ſalutis profectu utilia ac Deo placita ſæ-
pe dicere, frequenter audire? Et ideo, chariſſimi,
fide ac devotione ſolita religioſi itineris vias ac ve-
ritatis ſemitas gradientes magis magiſque errorum
devia, & diabolica calcare figmenta. Nec enim de-
bet fidelis anima, quæ Angelorum conſortia con-
cupiſcit, dæmoniorum luſibus delectari. Neque
vero luci ac tenebris, veritati atque mendacio, tur-
pitudini & honeſtati apud Dei ſervos ulla poteſt eſſe
communio, ſicut nos Eccleſiarum doctor inſtruit
dicens: *Quæ conventio Chriſti ad Belial? quis autem* 2. Cor. 6.
conſenſus templo Dei cum idolis? Quicumque ergo
credentium vel eſt templum Dei, vel eſſe deſiderat,
ſollicite caveat, ne mortua & vana ſectando, deſi-
nens eſſe templum Dei, fiat habitatio tenebra-
rum, fiat dæmonis monumentum. Ait glorioſiſſi- Pſalm. 39.
mus Propheta David: *Beatus vir cujus eſt nomen
Domini ſpes ipſius, & non reſpexit in vanitates &
inſanias falſas.* Itaque qui ſperat in Deum, ac to-
to corde in ejus gloriam luminum ſuorum defigit
aſpectum, ad inſaniſſimas vanitates conſecratos
ſemel Deo non debet oculos retorquere, quia ut
ait Dominus: *Nemo mittens manum ad aratrum,* Luc. 9.
& reſpiciens retro aptus eſt regno Dei. Omnis enim

arans ſi retro reſpiciat, aut tortuoſum & inutilem faciet ſulcum, aut arantum bovum ſuorum veſtigia vulnerabit. Ita & qui directo tramite ac ſpirituali vomere vitia mundana perſulcans incedit ad Dei regnum, ſi aſpectum ſuum ad impia & vana converterit, & juges ſuos, hoc eſt, corpus atque animam vulnerabit, & optimi itineris periculoſum incurret errorem. Et non reſpexit, inquit, in vanitates & inſanias falſas. Quomodo beatus David falſas inſanias dicit, cum vere inſaniant, qui objecto retrorſum timore Dei, ad dæmonum reſpiciunt vanitates? Sed vir fidelis proprie naturam impiæ falſitatis expreſſit, quia inſana ſunt omnia quæcumque diaboli fallente mendacio, Dei in ſe non habent veritatem. Et illorum gravior atque immedicabilis languor eſt, qui ſuperſtitionum furore, & ludorum ſuavitate decepti, ſub ſpecie ſanitatis inſaniunt.

Notat ſuperſtitionum furorem.

An non omnia quæ a miniſtris dæmonum illis aguntur diebus, falſa ſunt & inſana, cum vir virium ſuorum vigore inolito totum ſe frangit in fœminam, tantoque illud ambitu atque arte agit, quaſi pœniteat illum eſſe quod vir eſt? Nunquid non univerſa ibi falſa ſunt & inſana, cum ſe a Deo formati homines, aut in pecudes, aut in feras, aut in portenta transformant? Nunquid non omnem excedit inſaniam, cum decorem vultus humani Dei ſpecialiter manibus in omnem pulchritudinem figurarum ſqualore ſordium, & adulterina fœditate deturpant? Quomodo non ſanum ſapientibus paret nihil ibi ineſſe ſanitatis, ubi impia, ubi inhoneſta, inverſaque omnia & faciunt & loquuntur: non audientes clamantem quotidie in Eccleſia beatum David & dicentem:

Pſalm. 4.

Filii hominum uſquequo gravi corde! ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Grave utique eorum cor eſt, atque omni impietate depreſſum, qui per ſacrilegos logos divinis monitis illudentes, vana diligunt & falſa ſectantur, & poſt omnia ad offenſionis plenitudinem dies ipſos annum novum vocant.

Novus annus.

Quanquam non inconvenienter ſecundum ſe novum appellent annum: quoniam per nefandas ferias de honeſtate falſa torpitudo & perverſitas innovatur. Novum vocant annum quaſi novi aliquid aut cœlum tunc oſtendat, aut terra. Novum annum Januarias appellant Calendas, cum vetuſto ſemper errore & horrore ſordeſcant. Auſpicia etiam vaniſſimi colligere ſe dicunt, ac ſtatum vitæ ſuæ inanibus indiciis æſtimantes, per incerta avium, ferarumque ſigna, imminentis anni futura rimantur: cum utique apud Deum ſolum ſit notitia futurorum, & legalis autoritas iſta prohibeat, dicens:

Deut. 19.

Ne auſpicemini, ne auguriis intendatis. Sed miſeri ac miſerandi homines rapti erroribus paganorum, & minus provido corde cæcati, cum impietate de domibus ſuis prodeunt, & cum ſacrilegio revertuntur. At quomodo ſe Chriſtianum putat poſſe vel dici, qui in tali obſervatione videt ſe perfidis eſſe conſortem? Iſta vos, chariſſimi, jamdudum nec obſervare, nec quærere manifeſta relatione cognovi, ac revera non ſunt a nobis penitus inquirenda, qui omnipotenti Deo credimus, qui pro qualitate meritorum, aut fidei probatione cunctis mortalibus poteſtate arbitrii ſui, vel proſpera, vel adverſa diſpenſat: præcipue cum hujuſmodi homines arguat & increpet Apoſtolus dicens,

Galat. 14.

Dies obſervatis & menſes & tempora & annos, timeo ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis. Videte, chariſſimi, in quo laborem erga ſe Apoſtolicum perdiderunt. Vos autem, ſicut huc uſque pro Dei timore feciſtis, abhorrete vana, refugite falſa, impia declinate, ut & ad domum Dei confidenti ſemper corde venire poſſitis & in fide veſtra gentium magiſtra & judex, doctrinæ ſuæ fructum Paulus inveniat.

S. Maximi.

In Epiphania Domini homilia prima.

IN hac, dilectiſſimi, celebritate ſicut relatu paternæ traditionis inſtruimur, multiplici nobis eſt feſtivitate lætandum. Ferunt enim hodie Chriſtum Dominum noſtrum vel ſtella duce a gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias aquas in vina vertiſſe, vel ſuſcepto a Joanne baptiſmate, conſecraſſe fluenta Jordanis, ſuumque ſimul purificaſſe Baptiſtam. Sed quid potiſſimum præſenti hoc factum ſit die, noverit ipſe qui fecit, nos tamen credere nec dubitare debemus, quicquid illud eſt, factum eſſe pro nobis. Nam quod eum fulgentioris ſtellæ radiis incitati adoravere Chaldæi, Dominum verum gentibus ſpes data eſt adorandi.

Matth. 2.

Quod aquæ novo ſunt ordine in vina mutatæ, novi nobis poculi prælibatum eſt Sacramentum.

Joan. 2.

Quod autem baptizatus eſt Agnus Dei, regenerantis baptiſmi ſalutare nobis munus eſt dedicatum.

Matth. 3.

Oportet itaque nos, fratres, ad honorem Salvatoris noſtri, cujus nativitatem debita nuper cum exultatione tranſegimus, omni cum devotione etiam hunc virtutum ejus celebrare natalem. Et quam recte tria hæc nobis uno acta in die myſteria prædicantur, qui ineffabilis Trinitatis arcanum vero Dei ſub nomine confitemur!

Tria uno die acta myſteria.

Per hæc ergo miracula Chriſtus Dominus Redemptorque noſter oculis ſe voluit revelare mortalium quatenus inviſibilis ejus divinitas quæ latebat in homine, in opere non lateat, ut dum tentator Verbum Patris omnipotentis non deprehendit in carne, omnes ubique qui in Dei Filio Verbum & carnem crederent, ſalvarentur. Et quidem videbat diabolus infantem pannis obſitum; ſed ignorabat ipſum eſſe, qui remotis initio tenebris mundum luce veſtivit. Videbat eum mortalis matris ubera ſugentem: ſed neſciebat ipſum eſſe qui eſurientem Hebræum populum, Angelico fecit pane velut cœleſti lacte pingueſcere. Videbat parvulum anguſtis in cunabulis quieſcentem, ſed videre non poterat ipſum eſſe, quem non capit mundus. Quanto igitur inimicus in hac Chriſti humilitate per incerta diſtractus ſtupore nutabat, cum per Chaldæos, præcipuos utique tyrannidis ſuæ miniſtros, novum videret infantulum, velut novi imperii regem regiis muneribus honorari?

In Chriſti humilitate inimicus torquetur.

Aut quomodo non ſtuperet, cum turbatus inſpiceret a Magis ſuis adorari puerum quem ipſe neſciret? Quo torquebatur languore, cum pariter ejus & cunas in terris diſpiceret, & ſtellam miraretur in cœlo? Unigenitus autem Altiſſimi ſic humiliter ingreſſus eſt mundum, ut indubitata divinitatis ſuæ deferret indicia. Natus enim de fœmina eſt, natus ex Virgine jacebat in præſepi, ſed in ſidere rutilabat: ut hominem illum, Deumque eſſe, & terrena mater, & ſignum cœleſte monſtraret. Quibus vero radiis, quantove lumine illam Domini ſtellam antiquam credimus tunc inter aſtra fulſiſſe? Quantum in ſplendore præceſſit, quæ tantum præibat in munere? quæ velut quidam totius orbis oculus caligantis mundi veterem novavit aſpectum? Ecce fratres, ad quærendum regem regum una Chaldæos ſtella pertraxit. Judaicum vero populum ad obedientiam Dei ſui, nec ignea quondam potuit columna convertere.

Judæorum perfidia.

Nec ſane quenquam moveat tanta hæc perfidia Judæorum, quod Chriſti illos fidem ſuſcipere, neque novi ſtella fulgoris, nec parturiens virgo compulerit, qui nec tunc quidem Deo credidere ſuo, cum illos per arentia deſerta ipſo comitante Deo cœlum paſceret, petra potaret. Sed jam ad illud præcipuum Chriſti miraculum veniamus, quo pro documento

Dominus cur ierit ad nuptias.

deitatis ſuæ, aquas vertit in vinum. Invitatus itaque, ut legitur, Dominus perrexit ad nuptias, ſed ut dignaretur hoc Virginis filius, noſtræ eruditionis eſt ratio, ut docti exemplo legitimarum illum nuptiarum non negemus autorem. Vadit ergo ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum poteſtate conſtituit, nunc præſentiæ ſuæ benedictione ſanctificet. Vadit ad nuptias veteris inſtituti, novam ſibi perpetuæ virginitatis ſponſam gentium de converſione facturus. Vadit ad nuptias quem nuptiæ non procrearunt. Vadit ad nuptias, non utique ut conviviis delectetur, ſed ut

Joan. 2.

mirabilius innoteſcat. Vadit ad nuptias, non ſumpturus pocula, ſed daturus. Nam cum defeciſſet nuptiantibus vinum, ait illi beatiſſima Maria, *Vinum non habent*. Cui velut indignans reſpondit Jeſus; *Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit ora mea*, Hæc verba indignantis eſſe quis dubitet? Sed idcirco ut reor, quia tam temere ei mater de defectu carnalis poculi ſuggerebat, qui venerat totius orbis gentibus novum ſalutis æternæ calicem propinare. Quod enim ait, *Nondum venit ora mea*, illam nimirum glorioſiſſimam paſſionis ſuæ horam, atque illud redemptionis noſtræ vinum, quod vitæ omnium proficeret, promittebat. Nam, quod petebat Maria, erat gratiæ temporalis: quod Chriſtus parabat, gaudii ſempiterni. Nec tamen piguit benigniſſimum Dominum, dum magna veniunt, parva præſtare. Et ideo venerabilis Maria, vere ut mater Domini, in ſpiritu futura prænoſcens, ac dominicam prævidens voluntatem, ſollicite miniſtros admonuit

Ibidem.

dicens: *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Sciebat profecto mater ſancta objurgationem illam Domini filiique ſui non iraſcentis offenſam prætendere, ſed miſerantis portare myſterium. Tunc Dominus increpatæ matris revelans pudorem, ſuamque jam aperiens majeſtatem, expectantibus ait miniſtris: *Im-*

Ibidem.

plete hydrias aqua. Neque mora, obſequium ſuum obediens miniſter exhibuit, ecce repente aquæ illæ cœperunt mirabiliter fortitudinem ſumere, ducere colorem, odorem præbere, ſaporem concipere, totamque ſimul mutare naturam. Quæ permutatio aquarum a ſua in aliam creaturam, præſentis creatoris eſt reſtata virtutem. Neque vero quiſquam convertere aquas in in uſus poſſet alios, niſi ille qui eas fecit ex nihilo. Stupuit ergo miniſter attonitus qui aquas miſerat, & vina ſumebat, lætatuſque nimium illa ſe ſuis humeris fluenta portaſſe per quæ Dei eſſet gloria revelata. Nemo enim quicquam locutus eſt in tempore, hydriis præter aquam nihil adjectum, ars nulla conducta eſt, & tam grande miraculum inter pavida circumſtantium ſilentia, ſola tantum voluntas

Exod. 7. Ibidem. 17.

Domini tacentis effecit. Nec dubitandum, chariſſimi, quia ipſe aquas traduxit in vinum, qui eas ab initio concrevit in nives, duravit in glaciem, Ægyptiis vertit in ſanguinem, & Hebræis ſitientibus manare arida de rupe præcepit, quæ innumerabilium multitudinem populorum ſtillicidio novi fontis vice maternorum uberum nutriebat. Quid primum ſtupeas, quid mireris vinum de aqua, an aquam de petra? Sed nulla te, quicumque es qui inter iſta cunctaris, infidelitas turbet, quod dubium non eſt ad nutum Creatoris creaturarum elementa pendere. Aut cur non credamus virtute dominica vinum fieri potuiſſe de aqua, cum nobis operante Deo fomentis imbrium terræ de gremio per miniſteria vinearum

Adhortatio.

aqua ſurgat in vinum? Hoc, inquit, fecit Jeſus initium ſignorum in Cana Galileæ, & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus. Crediderunt diſcipuli, non utique hoc quod fieri cernebant, ſed illud quod carnalis videre non poſſit aſpectus. Crediderunt non quod Chriſtus Jeſus Filius eſſet Virginis quod ſciebatur; ſed quod idem unigenitus eſſet Altiſſimi, quod in opere probatur. Unde & nos, fratres, toto corde credamus ipſum eſſe Dei Filium, quem Filium hominis confitemur. Credamus illum & noſtræ conſortem naturæ & paternæ ſubſtantiæ coæqualem, quoniam & nuptiis interfuit homo, & aquas in vina mutavit, ut Deus; quatenus fidei hujus merito nos etiam Dominus noſter ſobrio illo gratię ſuę vino propitius portare dignetur.

Homilia ſecunda unde ſupra.

AUdiſtis, fratres, lectionem Evangelii ſalutaria præſentis diei ſacramenta recitantem. Audiſtis qualiter Chriſtus Dominus qui in hunc mundum latenter advenit, paulatim dignatus eſt ſuam aperire mortalibus majeſtatem. Quanquam, chariſſimi, latere inter oſcura ſæculi lumen cœleſte non poterat. Denique cum viſitationem ſuam nec dum terra dignoſceret, Cœlum ſua gaudia ac totius mundi lætitiam Chaldæis ſtupentibus tacito in ſidere loquebatur. Et cum quis quantuſve eſſet nec dum infidelis poſſit videre Judæa, jam tunc gloriam ejus judiciis excitata cœleſtibus gentilitas ſentiebat: nova enim ſtella novum adventaſſe hominem revelabat, & ita revera novum, ut cum Dei eſſet Filius, indueret carnem ſine generatione carnali, & haberet ſecundum hominem tempus naſcendi, qui ſecundum Deum nativitatis initium non habebat. Novum nimirum erat, ut unigenito Altiſſimi quem non capit cœlum, parviſſimi tugurii minimum præſepe ſufficeret. Novum erat qui in cœleſtibus cum Deo Patre regnabat terrena matre contentus, vagitus infantiæ daret in pannis. Lætemur itaque, fratres, totiſque gaudiis exultemus quia nobis eſt natus Chriſtus ex fœmina, nobis jacuit in præſepi, nobis vagiebat in cunis, nobis arridebat in ſtella. Totum enim

Math. 2.

nobis proficiebat, quicquid Salvator hominis agebat in homine. Ait itaque Evangelicus ſermo: *Ecce Magi ab Oriente advenerunt Hieroſolymis dicentes: Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Quouſque, Judæe duriſſime, obtuſa aure, clauſis oculis & perfido corde perſiſtis? Ecce jam poſt illa Patriarcharum præconia, poſt vaticinia Prophetarum, Chriſtus & a gentibus prædicatur. Si patribus tuis credere detrectas, qui ab initio ſæculi æterni regis adventum innumeris ſacratiſque vocibus cecinerunt, crede vel his tandem qui eum non adhuc poſt tempora naſciturum, ſed jam & apud te & tibi

Judæorum mortifera obſtinatio.

natum eſſe teſtantur. Quæ tanta eſt in pectore tuo mortiferæ obſtinationis averſio, ut ſolus non audias quod omnes loquuntur, ſolus refugias quod univerſitas credit, ſolus certe videre contemnas, quod ſplendet e cœlo. Apud te Virgo concepit, & Virginis tuæ partum alienus agnoſcit. Tibi ſalutem tuam angelicæ voces perſuadere non poſſunt, & ad Chriſtum tuum una Chaldæos ſtella perduxit. *Ubi eſt*, inquiunt Magi, *qui natus eſt rex Judæorum? Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* In his impletum eſt illud, quod prophetico ſermone prædictum eſt: *Quibus non eſt nunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent.* Ec-

Eſai. 52.

ce enim Chaldæus, cui neque annunciatum de Chriſto fuerat, neque audierat: & vidit ſtellam Chriſti, & adeſſe eum intellexit in ſtella. Adorant itaque Magi Dominum & offerunt munera, ut impleretur

Pſalm. 28.

quod ait ille præcipuus Prophetarum David: *Afferte Domino patriæ gentium: afferte Domino gloriam & honorem*. Domino & Domino quod ait, Dominum

illum

Digitized by Google

Chriſtus omnium Dominus.

illum eſſe ſecundum Deum, Dominum, & ſecundum hominem myſtico ſermone declarat. Quod enim Deus eſt, creator eſt mundi: quod homo eſt, redemptor eſt mundi. Quomodo ergo non privilegio utriuſque ſubſtantiæ Dominus eſt omnium Chriſtus qui ſibi univerſa, aut creatione, aut redemptione ſubegit? Afferte, inquit, Domino gloriam & honorem.

Ibid.

Honoris ergo eſt, chariſſimi, quod offerunt Gentiles munera, gloriæ quod adorant, Munera Chaldæi offerunt & adorant. Unum ab illis defertur ut regi, aliud exhibetur ut Deo. Hi itaque adorato Chriſto, oblatiſque muneribus, per aliam, ut lectum eſt, viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Rectiſſime per aliam viam redeunt, ne cruentus Herodes, qui mortem parabat infanti, itinere magorum pervenire poſſit ad Chriſtum. Neque enim qui adorare Dominum venerant, Domini eſſe poterant proditores. Quam bene, fratres, per aliam viam rediſſe dicuntur! Nam qui ſtella duce venerant in Judæam, in patriam ſuam æterni Solis illuminati radiis reverterunt. Et ideo omni cum reverentia celebremus hunc diem, magorum obſequia, noſtra devotione ſuperantes, quoniam ſi illi Chriſtum jacentem in cunabulis repererunt, nos eum regnantem habemus in cœlo.

Homilia tertia unde ſupra.

QUamvis, dilectiſſimi fratres, Chriſtus ſalutis noſtræ Dominus, omnipotentis Patris Filius coæternus velamine carnis adopertus & humilis dignatus ſit viſitare mortales, dedit tamen multa ac maxima ſuæ majeſtatis indicia, quibus mens humana ſentiret & novum hominem natum, & Deum adventaſſe de cœlo. Nam cum ipſe Dominus noſter lege nativitatis humanæ parvulus & infans apud Judæam vagiret in cunis, lateret in pannis, magnificentiam tamen ejus univerſo orbi mirabilis ab alto ſtella prodebat. Quis enim dubitet ipſam ſtellam lætiori luce & fulgentioribus radiis coruſcaſſe, quæ cœli terræque lumen humanis oculis ingerebat? Et neceſſe erat, ut ſtella hæc a cæteris ſideribus orbe clariore diſtaret quæ annunciabat Chriſtum, cujus nativitas ab univerſis mortalibus differebat. Et novo quidem ſidere nunc micabat cœlum, ſed magis novo mundus lumine refulgebat.

Magna miraculorum gloria.

Quis hanc inveſtigare miraculorum gloriam poſſet, quod pro remedio ſalutis noſtræ uno eodemque momento creatura lucebat in cœlo, & creator ſplendebat in terris? Nec mirum, chariſſimi, ſi cœlorum Dominum teſtimonium cœleſte proſequitur. Aut cur nobis incredulum videatur, ſi conditorem ſuum obſequens factura teſtatur? Et mirabatur quidem terra, quod novam ſtellam videret in cœlo; ſed plus mirabatur cœlum, quod novum ſolem videbat in terris. Quam profundæ cogitationes Domini, & inveſtigabiles viæ ejus; qui ne perfidia hominum partum Virginis impugnaret, dedit ab excelſo clariſſimum ſignum, quod nec Gentilitas refutare poſſet,

Math. 2.

nec Judæa celare. Veniunt itaque, ut lectum eſt, ab Oriente Chaldæi, ſequuntur præviam ſtellam non magica arte recognitam, ſed ſui novitate mirabilem. Idcirco autem Magi apud Hieroſolymam

Num. 22.

præcipue natum regem requirunt, quia Balaam ille ariolus & ſacerdos quondam gentium, cujus aſina locuta perhibetur, ſtellam ex Jacob oriundam, & hominem ex Iſrael prophetaverat eſſe venturum.

Num. 24.

Ait enim inter cætera ſicut legitur: *Orietur ſtella ex Jacob: & exurget homo ex Iſrael.* Nemo ergo nunc miretur nativitatem dominicam agnoviſſe Chaldæos, quam utique ſi revelante Deo gentilis pronunciare potuit, potuit gentilis agnoſcere.

Chriſti adventus cur ab infideli prædictus ſit.

Fuit enim hoc, quantum æſtimari datur, ſupernæ diſpoſitionis arbitrium, ut inter ſacratiſſimas Prophetarum voces, etiam ab infideli homine ejus prædiceretur adventus, qui pro fidelium, infideliumque erat redemptione venturus. Et ea nimirum ratione prophetat idolorum ſacerdos, ut ſi Judæis prædicatoribus de adventu Chriſti credere forte Gentilitas renuiſſet, ſuorum ſaltem teſtimonium ſequeretur auctorum. Nec dubitemus omnipotentem, ac benigniſſimum Deum, Balaam illi alienigenæ præſcientiæ dare potuiſſe ſermonem, qui aſinæ ipſius linguam in verba potuit humana laxare. Loquebatur igitur ſeſſoris arioli aſina. Pronum quippe animal, & naturaliter inſpiciens in terram, ut manifeſto ſignaret indicio, quod univerſa Gentilitas, quæ aris dedita & in terram ſemper perfidiæ ſuæ pondere preſſa, deſpiciens omnipotentis Dei cultum, tacita erat & muta, adventante ſtella ex Jacob, & homine ex Iſrael, erectis ad cœlum oraculis, æterni Dei gloriam quotidianis eſſet confeſſionibus locutura. Venit itaque, fratres, ab Oriente illuminata gentilitas. Judæa vero duriſſimi cordis ſui infidelitate cæcata remanet in occaſu. Quomodo autem non vere in occaſu & in tenebris tabeſcit omnis contumacia Judæorum, qui indefeſſi Solis præſentiam reſpuentes, diem perpetuum perdiderunt? Et bene, chariſſimi, uno itinere tres ſimul adoraturi veniunt Magi, quia in uno Chriſto Jeſu, qui omnium credentium via eſt, inſeparata ab eis erat Trinitas adoranda.

Tres ſimul Magi cur adoraturi veniant.

Deſerunt autem & munera, quæ non tam munera quam myſteria probarentur. Offerunt ei aurum. In auro, fratres, oſtenditur captivitatis noſtræ pretioſa redemptio. In thure autem, & dæmoniorum ſuperſtitio ceſſatura, & futurus veræ Religionis cultus aperitur. In myrrha vero, qua exanima ſolent corpora conſervari, præfiguratur carnis noſtræ reparatio & reſurrectio mortuorum. Hæc autem offerri Chriſto tam ſacrata donaria non magorum arbitrium, ſed inſpiratio omnipotentis elegit. Quantum enim ad gloriam pertinet Chriſti, munera inſpecta carnaliter majeſtatis ejus omnimode videntur indigna. Nam quo Domino immortali aurum, quod utique ſolis eſt mortalibus, & uſui & amori? Quo omnipotenti Deo thus, cujus nidore etiam ſimulacra a gentibus honorantur? Aut quo ei myrrha fœtidorum corporum condimentum, cujus carni nulla mortis erat dominatura corruptio? Quæ omnia, dilectiſſimi, apud Dei Filium ſuperflua videbuntur & vacua, niſi adumbrata in illis vitæ noſtræ ſacramenta credantur.

Adhortatio.

Propter quod, fratres, ſperemus in Domino, & conforteтur cor noſtrum, ut in nobis quoque ſtella fidei eluceſcat, quæ nos via recta & ſine errore perducat ad Chriſtum. Offeramus & nos actuum noſtrorum devotioniſque munuſcula, quæ jam non in terris, & in cunis jacens ſuſcipiat Chriſtus, ſed quæ ſedens ad dexteram Patris amplectatur in cœlo.

Homilia quarta unde ſupra.

Eſa. 60.

AIt Prophetarum præcipuus Eſaias, ſicut audiſtis, fratres chariſſimi, *Illuminare, illuminare Hieruſalem, adeſt enim lumen tuum, & majeſtas Domini in te exorta eſt.* Hieruſalem vero manifeſtum eſt eſſe fidelium civitatem. Unde nos, fratres, qui portas cœleſtis Hieruſalem cœpimus introire, illuminati ſalutaribus ſacramentis in conſpectu Dei noſtri novo gaudio neceſſe eſt exultemus: quia nova hodie ſtella novum mundo hominem

revelavit. Hoc profectò die Chriſtus Jeſus a Patre veniens, Deus & homo natus e fœmina ſub ſpecie adorantium Chaldæorum fidem gentium dedicavit. Qui quamvis divinitatem ſuam noſtri corporis adumbratione velaret, Deum tamen eſſe illum cœlum prodidit, & terra cognovit. Humilis quidem, ſed mirabilis venit; ut pariter in eo & aſſumptæ carnis veritas, & ineffabilis deitatis natura fulgeret. Et quamquam naſcentem illum cunabula terrena ſuſceperint, non tamen eſſe terrenum cœleſte ſignaculum teſtabatur. In cunis namque jacebat;
Matth. 2. ſed radiabat in cœlo. Vagiebat apud Judæos, & apud Gentiles regnabat. In Bethleem lactabatur a matre, & in Chaldæa adorabatur a Magis. Ait namque beatiſſimus Evangeliſta Matthæus: Ecce Magi ab Oriente advenerunt dicentes: Ubi eſt qui natus
Luc. 1. eſt rex Judæorum. Quam bene ab Oriente properare dicuntur, qui adoraturi ſempiternum veniunt Orientem, de quo dictum eſt: *Et viſitavit nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris ſedent*. Deinde ſubjungunt Chaldæi: *Vidimus ſtellam ejus, & venimus adorare eum*. Ejus, inquiunt, ſtellam vidimus: Bene ejus, quia quamvis omnes ab eodem creatæ ſtellæ ipſius ſunt, hæc tamen proprie Chriſti erat, qui ſpecialiter ejus nunciabat adventum. Et ceteræ quidem factæ ſunt ſtellæ, ut mundi iſtius tempora curſuſque diſtinguerent: hæc vero prodire juſſa eſt, ut ipſum mundi Dominum, & regni cœleſtis adeſſe tempus oſtenderet. Ajunt itaque Magi: Vidimus ſtellam ejus, & venimus adorare eum. Ecce Chriſtum qui non habent, habere volunt, & invenire contendunt. Judæus Deum ſuum refugit, Paganus inquirit. Quod proximus non agnoſcit, alienus intelligit. Gentilis ſtellam Chriſti videt &
Joan. 1. venit: Judæus Chriſtum videt & invidet, ſicut lectum eſt: *In ſua venit, & ſui eum non receperunt*. Vere Judæa duriſſima, ſuaque infidelitate cæcata, non videbat quod ſtella radiabat, nec audire poterat quod Angeli conclamabant. Igitur inquirentibus Magis, ac dicentibus: ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? Turbatus eſt Rex Judæorum Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo. Turbatur Rex, regno, credo, metuens ſuo, neſcius quia Chriſtus non veniebat regnum ejus invadere, ſed ſalvare: & quod nulli inferret mortem qui eſt vita cunctorum. Et cum perambularent Magi, ſtella, ſicut lectum eſt, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, donec veniret & ſtaret ſupra ubi erat puer: Venit, inquit, & ſtetit ſupra ubi erat puer. Nunquid non dicere,
Stella dominicæ nativitatis miniſtra. & clamare videbatur: Hic eſt puer, quem natum teſtabar e cœlo? Hic eſt Rex ille magnus, qui venit cœleſti imperio regnum ſociare terrarum. Vere ſtella hæc dominicæ nativitatis miniſtra, quæ tanto eſt Chaldæis obſecura famulatu, ut in inquirendo Chriſto non ſolum eos moneret e cœlo, ſed & ducatum illis præberet in terris. Adorato itaque Domino, Magi, oblatiſque muneribus, prætereuntes Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Neque vero poterant per Herodem, id eſt, itinere mortis redire, qui in patriam ſuam, adorato Dei
Matth. 2. Filio, cœleſtis vitæ munera reportabant. Eluſus ergo Herodes, & contemptus a Magis (ut ait Evangeliſta) *iratus eſt valde, & miſit, & occidit omnes pueros qui erant in Bethleem a bimatu, & infra*. A bimatu, inquit, & infra ætas ſcribitur occiſorum, ut occidentis innoteſcat acerbitas. O ira perverſa, inconſultaque ſævientis indignatio! Chaldæis iraſcitur, innocentes interficit, & dum in mortem immaculati fertur infantis, lactantium perimit turbas, quatenus iniquiſſimum regem qui indebitum quærebat ſanguinem, proſtratæ multitudinis multiplex reatus involveret. Nec advertere poterat furentis inſania, quod ille qui mortuos morte ſua vivificare veniebat, cogi in mortem non poſſit invitus.
Et hæc omnia, chariſſimi, agebat per Herodem diabolus, ut per voluntatis ſuæ miniſtrum, aut Chriſtum perimeret, aut parvulorum nece lætiſſimum Chriſti contriſtaret ingreſſum. Sed nulla ſit apud fideles innocentium de morte triſtitia, quia Chriſtus juſtiſſimus retributor, propter ſe paſſos ſuæ fecit participes paſſionis atque eos quibus libenter vitam parabat æternam, patienter permiſit occi- Herodis inſania.
di. Proinde nos, dilectiſſimi, venientes ex gentibus, quibus in ſtella dominica ſalutare lumen radiavit e cœlo, apud quos Virginis fidelis eſt partus, quibus Chriſtus & in cunabulis Deus eſt, & devotionis ac fidei noſtræ munera deferentes, Herodis perfidiam declinemus, & ſanctificato corpore ac ſpiritu, noſtram miſericordiam diligentes ſacratiſſimum ſemper Domini honoremus adventum, ut ſicut de ejus illuminatione gaudemus, ita de noſtra retributione lætemur. Adhortatio.

Homilia quinta ubi ſupra.

SAlutare nobis eſt, fratres, atque conveniens; ut concurrentes ad feſta Dominica & myſteria Salvatoris noſtri, de cujus nativitate gaviſi ſumus, ejus manifeſtatione lætemur: quia ſicut naſcendo glorioſus eſt Dei Filius, ita apparendo mirabilis. Mirum namque quod Chriſtus proceſſit ex Virgine: nec minus magnificum, quod oſtenſus e cœlo eſt. Mirum valde quod novum hominem terra ſuſcepit, ſtupendum nihilominus quod novum hunc hominem de cœlo ſtella prodiderit. Apud Judæam Chriſtus in præſepi paſtoribus vagiebat, & in Chaldæa Magorum oculis inter ſidera coruſcabat. Apud Judæos ſordebat in pannis, apud Gentiles fulgebat in gloria. Et quidem neceſſe erat ut cœlorum Dominum teſtimonium cœleſte præcederet, & auctorem lucis ſignum luminis revelaret. Magnum hoc, fratres, tremendumque myſterium, cum unus idemque annunciatur de Patre Deus, & homo de matre. Unus idemque Filius fœminæ, & Filius majeſtatis. Unus idemque hominum particeps & Dominus Angelorum. Quis enim valeat æſtimare, quanti ſacramenti, quamæque ſit gratiæ quod ille ſugit ubera qui paſcit omnia, & qui univerſis animantibus vivendi ſubſtantiam præſtat e cœlo, ob ſalutem terreſtrium terreno lacte nutritur? Nullus ergo ambigat, nemo cunctetur, quod Chriſtus in terra degens fulgebat in cœlo, quia ſic venit ad terras, ut non relinqueret cœlum. Et inde eſt quod virginalem hunc puerum laudant Angeli, mirantur paſtores, cœlum atteſtatur, venerantur & Magi, quia myſtica ejus nativitas ſempiterno gaudio & terram lætificavit & cœlum. Hunc ergo Regem cœleſtium hominumque rectorem ſub carnis myſterio venientem invidus tremit Herodes, Judæa infidelis abjurat. Tremit Herodes infantem regiæ dignitatis, quia bonitatem naſcentis ignorat. Abjurat Chriſtum Judæa quem prædicat, quia impietatibus ſuis metuens, juſti judicis refugit æquitatem, & ſcelerum ſuorum obcæcata tenebris, ſola videre non poteſt, quod omnibus ſplendet e cœlo. Et cum omnium Patriarcharum doctrina ac Prophetica ſanctorum virorum eloquia ad agnitionem Filii Dei Judaica corda non flexerint, unius ſtellæ radius fidem gentium ſuſcitavit. Quæ tanta permutatio, fratres, quæve iſta converſio eſt? Apud Judæos Propheta loquitur, nec auditur, apud Gentiles

Magnum tremendumque myſterium

Myſtica Chriſti nativitas terram lætificavit & cœlum.

ſtella

[Eſai. 52.] ſtella tacet & ſuadet. Vere ſicut ſcriptum eſt, quibus non eſt nunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt intelligent. Ecce enim Caldæi, quibus nihil unquam fuerat de hujuſmodi myſteriis prædicatum, intellexerunt nativitatem Chriſti, ipſumque Chriſtum ſollicite perquirentes, cœlo monſtratæ ſtellæ ducatu ante viderunt. Nec ſane a quibuſcunque vilibus, obſcuris, abjectiſque hominibus hæc ſunt vel intellecta vel viſa: ſed a Caldæis, id eſt, apud quos ſuperſtitionum regnabat error. In his, ingreſſus mundum Chriſtus, primitias fidei ſa- [Judæorum atque Gentilium certamen.] lutaris invenit. Et factum eſt inter Judæos atque Gentiles quoddam perfidiæ fideique certamen. Nato enim Chriſto, exultabat Caldæa, & tota cum ſuis principibus Hieroſolyma torquebatur. Inſectabatur Judæus, Magus adorabat, Herodes acuebat gladium, Caldæus munera præparabat. Sed quid mirum, ſi turba illa Judaica Chriſti non ſuſcepit infantiam, quæ etiam mortuos ſuſcitantem contumaciter ab uſu contempſit? Quid mirum, ſi in cunis jacentem Chriſtum ſprevere Judæi, quem cum cæcis vel nova daret lumina, vel repararet amiſſa, languoreſque varios ſalutifero ſermone curaret, ad omnia beneficia Domini redimentis ingrati, mendacis linguæ calumniis incuſabant? Quid mirum ſi in ejus nativitate ſtellæ ſplendentis indicia neglexerunt, in cujus paſſione etiam ſole lugente lætati ſunt? Quid mirum ſi Caldæis adventantibus hi credere noluerunt, quos ad fidem veritatis adducere concurſus non potuit Angelorum? Lætemur itaque nos, fratres, & exultemus in Domino, feſtivitatem perennis myſterii omni cum gaudio celebrantes, qui nativitatem dominicam non conjecturis carnalibus abnegamus, ſed fide ſimplici confitemur, qui Salvatoris adventum non nunciantibus Magis, ſed atteſtante deſuper Patre cognovimus, qui Chriſtum Dominum non jam inter cunabula vagientem quærimus, ſed regnantem veneramur in cœlo.

Homilia ſexta unde ſupra, de baptiſmo Chriſti.

Complura nobis, fratres, atque diverſa feſtivitas præſentis diei ſalutarium myſteriorum ſacramenta multiplicat. Nam ſicut poſteritati ſuæ fidelis mandavit antiquitas, hodie Salvator humani generis cœleſtibus oſtenſus indiciis a Caldæis eſt adoratus. Hodie Chriſtus beati Joannis mi- [Matth. 2. Matth. 3. Joan. 2.] niſterio fluenta Jordanis benedictione proprii baptiſmatis conſecravit. Hodie etiam invitatus ad nuptias divinitatis ſuæ potentiam manifeſtans, aquas vertit in vinum. Aquas, inquam, vertit in vinum, hoc eſt, qui ſanctificavit in baptiſmo, nobilitavit in nuptiis. Tria quidem hæc, fratres, unius fidei myſteria recenſemus, quæ per unum Dominum dignatio Trinitatis implevit. Neque enim aliquando in operatione virtutum abeſſe ſibi unitas poteſt, aut unquam ſeparari ab invicem poterit, quod Deitate eſt indiviſum. Denique cum baptizaretur Salvator, non ſe deeſſe unigenito Pater in voce prodidit, Spiritus in columba. Non ergo miremur, fratres, quibus in fide eſt Trinitas, ſi tria unum nobis diem myſterie conſecrarunt. Hodie itaque, ut diximus, Magus per ſtellam repetit, quod Judæus credere noluit per Prophetas. Hodie gentilitas edocta de cœlo Redemptorem mundi inquirit ut regem, muneratur ut fortem, adorat ut Deum. Et quam recte, chariſſimi, in teſtimonium novæ nativitatis, nova terris ſtella reſplenduit, cujus utique Judçorum gens perfida nec radium occultare poſſit, nec abſcondere veritatem. Neque enim ullo jam per eos poterat locum habere malignæ interpretationis obſcuritas, ubi cœlum ipſum univerſorum oculis ſidereo lumine credenda fulgebat. Et quam hoc mirabile quod exiguus ſtellæ radius ſtupentia alienigenarum corda permovit, cum illum Judaicum populum, cui mare diviſum, cui præbitum manna de nubibus, nec ignea potuarit & ipſa de cœlo micans columna convertere. Sed jam ad [Matth. 3.] Chriſti baptiſmum properemus. *Venit*, inquit, *Jeſus ad Jordanem ut baptizaretur a Joanne*. Cui ait Joannes: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Ego utique a te debeo baptizari, quia mihi eſt ex paterna prævaricatione corruptio, & tibi in paterna majeſtate communio. Ego in hunc mundum carnali ſum parente profuſus: tu vero huc ab ingenito Patre unigenitus adveniſti. Me viri & fœminæ naturalis copula procreavit, te autem altiſſimi obumbrante virtute, veneranda nobis virginitas dedit. Ego terrenum animal, tu agnus Dei. Ego peccati lege mortalis, tu autem adverſus peccata veniens, neſcis ſubjacere peccato: & poſt omnia ego factus ſum redimendus a te, tu autem natus ut redimeres. Cui indignatus reſpondit Jeſus: Sine modo: Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Id eſt, omnia quidem vera ſunt quæ memoras, ſed hæc mei adventus eſt ratio, ut quia ſub lege factus ſum, ordo legitimus ſuppleatur. Veni enim, non ut mihi viverem, cui vita æterna cum Patre eſt; ſed ut conditionem veſtræ mortis auferam. Et hoc eſt juſtiſſimum, ut quia totum ſuſcepi hominem, per omnia hominis tranſeam ſacramenta. Et revera, fratres, quomodo pro nobis Chriſtus ad baptiſmum non veniret, propter quos etiam corporeæ circumciſionis non vitavit injuriam? Unde & Joannes ſalutare myſterium recognoſcens, non jam Dei Filium, ut Baptiſta ſanctificat, ſed ut devotus miniſter cœleſtis obtemperat imperatis. Non enim poterat non obedire ſervus Domino, præco judici, regi miles, præcurſor autori. Atque ut hæc omnia divinitate agi plenius perfectiuſque Propheta dignoſceret, in ſpecie columbæ ſanctus ſe Spiritus videri dedit, & in voce ſermonis Pater audiri. Ait enim: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. [Ibidem.] Videte & intendite, fratres, quantum gratiæ de divina dignatione mortalitas conſequatur. Nam ut ſacratiſſima redemptionis noſtræ myſteria confirmentur, & ut manifeſtius æterna nobis Trinitas reveletur, baptizatur Filius in Jordane, Spiritus ſanctificat Sacramentum, Pater aperit veritatem. Supereſt jam ut tertia devotionis hujus charitati veſtræ cauſa clareſcat. Hodie nihilominus, ut per- [Joan. 2.] hibetur a Patribus, Dominus Jeſus in Cana Galileæ de aquis efficit vinum. Nihil a nobis eſt, fratres, in hujuſmodi mirabilibbus de Creatore cunctandum. Qui enim in exordio mundi dedit eſſe aquas, in fine quoque mundi quod voluit fecit ex aquis. Majoris nempe majeſtatis eſt creare quæ non erant, quam creata mutare. Et quid mirum ſi ad præceptum Domini ſui aqua tranſivit in vinum, cujus nutu ſalubrium fomento imbrium & ipſa vini genitrix uva nu- [Exod. 14.] tritur? Quid mirum ſi Dominus omnium propter hominem aquas vertit in vinum, qui ut hominem conderet, terram transformavit in carnem? Quid mirum, ſi ejus juſſu aqua meliorem proficit in ſaporem, cujus operatione, cum amara eſſet myrrha, bibituris populis, ligno medicante, dulcata eſt, cujus imperio etiam ut ſitientibus in eremo non deeſſet, concita proſiluit e petra? Et ibi quidem per Moyſem aqua procedit e ſaxo, ubi adhuc figura ſpiritualis eſt poculi: hic vero per Chriſtum efficitur vinum, ubi jam vera eſt bibentium ſalus. Quid igitur, fratres, hoc

lætius die, quid hac ſolemnitate ſacratius, in qua partum Virginis qui latebat in cunis, ſtella fulgentior gentibus coruſcavit, in qua Unigenitum Dei in ſanctificationem ſui Jordanis unda ſuſcepit, homo Spiritum S. vidit, Patrem mundus audivit? in qua etiam ſobrio illo vini mirabilis poculo, peccatis ebrium mortale genus viſitaſſe ſe Chriſtus oſtendit? Et ideo, chariſſimi, in ſpiritualibus donis, lubricæ carnis voluptate depoſita, ſpiritualiter gaudeamus, ut tenebras cordis noſtri nomen ſtellæ cœleſtis irradiet, benedictio paternæ vocis illuſtret, & ſalutare nos vinum Chriſto propinante lætificet.

Exhortatio.

Homilia ſeptima unde ſupra, & de baptiſmo Chriſti.

LIcet, fratres dilectiſſimi, de ſolemnitate diei hujus veterum ſit diverſa traditio, una tamen ſanctæ devotionis eſt fides. Et quanquam nonnulli hodie Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſtella duce, venientibus ab oriente Magis æſtiment adoratum, alii autem aſſerant eum aquas in vina mutaſſe, quidam vero baptizatum illum ab Joanne confirment, in omnibus Dei Filius creditur, in omnibus eſt noſtra feſtivitas. Nam quod Magis utique gentilibus & adorare Dominum & munera offerre conceditur, gentium eſt præfigurata vocatio. Quod aquæ transformantur in vinum, religionis noſtræ deſignatur arcanum. Quod vero fluentis Jordanis baptizatur Jeſus, aquæ noſtro baptiſmati conſecrantur. Oportet itaque, chariſſimi, ut aliqua nos de ipſo baptiſmate ſanctitati veſtræ, prout Dominus donaverit, proferamus: ut ſimul & humilitatem
Matth. 3. Luc. 3. Salvatoris noſtri, & myſteriorum gloriam cognoſcatis. Prædicabat in deſerto Joannes baptiſmum pœnitentiæ populo peccatori, non quo crimina commiſſa deleret; ſed quo emendaret errantes. Nam remiſſio peccatorum Chriſti gratiæ ſervabatur. Confluebat ergo ad Jordanem deſiderio lavacri diverſorum copioſiſſima multitudo, quorum eſſent tam ſcelerati actus, vita tam perdita, ut eos venerabilis Baptiſta vipereo ſemini compararet. Inter hujuſmodi homines, ille virtutum cœleſtium Dominus: ille
Pſal. 103. *qui reſpicit terram, & facit eam tremere* Chriſtus Jeſus, non dedignatur humilis & quietus ad ſervuli ſui baptiſmum properare. Sed quid mirum de manſuetudine Salvatoris, ſi ſe Prophetæ ſui manibus incli-
Joan. 1. navit, qui ſe ab inimicis ſuis paſſus eſt crucifigi? Quo properante ad fluvium talem Joannes circumſtantibus turbis erupit in vocem: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Hoc eſt dicere: Ceſſate jam, ceſſate a baptiſmo meo, quo pœnitentia ſuſcipitur: Ecce Baptiſta, per quem crimina dimittuntur. Deſinite ulterius a conſervo veſtro baptizari velle, præſens eſt Dominus omnium noſtrum, qui baptizat ad vitam: Illum ſequimini, illi credite, ab illo lavacrum ſalutis tota mente ſupplices poſtulate, a quo & ego ipſe Baptiſta veſter cupio baptizari. Non tenuit quidem Jeſus teſtimonium vocis hujus; ſed qui per ordinem vellet univerſa compleri: nihilominus baptizari ſe expetit ab Joanne. Tunc Baptiſta devotus baptizandi ſui pœnitentia tremefa-
Matth. 3. ctus, ait: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Id eſt, quoniam ego creatura ſum, tu Creator; ergo ſervus, tu Dominus; ego figura, tu veritas. At Jeſus ait: *Sine modo; Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam*. Id eſt, quid nunc iſta commemoras? præpoſitum ſuſceptæ humilitatis implendum eſt. Tunc ille, qui præſumere formidabat, velociter paruit præcipientis imperio. Baptizatur ergo Jeſus non ſibi, ſed nobis. Baptizatur non ut purifi- Chriſtus cur baptizetur.
cetur aquis, ſed ut aquas ipſe ſanctificet. Baptizatur novus homo, ut novi baptiſmatis conſtruat ſacramentum. *Aperti ſunt*, inquit, *ei cœli*. Æſtimo ut in cœleſtibus eſſet miraculum, de his quæ gerebantur in terris, ſicut ait Scriptura, in quem concupiſcunt
Angeli proſpicere. Quomodo enim poterant non 1. Petr. 1.
mirari Virtutes cœlorum, & Dominationes, Cherubim & Seraphim, cum viderent Dominum Sabaoth in fluvio ab Joanne baptizari? Ut autem Joannis atteſtatio etiam cœleſti teſtimonio confirmaretur, vidit Spiritum ſanctum corporali ſpecie quaſi columbam deſcendentem & manentem ſuper Jeſum. Audivit & Patrem dicentem: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Advertite, dilectiſſimi fratres, quanta nobis in baptiſmate Domini noſtri Jeſu pateſacta ſit gratia, quam ſubtili Sacramento Trinitas ſe hodie homini revelavit. Pater enim auditur in voce, Filius manifeſtatur in homine, Spiritus ſanctus dignoſcitur in columba. Quam mirifico autem myſterio Dominus noſter Jeſus Chriſtus, vel tactu corporis ſui, vel tranſitu gloriæ ſuæ omnem admoventem creaturam, ſanctificat, vivificat, & illuſtrat! Aquas enim conſecrat dum baptizatur, terram ſanctificat dum ſepelitur, mortuos ſuſcitat dum reſurgit, cœleſtia glorificat dum aſcendit ad cœlum, & ſedet ad dexteram Dei Patris.

Homilia octava unde ſupra, & de gratia baptiſmi.

REdemptionis noſtræ auctor, æternus, omnipotens Dominus Unigenitus Dei vivi, inſeparabilis ſemper permanens apud Patrem, ita pro nobis perfectum ſuſcipere dignatus eſt hominem, ita quod Deus erat, exinanivit in ſemetipſo, ut per omnia legalium ſanctionum ſacramenta tranſiret. Nam ut primum beatæ Matris ſancto proceſſit ab utero, circumciſionis ſignaculo dedicatur, ſive ut indubitatam carnis ſuæ oſtenderet veritatem; ſive ne eum velut alienigenam alumna circumciſionis plebs Judai-
ca declinaret. Deinde quia traditæ per Moyſem legis Exod. 14. Luc. 2.
præteriri præcepta non poterant, offertur pro eo purgationis holocauſtum. Et pro illo, fratres, holocauſtum purgationis offertur, qui omnium hominum ſordes purgaturus advenit. Sed cum Joannes præmiſſus ante faciem ejus concurrentes ad ſe populos, & prædicatione corrigeret, & pœnitentiæ baptiſmo conſecraret, ipſe ad eum inter promiſcuas vileſque turbas velut unus e populo properavit: & tanta ſeſe benigniſſimus dignatione ſubjecit, ut illud ſacratiſſimum caput, tremendum Poteſtatibus, Angelis venerandum, ad ſuſcipiendum baptiſmum ſervuli ſui manibus inclinaret. Quem videns Joannes venientem ad baptiſmum ſuum, ac dominica in eo
gloriæ inſignia recognoſcens, dicit ei: *Ego a te de-* Matth. 3.
beo baptizari; hoc eſt, terrenus a cœleſti, mortalis ab æterno, fragilis a potente. *Et tu venis ad me?* Ad præcurſorem judex, ad creaturam creator, rex ad miniſtrum, & humiliabis te mihi exiguo, cum
tua non ſum dignus calceamenta portare? Tu inter Eſai. 53. & 1. Petr. 2.
peccatores ad baptiſmum venis, in cujus ore dolus inventus non eſt, & per quem totius mundi peccata tolluntur? ac tantum te tuis ſubjicis creaturis, ut puteris oblivisci quod Deus es? Ego quidem hominem video, ſed meum Dominum recognoſco. Humanum in te corpus aſpicio, ſed cœleſte intelligo Sacramentum. Neque me ſpecies hæc carnis aſſumptæ a fide veritatis abducit, tu es, Domine, tu es ipſe qui me ad iſta miſiſti. Quomodo

autem

Google

autem nunc ego te adſtantem præſentemque ignorare poſſum, quem dudum adhuc in utero Virginali, & intra materna viſcera conſtitutum nec dum ipſe natus agnovi? Cui Jeſus ait: *Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Sine modo, inquit, Dominus. Hoc eſt, vera ſunt quidem, nec renuo iſta quæ memoras, ſed miniſterium veni ſervitutis implere, ut eos quos peccatum ſubdidit ſervituti, ad meam revocem libertatem. Nec mireris, Joannes, ſi tuis me manibus inclino: qui enim contentus ſum naſci, contentus circumcidi, pannis etiam contentus involvi, quomodo non Jordanem hunc contentus liber ingrediar? Noli putare injurioſum mihi, indignumque videri hoc baptiſma. Aliæ me manent injuriæ, altæ ſunt contumeliæ quas pro humana perpeti ſalute diſpoſui. Poſt hæc beatus Joannes ſuſcepit devotus quem timidus prohibebat. Nec ignorabat Prophetarum ille præcipuus a ſe Dominum baptizandum, ſed mioiſterium ſuum noluit ſine confeſſione complere. Itaque & fides confeſſa eſt Dominum, & obedientia implevit obſequium. Baptizato itaque Domino & Spiritus ſanctus adfuit, &

Matth. 3.

vox de cœlo paternæ majeſtatis audita eſt dicentis, *Tu es Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Quod factum, fratres, noſtræ proficere fidei manifeſtum eſt; ot præſentia ſancti Spiritus, & auctoritate paternæ vocis, apud omne hominum genus, & teſtimonium Joannis, & veritas filii, & Sacramentum baptiſmi firmaretur, per quod magnificamus & glorificamus Deum Patrem omnipotentem, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

---

in die Cinerum Homilia.

QUia nònnullorum eſt conſuetudo, chariſſimi, advenientes Quadrageſimæ dies devotiore jejunio prævenire, neceſſarie præſentis Evangelii decurſa eſt lectio, in qua Dominus noſter virtutum ſpiritualium retributor, ſanctam nobis perfectamque

Matt. 6.

dedit regulam jejunandi dicens. *Cum jejunatis non eritis ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus Jejunare.* Non enim

Hominibus qui jejunent.

Deo jejunat, ſed homioibus, quicunque oſtentatione jejunii ſui gloriam requirit humanam. Exterminant autem facies ſuas, qui mœrore ſimulato religioſum vultum populorum oculis mentiuntur. Non vult enim diſciplinæ cœleſtis magiſter irreligioſe agi, quod fieri pro religione præcipitur, nec patitur invocantium ſe laborem quibus æternam parat mercedem iofructuoſæ jactantiæ vitio deperire. *Non eritis*, inquit, *ſicut hypocritæ triſtes.* Si enim vere mœſtus & triſtis es quia jejunas, nullam tibi ut ingratus apud Deum gratiam reſervabis, quia quamvis opus facias bonum, pravitatem tamen degeneris animi invitus operaris. Si autem pro quadam ſanctitatis imagine triſtitiam ſimulas, omnem fructum promiſſionis divinæ obſequii tui oſtentator amittis. Quod ſi Deo jejunium tuum defers, cur illud hominibus pari tecum conditione viventibus vanæ gloriæ ſectator oſtentas? Hanc nimirum Paulus A-

Gal. 6. Inane eſt jejunium.

poſtolus ſecutus ſententiam dicebat: *Nolite fieri inanis gloriæ cupidi.* Inane eſt enim & vanum quicquid nullius ponderis aut virtutis firmitate conſiſtit. Inane quod cum ſæculo prætereunte deficiens ad vitam non tranſit æternam. Quicquid enim pro carnali bonore laboratur, corruptibili cum car-

Eſa. 40.

ne dilabitur, ut ait Propheta. *Omnis caro fænum, & omnis gloria hominis ut flos fæni. Aruit fænum & flos decidit, verbum autem Dei manet in æternum.* Nec poſſumus, dilectiſſimi, pro uno eodemque opere & laudem mundi adulantis expetere, & præmium vitæ cœleſtis acquirere. Sed *unge*, ait, *cum jejunas caput tuum, & lava faciem tuam.* Ungit revera o-

Ungere caput.

mnis devotus caput ſuum, cujos religioſus jejunium ſanctæ eleemoſynæ ubertate pingueſcit. Et ſi altius aliquid cogitemus, unges caput tuum quod eſt Chriſtus, ſi bonis operibus meliora ſubjungens ſimplici cum devotione lætifices. Lavabis ſine dubio & faciem tuam, atque omni eam lætitiæ ſerenitate deterges, ſi divino jucundior cultu, nullius vanitatis affectatione ſordeſcat. Illotus eorum vultus eſt, qui falſo oculorum mœrore præconia mundana mercantur. Quos Apoſtolus ſententia ſua notat dicens,

Tim. 6.

quæſtum exiſtimant eſſe pietatem. Et cum hæc ita ſint non repellit Dominus lugentes, vel peccata ſua, vel mundum qoi dixit: *Beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur.* Non reprehenditur ille qui du-

Matth. 5.

dum corde devio & lubricis greſſibus a tramite ſalutis elapſus, redintegrare ſe Deo mœſta pœnitentiæ ſatisfactione conatur, ut in quinquageſimo legitur Pſ. *Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Non utique ſpernit Deus ſanctum mœrorem, ſed ſervientis ſibi artificem & dolo ſimulatam non vult circumferri triſtitiam. De quibus ait Chriſtus ad diſcipulos

Matth. 6.

ſuos: *Amen dico vobis perceperunt mercedem ſuam.* Quanta eſt igitur ſpes fidei eorum, vel quæ futuræ retributionis expectatio, qui omnem mercedem operum ſuorum io præſenti ſæculo temporalis auræ ambitione conſumunt? Et ideo, fratres, inoffenſam

Exhortatio.

& Deo placitam in omnibus tenete menſuram, ſit apud vos purum jejunium, ſimplex miſericordia, omniſque ſincera devotio, ut ſanctam vitam veſtram Evangelica inſtitutione perfectam plena Dei noſtri retributio proſequatur.

Homilia prima de Jejunio quadrageſimæ.

AUdiſtis, chariſſimi, ſicut Evangelica tuba cecinit Dominum ac Redemptorem noſtrum adverſus tentamenta diaboli reluctantem quidem verbis, ſed ſpiritu dimicantem. Sermone enim certamen agit, ſed peragit majeſtate victoriam. Nec ſine ingenti myſterio hujuſmodi putemus eſſe conflictum, in quo ant accenſus diabolus in verba prorumpit, aot rerum Dominus tentatori ſuo verbis nihilominus reſpondere dignatur. In his autem omnibus noſtræ ſalutis eſt ratio. Nobis Salvator eſurit, pro nobis loquitur. Nos in illo vincimus, quia nos ei cauſa ſumus pugnandi. Nam quis ambigat, unigenitum Patris, cui nulla obviare poterat creatura, pro illis iniiſſe certamen, quorum ſe carne veſtivit? Humani igitur corporis forma hoſtem callidiſſimum prodire ſuaſit ad prælium, quem verus Dei Filius veri hominis reſponſione confudit. Propter quod errabundus & anceps tentator, mollia ſuſpenſaque tentamenta rimatur, qoia licet carnalis viri ſpeciem contemplaretur in Chriſto, præſentia tamen divinitatis ejus concitatus, ſuſpicabatur eum plus eſſe quam hominem. Animabat itaque illum præſumere congreſſum partus fœmineus, ſed terrebat virginitas parientis. Quamvis enim Chriſtum Maria Evæ utique filia peperiſſet, non tamen eum conceperat de Adam. Cum ergo videret inimicus Dei filium tanta per miracula procreatum, volvebat ſecum, ot arbitror, atque admirans dicebat: Quis iſte eſt qui neſciente me hunc ingreſſus eſt mundum? Novi quidem quia de fœmina natus eſt, ſed neſcio unde conceptus. Aſtat ecce mater, ſed pa-

Callidi hoſtis quereia.

trem inveſtigare non poſſum. Partum video, ſed noo agnoſco naſcentem, & quod ſtupori meo

accreſcit, inconſueta lege pariendi etiam edito filio mater exultat, ut virgo. En jacet in cunabulis parvulus, ſuffundit lachrymis vultum, ſimilemque eſſe mortalium vagitibus prodit, & cum nihil ei de infantia deſit, nulla tamen illi eſt velut in infante corruptio. Pannis obſitus ſordet, ſed cœlum illi radio ſtellæ lætioris arridet, atque in honorem ipſius miniſtrantes ei Angeli inter ſidera terraſque concurrunt, & exultantes annunciant quam non intelligo novitatem. Quid hoc miraculi eſt? Video quod advertere nequeo, audio quod ſuſtinere non poſſum. Ut homo natus, honoratur ut Deus. A ſæculis nunquam hoc mihi contigit, ut quiſquam naſceretur homo, & humani vitii nil haberet. Quæ hæc tam nova potenſque generatio eſt? Inter peccatores & impios natus, mortali etiam de matre progreſſus, purgatior cunctis naſcentibus, & ipſo mihi cœlo purior apparet. Avaritiæ in eo radix nulla conſurgit, nulla cor ejus pulſat invidia, neſcit lingua ejus mendacium, oculi ejus concupiſcentiam non admittunt, nulla aurium voluptate mollitur, luxuries certe per quam mihi humanum ſubjeci genus, pectus ejus non poteſt penetrare, nulla illi jactantia ineſt, nulla malitia. Et quid plura? Nihil in eo reperio quod me delectet, omnes meos conatus evacuat. Quid agam? Quo me convertam? Fortiorem ſentio, puto illum in regno meo velle regnare, ne forte Deus ſit iſte quem nullum poteſt maculare delictum. Sed ſi Deus eſſet, quomodo indignitates partus fœminei ſuſtineret? Quomodo eſſet cunis panniſque contentus? Quis credere poſſit infantiæ vagitus in Deo, cui non audienti ridiculum eſt Deum fœmineo lacte nutriri? Poſt omnia ecce eſurit, cum utique eſurire Deum ratio nulla perſuadeat. Ignorabat nimirum diabolus, quia quod Chriſtus nutrimenta perferebat infantiæ, quodque eſuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeæ, ſed cœleſtis gratiæ ſacramentum. Dei enim Filius cui cum ſempiterno Patre intemporalis conſtat æternitas, qui cum ſuo Genitore naturaliter impaſſibilis, incorrupto regnat imperio, egit in carne noſtra ſalutare myſterium, & ob hoc communem mortalium ſubiit paſſionem, ut inimicum generis humani hominis certamine triumpharet. Unde & præſumptor ille

Matth. 4.

furore ſuo cæcatus ait ad Dominum: *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*. Stultiſſima hæc ejus inaniſque ſubreptio. Per panem enim vult eum tentare qui panis eſt, æſtimans illum eſcæ penuria laborare qui voluntariam perferebat eſuriem. Cui reſpon-

Deut. 8.

dit Dominus: *Scriptum eſt, Non in pane tantum vivit homo, ſed in omni verbo Dei*. Hoc eſt dicere. Fruſtra, diabole, iterum per eſcam ſupplantare conaris, ſufficiat tibi ſuadendo cibos illicitos in paradiſo Adam per te fuiſſe deceptum. Nec eſuries me vincit, nec tuis ſuaſionibus *cedo. Voluntas enim Dei

* alias credo.

cibus eſt meus, verbum Dei mihi eſt perfecta refectio. Qua ſententia repercuſſus, iterum ut æſtimo dixit diabolus: *Quid hoc rei eſt?* Video illum eſurire, & neceſſitatem in eo non invenio manducandi. Omnia ut homo patitur, & omnia vincit, ut Deus. Adam ille Dei certe manibus factus mei quondam ceſſit inſidiis, hic natus e fœmina, neque ſuis neceſſitatibus flectitur, neque meis conſiliis acquieſcit. Illum ſerpentis ore ſuperavi, hic me etiam ipſum loquentem contemnit. Iterum ſtanti Domino ſupra pinnam templi ait: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum*. Quam turbatus hoc loquitur, qui putat ei ſe poſſe præcipitium perſuadere, a quo nihil potuit de panibus impetrare! Cui reſpondetur a Chri-

Deut. 6.

ſto: *Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum*. Id eſt, hoc quod ſuades, diabole, tentationis præſumptio eſt, non conſilium ſanitatis, jactantiæ vanitas, non virtutis exemplum. Inane eſt enim omne miraculum quod utilitatem ſalutis non operatur humanæ. Et hac Domini reſponſione caſſatus, oſtendit ei omnia regna mundi, & honores eorum dicens: *Hæc omnia tibi dabo ſi procidens adoraveris me*. Cui iterum reſpondetur: *Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Id eſt, qui

Deut. 6. & 10.

te dæmonem adoraverit, non ei regna, ſed inferna debentur. Adorare namque Deum verum, eique ſervire prærogativa regnandi eſt. Tu autem qui honores mundi expetita prævaricatione promittis, nec regnum dare poſſe te noveris. Ecce tentator trina jam interrogatione nihil proficit. Incertus venit, rediit incertior. Aggreſſus eſt, ut probaret, reprobatus abſceſſit. Ergo nunc, fratres chariſſimi, quia

Adhortatio.

jejunantis domini victorias recenſentes, triumphum noſtræ ſalutis agnovimus, jejunia noſtra religioſis ſanctificemus obſequiis. Quid autem eſt aliud ſanctificare jejunium, niſi jejunii cauſa ſancta, velle juſta

Sanctificare jejunium.

facere, iniqua vitare? Sanctificat ille jejunium, cujus cor adulatio potentum, amicorum parentumque gratia, clientum etiam parva magnave munuſcula, a recti tramite non avertunt. Sanctificat jejunium ſuum, cujus juſtitia pretio non viléſcit. Sanctificat ille jejunium, qui flammas ſævientis iracundiæ, manſuetæ mentis placabilitate reſtinguit. Sanctificat jejunium, qui laſcivientes oculos turpi ab aſpectu habenis caſtitatis avertit. Sanctificat jejunium, qui conviciorum jacula ſcuto patientiæ repercuſſa diſpergit. Sanctificat jejunium, qui litigantium tumultus pacifici ſanitate ſermonis, & linguæ prudentioris arte compeſcit. Sanctificat jejunium, qui conſurgentes in ſemetipſo vanarum cogitationum ſpinas, evangelico ſulcante vomere velut quidam pectoris ſui arator excidit. Sanctificat jejunium, qui inopias egenorum pro quantitate ſubſtantiæ ſuæ miſerantis manus humanitate ſolatur. Apprime ſanctificat ille jejunium, qui per omnia præceptis divinæ legis intentus, diabolica a corde ſuo reſpuit tentamenta. Et ideo, fratres

Quæ ſunt Deo placita jejunia.

chariſſimi, ſi volumus Deo placita exhibere jejunia, ſimus in fide fortes, in judiciis juſti, in amicitia fideles, in injuriis patientes, in contentionibus moderati, refugientes turpiloquia, adverſus iniqua conſtantes, in conviviis ſobrii, in voluptatibus continentes, in charitate ſimplices, inter ſubdolos cauti, condolentes triſtibus, contumacibus reſiſtentes, in ſuſpicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales. Si hujuſmodi virtutibus noſtra voluerimus ſanctificare jejunia, tribuente Domino, ad feſtivitatem paſchalis gratiæ, & ad gaudia cœleſtium promiſſionum indubitata fiducia & conſcientia lætiore veniemus.

Homilia ſecunda unde ſupra.

CONflictus iſte mirabilis quem inter cœli regem & regni cœleſtis tyrannum fuiſſe charitatis veſtræ auribus ſancti Evangelii lectio nunc decurſa teſtata eſt, Dominicæ nobis Incarnationis triumphale myſterium ſonat. Omnipotens enim Dominus ineffabilis pietatis affectu captivitatem miſeratus humanam, ſimulque volens diabolicam poteſtatem ſuo jam removere de mundo, miſit unigenitum Filium ſuum non divinitate degenerem, non virtute diſſimilem, non voluntate diſcordem, qui noſtram ſuſcipiens carnem, ſpreta veteri conditione naſcendi, de fœmina incorrupti

Diabolus leo feralis.

corporis nova lege novus filius naſceretur, quatenus diabolus Salvatorem hunc hominem in con-

fortium

ſortium deitatis adſcitum, & ſi tentare præſume-
ret, ſuperare non poſſet. Itaque cum videret leo
ille feralis agnum Dei poſt longiſſimum atque con-
tinuum quadraginta dierum ac noctium jejunium
eſurire, & eſurientem, Deum eſſe non crederet, arte
Matth. 4. illum callidiſſimæ tentationis eggreditur dicens, *Si*
Ezech. 16. *Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*. Cogita-
Exod. 17. bat, ut æſtimo, apud ſe tanti artifex doli & dicebat:
Si hic ipſe eſt cujus præcepto eſurientibus per de-
ſerta populis manna fluxit e cœlo, ſi ipſe eſt quem
novi ego flumina produxiſſe de petra, poterit nunc
in panem lapides transformare, & ſi non mea peti-
tione, ſua tamen neceſſitate qui eſurit. Quod ſi fe-
cerit, Deum probabo; ſi nequiverit, hominem de-
prehendam. Expectabat ergo diabolus panem, quem
non tam ſibi acquirere quam mundo conabatur au-
ferre. Sed rerum Dominus qui & panem de lapide
poſſet efficere, & exploranti humanæ nollet ſalutis
clareſcere ſacramentum, ſic ſuum moderatus eſt
ſancto in ore reſponſum, ut nec ipſe qui veritas erat
mendacium loqueretur, nec ille qui ab initio men-
dax eſt, quam non erat crediturus, poſſet agnoſcere
Joan. 8. veritatem. Ait ergo Dominus: *Scriptum eſt: Non
in pane tantum vivit homo, ſed in omni verbo Dei*.
Accepit tentator ex lege reſponſum, cui contraire
Deut. 8. non poſſit. Non accepit panem quem non mandu-
candi conſuetudine, ſed decipiendi fraude poſce-
bat. In quo enim Filius Dei panem neceſſarium
Joan. 6. haberet humanum, cui omnis erat propria in divi-
Matth. 21. nitate ſubſtantia? Vel qua ratione qualicumque de
lapide Chriſtus terrenum faceret panem, cum ipſe
ſicut legitur, ſpiritualis & panis eſſet & lapis? Illu-
ſus itaque irriſuſque tentator aliam machinam ten-
tationis eggreditur. Nam cum ſecreto ſuo arcano-
que conſilio ſtaret Dominus ſupra pinnam templi,
ait illi diabolus: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum*.
O quam ſtulta hæc ſuaſio nimiumque perverſa, ut
Filio Dei diceret, *mitte te deorſum*. Nunquid non
rectius dixiſſet: *Si Filius Dei es, aſcende in cælum?*
Quod utique ſi faceret Dominus vere illum Dei
eſſe Filium comprobaret. Sed inimicus cœli ne ten-
tando quid aſcenſum vult ſuadere cœleſtem,
deorſum & in ima provocat, quia optat omnes ca-
dere, qui ſe ſentit præ omnibus cecidiſſe. Nec in-
telligit cæcus quia illi conetur ruinam ſuadere, qui
non ſolum cadere non poteſt, ſed ruinas venit
emendare lapſorum. *Dominus* enim, ut lectum eſt,
erigit eliſos, Dominus ſolvit compeditos. Qui er-
Pſalm. 14. go venerat non decipi, ſed decepta ſalvare, explo-
rantis artem tanta menſura cautiſſimæ reſponſionis
evacuat, ut tenebroſus hoſtis non ſolum myſterium
pro nobis propoſitum videre non poſſit, ſed magis
magiſque reſponſis dominicis circumactus obſcu-
Deut. 6. riore confunderetur incerto. Ait enim illi ſpiritualis
prælij bellator invictus: Scriptum eſt; *Non tentabis
Dominum Deum tuum*. Quam ſimplex in hac reſpon-
ſione prudentia, & quam circumſpecta ſimplicitas
per quam nec veritas reticetur, nec reprobus poteſt
probare quæ vera ſunt! Vere ut ſcriptum eſt, *Lux
Joan. 1. in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehende-
runt*. Audit diabolus Deum non eſſe tentandum,
non tamen agnoſcit Deum hominemque eſſe
quem tentat. Videt enim pariter Chriſtum & re-
ſpondere quæ hominis ſunt, & poſſe quæ Dei ſunt.
Sed nequitiæ ejus nec iſta ſufficiunt, tertiæ adhuc
tentationis laqueos nectit. Duxit, inquit, illum
in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia
regna mundi & honores eorum dicens: *Hæc om-
nia tibi dabo ſi procidens adoraveris me*. Sollicite,
fratres, advertite, quia cadere eſt omne quod ſuadet
inimicus. Vere enim procidit omnis qui adorat dia-

Cadit omne quod diabolus ſuadet.

bolum, & vere cadit qui poteſtates honoreſque mundi
per artes ſacrilegas inimico promittente ſectatur.
Sed Dominus ac ſalvator noſter ſolita eum reſpon-
ſione confudit, dicens. *Vade retro Sathana; Scriptum* Deut. 6. & 10.
*eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi
ſoli ſervies*. Sanctarum illi Scripturarum teſtimonia
ingeruntur, non ut inconvertibilis doceatur, ſed ut
impudens confutetur. Retro illi abire præcepit
Chriſtus, ut hoſtis duriſſimus adempta ſibi jam lo-
quendi licentia, cujus voluntatem agnoſcere non po-
teſt, ſentiat poteſtatem. Retro ei abire præcipitur
mundi qui dabat regna, ut imperio Filii Dei cui vo-
luntarius non cedebat, ſubjaceret invitus, atque illum
a quo ſe adorari improbe poſcebat, probaret merito
ab omnibus adorandum. Et quid plura? charissimi,
dum nefanda tentator loquitur, dumque inconceſſe
præſumit, quaſi ab homine victus obmutuit, & quaſi
a Deo juſſus abſceſſit. Et neceſſe erat ab illius jam
tentatione diſcederet, in quo tota ſe mole movens,
totiſque niſus viribus, ne veſtigium quidem ſuæ re-
perire potuit voluntatis, ſtupens atque admirans poſt
tot ſecula inveniſſe hominem humanas concupiſcen-
tias non habentem, natumque in carne nihil penitus
corruptionis habere carnalis. Diſcedente itaque re-
trorſum diabolo, accedentes, ut lectum eſt, Angeli
miniſtrabant ei. Triumphus iſte quantæ ſit gloriæ ob-
ſequia nos edocent Angelorum. Nec mirum ſane ſi
ejus Angeli miniſteriis occurrerunt cujus victoriam
mirabantur. Et ideo, fratres, ſi nolumus a diabolo ſu-
perari, inhæreamus ei qui diabolum triumphavit.
Adhærere autem eſt Chriſto credere & paternæ illi
deitatis eſſe naturam, & materni corporis veritatem. Diabolus quomodo vincendus.
Vincere autem diabolum ipſo ſuffragante Domino
poterit quicunque ſalutaria Dei præcepta ſuſpirans,
ſtuduerit exoſam cunctis tumidæ mentis ſuæ incli-
nare ſuperbiam, radicem omnium malorum avari-
tiam coercere, inimicam bonarum virtutum refræna-
re luxuriem, hoſtem ſanctæ charitatis invidiam miti-
gare, inutilia & ſæpe periculoſa obtrectantium vitare
colloquia, uſuræ etiam pernicioſa non amare com-
pendia, cuſtodem pecis juſtitiam muneribus non
gravare, noxia factionum horrere commenta, inglo-
rium & nonnunquam cruentum indebiti honoris
ambitum declinere, incentiva diſcordiæ, contume-
lioſæ linguæ maledicta cohibere, mendacia nihilo-
minus quæ vitam maculant, animam vulnerant, ami-
citias diſſipant Chriſtiano ab ore repellere, atque ab
omnibus ſuperſtitionibus dæmonum idolorumque
ſacrilegiis, per quæ, vel maxime benignitas omnipo-
tentis offenditur, veri Dei amore diffugere. Si ergo ab
his atque univerſis hujuſmodi ſceleribus vitiiſque
jugiter jejunemus, ſanctæ hujus quadrageſimæ rite
celebrabimus dies, & omnium ſolemnitatum noſtra-
rum feſta exultantes cum fiducia lætioris conſcien-
tiæ & tranquillitate temporum tranſigemus, adju-
vante Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Homilia tertia unde ſupra.

ADvertite, fratres charissimi, quanta nobis ſpi-
ritualis vitæ documenta ſuccreſcunt, quan-
quam magnificis ad propoſitum ſanctitatis provo-
camur exemplis, quod quadragenis referuntur die- Exod. 34.
bus beatus Moyſes & Dei Filius jejunaſſe. Illud ſa- Matth. 4.
ne perſpicite, quia quantum diſtat ſervus a Domi-
no, tantum neceſſe eſt eorum diſtare jejunium.
Moyſes enim veteris editor legis eſt. Chriſtus novi
conditor Teſtamenti. Jejunat Moyſes ut præceptis le-
galibus unius populi erudiat diſciplinam: Chriſtus
jeju-

jejunat, ut univerſas totius mundi redimat gentes. Jejunat Moyſes, ut præſentis vitæ mandata ſuſcipiat, jejunat & Chriſtus, ut æternæ ſalutis ſacramenta conſtituat. Jejunat Moyſes, ut Deum videret, jejunat & Jeſus, ut unum ſe eſſe cum Deo dum diabolum triumphat oſtenderet.

Exod. 32.

Moyſes poſt jejunium ſcriptas digito Dei tabulas populo prævaricante confregit. Chriſtus ſuo jejunio manſurum per ſæcula Evangelium conſecravit. Quid illud eſt autem quod cum uterque quadragenos jejunaverit dies, non uterque poſt iejunium eſuriſſe perhibetur? Moyſes utique non eſurivit, ut in homine fragili operata divinitas probaretur. Eſurivit Dei Filius, ut aſſumptionem carnis noſtræ fragilem ſuſcepiſſe hominem revelaret. Quod non eſurit Moyſes cœleſtis eſt poſſibilitatis exemplum: quod eſurit Chriſtus noſtræ redemptionis eſt ſacramentum.

Chriſtus Deus & homo, unde dignoſcatur.

Hujuſmodi dominus peregit in ſua carne myſterium, ut ſicut Deus eſſe divinis virtutibus creditur, ita & homo eſſe infirmitatibus dignoſcatur humanis. Et hic eſt quod Chriſtus, ut homo eſurit, & eſurientes paſcit ut Deus. Hinc quod fatigatur itinere, & claudis virtutem tribuit ambulandi. Hinc quod oculos ſuos laxat in lacrymas, & mirabiliter cæcis reformat aſpectum. Hinc quod appropinquante morte triſtatur, &

Joan. 11.

mortuum Lazarum ſuſcitat de ſepulchro. Hæc omnia, fratres, conditor ac redemptor ut Deus & homo agit, non quia talis illi naſcendi neceſſitas fuit, ſed quia tale in cœlo & in terris voluit regnare myſterium. Illud enim quantæ eſt admirationis in Chriſto quod ita ad omnia tentatoris interrogata reſpondit, ut nec veritatem regni ſui Tyranno proderet, nec myſterium ſuſceptæ carnis explorator agnoſceret! Tanta denique ſermonem ſuum ſubtilitate circumtulit, ut ille totius doli artifex inimicus, furoris ſui errore deceptus, dum Chriſtum tentat ut hominem, Deum in homine non videret.

Adhortatio ad jejunium.

Nos vero, fratres, quibus propugnator invictus hanc venerabilem quadrageſimam dedicavit, repudiantes carnalia deſideria, ſic caſtigemus membra jejuniis, ut animas virtutibus ſaginemus. Jejunet in nobis pernicioſa luxuries, jejunet omnis iniquitas, jujunet odioſa contentio. Abſtineamus ab epulis, magis abſtineamus a vitiis; ſic nos temperemus, ſic ſobrii ſimus a vino, ut nulla nobis voluptatum dominetur ebrietas. Quid enim prodeſt obſervatione quadraginta dierum jejunandi nos tempora cuſtodire, & legem non tenere jejunii?

Jejunium Chriſtiani quale.

Quid prodeſt vobis vacare a conviviis, & diem litibus occupare? Quid prodeſt proprium non edere panem, & victum diripere miſerorum? Jejunium Chriſtiani, egentis debet eſſe refectio. Jejunium Chriſtiani pacem debet nutrire, non jurgia. Quale illud eſt autem quod non veſceris carnibus, & de ore tuo omni eſca ſordidius egreditur maledictum? Quale eſt quod ſanctificatur venter jejunio, polluitur lingua mendaciis? Recte ſane, frater, frequentabis Eccleſiam, ſi greſſus tuos lethalibus laqueis avida illa non implicet & involvet uſura. Recte orabis Dominum tuum, ſi precibus tuis obvia tibi cordis tui non obſiſtat invidia. Recte contundes manibus pectus, ſi omnem inde furorem malignæ voluntatis excuſſeris.

Religioſa eſuries.

Juſte etiam dabis denarium pauperi, ſi alio illud pauperi non tuliſti. Hæc ergo eſt, chariſſimi, religioſa eſuries, hic fidelium paſtus animarum, ut jejunium noſtrum ſanctificet caſtitas, ornet patientia, benignitas foveat, miſericordia lætificet, commendet humilitas. His quadrageſimam Chriſti prout poſſumus virtutibus ſubſequamur, ut gemino quodam corporis animique jejunio, divinæ nos ſemper gratiæ commendemus.

Homilia quarta unde ſupra.

PEractum a Domino noſtro Jeſu Chriſto hoc quod lectum eſt, cum tentatore certamen, noſtræ ſecuritati, fratres chariſſimi, ſalutique proficit, quia quos olim apud paradiſum perſuaſione ſerpentis paterna prævaricatio dejecit in mortem, dominicus nunc triumphus erexit ad vitam. Nobis utique vicit, qui dignatus eſt eſurire pro nobis. Aggreditur itaque diabolus tentare Chriſtum, exploratque ſollicitus ſi forte illum Dei eſſe Filium deprehendat, cui nullum corruptionis ſuæ videt ineſſe veſtigium. Miratur pariter ac turbatur hujuſmodi in hoc ſæculum adventaſſe hominem, qui natus quidem eſſet de fœmina, ſed non eſſet ab homine procreatus. Suſpicatur illum Dei eſſe Filium quem continuatum quadraginta dierum videt explicuiſſe jejunium. Sed rurſus dubitat divinam illi ineſſe naturam, quem quaſi infirmum inter cæteros homines perſpicit eſurire. Stupet attonitus quæ ſit iſta novitas humanum non habere peccatum, & neceſſitatem peccatoris hominis ſuſtinere. Chriſtus autem Dominus Redemtorque noſter, ut perditum infirmumque hominem revocaret ad Deum, eſuriem, laſſitudinem, mœrorem, & omnia in ſe humani corporis infirma ſuſcepit. Inter iſta ergo diabolus dubius & incertus, hoc cum eſuriente Domino ſermone congreditur: *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Math. 4.
Stultus & audax qui putaret Dei Filium diabolicam voluntatem edendi neceſſitate facturum, quaſi impoſſibile ei eſſet in panem lapides commutare, qui quondam ſitientibus in deſerto populis de petra arida largiſſima aquarum fluenta produxit, aut eſurienti ſibi poſt quadraginta dierum jejunium, eſcam non poterat providere, cujus præcepto, ut innumerabilis Hebræorum exercitus paſceretur, cœleſtia de nubibus alimenta fluxerunt? Exod. 17. Exod. 16.
Sed vero omnipotens unigenitus qui noſtram magis eſuriret ſalutem, tali tentatorem ſuum reſponſione confudit: Non in pane tantum vivit homo, ſed in omni verbo Dei. Deut. 8.
Quo reſponſo, chariſſimi, ut explorator qui incertus venerat, incertior redderetur, inæſtimatæ prudentiæ Dominus, nec ineſſe ſibi eſuriem denegavit, nec manducandi neceſſitatem ſe habere profeſſus eſt. Non, inquit, in pane tantum vivit homo, ſed in omni verbo Dei. Hoc eſt, etſi ego eſuriam, mihi tamen, diabole, non eſt neceſſarius panis, qui ex tuo conſilio tuaque voluntate deſcendit. Reficit quidem eſuriem corporeus panis, verbum autem Dei cuncta fidelibus ſubſtantiam ſempiternæ ſalutis operatur. Sed doceri neſcius inimicus, ſtanti Domino ſuper pinnam templi iterum ait: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Scriptum eſt enim, *quod Angelis ſuis mandavit de te ut manibus tollant te; ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Pſalm. 90
Mitte te, inquit, deorſum. Diabolicæ eſt conſuetudiois, fratres chariſſimi, præcipitium perſuadere, ſed obedire ei ille non poterat qui cadere neſciebat. Nec quicquam de Domino ſurreptor impetrat, quia non ſunt religionis ejus verba, ſed fraudis. Quem Redemptor humani generis rurſus telo ſententiæ cœleſtis everberat, dicens: Scriptum eſt: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Deut. 6.
Qua reſponſione, ne quid manifeſta veritate auctor falſitatis audiret, verborum, ſenſuumque moderator Dominus ex alto dare nec prodidit ſe poſſe, nec non poſſe mentitus eſt, ſed ſcriptum eſt, ait, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Id eſt, Deum tentat, qui jactantiæ ſuæ vitio ſuperfluam & inutilem vult oſtentare virtutem.

Quid

Quid enim utilitatis habet, quod commodi confert, ſi per præceps hinc in plana deſcendero? Aut cur adulationis tuæ tentamentis iſta perſuadeas, cum tui ſit operis de ſuperioribus corruentem ad inferiora dejicere? Poſt hæc vero, ut lectio decurſa teſtatur, duxit illum in montem excelſum, & oſtendit ei omnia regna mundi, dicens. Hæc omnia tibi dabo; ſi procidens adoraveris me. Ut fallax deceptor offert quod non habet, & ut vere cæcus cœlorum Domino terrarum regna promittit. Hæc omnia, inquit, tibi dabo, ſi procidens adoraveris me. Vere procidit & cadit, qui non largiente Deo, ſed ad nutum diaboli acquirit ſæculi dignitates. Reſpondit autem ei Dominus: *Vade retro Sathana*. Scriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi

Deut.6. & 10.

ſoli ſervies. Juſtiſſime retrorſum abire præcipitur, qui tentando ad hoc uſque pervenit, ut ſe ab adorando Dei Filio poſceret adorari, æſtimans quod Chriſtus qui decipi laudis ſuæ ſubreptione non potuit, indignatione ingeſtæ contumeliæ ſe proderet exploranti. Sed fortiſſimus propugnator qui pro vita ac libertate noſtra adverſus tyrannum ſuum novum bellum gerebat, nec molli adulatione frangitur, nec duriſſimis injuriis commovetur, ſed ita ad omnia inimici tentamenta reſpondit, ne poſſet in

Adhortatio.

uno eodemque Deo & homine cœleſtis myſterii deprehendere ſacramentum. Et ideo, fratres, dominici certaminis victoriæque exemplum ſequentes, & diabolicas præcaventes inſidias, horum quadraginta dierum acceptabile Deo noſtro jejunium

Quomodo adverſarii doli ſuperandi.

celebremus. Tunc enim dolos adverſarii ſuperare poterimus, ſi continuatis precibus, aut per caſta jejunia corporis vitia compeſcamus: aut cor noſtrum ab omni vanitate & ambitione purgemus, ut ait

Matth. 17.

ipſe Salvator: *Hoc genus non ejicitur niſi jejuniis & oratione*. Bene autem jejunat, quicunque eſuriem ſuam refecti pauperis ſatietate ſuſtentat. Bene jejunat qui divini recordatione judicii ſemetipſum refrænans ab omni illecebrarum voluptate ſuſpendit. Bene jejunat qui carnem ſuam vitiorum germina pullulantem, ſanctarum meditatione virtutum, & ſobrietatis amore caſtigat. Bene jejunat

Gratiſſimum Deo jejunium quale ſit.

qui fraternas injurias pacifici pectoris lenitate dimittit. Gratiſſimum Deo defert jejunium, qui mentem ſuam a pravis cogitationibus, oculos a concupiſcentia, linguam manuſque a lite cuſtodit. Et poſt omnia, frater, beatus eris & bene eſuries panem ac ſities poculum, ſi Chriſtianæ mentis

Matth. 5.

affectu cœperis eſurire & ſitire juſtitiam, ſicut ipſe Dominus dixit: *Beati qui eſuriunt ac ſitiunt juſtitiam, quia ipſorum eſt regnum cœlorum*. Propter quod, chariſſimi, ſi volumus diabolum ſuperare cum Chriſto, ſi deſideramus tranſeuntes e ſæculo regnare cum Deo, ſi optamus ſacratiſſimum reſurrectionis dominicæ diem lætis mentibus celebrare, ab eſca quidem vel potu pro viribus temperemus, a vitiis autem totis viribus jejunemus.

Dominica in ramis palmarum ſuper illud Pſalmi:
Deus Deus meus reſpice in me.
Homilia.

PSalmi vigeſimi-primi, qui lectus eſt, ſeriem decurſuri, diligenter prius debemus intendere, quid in ſuperſcriptione contineat, ut cognita ejus origine intelligentiam ipſius facilius conſequamur, & manifeſtato capite, poſſint rectius membra diſtribui; ſubſcribitur enim ita: In finem pro ſuſceptione matutina pſalmus ipſi David. Niſi fallor ſuſceptio matutina ſolis ortum ſemper antevenit, & priuſquam orbem radiorum clarus ſplendor illuminet, matutinum noctium tenebris terminum ponit, ac reſoluta ſenſim caliginum cæcitate, rebus cunctis facies quædam ac lumen infunditur, & cum veluti ſub una materie tenebrarum mundus in confuſione jacuerit, interveniente matutino, diverſa ſpecierum varietate diſtinguitur, hoc eſt, cum omnia cæca fuerint, oculi omnium reparantur: Nox enim quodammodo auſert oculos mundo, aurora reſtituit. Atque ita ante matutina ſuſceptione perfruimur, ut glorioſius poſtmodum ſolis ſplendore potiamur. Sed quoniam (ſicut dicit Apoſtolus) lex ſpiritualis eſt, ſpiritualibus ſpiritualia comparanda ſunt. Solem hic juſtitiæ Rom. 7.
arbitror deſignari, hoc eſt, Chriſtum Dominum, qui nobis ignorantiæ tenebris & peccatorum cæcitate ſubmerſis, cœleſtis doctrinæ ſuæ lumen infundit, & quos non habebamus oculos cordis inſeruit, & velut radios quoſdam Apoſtolos ſuos miſit, qui nos de nocte teterrima delinquentiæ liberaret, & paulatim reſolutis in nobis tenebris peccatorum matutina nos ſuſceptione conſueſceret, ut perfecti facilius poſſimus tolerare ſolis ardorem, hoc eſt, primum nos præceptis ſimplicioribus erudirent, quo capaciores efficerent cœleſtium ſecretorum. Hujus itaque ſolis juſtitiæ matutino, peccatorum caligo tota perimitur, ſicut ipſe Propheta ait ex perſona Domini. In matutinis interficiebam omnes peccatores Pſal. 100.
terræ, hoc eſt, oriente in nobis ſole juſtitiæ, qui habitaculum Domini ſumus omnis cogitatio iniqua ſubvertitur. Totus autem hic pſalmus digreſſus eſt ex perſona Domini Salvatoris, quippe cum pluta de eo in novo ſint poſita Teſtamento. Dicit itaque, *Deus Deus meus reſpice in me*, & reliqua. Quare aſſumpti hominis agit cauſam, ut interrogare quodammodo videatur, dicens Deus omnium qui es Deus meus, cur me dereliquiſti? Nihil enim mihi conſcius ſum. Secundum enim Prophetam neſciebat peccatum, nec erat dolus in ore ejus. Hæc autem dicit, ut Eſai. 53.
manifeſtaret propter nos ſe eſſe derelictum, quorum peccata portabat, ac videntes diſceremus, & nos pro ipſo ſancto & juſto mori, cum pro peccatoribus ille moreretur. Denique hac voce in paſſione uſus eſt, ſicut in Evangelio legimus: *Eli, Eli, lamaſabacthani, hoc eſt, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti*? Hac inquam, voce uſus eſt, ut quod Pſalm. 18.
prophetia annunciaverat, rei exitus approbaret. Et quoniam ſequentia pene manifeſta ſunt, illum inſpiciamus verſiculum, in quo ait: *Ego autem ſum vermis, & non homo*. Cur totius Dominus creaturæ vermiculo ſe voluerit comparari, poſſimus hoc quidem humilitati primitus aſſignare, quæ Sanctorum virtus eſt maxima,

Humilitas maxima ſanctorum virtus.

ſicut ſanctus Moyſes ante Deum, animal ſe irrationabile profitetur, David pulicem ſe ſæpe commemorat. Sed magis illud accipiendum puto quoniam vermis nulla extrinſecus admixtione alieni corporis, ſed de ſola & pura terra procreatur, ideo illum comparat cum Domino, quoniam & ipſe Salvator de ſola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moyſis de manna vermiculos procreatos: digna plane & juſta comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, Exod. 16.
& Dominus Chriſtus de Virgine procreatur, quin potius ipſam Mariam manna dixerim, quia eſt ſubtilis, ſplendida, ſuavis & virgo, quæ velut cœlitus veniens cunctis Eccleſiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere ac manducare neglexerit, vitam in ſemetipſo habere non poterit, ſicut ipſe Dominus ait: Niſi quis manducave- Joan. 6.
rit meam carnem, & biberit meum ſanguinem, non habebit vitam in ſemetipſo: ſed potius ipſe cibus 1. Cor. 11.
in judicium convertetur, ſicut Apoſtolus dicit. Qui

man-

manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat.
Exod. 16. Quod filiis Iſrael ſubtiliter prophetatum eſt in veteri Teſtamento. Manna enim illis contra divina præcepta tractantibus, vermes effecti ſunt, id eſt, contumaciæ ultores & judices. Quæ ſimilitudo Chriſtum indicat Dominum, quem qui ſuavem cibum & dulcem potum haurire neglexerit, judicem patietur, ſicut ipſe ait: Neque enim Pater judicat quem-
Joan. 9. quam, ſed omne judicium dedit Filio. Quod autem dicit: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtimentum meum miſerunt ſortem*, hoc factum in
Joan. 19. Evangelio reperimus, quod milites quatuor qui crucifixerunt Salvatorem, in quatuor partes ejus ſibi diviſerunt veſtimenta, veſtimentum vero ejus quod aſſutum non erat, ſed erat de ſuperiora contextum ſorte perceperunt. Quæ igitur iſta veſtimenta ſunt videamus, qui milites, quodve etiam veſtimentum? Veſtimenta eſſe puto prophetias, vel Scripturarum cœleſtium lectiones, quibus Chriſti Domini annunciatum eſt Sacramentum, quas prophetias unum
Hæretici Salvatoris adverſarii. canentes & unum per omnia nunciantes adverſarii Salvatoris, hoc eſt, perverſi hæretici, qui quotidie in illo tanquam milites manus impias ingerunt, hoc pro ſua ſibi dividunt voluntate, & unius corporis veſtimenta per varia membra diſtribuunt, atque ſpoliantes Dominum ſua falſa dogmata veſtierunt. Veſtimentum autem ejus quod non erat conſutum, ſapientiam ejus cœleſtem poſſumus approbare, quia erat de ſuperiore contextum. Noſtra enim ſapientia, hoc eſt, humana conſuitur. Adſuitur enim cum liberos damus ad ſtudia Grammaticis, tradimus Philoſophis, erudimus eos, ut ſapientia in illis, quæ non erat, acquiratur. Domini autem ſapientia non aſſu-
Joan. 7. ta eſt, non quæſita. Non enim didicit a magiſtro, ſicut ipſi Judæi dicunt, quomodo hic litteras novit cum non didicerit, & ipſe dicat: Mea doctrina non eſt de
Ibidem. hoc mundo, ſed ejus qui me miſit. Hoc eſt quod ait de ſuperiore contextum, quo veſtimento, vel quibus omnibus veſtimentis Eccleſia Catholica ſem-
Pſalm. 44. per amicta eſt, ſicut Propheta ait: Aſtitit regina a dextris tuis in veſtitu deaurato.

De accuſato & judicato Domino apud Pilatum. Homilia prima.

Mirum forſitan videatur vobis, fratres, cur Dominus apud præſidem Pilatum a principibus ſacerdotum accuſatur & taceat, nec nequitiam eorum ſua reſponſione convincat, cum utique ingeſtam accuſationem non niſi refellere ſoleat ſubſecuta defenſio. Mirum, inquam, ſit, fratres, quod arguatur Salvator & taceat. Taciturnitas enim interdum pro conſenſu habetur: Videtur namque confirmare quod obiicitur, cum non vult reſpondere quod quæritur. Accuſationem ergo ſuam Dominus ta-
Chriſtus cur taceat. cendo confirmat? Non plane accuſationem ſuam tacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo. Bene enim tacet qui defenſione non indiget. Ambiat defendi qui metuit ſuperari. Feſtinet loqui qui timet
Pſalm. 50. vinci. Chriſtus autem cum condemnatur & ſuperat cum judicatur & vincit, ſicut ait Propheta, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Quid ergo opus erat ei loqui ante judicium, cui ipſum judicium erat plena victoria? Vincit enim cum judicatur Chriſtus, quia ſic innocens approba-
Math. 27. tur. Unde ait Pilatus: Innocens ego ſum a ſanguine hujus juſti. Melior eſt igitur cauſa quæ non defenditur & probatur, plenior juſtitia eſt quæ non verbis aſtruitur, ſed veritate fulcitur. Taceat lingua neceſſe ubi ipſa æquitas ſibi adeſt. Taceat lingua in bono negotio, quia & malas cauſas obtinere convenit. Nolo ſic defendi juſtitiam, ſicut ſolet iniquitas excuſari. Quod vincit Chriſtus non orationis eſt, ſed virtutis. Scit enim Salvator qui eſt ſapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non reſpondendo ſuperaret, atque ideo cauſam ſuam mavult comprobare quam dicere. Quæ enim res illum compelleret ad loquendum, cum ſilentium ſatis ſufficeret ad vincendum? Sed fortaſſe metus eum cogeret ne ſalutem perderet, niſi quod ipſa erat tota cauſa victoriæ. Suam enim ſalutem perdidit, ut ſa-
lutem omnium lucraretur. In ſe vinci maluit, ut vi- Daniel. 13.
ctor eſſet in cunctis. Sed quid de Chriſto loquar? Suſanna mulier inimicos ſuos tacuit & vicit. Non enim apud Danielem judicem verborum ſe ratione defendit, non patrocinii ſermone tuta eſt, ſed in ſancta fœmina, tacente lingua, pro ea caſtitas loquebatur. Caſtitas enim Suſannæ adfuit in judicio, quæ eam defendit & in paradiſo. Ibi enim pudori ejus conſuluit, hic ſaluti. Ibi ne macularetur pudicitia hic ne innocentia damnaretur. Caſtitas ergo Suſannæ & præsbyteros & impudicos convincit in paradiſo, & in judicio falſos accuſatores obruit, biſque victrix reos facit teſtimonii, quos reos fecerat adulterii, atque tandem judicem meretur caſtitas Danielem puerum juniorem nec dum pubeſcentis ætatis. Multum igitur de Deo pudicitia conſequitur, cum judicem virginem promeretur. Secura enim eſt de victoria caſtitas, cui eſt judicatura virginitas. Pudicitiæ autem cauſam niſi vir pudicus audire non debuit; talem enim arbitrum meretur caſtimonia, apud quem non periclitetur verecundia. Cognito igitur Daniel Suſannæ negotio, cum eam falſis accuſationibus vellet plebs imperita damnare, ait idem: Mun-
dus ego ſum a ſanguine hujus. Quo dicto peccantis Ibidem.
populi revocavit errorem. Hac ergo voce circa Suſannam Daniel utitur, qua circa Dominum uſus
eſt & Pilatus. Ait enim Pilatus: Mundus ego ſum Math. 27.
a ſanguine hujus juſti. Eadem igitur ſententia ſolvitur pudicitia, qua eſt abſoluta juſtitia; ſed Daniel melius quam Pilatus: Ille enim pudicum ſanguinem non condemnat, ſed liberat; hic autem juſtum ſanguinem & confitetur & tradit. Quid enim profuit teſtimonium perhibuiſſe innocentiæ, & velut reum addixiſſe nequitiæ, niſi quod gravius peccatum eſt unum eundemque & pronunciare juſtum, & tradere criminoſum? Ipſe enim iniquitatis ſuæ teſtis eſt qui ore abſolvit, & corde condemnat. Laverit licet manus ſuas Pilatus, tamen ſua facta non diluit, & quamvis abſtergere ſe putaverit juſti ſanguinem de ſuis membris, eo tamen ſanguine mens ejus tenetur infecta. Ipſe enim occidit Chriſtum qui eum tradidit occidendum. Judex enim conſtans & bonus, ne ſanguinem innocentis addiceret, nec invidiæ cedere debuit nec timori. Daniel ergo melius quam Pilatus. Ille peccantis populi revocavit errorem, hic autem furentis ſynagogæ ſacrilegium confirmavit.

Homilia ſecunda unde ſupra.

Ante dies paucos proſecuti ſumus ſanctæ Su- Daniel. 13.
ſannæ judicium ſimile admodum fuiſſe judicio Salvatoris, & iiſdem criminationibus laboraſſe memoratæ caſtitatem fœminæ, quibus Chriſti laboravit integritas. Similiter enim perſecutores in Suſanna paſſa eſt pudicitia, ſicut & in Chriſto paſſa eſt juſtitia. Illa enim dum in adulterio convincit Presbyteros, ipſa tanquam adultera retinetur: hic dum in ſacrilegio arguit Phariſæos, ipſe tanquam

ſa-

Digitized by Google

ſacrilegus accuſatur. Quod quidem ſacrilegium in Phariſæis majus adulterium vocari poteſt. Gravius eſt enim religionis adulterum eſſe quam corporis, & plus eſt integritatem divinitatis lædere, quam integritatem hominis violare. Condemnatur ergo Suſanna, condemnatur & Dominus. Illa quia caſtitatem corporis tuebatur, hic quia religionis caſtimoniam defendebat. Similis igitur erat in utroque cauſa judicii, niſi quod meliore uſa eſt judice Suſanna quam Dominus. Hunc enim præſes judicat, hanc Propheta. Hunc audit vir qui Phariſæorum ſeditionibus terrebatur, hanc audit puer qui ſancto Spiritu replebatur. Iſte quod ſentit, conſtanter pronunciat, non defendit. Suſannæ enim judex quam abſolvit & liberat, Domini cognitor quem abſolvit, damnat & tradit. Simile ergo fuit pene per omnia Suſannæ Dominique judicium: Siquidem nec accuſatio in iis fuerit ipſa diſſimilis, Suſannam enim ſeniores deferunt, Dominum Judas accuſat. Illam doctores ſui, hunc diſcipulus proprius criminatur. Suſannam inquam, Pſeudopresbyteri arguunt, prodit Pſeudoepiſcopus Salvatorem. Epiſcopus enim & Judas fuit, ſicut ait Propheta de eodem dicens: Fiant dies ejus pauci, & Epiſcopatum ejus accipiat alter. Sed nec locus, fratres, in utraque cauſa videtur eſſe diſſimilis: Suſanna enim in paradiſo ab accuſatoribus circumvenitur, Dominus in hortuli paradiſo a traditoribus circumdatur. Illa ibi inſidiatores patitur, iſte hic ſubſtinet proditorem. Videamus autem exitum utriuſque judicii. Suſannæ accuſatores tanquam falſi teſtes Prophetica ſententia feriuntur, & ejuſdem criminis puniuntur rei, cujus damnare innocentis ſanguinem geſtiebant, Domini autem traditorem non invenio a judice eſſe damnatum. Non enim eum damnat Pilatus, non damnat populus, ſed quod eſt gravius, ſe ipſe condemnat, & ceſſante juſtitia judicatur. Quem enim alter judicat, poteſt utcumque eſſe excuſabilis, reus autem ſine excuſatione eſt qui conſcientiæ ſuæ judicio condemnatur. Quem alter judicat, poteſt quandoque a ſuo judice ſperare indulgentiam; qui ſe ipſe judicat a quo indulgentiam poſtulabit? Referens enim Judas dominici ſanguinis pretium ait Judæis: Peccavi quod tradiderim ſanguinem innocentem. Magnum igitur Dominicæ innocentiæ teſtimonium eſt, dum accuſator ejus & confitetur de ſcelere, & reus eſt de mercede, dum enim miſer refundit venditionis pretium, putat ſe facinoris ſui ſolvere poſſe contractum. Sed nec iſte abſolvitur. Dum enim author venditionis ſuæ reus eſt, conſtat iſtos ſceleratum cum ſacrilego iniiſſe contractum. Sua ergo ſententia Judas proditor condemnatur. Mirum forte ſit vobis quod non eum populus judicaverit, non præſes addixerit, hoc ſacrilegi ſolet eſſe judicium, ut impietatem ſuam ipſum dum recordatur & puniat, ſcelus ſuum dum recognoſcit & vindicet. Omnium enim ſupergreditur ſententias, qui a ſua conſcientia, ſua ſententia condemnatur. Hoc inquam ſacrilego ſolet eſſe judicium, ut conſcius facti ipſe ſe damnet, ſicut ait Apoſtolus Paulus de hæretico dicens: Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & delinquit proprio judicio condemnatus. Ipſe enim ſe damnat hæreticum, cum de Eccleſia ipſe ſe proiicit, & de cœtu Sanctorum nullo compellente procedit. Ipſe enim oſtendit quid mereatur a cunctis, qui ſuo judicio ſeparatur a cunctis. Ipſe inquam ſe damnat hæreticus, quia cum omnes criminoſi, Epiſcopi ſententia proiiciantur de conſortio Chriſtiano, hæreticus cuncta præveniens, ſententia ſuæ voluntatis abiicitur. Tali ergo hæreticus, quali & Judas pœna damnatur, ut idem ſui & reus ſit ſceleris, & judex ſit ultionis. Tali, inquam, hæreticus, quali & Judas pœna damnatur, nec immerito, quia Dominum quem ille vendidit, iſte blaſphemat; quem ille perſecutoribus tradidit, quotidie iſte perſequitur; Perſequitur enim hæreticus Dominum, cum divinitatem ei derogat, & aſſerit creaturam.

Similis domini & Suſannæ judicii cauſa.

Pſal. 108.

Matth. 27.

Tit. 3.

Eadem pœna hæreticus qua & Judas damnatur.

De Juda traditore homilia.

RETinet Dilectio veſtra, nos hoc proxima dominica prædicaſſe, quod Judas Scarioth propria ſententia condemnatus, ad Phariſæos Dominici mercedem ſanguinis reportarit, & actus pœnitentia refuderit venditionis pretium, ſed conſcientiæ ſuæ non reſolverit ſcelus. Denique poſt redditum pretium laqueo ſe ſuſpendit, ut qui ſe mulctaverat pecunia, mulctaret & vita. Intelligens enim quantum ſcelus admiſerit, non ſuffecit ei ſacrilegii carere mercede, niſi careret & ſalute. Dignum enim ſe morte judicavit, quod Chriſtum vitam omnium tradidiſſet. Severiſſimus igitur judex ſui Judas, vel in ulciſcendo confitetur quem negaverat in tradendo. Reſtituit ergo pecuniam Phariſæis, ſed nec Phariſæi eam libenter accipiunt. Dicunt enim inhibitum ſibi eſſe in ſuis eam habere theſauris. Videte igitur quanta vis Dominicæ ſit pecuniæ, quam inde Judas reiicit, hinc Phariſæi loculo non recludunt. Juſti enim ſanguinis pretium pertimeſcit iniquitas poſſidere, conſilium tamen incunt Phariſæi, ut ex ea ager figuli comparetur, in quo peregrinorum corpora collocentur. Quod quidem providentia factum puto ut pretium Salvatoris non peccatoribus ſumptum præbeat, ſed peregrinis requiem ſubminiſtret, non ſacrilegis ſit ad luſum, ſed defunctis ſit ad ſepulchrum, ut jam exinde Chriſtus & vivos ſanguinis ſui paſſione redimat, & mortuos pretioſa paſſione ſuſcipiat. Pretio ergo Dominici ſanguinis ager figuli comparatur. Legimus in Scripturis, quod totius generis humani ſalus redempta ſit ſanguine Salvatoris, ſicut ait Apoſtolus Petrus. Non enim redempti eſtis corruptibilibus auro vel argento, ſed pretioſo ſanguine agni incontaminati & immaculati Jeſu Chriſti. Igitur ſi pretium vitæ noſtræ, ſanguis eſt Domini, vide ergo qui illa non tam redempta ſit agri terrena fragilitas, quam totius mundi incolumitas ſempiterna. Ait enim Evangeliſta: Non enim venit Chriſtus ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Vide, inquam, ne pecunia illa non tam comparati ſit agri parva portio, quam totius mundi copioſa poſſeſſio, ſicut ait David Propheta. Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Ager ergo iſte mundus hic totus eſt, in quo nos diſperſi & diſſeminati Domino fructum boni operis germinamus. Sed fortaſſe perquiras a me, ſi ager mundus eſt, quiſnam ſit figulus, qui mundi poſſit habere dominatum? Niſi fallor, ipſe eſt figulus qui vaſcula corporis noſtri fecit e limo, de quo dicit Scriptura: Et fecit Deus hominem de limo terræ. Ipſe eſt figulus qui carnium noſtrarum cœnoſum lutum vapore ſui ſpiritus animavit, & materiam fluidam atque terrenam ignito calore decoxit. Ipſe, inquam, eſt figulus, qui nos per manus ſuas formavit ad vitam, per Chriſtum ſuum reformavit ad gloriam, ſicut ait Apoſtolus: Ad eandem imaginem reformamur de gloria in gloriam, ſcilicet, ut qui a priore factura propriis vitiis corruimus, in ſecunda nativitate figuli hujus miſericordia reparemur, hoc eſt, qui per Adæ tranſgreſſionem morte concidimus,

Matth. 27.

1. Petr. 1.

Joan. 5.

Pſalm. 2.

Ager mundus epiſt.

Geneſ. 2.

Deus figulus eſt.

2. Cor. 3.

per

per Salvatoris gratiam denuo reſurgamus. Ipſe plane eſt figulus, de quo dicit beatus Apoſtolus: Nunquid dicit ſigmentum ei qui ſe finxit, cur me feciſti ſic? Et iterum: Nunquid non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Ex eodem enim luto corporis noſtri Deus pro meritis ſingulorum alios reſervat ad pœnam, alios ad gloriam. Iſtius itaque figuli ager, Chriſti ſanguine emptus eſt peregrinis. Peregrinis, inquam, qui erant ſine domo, ſine patria, & toto orbe exules jactabantur, requies Chriſti ſanguine providetur, ut quibus non eſt in mundo poſſeſſio, iis eſſet in Chriſto ſepultura. Iſtos autem peregrinos quos eſſe dicimus, niſi devotiſſimos Chriſtianos, qui renonciantes ſæculo, & nihil poſſidentes in mundo in Chriſti ſanguine requieſcunt? Chriſtianus enim qui mundum non poſſidet, hic totum poſſidet Salvatorem? Ideo autem peregrinis Chriſti ſepultura promittitur, ut qui ſe a carnalibus vitiis tanquam peregrinum & alienum cuſtodierit, is Chriſti requiem mercatur. Sepultura enim Chriſti quid eſt aliud, niſi requies Chriſtiani? Nos ergo peregrini in hoc mundo ſumus, & tanquam hoſpites in hac luce verſamus, ſicut ait Apoſtolus dicens: Etenim dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. Peregrini, inquam, ſumus, & nobis Salvatoris ſanguinis pretio empta eſt ſepultura. Conſepulti enim ſumus (ſicut ait Apoſtolus) cum illo per baptiſmum in mortem. Baptiſmus igitur Chriſti nobis eſt ſepultura, in quo peccatis morimur, criminibus ſepelimur, & veteris hominis conſcientia reſoluta in alteram nativitatem rediviva infantia reparamur. Baptiſmus, inquam, Salvatoris nobis eſt ſepultura, quia & ibi perdimus ante quod viximus, & ibi denuo accipimus ut vivamus. Magna igitur ſepulturæ hujus eſt gratia, in qua nobis & utilis mors infertur, & vita utilior condonatur. Magna, inquam, hujus gratia ſepulturæ, quæ & purificat peccatorem, & vivificat morientem.

Rom. 9. Ibidem. — Peregrini ſunt Chriſtiani. — Sepultura requies eſt Chriſtiani. — 2. Cor. 5. — Coloſſ. 2.

De Paſſione & cruce Domini,
Homilia prima.

SÆculi ferunt fabulæ Ulyſſem illum, qui decennio marinis jactatus erroribus ad patriam pervenire non poterat, cum in locum quendam curſus illum navigii detuliſſet, in quo Sirenarum dulci cantus crudelis varietate reſonabat, advenientes ſic blanda modulatione mulcebat, ut non tam ſpectaculum voluptatis caperent, quam naufragium ſalutis incurrerent. Talis enim erat illius oblectatio cantilenæ, ut quiſquis audiſſet vocis ſonitum, quaſi quadam captus illecebra non jam tenderet ad eum quem volebat portum, ſed pergeret ad exitium quod nolebat. Igitur cum Ulyſſes incidiſſet in hoc dulce naufragium, & ſuavitatis illius vellet declinare periculum, dicitur inſerta cera auribus ſociorum, ſeipſum ad arborem navigii religaſſe, quo & illi carerent perniciosa auditus illecebra, & ſe de periculo navigii curſus auferret. Si ergo de Ulyſſe illo refert fabula, quod eum arboris religatio de periculo liberarit; quanto magis prædicandum eſt quod vere factum eſt, hoc eſt, quod hodie omne genus hominum de mortis periculo crucis arbor eripuit? Ex quo enim Chriſtus dominus religatus in cruce eſt, ex eo nos mundi illecebroſa diſcrimina velut clauſa aure tranſimus: nec pernicioſo enim ſæculi detinemur auditu, nec curſum melioris vitæ deflectimus in ſcopulos voluptatis. Crucis enim arbor non ſolum religatum ſibi hominem patriæ repræſentat, ſed etiam ſocios circa ſe poſitos virtutis ſuæ umbra cuſtodit. Quod autem crux ad patriam poſt multos errores redire nos faciat, Dominus declarat dicens latroni in cruce poſito: Hodie mecum eris in paradiſo. Qui utique latro diu oberrans ac naufragus aliter ad patriam paradiſi, de qua primus homo exierat, redire non poterat, niſi fuiſſet arbori religatus. Arbor enim quædam in navi eſt crux in Eccleſia, quæ inter totius ſæculi blanda & pernicioſa naufragia incolumis ſola ſervatur. In hac ergo navi quiſquis aut arbori crucis ſe religaverit, aut aures ſuas Scripturis divinis clauſerit, dulcem procellam luxuriæ non timebit. Sirenarum enim quædam ſuavis figura eſt, mollis concupiſcentia voluptatum, quæ noxiis blandimentis conſtantiam captæ mentis effeminat. Ergo Dominus Chriſtus pependit in cruce, ut omne genus hominum de mundi naufragio liberaret. Sed omittamus Ulyſſis fabulam, quæ ficta, non facta eſt, videamus ſi quod in Scripturis divinis exemplum ſimile poſſumus invenire, quod Dominus per ſemetipſum poſtea completurus, per Prophetas ſuos ante promiſerit. Legimus in veteri Teſtamento cum Moyſes ſanctus filios Iſrael de captivitate Ægypti produxiſſet, atque idem populus in deſerto gravi a ſerpentibus incurſione laboraret, nec aliqua illis armorum deſenſio poſſet obſiſtere, tunc ſanctus Moyſes divino repletus ſpiritu, ſerpentem æreum affixum ligno inter medias morientium erexiſſe turbas, & mandaſſe populo, ut de illo ſigno ſpem gererent ſanitatis, atque hac re tantam medicinam contra morſum aſpidum proveniſſe, ut quiſquis vulneratus in illam ſerpentis crucem aut reſpiceret, aut ſperaret, ſtatim remedium ſalutis acciperet. Cujus facti etiam Dominus in Evangelio meminit dicens: Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Unde ſi affixus ſerpens ligno filiis Iſrael contulit ſanitatem, quanto magis ſalutem præſtat populis Dominus in patibulo crucifixus? Et ſi figura tantum profuit, quantum prodeſſe credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Recte plane, ut quia primus apud Deum peccaverat diabolus, primus crucis ſententia feriretur. In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum, ut quia homo in paradiſo per arborem concupiſcentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem ſalvaretur: atque eadem materia quæ cauſa mortis fuerat, eſſet remedium ſanitatis. Deinde poſt ſerpentem in Salvatore homo ipſe crucifigatur, ſcilicet ut poſt authorem puniatur & facinus. Per primam enim crucem vindicatum eſt in ſerpentem, per ſecundam in venena ſerpentis, hoc eſt, primum author ipſe punitur, deinde ejus malignitas condemnatur. Virus enim quod perſuaſione ſua in hominem transfuderat, nunc rejicitur, nunc curatur. Nam cum homo paſſioni addicitur, non morti traditur, ſed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit Dominus per hominem quem ſuſcepit, ut dum innocens patitur, prævaricationis illius diabolicæ in eo inobedientia corrigatur, & deinceps liber a culpa fieret, ac liber eſſet a morte. Habentes igitur Dominum Jeſum qui nos paſſione ſua liberavit, in ipſum aſpiciamus ſemper, & ipſius ſigno ſperemus noſtris vulneribus medicinam, hoc eſt: Si forte in nobis venenum avaritiæ ſe diffundit, ipſum conſideremus, & ſanat: Si ſcorpionis nos libido compungit, ipſum rogemus, & curat: Si terrenarum cogitationum nos morſus lacerant, eundem precemur, & vivimus. Hi enim ſunt ſpirituales ſerpentes animarum noſtrarum, propter quos conculcandos Dominus crucifixus eſt, de quibus ipſe ait:

Legatur Hom. l. 30. Odyſſeæ. Virg. Æn. 7. Ovid. 14. metamor. Diodorus Sicul. l. 5. — Boetius de conſol. 4. metro 3. Aug. de civitate Dei, lib. 18. c. 17. — Luc. 23. — Crux in Eccleſia eſt arbor in navi. — Ulyſſis fabula ficta, non facta eſt. — Num. 21. — Joan. 3. — Exhortatio dominicæ paſſionis. — Luc. 10.

Super

Digitized by Google

Super ſerpentes & ſcorpiones ambulabitis, & nihil vobis nocebunt.

De cruce & ſepultura Domini,
Homilia ſecunda.

DIximus heſterna die quod crux Domini ſalutem generi contulerit humano, & verum eſt. Paſſio enim illius noſtra redemptio eſt: mors ejus vita noſtra eſt. Ideo autem mala hæc cuncta ſuſtinuit, ut nos bona omnia ſentiremus, ideo crudelitatem in ſe exerceri maluit, ut nobis miſericordiam largiretur. Bonus ideo in nos ita eſſe voluit, ut ante in ſe eſſet immitis. Auferens enim per crucem humani generis injurias, omnes eas in ſua Paſſione conſumpſit, ut ulterius non eſſet homini quod noceret.

Sacrificium crucis grande eſt.

Grande ergo crucis eſt ſacramentum, & ſi intelligamus, per hoc ſignum etiam mundus ipſe ſalvatur. Nam cum a nautis ſcinditur mare, prius ab ipſis arbor erigitur, velum diſtenditur, ut cruce Domini facta aquarum fluenta rumpantur, & hoc dominico ſecuri ſigno portum ſalutis petunt, periculum mortis evadunt. Figura enim ſacramenti quædam eſt velum ſuſpenſum in arbore, quaſi Chriſtus ſit exaltatus in cruce, atque ideo confidentia de myſterio veniente, homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota ſuſcipiunt. Sicut autem Eccleſia ſine cruce ſtare non poteſt, ita & ſine arbore navis infirma eſt.

Comparatio Eccleſiæ & navis

Statim enim diabolus inquietat, & illam ventus allidit; at ubi ſignum crucis erigitur, ſtatim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella ſopitur. Sed & bonus Agricola cum parat terræ ſolum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non niſi per ſignum crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale ſubiicit, afficit aures, ſtivam inſerit, figuram crucis imitatur. Compactio enim ipſa ſimilitudo quædam eſt dominicæ paſſionis.

Cœlum crucis figura diſpoſitum eſt.

Cœlum quoque ipſum hujus ſigni figura diſpoſitum eſt: Nam cum quatuor partibus, hoc eſt, oriente & occidente, ac meridiano & ſeptentrione diſtinguitur, quatuor quaſi crucis angulis continetur.

Manibus elevatis cur orare præcipiamur.

Ipſius enim inceſſus hominis cum manus levaverit, crucem pingit: atque ideo elevatis manibus orare præcipimur, ut ipſo quoque membrorum geſtu paſſionem Domini fateamur. Tunc enim citius noſtra exauditur oratio, cum Chriſtum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. Hoc etiam exemplo Moyſes ſanctus cum contra Amalech bellum gereret, non armis, non ferro, ſed elevatis ad Deum manibus eum ſuperavit. Sic enim habes ſcriptum: Cum elevaſſet manus ſuas Moyſes, vincebat Iſrael; cum autem depoſuiſſet manus ſuas, convaleſcebat Amalech.

Exod. 17.

Hoc igitur dominico ſigno ſcinditur mare, terra colitur, cœlum regitur, homines conſervantur. Hoc, inquam, dominico ſigno etiam reſerantur inferna. Nam ex quo homo Dominus Jeſus, qui ipſam crucem geſtabat, ſepultus in terra eſt, veluti ditupia ab eo exarata terra, omnes quos retinebat mortuos germinavit. Sed videamus de hoc ipſo Domini corpore, poſteaquam de cruce deponitur, quid getatur.

Luc. 23.

Accepit illud Joſeph ab Arimathea vir juſtus, ſicut ait Evangeliſta, & in novo ſuo ſepelivit monumento, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Beatus ergo corpus Domini Chriſti, quod cum naſcitur, utero virginis gignitur; cum recedit, juſti tumulo commendatur. Beatum plane corpus quod virginitas peperit, & juſtitia cuſtodivit. Cuſtodivit illud Joſeph tumulus incorruptum, ſicut ſervavit illud Mariæ Virginis uterus illibatum. Hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Ubique beato corpori defertur ſanctitas, ubique virginitas: novus illud venter concipit, novus tumulus includit. Dominica ergo & virgo vulva, & virgo eſt ſepultura. Quin potius ipſam ſepulturam vulvam dixerim, eſt enim ſimilitudo non parva. Sicut enim Dominus de Matris vulva vivus exivit, ita de Joſeph ſepultura vivus ſurrexit; & ſicut tunc de utero ad prædicandum natus eſt, ita & nunc ad evangelizandum renatus eſt de ſepulchro, niſi quod glorioſior iſta eſt, quam illa nativitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Poſt illam nativitatem ad inferos deſcenditur, poſt hanc remeatur ad cœlos. Religioſior plane eſt iſta quam illa nativitas. Illa enim totius mundi Dominum novem menſibus in utero clauſum tenuit. Hæc autem tridui tamum tumuli gremio cuſtodivit. Illa cunctorum ſpem tardius protulit, hæc omnium ſalutem citius ſuſcitavit.

De Paſſione & ſepultura Domini,
Homilia tertia.

FOrtaſſe quis dicat de prioris dominicæ prædicatione, in qua prædicavimus non minorem eſſe gloriam, quod tumulus Joſeph ſuſcitaverit Dominum, quam quod eum ſanctæ Mariæ uterus procrearit: quæ comparatio ventris & tumuli, cum illa ex intimis viſceribus ediderit Filium, hic autem ſolummodo locum præſtiterit ſepulturæ? At ego dico non minorem Joſeph affectum fuiſſe quam Mariæ ſi quidem illa utero Dominum, hic corde conceperit. Illa Salvatori membrorum ſuorum ſecretum præſtitit, hic ſecretum ſui corporis non negavit. Illa Dominum pannis involvit cum natus eſt, hic linteis cum receſſit. Illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honoravit. Conveniunt ergo ſibi obſequia, convenit & affectus. Unde neceſſe eſt & meritum convenire, niſi quod Angelus Mariam ad obſequium admonuit. Joſeph autem ſola juſtitia perſuaſit, Ioſeph in ſuo ſepulchro poſuit Dominum. Legimus in Propheta: Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Si ergo ſepulchrum patens eſt guttur hominum, vide ne forte ſecundum hanc ſimilitudinem, Dominum Joſeph non tam in ſepultura terrena poſuerit, quam in monumento ſui pectoris collocarit, & cuſtodiendum illum ſuſceperit, non tam memoria fragili elementorum, quam memoria ſancta virtutum. Hæc virtutum fidelis eſt memoria, quæ intra ſe continens Chriſtum, lædi eum hæreticorum corruptione non patitur. De qua memoria in ſacris dicit Dominus: *Quotieſcumque hoc facietis, in memoriam mei facietis, donec veniam.* Quotieſcumque enim Chriſtum loquimur, toties eum ſacri oris memoria commendamus: Sepulchrum ergo patens eſt guttur eorum. Recte plane dicit Propheta. Sepulchrum enim Chriſti patens eſt Evangeliſtarum beatum guttur, per quod illud æterno litterarum theſauro condiderunt. Patens autem ſepulchrum ideo dicitur, quia qui vult ad Chriſti pervenire myſterium, non ingreditur ad illud, niſi per Evangelicæ ſcripturæ ſecretum. In litterarum enim ſacrarum quaſi quodam novo vaſculo commendandus eſt Dominus. Quiſquis igitur illum videre deſiderat, ibi & paſſionis ejus ſacramentum invenit, & Reſurrectionis gloriam recognoſcit. Patens ergo guttur ſanctorum eſt. Unde Apoſtolus ad Corinthios, ait. Os noſtrum patet ad vos, o Corinthii, invitans eos ut per prædicationis ſuæ ſemper apertam januam ingrediantur Chriſti ſecreta myſteria. In hac igitur pectoris memoria collocatur Dominus a Joſeph, ut in juſtitiæ ſede requieſcat &

Pſalm. 5.

Luc. 22.

2. Cor. 9.

ha-

Digitized by Google

Salvator quare in aliena ſepultura ponatur. habeat filius hominis ubi caput reclinet. Videamus
igitur quare Salvator in aliena ſepultura ponatur, ac
ſuam non habeat ſepulturam. Ideo in aliena ſepul-
tura ponitur, quia pro aliorum moriebatur ſalute.
Mors enim iſta non illi illata eſt, ſed nobis delata,
Mors iſta non illi accidit, ſed nobis proficit. Ut quid
ergo ei propria ſepultura, qui in ſe mortem propriam
non habeat? Ut quid illi tumulus in terris, cujus ſe-
des manebat in cœlis? Ut quid illi ſepultura, qui tri-
dui tantum temporis ſpatio, non tam in ſepulchro
mortuus jacuit, quam velut in lectulo dormiens con-
quievit? Ipſa enim temporis brevitas declarat ſom-
num potius fuiſſe quam mortem. Sepulchrum au-
tem, mortis eſt habitaculum neceſſarium. Neceſſa-
rium ergo non erat mortis habitaculum Chriſto qui
vita eſt, nec opus habebat ſemper vivens domicilio
defunctorum. Recte autem hanc vitam nos in no-
ſtro ſepulchro condidimus, ut cum ipſo vivificante
mortem noſtram, a mortuis ſurgeremus. Unde &
Luc. 24. illa Maria Magdalene, quæ Dominum inter cæte-
ros defunctos in ſepulchro quærebat, arguitur, & di-
citur illi: *Quid quæris viventem cum mortuis?* Hoc
eſt, quid quæris apud inferos, quem rediiſſe jam
conſtat ad ſuperos? Quem illa adhuc non intelli-
gens nec cognoſcens, reſpondit illi? *Domine ſi tuli-
ſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego illum*
Joan. 20. *tollam*. Exiſtimabat enim illum, ſicut dicit Scriptu-
ra, hortulanum eſſe. Sancta ergo & ſimplex fœmina
Chriſtum requirebat a Chriſto, ac devotione men-
tis prophetat & neſcit. Ait enim Domino de ſemet-
ipſo: Si tu tuliſti illum, dicito mihi. Recte interro-
gat, ſi tu tuliſti eum. Ipſe enim tulit corpus ſuum
qui ſuſcitavit; ipſe tulit corpus qui illud jacens &
dormiens ſua aſpiratione collegit; ipſe tulit corpus,
qui divinitatis illud virtute geſtans portat ad cœlos.
Atque ideo mulier ſapienter interrogat & requirit:
Si tu tuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum? Hoc
eſt, ſi illud auferens de ſepulchro ad paradiſum
tranſtuliſti. Audierat enim illum dicentem latroni,
hodie mecum eris in paradiſo. Aut certe de infernis
Luc. 23. in Patris dextera collocaſti, ſicut ait Apoſtolus: *Quæ
ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt ad dexteram*
Coloſſ. 3. *Dei*. Beatus ergo qui ita quærit Chriſtum Domi-
num, ut credat eum & in paradiſo conſtitutum, &
in cœleſtibus collocatum: Nam qui eum aut in in-
fernis requirit, aut tumulis, dicitur ei: Quid quæris
viventem cum mortuis?

De ſepultura Domini, & de Maria Magdalene.
Homilia quarta.

HÆret adhuc ſenſibus veſtris, fratres, hoc nos
ante dies pauciſſimos prædicaſſe, quod Maria
Magdalene non leviter fuerit objurgata, cur poſt
reſurrectionem Dominum quæreret in ſepulchro,
& non reminiſcens verborum ejus, quibus ſe ab in-
feris tertia die rediturum eſſe dixerat, putaret eum
inferni legibus detineri. Arguitur enim non leviter,
cur remoraretur reſurrectionis promiſſum, ac mor-
tis ſcrutaretur indicium. Fides enim humilis & igna-
ra quærit quod neſcit, obliviſcitur quod docetur.
Feſtina quidem eſt ad obſequium, ſed non perfecta
eſt ad credendum. Anxia eſt de dominicæ carnis in-
juria, ſed incerta de reſurrectionis gloria. Plorat qui-
dem amore Chriſti, ſed mœret deſperatione corpo-
ris non reperti, periiſſe putat quem jam regnare
conſtabat, ſcrutatur eum in tumulo, quem vocare
potius deberet e cœlo. Increpatur igitur ſancta Ma-
ria tanquam pigrior ad credendum, & cum ſero li-
cet Dominum cognoviſſet, dicitur ei a Salvatore:
Noli me tangere, quia nondum aſcendi ad Patrem. Joan. 20.
Noli me tangere, increpationis verbum eſt. Hoc eſt:
Noli me tangere manibus, quoniam reſurrectio-
nem meam mentis oblivione non retines. Non po-
tes me corporis tenere complexibus, quoniam fi-
dei perfectione non tangis. Prohibetur tactu quæ
amiſit auditum: Noli me, inquit, tangere, quia non-
dum aſcendi ad Patrem. Videamus quomodo non-
dum ad Patrem aſcenderit Chriſtus, quum ipſe di-
cat, quia Pater in me, & ego in Patre, a quo per in-
diſcretam divinitatis ſubſtantiam nunquam eſt ſe-
paratus. Dum enim unus in uno manet, ſemper Pa-
trem Filiumque ſimul eſſe ſignificabat. Aut nunquid
illuc aſcendere ſe dicit Filius ubi ante habitat quam
aſcendat? Dixit enim idem Dominus: *Nemo aſcen-* Joan. 3.
*dit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius ho-
minis qui eſt in cœlo*. Si ergo cum deſcendit Salva-
tor, in cœlo eſt, multo magis etiam priuſquam a-
ſcendat in cœlo eſt. Sed vide ne forte ad objurgatio-
nem Mariæ vox iſta pertineat, cui paulo ante inter
ſepulchra quærenti Dominum, dicitur: *Quid quæ-
ris viventem cum mortuis?* Nunc additur: *Noli me
tangere, quia nondum aſcendit ad Patrem*. Hoc eſt, Luc. 24.
quid me contingere cupis, quæ me dum inter tu-
mulos quæris, adhuc ad Patrem aſcendiſſe non cre-
dis, quæ dum me inter inferna ſcrutaris, ad cœle-
ſtia rediiſſe diffidis, dum inter mortuos quæris, vi-
vere cum Deo Patre meo non ſperas? Nondum, in-
quit, aſcendi ad Patrem, hoc eſt, tibi nondum aſcendi
ad Patrem, quia apud fidem tuam adhuc detineor
in ſepulchro. Quantum in te eſt enim, adhuc
humilibus immoror, adhuc inhæreo terrenis, quia
nondum me fides tua elevavit ad cœlum. Quid er-
go me feſtinas contingere, ut Dei Filium, quem re-
deuntem ad Patrem mentis devotione non ſequeris? Tangere Dominum
Quiſquis igitur vult contingere Dominum ſalvato-
rem, prius illum debet fide ſua ad dexteram divinita-
tis imponere, & credulitate cordis collocare in
cœleſtibus potius quam inter defunctos inquirere.
Illi autem aſcendit Dominus ad Patrem, qui eum
ſemper eſſe credit in Patre. Aſcendit beatis Apo-
ſtolis ad Patrem, quibus ait: *Qui me videt, videt &
Patrem*. Aſcendit Joanni Evangeliſtæ qui apud Pa-
trem eum quæſivit & reperit, atque ideo ait: *Et
Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Joan. 1.
Aſcendit etiam beato Paulo qui non contentus ſo-
lum ſe ſcire quod noverat, nos quoque docuit que-
madmodum Salvatorem in cœleſtibus quæreremus,
dicens: *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt* Ibidem.
in dextera Dei ſedens. Et ut nos ab hac humili vel
terrena inquiſitione Mariæ penitus ſubmoveret, ad-
didit dicens: *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſu-
per terram*. Ergo jam non ſuper terram, nec in ter-
ra, nec ſecundum carnem debemus quærere Salva-
torem, ſi volumus eum invenire atque contingere,
ſed ſecundum divinæ majeſtatis gloriam, ut dica-
mus cum Apoſtolo Paulo: *Nunc autem ſecundum* 2. Cor. 5.
carnem non novimus Chriſtum. Igitur & Stepha-
nus beatus fide ſua non ſuper terram quæſivit
Chriſtum, ſed ſtantem illum ad Dei dexteram re-
cognovit, ibi illum reperit, ubi mentis devotione
quæſivit. Non ſolum autem Stephanus in cœlo vi-
det Chriſtum, ſed eum & martyrio ſuo tangit.
Tangit enim Dominum eum pro inimicis ſuis orans
velut fide ſua tenens illum dicit: *Domine ne ſtatuas* Actor. 7.
illis hoc peccatum. Intelligite ergo quanta devo-
tionis eſt gloria. Maria juxta Dominum conſtituta
eum tangere non meretur. Stephanus in terris poſi-
tus Chriſtum tangit in cœlo. Illa inter Angelos præ-
ſentem non videt Salvatorem. Stephanus intra
cœlos Dominum cernit abſentem.

De

De ſancto Latrone, Homilia prima.

QUoniam heſterno die de Latrone fecimus mentionem, videamus quis ipſe Latro ſit, qui in cruce Domino conſtituto, non ſolum peccatorum ſuorum veniam conſequitur; ſed etiam paradiſi amœnitate donatur, ut qui propter ſcelera damnatus fuerat ad pœnam, propter fidem transferratur ad gloriam, fueritque illi crux quam pertulit non tam ſupplicii damnatio quam ſalutis occaſio. In cruce enim poſitus Chriſtum Dominum noſtrum credidit crucifixum. Et ideo qui conſortio paſſionis utitur, conſortio paradiſi condonatur. Beatus enim Latro dum ſupplicium patitur, regnum cœleſte conſequitur. Ecce reus dicitur ſicut cui damnari ad tempus expedivit: Non enim perveniret ad gloriam, ſi non contraditus eſſet ad pœnam. Videamus, inquam, cur tantorum criminum reus tam cito a Salvatore paradiſum promeretur, cum alii multorum temporum lachrymis frequentibuſque jejuniis vix delictorum ſuorum veniam conſequantur. Magna, fratres, & multiplex cauſa eſt. Primum quod iſte Latro devotione fidei tam repente mutatus eſt, ut præſentem pœnam deſpiceret, ac de futura veniam precaretur, & magis crederet utile ſibi eſſe de æterno judicio petere, quam de temporali ſupplicio poſtulare. Reminiſcens enim ſcelerum ſuorum, & pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod ſperat, quam ſentire quod patitur; potuit enim, niſi de futuris amplius cogitaſſet qui in Chriſtum ſemel crediderat, de præſenti magis ſupplicio deprecari. Deinde illud ad gratiam ejus majoris eſt meriti, quod Chriſtum in cruce poſitum credidit, & paſſio quæ aliis ſcandalum fecit, illi ad fidem profecit. Crucis enim paſſio multis ſcandalum fuit, ſicut dicit Apoſtolus: [1. Cor. 1.] *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitia.* Recte ergo meretur paradiſum, qui crucem Chriſti non putavit eſſe ſcandalum, ſed virtutem. Dicit enim idem Apoſtolus: *Ipſis vocatis Judæis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* [Ibidem.] Recte plane & Dominus huic donat paradiſum, quia quem Judas Scarioth in hortulo paradiſi diſtraxerat, hic in crucis patibulo confitetur. Mira res! confitetur Latro quem diſcipulus abnegavit. Mira, inquam, res! Latro honorificat patientem, quem Judas prodidit oſculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera prædicantur. Ait enim: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.* [Luc. 23.] Hæc eſt fidei plena devotio, ut cum de vulneribus Domini perfluens ſanguis cernitur, tunc de poteſtate ejus venia poſtuletur: cum videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus divinitas, cum morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur. Iſte enim fidelis Latro non credidit moriturum, quem annunciat regnaturum; [Latro fidelis.] non putat ſubdendum inferis, quem dominaturum confitetur in cœlo; non arbitratur eum apud Tartarum detineri, a quo etiam ſe poſtulat liberari. Cernat licet ejus hiantia vulnera, ſpectet ipſius ſanguinem profluentem, Deum tamen credit, quem reum neſcit, juſtum fatetur, quem non meminit peccatorem. Ait enim illi alteri exprobranti latroni: *Nos quidem recte digna factis recipimus, hic autem nihil mali geſſit.* [Luc. 23.] Intellexit enim quod pro alienis peccatis has plagas ſuſciperet: pro alienis ſceleribus hæc vulnera ſuſtineret, & ſcivit quod illa in corpore Chriſti vulnera, non eſſent Chriſti vulnera, ſed Latronis, atque ideo plus amare cœpit, poſtquam in corpore ejus ſua vulnera recognovit. Ait enim Propheta: *Quoniam ipſe infirmitates noſtras portat, & pro nobis dolet. Nos autem exiſtimabamus eum eſſe in dolore, livore ejus nos ſanati ſumus.* [Eſai. 53.] Plus ergo in cruce poſitus livorem ejus cernens Latro diligit Deum. Mira res! plus in cruce Latro Chriſtum diligit, quam Judas dilexit in cœna. Ille per cibum ſupplantat magiſtrum, hic credidit Dominum per dolorem, ſicut ait Propheta: *Qui edebat panes meos adampliavit adverſum me ſupplantationem.* [Pſalm. 40.] Cognovit igitur hic Latro omnem Dei paſſionem ex ipſius fieri voluntate, & in poteſtate ejus eſſe, vel morti animam tradere, vel ad vitam iterum remeare, ſicut ipſe ait: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* [Joan. 10.] Uſque adeo autem illum liberum ab inferni legibus judicavit, ut etiam ſe ab iis poſceret liberari.

De eodem Latrone, & Petro Apoſtolo, & ancilla oſtiaria, Homilia ſecunda.

MEminit, fratres, veſtra dilectio, me dediſſe rationem, cur tantorum criminum inveteratus Latro & ſcelerum ſuorum confeſſione damnatus paradiſum in ipſo ſupplicii patibulo potuerit promereri, & tanta fuerit celeritate ſalvatus, ut peccata ejus gratia prævenerit, antequam pœna, & prius in malis ſuis gloriari cœperit quam puniri. Non enim patitur ſupplicium, dum paradiſum promeretur. Petro dicitur a Chriſto: *Non potes me modo ſequi, ſequeris poſtea.* [Joan. 13.] Et huic dicitur: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* [Luc. 23.] Tanquam diſcipulus ille defertur, & hic tanquam ſocius invitatur. Ille adhuc reſervatur ad præmium, etiam ad conſortium iſte diligitur. Non potes, inquit, me modo ſequi. Impoſſibile eſt Petro ſequi Dominum, etiam facile Latroni eſt eſſe cum Domino: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Non in aliud differtur tempus, non in diem alteram reſervatur. Ipſa hora qua paradiſus Deum ſuſcepit, ſuſcepit & Latronem: unus paſſus eſt pro ſalute cunctorum, & duobus pariter immortalitatis janua reſeratur. Sed hanc totam gloriam Latroni fides præſtitit. [Fidei efficacia.] Fides enim eſt quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina, quæ facit de Latronibus innocentes. Quamvis enim delinquentium grandis culpa ſit; fidei tamen major eſt gratia. Plus enim eſt crediſſe Chriſto quam ſæculo deliquiſſe, & plenioris eſt meriti veniam ſperaſſe de Domino, quam culpam contraxiſſe de mundo. Sicut enim perfidia criminoſum fecit, ita fides perfecit innocentem. Denique Judas poſteaquam fidem perdidit, innocentiam Apoſtolatus amiſit; omnium enim criminum reus factus eſt, poſteaquam virtutum omnium Dominum denegavit. Sicut ergo ſufficit iſti ad ſcelera deſeruiſſe Chriſtum, ita illi ſufficit ad innocentiam Domino crediſſe. Facit igitur & fides innocentes Latrones, & perfidia Apoſtolos criminoſos. Magna igitur & perfecta fides in illo Latrone fuit. [Magna Latronis fides.] Magna plane eſt & admirabilis fides, quæ Chriſtum crucifixum glorificari magis credidit quam puniri. In hoc enim totius forma ſalutis eſt: Salvatorem tunc majeſtatis Dominum recognoſci, cum videtur humilitatis patientia cruciari. Unde ait Apoſtolus: *Si cognoviſſent, nunquam Dominum majeſtatis crucifixiſſent.* [1. Cor. 11.] Hæc, inquam, perfecta fides eſt, Chriſtum in cruce Deum, non reum credere. Unde ille Latro juſtificatus eſt, quia Salvatore in patibulo conſtituto, Judæis inſultantibus, & vel criminoſa dicentibus: *Libera te ipſum ſi potes:* [Matth 27] ille certus de divinitate ejus, & ſecurus de voluntate, ſe magis poſtulat liberari. Magna, inquam, fides in illo Latrone fuit, & ſanctis Apoſtolis compa-

randa,

randa, niſi quod & forte præceſſerit; præceſſit ete-
nim devotione, qui præceſſit & præmio. Prior
enim latro ad paradiſum quam Apoſtoli pervene-
Matth. 16. runt. Denique Petrus Dominum ſequitur, & iſte
comitatur. Dominus autem ſecundum fidem & me-
ritum tribuit & remunerationis obſequium. Omnes
enim, ſicut legimus, in paſſione Salvatoris diſci-
puli trepidarunt, omnes eum pene cum traderetur
Zach. 13. reliquerunt, factum eſt ſicut ſcriptum eſt: *Percu-
tiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis*. Deni-
que fidem Petrus nec admonitus potuit cuſtodire,
toties lapſus eſt quoties ne laberetur admonitus:
Et niſi modum quendam tertio denegandi ei Domi-
nus ſtatuiſſet, forſitan ſæpius interrogatus, ſæpius
abnegaſſet. Tantam enim trepidationem Diſcipu-
lis intulit paſſio Salvatoris, ut quod Apoſtolo Chri-
ſtus ante prædixerat, ancilla deſtrueret, & magis
prævaleret oſtiaria ad perfidiam, quam Apoſtolus
Matth. 16. ad cautelam. Non bona oſtiaria, quæ Petrum ideo
in domum ſacerdotis includit, ut a fide Salvatoris
excludat. Male Adam induxit Eva, male Petrum
introduxit ancilla. Illa excluſit a paradiſo, hæc ex-
cluſit a Chriſto. Illa perſuaſione ſua virum decepit,
hæc interrogatione ſua Apoſtolum circumſcripſit.
Geneſ. 3. Illa ad prævaricandum Adam impulit, hæc Petrum
compulit ad negandum. Et idem ſexus in utraque
oſtiariæ officium gerens aut excludit a vita, aut in-
cludit ad mortem.

De pœnitentia Petri, & oſtiaria ancilla,
Homilia tertia.

DIximus, fratres, quod ad ſimilitudinem Evæ,
Petrum oſtiaria mulier quoque deceperit, &
ſicut Adam fœmina circumſcripſerit, ita & Apoſto-
lum fœmina circumvenerit. Uſitatus enim ad deci-
Geneſ. 3. piendum ſexus eſt, fraudis ſuæ vaſculum in oſtiaria
diabolus recognovit, quia fideles viros non niſi per
mulierem oppugnare conſuevit. Ibi Adam per Evam
ſuperat, hic Petrum vincit per oſtiariam. Fuit enim,
ſicut legimus, in paradiſo deliciarum diabolus; nec
defuit, ſicut intelligimus, in prætorio Judæorum.
Ibi imminebat Sathanas ſerpens, hic Judas coluber
Similis deceptio in Petro & Adam. perurgebat. Eſt ergo eadem ſimilitudo deceptionis
in Petro quæ in Adam fuit, quoniam eadem eſt &
ſimilitudo mandati. Accepit enim a Domino uter-
que mandatum. Adam ne tangeret, & Apoſtolus
ne negaret. Ille ne lignum ſcientiæ præſumeret, hic
ne crucem ſapientiæ præteriret. Sed tranſgrediens
uterque præceptum, pari modo delinquunt. Guſtat
ille quod non licet, loquitur iſte quod non decet, &
tamen facilior negatio Petri quam Adæ prævaricatio:
Citius enim Apoſtolo quam protoplaſto ſubvenitur.
Hunc etenim Deus ad veſperum requirit errantem,
illum Dominus pullorum cantu denegantem. Adam
reus facti nudus erubuit, Petrus conſcius dicti corre-
ctus ingemuit. Ille tanquam deprehenſus feſtinat ad
latebras, hic tanquam emendatus prorumpit ad la-
Ibidem. crymas. Velut latenti enim & celanti ſe a divinitate
Adæ dicitur: *Adam ubi es?* Non quod Adam con-
ſpectum Domini latere potuerit, ſed quod peccatri-
ci conſcientiæ nullus locus tutus vel certus ſit dum
Luc. 12. metuit deprehendi. *Reſpexit Dominus Petrum*, &
apertis oculis ejus emendavit errorem. Recte oculis
emendat, quia ſcriptum eſt: *Oculi Domini ſuper juſtos,
Pſalm. 33. & aures ejus in preces eorum*. Ergo Petrus prorupit
ad lacrymas nihil voce precatus. Invenio enim
quod fleverit, non invenio quid dixerit. Lacrymas
ejus lego, ſatisfactionem non lego. Recte plane Pe-
trus flevit & tacuit, quia quod defleri ſolet, non ſolet
excuſari, & quod defendi non poteſt, ablui poteſt.
Lavat enim lacryma delictum, quod voce pudor
eſt confiteri. Lacrymæ ergo verecundiæ conſulunt Lacrymæ tacitæ preces ſunt.
pariter & ſaluti, nec erubeſcunt in petendo & im-
petrant in rogando. Lacrymæ, inquam, tacitæ
quodammodo preces ſunt, veniam non poſtulant,
& merentur, cauſam non dicunt & miſericordiam
conſequuntur, niſi quod utiliores lacrymarum pre-
ces ſunt quam ſermonum, quia ſermo in precando
forte fallit, lacryma omnino non fallit. Sermo enim
internum non totum profert negotium, lacryma
ſemper totum prodit affectum. Et ideo Petrus jam
non utitur ſermone quo fefellerat, quo peccaverat, Petrus cur tacuerit.
quo fidem amiſerat, ne per id ei non credatur ad
confitendum, quo uſus fuerat ad negandum; ac per
hoc mavult & cauſam ſuam flere quam dicere, &
quod voce negaverat, lacrymis confiteri. Invenio
autem & aliud cur tacuerit Petrus, ne tam cito ve-
niæ poſtulatio per impudentiam plus offenderet
quam impetraret. Solet enim citius mereri indul-
gentiam, qui verecundius deprecatur. In omni igi-
tur culpa ante flendum eſt, ſic precandum. Scimus
jam hoc exemplo, quemadmodum noſtra peccata
curemus. Ecce nihil nobis Apoſtolus nocuit quod
negavit, & plurimum profuit quod emendavit. De-
nique imitemur eum alibi dicentem. Cum enim
tertio interrogaretur a Domino: *Simon, amas me?* Joan. 21.
reſpondit tertio, *Domine tu ſcis quia diligo te*. Ait
Dominus: *Paſce oves meas*. Et hoc tertio, quod qui-
dem dictum ad compenſationem prioris fecit erro-
ris. Qui enim Dominum tertio negaverat, tertio Petrus tertio Dominum negaverat, & tertio confitetur.
confitetur: & quoties culpam delinquendo contra-
xerat, toties gratiam diligendo conquirit. Videte
ergo quantum fletus profuerit Petro: antequam
fleret lapſus eſt, poſteaquam flevit electus eſt, & qui
ante lacrymas prævaricator extitit, poſt lacrymas
paſtor aſſumptus eſt: & alios regendos accepit,
qui prius ſe ipſe non rexit.

De eodem Petro Apoſtolo, Homilia quarta.

ADſtruximus ſuperiore dominica ſanctum Pe-
trum in Salvatoris paſſione ſine erroribus pro-
feciſſe, & poſteaquam negavit Dominum Deum
fuiſſe meliorem. Fidelior enim factus eſt, poſtquam
fidem ſe perdidiſſe deflevit, atque ideo majorem gra-
tiam reperit quam amiſit. Tanquam bonus enim pa-
ſtor tuendum gregem accepit, ut qui ſibi ante infir-
mus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipſe
interrogationis tentatione nutaverat, cæteros fidei
ſtabilitate fundaret. Denique pro ſoliditate devotio-
nis Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominus: *Tu Matth. 16. Petrus dicitur Petra.
es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam
meam*. Petra enim dicitur, eo quod primus in nationi-
bus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum im-
mobile totius operis Chriſtiani compagem molemq;
contineat. Petrus ergo pro devotione Petrus dicitur,
& petra pro virtute Dominus nuncupatur, ſicut ait
Apoſtolus: *Bibebant autem de ſpirituali conſequenti Chriſtus dicitur Petra.
eos Petra: Petra autem erat Chriſtus*. Recte conſor-
tium meretur nominis, qui conſortium meretur & o-
peris. In eadem enim domo Petrus fundamentum po-
ſuit. Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Do-
minus irriguum ſubminiſtrat. Petrus enim tentationi- Matth. 4.
bus ſuis proficit, fletibus ſuis gaudet, periculis ſuis
creſcit. Sic namque in mari dum ſuper undas teme-
rarius viator ingreditur, nutat inceſſu, ſed conva-
leſcit affectu: periclitatur corpore, ſed devotione
non labitur: mergitur pedibus, ſed Chriſti dextera
ſu-

ſuſtentatur: ſuſtentat fides quem unda mergebat, & quem fluctuum procella turbabat, Salvatoris dilectio confirmat. Ambulavit enim in mari Petrus magis dilectione quam pedibus. Non enim videbat ubi pedum veſtigium poneret, videbat autem ubi figeret veſtigium charitatis. In navi enim poſitus conſiderat Dominum, & amore ejus ductus deſcendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit elementum. Credit fide etiam inter undas ſolidum invenire veſtigium, jactetur licet fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur, non tamen turbatur Petri ſemita quæ ducit ad Dominum.

Ibidem.

Ambulat igitur ſuper aquas Petrus, & ſub pedibus ejus mollis unda non cedit.

Exod. 14.

Legimus in veteri Teſtamento filios Iſrael per mare rubrum, ſiccis itineribus ambulaſſe, & ad ſecuritatem gradientium ne laberetur unda, in ſoliditatem quandam eam fuiſſe mutatam. Quanto hoc melius ubi ambulante Petro, nec mutatur unda, nec labitur, nec ſolidatur aqua, nec refugit? Melius, inquam, eſt ubi eadem unda quæ fluctuat & ſuſtentat, ubi idem gurges qui mergitur & famulatur. Illic ut portaretur per mare populus Iſrael, meatum ſuum natura perdiderat, hic portatur in aquis Petrus, curſum ſuum fluenta non perdunt.

Petrus temerarius viator.

Temerarius ergo viator Apoſtolus, novi itineris viam carpit, modo curvati gurgitis molem aſcendit, modo in ſubſidentis ſinus undam deſcendit, & inter marinos fluctus aſcenſus illi itineris deſcenſuſque non deeſt, ſed ubi turbatus ventis, exagitatus procellis incipit timere quod credidit, ſtatim ei gurges ſubtrahitur, unda ſubducitur. Mox deſatiſcente fide, ſatiſcit ſemita, tunc exclamans Dominum Jeſum ſalvum ſe fieri deprecatur, quem apprehenſum manu Salvator liberat & objurgat, dicens: *Modicæ fidei! quare dubitaſti?* Hoc eſt, cur tam parvæ fidei es, ut qui credendo mare ambulare cœperas, non id perſeverando tranſires? Scriptum eſt enim: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Sed dum cunctaris & dubitas, iter quod ingreſſus fueras, perdidiſti.

Matth. 10.

Geneſ. 22.

Cur, inquam, tam modicæ fidei es, ut non ea fide qua venire cœperas, pervenires? Intellige ergo quia in mari crudelitas te portabat, perfidia ſubmergebat. Igitur, fratres, ſanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, ſic pervenit ad Dominum, oſtendens nobis quod non niſi per pericula properatur ad Chriſtum. Multi enim diabolici fluctus ſunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, a quibus ita liberari poſſumus, ſi clamantibus manum ſuam Salvator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non ceſſemus, ille auxilium ſolitum non negabit.

HOMILIÆ SANCTI MAXIMI

EPISCOPI TAURINENSIS,

De Tempore, Æſtivales.

Homilia prima in Feſto Paſchæ.

BEneficia Dei noſtri cum magna atque mirifica ſint, tamen nec nova probantur eſſe nec ſubita: ſed ab initio ſæculi & prædicta ſunt oraculis, & præfigurata myſteriis. Sacram enim Domini paſſionem ab ipſis mundi coaleſcentis exordiis veteris Teſtamenti reſponſa cecinerunt, & ideo Chriſtum Dominum prædicatum atque annunciatum ſuis aperte ex ipſorum libris ac voluminibus aſſerimus. Validis abſque dubio nititur privilegiis, qui cauſam de adverſariis aſſerit inſtrumentis. Speciosa victoria eſt contrariam partem chartulis ſuis, velut propriis laqueis irretire, & teſtimoniorum ſuorum vocibus confutare, & æmulum telis ſuis evincere, ut pugnatoris tui argumenta, tuis probentur utilitatibus militare. Itaque in Domini noſtri perſona dum ex Adæ primi hominis coſta, mater cunctorum viventium Eva producitur, ex

Matth. 14.

hujus ſacro latere ac ſalutari vulnere Eccleſia omnium fidelium parens reparanda monſtratur. In ejus typo Abel juſtus occiditur, & innocens, fraterna tanquam Judaica impietate mactatur. Hic idem Dominus in noviſſima mundi ſeneſcentis ætate, per figuram beati Abrahæ longævi patris offertur, quo tempore dum novo ſacrificio in unici ſui jugulum pius parricida conſurgit, ex improviſo aries oculis ejus apparuit, ſicut loquitur

Geneſ. 4.

ſermo divinus: *Et vidit Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus*. Inter vepres, inquit.

Requiramus quæ iſta ſit novitas. Inter vepres, id eſt, in multitudine circumſtantium peccatorum: hærentem cornibus, id eſt, ad crucis cornua clavorum confixione pendentem, ſicut in alio loco legimus, cornua in manibus ejus ſunt.

Abac. 3.

4. Reg 13

Hoc ideo, quia venerandas manibus patibuli brachia ſuſceperunt. Inter ſpinas autem deputatus eſt, quando ſpineo ſerto innocentiæ & juſtitiæ auctor illuſus eſt. Sed altius introſpicere debemus, quidnam ſit quod Iſaac a patre altaribus admovetur ac ſubito aries proeo, non mutata, ſed duplicata oblatione ſupponitur. Gemina hic adoranda ſubſtantia Redemptoris oſtenditur. Dei enim Unigenitus offertur, & Virginis primogenitus immolatur.

Præfiguratio dominicæ paſſionis

Hoc quoque dominicæ paſſionis præfigurabant inſignia, quod legimus beatum Heliſeum ſepulchro conditum, ingeſto a latrunculis cadavere intra tumulum ſuum corpus extincti tactu ſacri corporis ſuſcitaſſe. Quis hic alius præfiguratur, niſi noſter Jeſus Chriſtus qui reſurrectionem de morte largitur, & vitam ſepultus operatur? In latrone reum mundum: in Prophetæ virtutibus Chriſtum Dominum recognoſce. Adhuc celeberrime per Scripturas ſanctas, etiam in Jonæ Prophetæ laboribus & ærumnis, Chriſti paſſio & reſurrectio præſignatur. Hic Jonas, quod fidei veſtræ non arbitramur incognitum, typum Domini geſſiſſe perſcribitur. Ipſe enim Dominus dicit: Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: *Ita erit filius hominis in corde terræ tribus*

Matth. 13.

Joan. 2. *diebus & tribus noctibus*. Hic, inquam, Jonas ad
prædicandum Ninivitis iræ cœleſtis offenſam, Do-
mino jubente, dirigitur, ſed præſcius triſtem Pro-
phetiam populi converſione vacuandam, navem
profugus quæ Tarſum petebat, ingreditur. Sed nau-
tis turbatis exorta tempeſtate ſorte fluctibus datur,
& faucibus ceti piſcis demerſus excipitur: ſed piſce
illæſum eructante depoſitum, tertia die terris re-
funditur. Jonas iram Domini prædicaturus ad ma-
Ibidem. gnam Niniviatum deſtinatur urbem, dicturus: *Ad-
huc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*, & Chri-
ſtus ad mundi mittitur civitatem, ut diem ſalutis &
præfinitum judicii tempus annunciet. Jonas navim
expetit, Chriſtus Eccleſiam: Jonas fluctibus agita-
tur, Chriſtus mundi turbinibus exercetur. Niſi
Jonas peſſundetur, naufragæ navis periculum non
ſedatur, ſic & non liberatur Eccleſia, niſi Chriſti
morte ſalvetur. Nautæ dimiſſuri Jonam, tamen ve-
rentur & dicunt: *Domine ne des ſuper nos ſanguinem
Jonæ 1. innocentem*. Nonne vobis videtur nautarum impre-
catio, Pilati eſſe confeſſio, qui tradit Chriſtum,
Matth. 27. & tamen lavat manus ſuas, & dicit: *Mundus ego
ſum a ſanguine juſti hujus*? Quam congrue perſo-
Jon. 4. nam gentilium fides gentium prædicat! Dicit ita-
que Jonas in oratione ſua: *Tolle igitur, Domine, ani-
mam meam, quia melior eſt mihi mors quam vita*.
Dicat hoc verius Dominus noſter Jeſus Chriſtus,
quia melior eſt mihi mors quam vita, id eſt, vi-
vens unam Judæorum gentem ſalvare non potui,
moriar ut univerſus mundus una morte ſalvetur.
Jonam cetus piſcis excepit immerſum, ſed non con-
tigit devoratum, & quem malitia hominum per-
didit, beſtia eſuriens cuſtodivit. Plenis viſceribus
famem patitur, & in prædam quam obſorbuit, nihil
ſibi licere miratur. Quis eſt iſte qui intra avidos ri-
ctus aſſumi poteſt, conſumi non poteſt? Cibus eſt,
corruptio non eſt. Traditur perditionis profundo,
& ſervatur ipſius mortis obſequio. Quis eſt iſte
qui vaſtiſſimos ſinus periculorum tutus ingredi-
tur, & ſub altitudine immenſa concluſus atque
mortiſera, vitali aere paſcitur, & demiſſus in alie-
nam rerum naturam, in vitæ exilium cum vita pe-
regrinatur, & mortis ſuperſtes annunciat venturam
mundi ſalutem? Puto quod hic Dominus noſter
Jeſus Chriſtus quem ſæva mors inexplebilis bel-
lua in eſcam ſuam rapuit, & prædam ſuam captiva
contemnit. Contremuit, inquam: Nam ſi noverat
Crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non
poterat tenere damnatum: quia culpam non facit
pœna, ſed cauſa. Quaſi ſolitum cibum perditum in
mundi origine hominem devoravit, ſed magnam
eſſe cibi ipſius dignitatem præfocata cognovit. At-
Jon. 2. que ideo diutius ſermo commemorat: *Et præcepit
Dominus piſci, & evomuit Jonam in aridam*. Præ-
cepit ergo beſtiæ, præcepit morti ſemper eſurien-
ti, præcepit abyſſis & inferno, ut mundo reſtituant
Salvatorem. Evomuit autem, hoc debemus accipe-
re quod ex imis viſceribus mortis victrix vita re-
meaverit, atque eam ex imis præcordiis inferni per-
ditio exulcerata reddiderit. Videmus itaque in
Prophetæ afflictionibus apertiſſime præfiguratam
& mortem pariter & reſurrectionem. Quapropter
quod impletum cernis in ſervo, credere non cun-
cteris in Domino. Quæ cum ita ſint, perſpice, o
homo, quantum valeas, & perpende quantum de-
beas. Perſpice quantum valeas, ut tandem vilis eſſe
tibi deſinas, ut vel pro hoc erubeſcendis ſubjacere
vitiis dedigneris: dum generoſitatem tuam de creato-
ris ac reparatoris dignitate metiris. Habet cauſas qui-
bus ſe ipſe confundat, cur indignis dominis victo
corde ſubdatur, cui gloria æterna promittitur. Ac
ſic gemino privilegio, qui dudum divinæ imagi-
nis participatione videbaris honoratus, efficeris
etiam commercii nobilitate pretioſus. Unde quam
fortis eſſe poſſis contra hoſtem tuum, interroga ſta-
tum tuum, quod ubi Dominus ad bellandum in
membris tuis mundi principem ac ſpiritales ne-
quitias ſuperandas, liberam contulit facultatem,
ac ſic impoſſibile non putes, ut transferri obtineas
ad angelicas beatitudines, cum in hoc ſæculo ange-
licas deviceris poteſtates. Non ergo te degenerem
ac deſpectum faciat vita, quem vel factura proba-
tur illuſtrem protuliſſe, vel gratia. Sed curſum fi-
deles Chriſti ad ſuperna fiducialiter extollant.
Nam qui ſe cœleſti pretio vident redemptos, ad
cœleſtia non dubitent præparatos.

De eadem ſolemnitate, Homilia ſecunda.

NOn immerito, fratres, hodierna die Pſalmus
hic legitur, in quo Propheta exultandum
præcipit, & lætandum. Omnes enim creaturas ad Pſal. 117.
hujus diei feſtivitatem David ſanctus invitat. Nam
in hac die per reſurrectionem Chriſti aperitur
tartarus, per Neophytos Eccleſiæ innovatur terra,
cœlum per Spiritum ſanctum reſeratur. Apertus
enim tartarus reddit mortuos, innovata terra
germinat reſurgentes, cœlum reſeratum ſuſci-
pit aſcendentes. Denique aſcendit Latro in pa-
radiſum, Sanctorum corpora ingrediuntur in ſan-
ctam civitatem; ad vivos mortui revertuntur, &
profectu quodam in reſurrectione Chriſti ad al-
tiora cuncta elementa ſe tollunt. Tartarus quos
habet, reddit ad ſuperos, terra quos ſepelit,
mittit ad cœlum, cœlum quos ſuſcipit, repræſen-
tat ad Dominum. Et una eademque operatione
Salvatoris paſſio elevat de imis, ſuſcitat de terre-
nis, collocat in excelſis. Reſurrectio enim Chriſti
defunctis eſt vita, peccatoribus venia, Sanctis eſt
gloria. Omnem ergo creaturam ad feſtivitatem
reſurrectionis Chriſti, David ſanctus invitat. Ait
enim exultandum in hac die quam fecit Dominus
& lætandum. Sed dicit aliquis: Si in die gratulan-
dum eſt, iis utique gratulandum eſt quos dies
ipſa complectitur. Cœlum autem & tartarus ex-
tra hujus mundi diem ſunt conſtituta. Quomodo
igitur poſſunt ea elementa ad feſtivitatem hujus
diei vocari, cujus diei ambitu non tenentur? Sed
hic dies quem fecit Dominus, penetrat omnia, uni-
verſa continet, cœlum & terram tartarumque com-
plectitur. Lux enim Chriſtus non parietibus obſtrui-
tur, non elementis dividitur, non tenebris obſcura-
tur. Lux, inquam, Chriſti, dies eſt ſine nocte, dies
ſine fine, ubique ſplendet, ubique radiat, ubique
non deficit. Quod autem iſte dies Chriſtus ſit, Apo-
ſtolus dicit: *Nox præceſſit, dies autem appropinqua-* Rom. 13.
vit. Præceſſit, inquit, nox, non ſequitur, ut intelli-
gas ſuperveniente Chriſti lumine, & diaboli tene-
bras effugari, & peccatorum obſcura non ſubſequi,
& jugi ſplendore præteritas caligines depelli, ſurre-
pentia delicta prohiberi: nam quia hic dies Chri-
ſtus, cœlum, terram, tartarumque colluſtret, Scri-
ptura teſtatur. Quod enim ſuper terram fulgeat, di-
cit Joannes: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem* Joan. 1.
hominem venientem in hunc mundum. Quod in infer-
no lucebat, ait Propheta: *Qui ſedebant in regione* Eſai. 9.
umbræ mortis, lux orta eſt illis. Quod in cœlis iſte per-
maneat, refert David dicens: *Ponam in ſæculum* Pſalm. 88.
ſæculi ſemen ejus, & ſedem ejus ſicut dies cœli.
Quis autem eſt dies cœli niſi Chriſtus Dominus,
de quo dicitur per Prophetam: *Dies diei eructat* Pſalm. 18.
Ver-

Verbum: Ipſe eſt enim dies filius, cui præter dies
divinitatis ſuæ eructat arcanum. Ipſe, inquam, eſt
Eccl. 24. dies qui ait per Salomonem: *Ego feci ut oriretur in
cælo lumen indeficiens*. Sicut ergo diem cœli nox o-
mnino non ſequitur, ita & Chriſti juſtitiam peccato-
rum tenebræ non ſequuntur. Semper enim dies cœli
ſplendet, lucet, & ſulget, neque aliqua poteſt ob-
ſcuritate concludi: ita & lumen Chriſti ſemper mi-
cat, radiat, coruſcat, nec aliqua poteſt delictorum
caligine comprehendi. Unde ait Evangeliſta Joannes.
Joan. 1. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non compre-*
In reſurrectione Chriſti omnia elementa gloriantur. *henderunt*. In reſurrectione ergo Chriſti elementa
omnia gloriantur: Nam & ſolem ipſum arbitror eſſe
in hac die ſolito clariorem. Neceſſe eſt enim ut ſol
in ejus reſurrectione gaudeat, in cujus paſſione con-
doluit: & cujus mortem lugubri quadam caligine
proſecutus eſt, ejuſdem vitam nitidioris lucis ſplen-
dore ſuſcipiat, & tanquam bonus miniſter, ſicut tunc
obſcuratus eſt ad exequias ſepulturæ, modo coruſcet
in reſurrectionis obſequium. In paſſione enim Chri-
ſti caliginum ſe nocte circumdedit, & Judæorum fa-
cinus mundo teſte congemuit. Indicium enim quod-
dam dolori in ſole eſt, tanto ſceleri officium luminis
denegaſſe, & ultione quadam Judæorum oculis te-
nebras effudiſſe: ut quorum mentem cæcitas invaſe-
rat, eorum oculos cæcitas occuparet, nec luceret eis
mundi lumen, a quibus fuerat lumen ſalutis extin-
ctum. Damnatio igitur quædam ingeritur Phariſæis,
ut tenebras in die judicii peccatoribus promiſſas jam
apud ſuperos patiantur. Apud ſuperos ergo crucifixo
Adhortatio. immorantur tenebræ. Quid mirum ſi apud ſuperos
ſunt tenebræ, cum lex deſcendit ad inferos? Igitur,
fratres, omnes in hac die ſancta exultare debemus,
nullus ſe a communi lætitia peccatorum conſcientia
ſubtrahat, nullus a publicis votis delictorum ſarcina
Luc. 23. revocetur. Quantumvis enim peccator in hac die
de indulgentia non debet deſperare, eſt enim præro-
gativa non parva. Si enim Latro paradiſum meruit,
cur non mereatur veniam Chriſtianus? Et ſi illi Do-
minus cum crucifigatur, miſeretur, multo magis
huic miſerebitur cum reſurgit. Et ſi paſſionis humi-
litas tantum præſtitit confitenti, reſurrectionis gloria
quantum tribuit deprecanti? Largior enim ad præ-
ſtandum ſolet eſſe (ſicut ipſi ſcitis) læta victoria,
quam addicta captivitas.

De eadem ſolemnitate, Homilia tertia.

EXultandum nobis eſt, fratres, in hac die quam
fecit Dominus continuata lætitia, & in ejus fe-
ſtivitate jugi gloria gratulandum. Nec quia nox ſo-
lemnitati intervenit, gaudia noſtra præſcidit, nec
Heb. 13. quia obſcuritas diſtinxit tempora veſpertina, reſur-
rectionis lux vota æterna deſeruit. Nobis enim heri
& hodie dies unus, dies ipſe eſt; quia ſicut de Sal-
vatore B. Apoſtolus, Jeſus Chriſtus heri & hodie
ipſe eſt. Ergo ſi Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe eſt:
Act. 17. ipſe atque idem nobis ſemper eſt dies: quia in ipſo
vivimus, in ipſo movemur, in ipſo non morimur.
Non morimur, inquam: quia ſicut lucem Chriſti nulla
peccati inceſſit obſcuritas: ita & viventes nulla tem-
poris abſumit vetuſtas. Lætemur ergo in Chriſti re-
ſurrectionis die: Communis enim omnium, com-
munis eſt noſtra lætitia. Communis plane: quia om-
nes illo reſurgente ſurreximus. Omnium enim re-
vixit ſaluti, qui pro omnium peccatis addictus
eſt paſſioni. Reſurrexit igitur Salvator a mortuis.
Nova res & mira: ſed habet hæc aſſertio veritatem.
Nam ut taceam Prophetarum oracula: Angelorum
miniſteria: aperta ſepulchri penetralia: ipſum Do-
minum poſt reſurrectionem cum diſcipulis loquen-
tem, converſantem, edentem: Thomam quoque Joan. 20.
clavorum vulnera etiam digito contrectantem: ut
hæc omnia prætermittam, tamen fidem noſtram
confirmat impietas Judæorum: Nam ſufficit ad cre-
dulitatem nobis eorum nimium cauta crudelitas.
Quo enim diligentius cuſtodierunt tumulum, eo
conſtat illum manifeſtius ſurrexiſſe. Quo plures
appoſuere cuſtodes, eo plures teſtes reliquere.
Nam hoc procuravit divina providentia, ut reſur-
rectioni dominicæ non ſolum Angeli, non ſolum
diſcipuli, ſed & teſtimonium perhiberent (quod eſt
amplius) inimici. Libentius ergo accipimus quod
eum diligentius obſervaverunt. Credimus enim ſub
tot cuſtodibus potuiſſe illum prodire citius quam
perire, & de tumulo jure Domini progredi, quam
diſcipulorum fraude ſubduci. Tanta enim ſollici-
tudine ſepulchrum obſtruxit impietas, ut id non
prævaleret manus humana deſtruere, niſi ſola virtus
reſurrectionis aperiret. Denique dicit ſanctus Evan- Matth. 18.
geliſta, deſcendente Angelo, magno terram tremo-
re fuiſſe commotam, ut fundamenta tumuli move-
rentur, & percuſſos pavore cuſtodes, qui venerant
cuſtodire mortuum, eſſe factos ut mortuos. Ut mor-
tuos, inquam. Dignum plane judicium ſi cum ju-
ſtus reſurgit, peccator emoritur: cum reviviſcit in-
nocens, ejus interficitur inimicus: Nam ideo nec
progredientem Dominum cernere potuerunt, quia
criminoſas mentes terra oppreſſerat, dum ſuſtinere
fulgorem reſurrectionis rutilæ non valebant. Ma-
jore ergo ſollicitudine Phariſæi Dominum cuſto-
dierunt mortuum, quam vivum ſunt perſecuti. Si-
quidem cauſa illos major urgebat. Intelligebant
enim facilius fuiſſe eum apud ſuperos deſpici, quam
redeuntem ab inferis poſſe contemni: & quod tunc Rom. 6.
prædicans facile potuerit occidi, nunc autem reſur-
gens jam non poſſit occidi, dicente Apoſtolo: *Re-
ſurgens autem jam non moritur: mors illi ultra non
dominabitur*. Cuſtodiebant ergo eum ſollicite in
ſepulchro: præſertim quia ſe die tertia dixerat ſur-
recturum. Cuſtodiebant autem ſollicite in ſepul-
chro, quia neceſſe illis erat eum jam non doctorem
timere, ſed judicem. Judicem, inquam, non ſui
tantum, ſed & crudelis ſententiæ ſuæ, quo filios
poſteroſque ſuos ſceleribus addixerunt; dicentes:
Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Crudelis Matt. 27.
ſub tali ſententia impietas Judæorum, quæ facinore
ſuo non ſolum præſentes liberos damnat, ſed etiam
non natos occidit. Quantos enim hac voce ad con- Ingens Judæorum impietas in poſteros
ſcientiam facinoris vocant, quos ſcientia criminis
non tenebat! Crudelis, inquam, impietas quod po-
ſteros ante in reatum vocat, quam producit in lucem,
ut prius futuris contingeret peccare quam vivere.
Cruenti plane genitores, qui ante parricidæ facti
ſunt quam parentes: & ante eos ſocios ſuis ſceleribus
aſſumpſerunt, quos utrum ſanguinis participes poſ-
ſent habere, neſcirent. Non igitur mirandum eſt, ſi
in Salvatorem tam crudeles fuerunt: qui extiterunt
in ſuos poſteros tam crudeles. Non immerito in hac Pſal. 117.
die ſanctus David ſine exceptione exultandum præ-
cepit & lætandum: in qua die totius mundi gaudia
celebrantur. Omnibus enim lætandum eſt, quia
omnibus prodeſt. Cunctis exultandum eſt, quia cun-
ctis eſt ſalutare: & ideo non adulatori eſt adhibenda,
nec fucata lætitia. Quiſque enim in Chriſti reſurre-
ctione lætatur, lætetur potius quia in Chriſto ipſe
ſurrexit. In illo enim noſtra portio, noſtra conditio,
& mortem pertulit, & revixit. Et licet nobis adhuc
reſolutio corpuſculi maneat, cepimus tunc in Chriſto
æterna vita jam vivere. Unde quamvis fragilitatem
noſtram acceleret immaturæ mortis occaſio, in

Salvatore tunc didicimus prios reſurgere quam peri-
re. Ante enim futurus homo reſurrexit in Chriſto,
quam vitam ſortiretur in ſæculo. Non enim tan-
tum illi Dominus generationis & reſurrectionis præ-
ſtitit gratiam, in cujus generationis tempore reſur-
rexit, ſed etiam ſecuturis poſtea populis hoc provi-
dit, ut prius eſſemus de reſurrectione ſecuri, quam de
morte ſolliciti: & ante cum Deo viveremus in cœ-
lis, quam cum hominibus converſaretur in terris.
In Salvatore enim omnes reſurreximus, omnes
reviximus, omnes ad cœleſtia tranſmigravimus. Eſt
enim in illo Chriſti homine uniuſcujuſque noſtrum
carnis & ſanguinis portio. Ubi ergo portio mea re-
gnat, regnare me credo: ubi dominatur ſanguis
meus, me ſentio dominari: ubi glorificatur caro
mea, me glorioſum eſſe cognoſco. Quamvis enim
peccator, de hac tamen communione gratiæ non diſ-
fidat, quia ſi & peccata nos prohibent, ſubſtantia nos
requirit: & ſi delicta propria nos excludunt, naturæ
communio non repellit. Nam propter bonitatem di-
vinitatis, peculiarem nobis Salvator debet affectum,
ſcilicet, quia ſicut Deus noſter in ipſo eſt, ita & ſan-
guis noſter in illo eſt. Miſericordiam igitur mihi de-
bet præſtare divinitas: neceſſitudinem exhibere de-
bet affinitas. Neque enim tam immitis eſt Dominus,
ut obliviſcatur hominis, & non meminerit illius
quem ipſe geſtat, ut quem cauſa mei ſuſceperit, non
ejus cauſa quem ſuſceperit, me requirat. Non, inquam,
tam immitis eſt Dominus, ut non diligat carnem
Epheſ. 1. ſuam, membra ſua, viſcera ſua, ait ſanctus Apo-
ſtolus: *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit,*
ſed nutrit & fovet eam ſicut Chriſtus Eccleſiam. Nihil
ergo de venia deſperemus, fratres: nihil de odio ti-
meamus. Habemus prærogativam ſanguinis noſtri.
In Chriſto enim caro noſtra nos diligit. *Sumus enim*
Geneſ. 2. *membra ejus & caro*, ſicut dicit idem beatus Apo-
Ephes. 5. ſtolus: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de car-*
ne mea. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem
dico in Chriſto & in Eccleſia. Exultemus ergo, fra-
tres, ſicut ait Sciptura, in hac die Domini; exultemus
plane, quia cum votis Domini gratulamur, magis
Pſal. 117. noſtra vota curamus. Quid tantum dicit Propheta,
Hæc eſt dies quam fecit Dominus. Bonus plane dies
qui lucem intulit univerſis: verum non hujus ſæ-
culi lucem, ſed reſurrectionis æternæ. Lux enim iſta
non caliginem noctis detulit, ſed mortis tenebras
amputavit. Bonus, inquam, dies: & melior hic quam
ille in quo primum mundus enituit. Ille enim homi-
nibus ad laborem creatus eſt: hic factus eſt ad quie-
tem. Ille mortem metuit: hic formidinem mortis
evaſit. Ille bonis maliſque communis eſt: hic pro-
prius eſt juſtorum. Illius diei lux tenebris ſepelitur:
hujus diei ſplendor etiam ſepulturas illuminat. Ad
poſtremum, illius diei lucem mortui non vident:
hujus diei lumen etiam defunctis emicuit, ſicut ait
Eſai. 9. Propheta: *Qui ſedebant in regione umbræ mortis,*
lux orta eſt eis. Lætemur ergo in hac die, quæ &
vivos circumſulget, & mortuos vivificat: & ventu-
Joan. 1. ros illuminat, ſicut ait beatus Evangeliſta: *Erat lux*
vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in
hunc mundum.

In eadem ſolemnitate, Homilia quarta.

MAgnum, fratres, & mirabile donum conceſſit
nobis Deus, hunc Paſchæ ſalutarem diem, in
quo reſurgens Dominus, reſurrectionem præſtitit
univerſis, & de imis ad altiora conſcendens, nos
1. Cor. 12. quoque ad ſuperiora de inferioribus in ſuo corpo-
re ſublevavit. Sumus enim ſecundum Apoſtolum
omnes Chriſtiani, corpus Chriſti & membra. Re-
ſurgente igitur Chriſto, omnia neceſſario cum eo
ſua viſcera ſurrexerunt. Dum enim ille ab inferis
tranſit ad ſuperos, nos de morte tranſire fecit ad vi-
tam. Paſcha enim Hebraice tranſitus dicitur, vel pro- Paſcha.
fectus, ſcilicet, quia per myſterium de pejoribus ad
meliora tranſitur. Bonus tranſitus eſt, tranſire de
peccatis ad juſtitiam: de vitiis ad virtutes: ad infan-
tiam de ſenectute. Infantiam autem dixerim, non æta-
tis, ſed ſimplicitatis. Habent enim & merita ætates
ſuas. In occiduis enim prius conſtituti eramus ſenio
peccatorum, reſurgente Chriſto, renovati ſumus
innocentia parvulorum. Habet & Chriſtiana ſim- Infantis ſimplicitas.
plicitas infantiam ſuam. Sicut enim infans neſcit ira- Matth. 5.
ſci, fraudare non novit, referire non audet, ita & Chri-
ſtianitatis infantia lædentibus non iraſcitur, ſpolian-
tibus non reſiſtit, cædentibus non repugnat. Deni-
que ſicut juſſit Dominus, etiam orat pro inimicis,
auferentibus tunicam relinquit & pallium, verberan-
tibus maxillam præbet & alteram, niſi quod in hoc Matth. 5.
melior eſt Chriſti infantia quam naturæ. Illa enim
peccare neſcit, iſta contemnit. Illa per infirmitatem
innoxia eſt, iſta eſt innocens per virtutem. Atque
ideo laudi magis adſcribendum eſt, non tam male
facere non poſſe quam nolle. Ergo ſicut diximus
ætates quædam ſunt meritorum: Nam & ſenectus
morum invenitur in pueris, & innocentia infantum
reperitur in ſenibus. Denique quod in junioribus Sap. 4.
ſenectus quædam ſit honeſtatis, dicit Propheta: *Se-*
nectus enim venerabilis non diuturna, nec numero
annorum computata. Cani ſunt enim ſenſus homi-
nis. Ad Apoſtolos autem jam ſeniores & majores Matth. 18.
natu dicit Dominus: *Niſi converſi fueris & efficia-*
mini ſicut puer iſte, non intrabitis in regnum cœlorum.
Revocat igitur eos ad originis ſuæ fontem, & retror-
ſum ad infantiam redire compellit, ſcilicet ut qui
corpore fragili ſenuerant, innocentiæ moribus rena-
ſcantur, ſicut ait Salvator: *Niſi quis renatus fuerit*
ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum Dei. Joan. 3.
Dicitur ergo Apoſtolis: *Niſi converſi fueritis, &*
efficiamini ſicut puer iſte. Non dicit, ſicut pueri iſti,
ſed ſicut puer iſte. Unum eligit, unum proponit. Vi-
deamus igitur quis ille tantus ſit, qui diſcipulis pro-
ponitur imitandus. Non hunc arbitror eſſe de plebe,
non de publico, non de multitudine cæterorum, præ-
cipue qui per Apoſtolos univerſo mundo tribuit
ſanctitatis exemplum. Non, inquam, hunc de publi-
co eſſe arbitror, ſed de cœlo. Ipſe eſt enim de cœlo Eſa. 9.
puer, de quo dicit Eſaias Propheta: *Puer natus eſt* 1. Petr. 2.
nobis, filius datus eſt nobis. Ipſe plane puer eſt, *qui*
ſicut innocens cum malediceretur, non remaledixit,
cum percuteretur, non repercuſſit: quin potius in
ipſa Paſſione pro ſuis oravit inimicis dicens: *Pater* Luc. 23.
dimitte eis, neſciunt enim quid faciunt. Ita ſimpli-
citatem quam infantibus natura tribuit, Dominus
miſericordiæ bonitate cumulabat. Iſte ergo puer eſt, Matth. 16.
qui imitandus parvulis proponitur & ſequendus.
Nam ipſe dicit: *Tolle crucem tuam, & ſequere me.*

De eadem ſolemnitate, Homilia quinta

REtinet Sanctitas veſtra, fratres, me hoc nuperri-
me prædicaſſe, quod homo in juniorem æta-
tem per juſtitiam reformetur, & quamvis feſſus ſe-
nio, rurſus in puerum innocentiæ moribus renaſca-
tur, ita ut interveniente myſterio ex vetulis iterum
videamus infantes. Innovatio enim quædam eſt de-
ſinere quod eras, aſſumere quod ante non fueras.
Innovatio, inquam, eſt, unde & Neophyti nuncupan- Neophyti unde vocentur.
tur, quod novitate quadam maculas vetuſtatis ab
jecerint, gratiam ſimplicitatis aſſumpſerint, dicente Coloſſ. 3.
Apoſtolo: *Deponentes veterem hominem cum acti-* Pſal. 101.
bus

Digitized by Google

Pſal. 102. *bus ſuis induite novum, qui ſecundum Deum crea-
tus eſt.* Unde & David ſanctus ait: *Renovabitur ſi-
cut aquilæ juventus tua.* Intelligens per gratiam ba-
ptiſmi occidua vitæ noſtræ poſſe reviviſcere, & ju-
ventute quadam renovari poſſe id quod in nobis
fuerat delictorum vetuſtate collapſum. Ut autem
intelligas, quia de gratia baptiſmatis Propheta lo-
quitur, innovationem ipſam aquilæ comparavit,
quæ avis aſsidua commutatione habitus ſui, lon-
Aquilæ habitus. gam ducere fertur ætatem, & vetuſtis jam fatiſcen-
tibus plumis, nova pennarum ſucceſsione juvene-
ſcere, ita ut depoſitis antiquitatis exuviis, rediviva
indumentorum nativitate ſe veſtiat. Unde intelligi-
mus quod ſenectutem aquilæ non ſentiunt mem-
bra, ſed plumæ. De novo ergo ſe veſtit, & pullulan-
tibus pennis vetuſta mater iterum renovatur in pul-
lum. Pullis enim tunc comparandą eſt, quando ra-
diantibus plumis neceſſe eſt illi rurſum meditari ru-
dem volatum, & alarum olim exercitata remigia, tan-
qoam novella volucris, intra nidum pigra compe-
ſcere, quamvis illi ſit volandi notitia de conſuetu-
dine; deeſt tamen illi de pennarum raritate fiducia.
De baptiſmatis igitur gratia hoc ſpiritu pſalmo-
graphus prophetavit: nam utique Neophyti noſtri
nuper baptizati, tanquam aquilæ, depoſitis vetuſta-
tis exuviis, nova ſanctitatis indumenta ſumpſerunt,
& fatiſcentibus antiquis maculis, ſicut plumis levi-
bus, rediviva gratia immortalitatis ornantur, ita ut
in his ſenectutis occidua peccata ſenuerint, vita non
ſenuerit. Tanquam aquila in pullum, ſic illi in in-
fantiam revocati. Eſt eis ſæculi de converſatione
notitia, ſed adeſt illis juſtitiæ de reparatione ſecuri-
tas. Quid igitur ſanctus David dicat, adhuc diligen-
tius videamus. Non enim ait: Renovabitur ſicut
aquilarum, ſed ſicut aquilæ juventus tua. Unius er-
go aquilæ renovandam in nobis aſſerit juventutem,
quam unam & ſolam aquilam recte Chriſtum Do-
minum dixerim, cujus juventus renovata eſt tunc,
cum a mortuis reſurrexit. Depoſitis enim corrupte-
læ corporalis exuviis, redivivæ carnis aſſumptione
Pſalm. 25. refloruit, ſicut ipſe ait per Prophetam: *Et refloruit
caro mea, & ex voluptate mea confitebor illi.* Re-
floruit, inquit, caro mea. Videte quo verbo uſus eſt,
non ait, floruit, ſed refloruit. Non enim refloreſcit,
niſi quod ante floruerit. Floruit autem caro Domini,
cum primum de B. Mariæ Virginis illibata vulva
Eſai. 11. proceſſit. Sicut ait Eſaias dicens: *Exibit virga de
radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Refloruit
autem cum ſucciſo per Judæos corporis flore, redivi-
va de ſepulchro reſurrectionis gloria germinavit, &
in floris modum odorem pariter & nitorem, ac cun-
ctis hominibus immortalitatis afflavit odorem, bono-
rum operum ſuavitatem; circumferens nitorem, in-
corruptelam perpetuæ divinitatis oſtendens.

---

*In Litaniis & de jejuniis Ninivitarum,
Homilia.*

Joan. 3. LEgimus in Prophetis cum Ninive civitati ſub-
verſio divinitus immineret, & juxta ſententiam
Dei, deſtruendi illam tempus ingrueret, conſiſten-
tes in ea aliud non habuiſſe præſidium, niſi ut ab-
jectis crapuloſis epulis, jejunia continuata ſuſcipe-
rent, & divitiarum ambitione depoſita, humilitate
ſe paupertatis induerent, ſcilicet, ut exinde remedium
perciperent, unde iis perditio contingebat, hoc eſt, ut
iram divinitatis quam luxuriando provocaverant,
abſtinendo lenirent, & offenſam quam in eos ſu-
perbia contraxerat, humilitas mitigaret. Dicitur
enim in illa tribulatione ipſe Rex depoſita impera-
li purpura, regali ambitione ſubmota, membra ſua
cilicio præcinxiſſe, atque in ſacco ſe diebus ac no-
ctibus volutaſſe. Sapiens ergo Rex qui ſciret quemad-
modum adverſa ſibi ſuperare deberet. Hoſtes enim
virtute ſuperabat, Deum autem humilitate vince-
bat. Sapiens plane Rex, qui intelligeret, quibus ar-
mis uteretur pro temporis qualitate. Cum enim In-
ſidiantur illi homines, apprehendit arma bellica;
cum iraſcitur ei Deus, corripit arma juſtitiæ. Sapiens
inquam Rex, qoi pro ſalute civium peccatorem ſe
magis confitetur eſſe quam Regem. Obliviſcitur enim
ſe Regem eſſe, ubi Deum Regem omnium pertime-
ſcit, nec potentiæ ſuæ meminit, ubi potentiam divi-
nitatis agnoſcit. Obliviſcitur ergo ſe Regem eſſe dum
proiicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio
autem veſtitur & ſacco, * jejuniis perſeverat, ora- Alias jejunus.
tionibus immoratur. Mira res, dum ſe Regem homi-
num eſſe non meminit, Rex incipit eſſe juſtitiæ. Reli-
gioſus igitur princeps non perdidit imperium, ſed
mutavit. Principatum enim ante militaris diſciplinæ
tenuit, nunc cœleſtium diſciplinarum obtinet prin-
cipatum. Non, inquam, perdidit imperium, quia ſi-
ve ferro, ſive juſtitia pro civium ſalute primus in-
vigilat. Primus plane invigilat, quia ut tota civitas Religioſi
jejunaret, famem ſibi Rex primus indixit, & ſolus principis
omnium cauſa prior cœpit eſurire quam miles. Ne- exemplum.
ceſſe enim erat ut qui potentior cunctis fuerat, de-
votior fieret univerſis. Exemplo igitur ſuo præparat
religioni exercitum, non armis, ſed ſola devotione
munitum: jubet omnem ſexum, omnem ætatem a
diurnis epulis abſtinere. Additur religioſo exercitui
numerus cum in tali devotione etiam infantia mili-
tare compellitur. Pietas enim eſſe creditur in tali
cauſa, parvulis quoque cibi ſubſtantiam denegare.
Non enim ſufficiebat ad placandum Deum pec-
cantium ſatisfactio, niſi ſeniorum quoque peccata
parvulorum innocentia deploraret, & fletibus alie-
nis delicta ſua juventus ablueret. Iſta autem, fratres,
omnia in commonitionem noſtri facta eſſe nemo eſt
qui neſciat. Quotieſcumque tribulationibus perur-
gemur, ad hæc præſidia concurramus, ut puta ad-
verſarius imminet, inimicus in promptu eſt, jejune-
mus, & vincamus. Solent quidam homines quotieſ-
cumque neceſſitatem arduam nimis patiuntur, ad
proximas gentes auxilii cauſa deſtinare legatos. Nos,
quod eſt melius, legationem ad Deum per jejunia
deſtinemus: ab ipſo imploremus auxilia, ad ipſum
nos corde & orationibus conferamus. Auxilium enim
illi non aliunde rogando petiverunt, ſed de illis jeju-
nando viſceribus exegerunt. Cur ergo petat ab
altero, qui intra ſe poteſt invenire quod quærit?
Quanto enim Deo viciniores fuerimus, tanto ad-
verſarii noſtri a nobis longius repellentur. Opor-
tet igitur proximos nos fieri Deo, qooniam dicit
Propheta: *Ecce qui elongant ſe a te, peribunt.* Quod Pſalm. 75.
ſi a Deo qui longe ſunt peribunt, utique qui ſunt.
proximi, ſalvabuntur. Aliter ergo proximi Deo eſſe Proximi quomodo
non poſſumus, niſi ad eum jejuniis, orationibus & efficiamur
eleemoſynis propinquemus. Deus enim ipſe miſe- Deo.
ricors, jejunus & ſanctus eſt, atque adeo qui vult
proximus Deo eſſe, debet imitari hoc eſſe quod
Deus eſt. Tota igitur in tribulatione, Ninivitarum
civitas jejunavit. Bene dixi tota: Non ſolum enim
ſenes, juvenes, & infantes, ſed etiam pecudes legi-
mus jejunaſſe. Mira res, jejunat pro civitatis
peccato, quem peccati conditio non conſtringit.
Unde & nos, fratres, temporum anguſtias ſuſtinen- Jejunii præconium.
tes, omnes pariter jejunare debemus, & miſeri-
cordiam Dei cunctorum abſtinentia deplorare.
Nam quale ſit hoc, Chriſtianum pro ſalute ſua non
facere, quod pecudes pro hominum ſalute fece-

Digitized by Google

runt, niſi quod ſtolidior pecude eſt, qui indicto pro ſe a Sacerdote jejunio non jejunat. Nonne enim pecus eſt, qui non intelligit quid illi immineat, quid incumbat? Et pecus quidem videns declinat foveam, cavet præcipitia, tu autem non vis jejunando periculum declinare quod cernis? Deſperationis enim genus eſt, tunc te manducare cum abſtinere debeas, tunc gaudere cum debeas deplorare. De hac deſperatione Apoſtolus dicit, quod a no-
1. Cor. 15. Eſai. 22. bis avertat Deus: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur*. Jejunemus ergo, fratres, ſine intermiſſione, ut hoſtes noſtros orationibus & abſtinentia ſuperare poſſimus.

In ſolemnitate ſanctæ Pentecoſtes, Homilia prima.

NOſſe credo vos, fratres, quæ ſit ratio quod venerabilem hanc Pentecoſtes diem non minore lætitia celebremus, quam ſanctum Paſcha curavimus; & quod eadem devotione hujus ſolemnitatis obſervantiam decurrimus, ſicut illius obſequia feſtivitatis implevimus. Tunc enim ſicut modo fecimus, jejunavimus ſabbata, vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes inſtitimus; unde neceſſe eſt ſimilis obſervantia ſimilem lætitiam ſubſequatur. Et lætitia plane conſimilis; tunc enim ab inferis reſurgentem ſuſcepimus Salvatorem, modo autem Spiritum ſanctum expectamus de cœlis: tunc anxii vel ſolliciti Chriſti prædicamus adventum, modo tepidi vel jejuni Parācleti deſideramus adventum. In omnibus enim Deus ſaluti providit humanæ. Tunc enim nobis ad reſurgendum tartara Salvatoe aperuit, modo nobis ad regnandum Paracletus cœleſtia reſeravit. Et quibuſdam quaſi profectum gradibus, tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modò autem de terris ad cœlos meditamur aſcendere. Hæc autem omnia operatur
Joan. 14. in nobis Chriſtus Dominus, qui priuſquam rediret ad cœlos, promiſit diſcipulis ſuis dicens: *Cum autem aſcendero, rogabo Patrem meum, & mittet vobis alium Paracletum, qui vobiſcum ſit in æternum, Spiritum veritatis*. Unde credendum eſt ad Patrem perveniſſe Chriſtum, cum videmus ad Apoſtolos deſcendiſſe Paracletum. Credendum, inquam, eſt, ſicut ait de Salvatore David in Dei dextera conſidere, quia cernimus Spiritum ſanctum, ſicut promiſit Dominus, in diſcipulis exultare. Ait ergo Propheta
Pſal. 109. Pſalmorum: *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis*. Secundum conſuetudinem noſtram illi conſeſſus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adveniens honoris gratia promeretur ut ſedeat. Ita ergo & homo Jeſus Chriſtus paſſione ſua diabolum ſuperans, reſurrectione ſua inferna reſerans, tanquam perfecto opere ad cœlos victor adveniens audit a Deo Patre, ſede ad dexteram meam. Nec mirum ſi unius ſedis offertur Filio conſeſſus a Patre, qui unius eſt ſubſtantiæ & naturæ cum Patre. Cur autem ad dexteram Filius eſſe dicatur, moveat aliquem fortaſſe. Licet enim dignitatis gradus non ſit, ubi plenitudo divinitatis eſt, tamen ideo ad dex-
Matth. 25. teram ſedet Filius, non quod præferatur Patri, ſed ne inferior eſſe credatur. Et ideo ad dexteram Filius, quia ſecundum Evangeliſtam, ad dexteram oves, ad ſiniſtram vero conſtituentur hœdi. Neceſſe eſt ergo partem ovium primus agnus obtinere, & ſecuturo immaculato gregi locum dum immaculatus anticipet, ſicut ait Joannes in Apocalypſi dicens:
Apoc. 14. *Hi ſunt qui ſequuntur agnum quocumque vadit, qui ſe cum mulieribus non coinquinaverunt*. Refert ergo Propheta David: *Dixit Dominus Domino* Pſal. 101.
meo, ſede ad dexteram meam. Hoc eſt, Dominus Pater Domino Deo Chriſto Filio throni ſui offert ſublimem conſeſſum, & honoris gratia, ad dexteram ſuam illum æterna ſede conſtituit. Legimus autem in actibus Apoſtolorum, dicente beato Stephano cum lapidaretur a Judæis, *Ecce video cœlos* Act. 7.
apertos, & ſtantem Dominum Jeſum ad dexteram Dei. Videamus ergo quæ ſit ratio quod idem Dominus a David ſedens prophetatur, ſtans vero a Stephano prædicatur. Primo omnium Deus qui incorporalis eſt & inviſibilis (eſt enim ſpiritus, ſicut ait Dominus: *Deus autem Spiritus eſt*) ſedere aut Joan. 4.
ſtare quomodo poteſt? Deinde autem quali ſubſellio ſedeat Deus, qui infinitus eſt & immenſus, & intra ſe ipſe magis creaturam cunctam contineat? Hæc autem propterea a ſanctis viris dicta arbitror eſſe de Domino, non quo ſint contraria ſibi, ſed ut modo ejus omnipotentia, modo miſericordia deſcribatur. Nam utique pro poteſtate regis ſedere dicitur, pro bonitate interceſſoris ſtare ſuggeritur. Ait enim beatus Apoſtolus: *Quia advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum*. Judex ergo
eſt Chriſtus cum reſidet, advocatus eſt cum aſſur- 1. Joan. 2.
git. Judex plane Judæis, advocatus Chriſtianis. Hic enim ſtans apud Patrem, Chriſtianorum licet peccantium cauſas exorat, ibi reſidet cum Patre Phariſæorum perſequentium peccata condemnans. Illis indignans vehementer ulciſcitur, his interveniens leniter miſeretur. Hic ſtat ut ſuſcipiat Stephani martyris ſpiritum, ibi reſidet ut condemnet Judæ proditoris admiſſum.

In eadem ſolemnitate, Homilia ſecunda.

NOn incommode ante dies complures, ſicut retinetis, fratres; prædicatio noſtra proceſſit, in qua deſcripſimus, quod caro Domini rediviva velut in nitore floris de tumulo germinaverit, quem tumulum ſitum in hortulo Evangeliſta teſtatus eſt,
unde non incongrue proſecuti ſumus. Conveniens Joan. 19.
enim erat ut flos pretioſior in hortulo gigneretur, & bonæ frugis commendatum ſolo ſemen intra ſepta domeſtica, tamen virentia, ſalutem omnium pullularet: Chriſti enim reſurrectio cunctorum eſt redemptio populorum. Ergo in hortulo Salvator redivivum corpus aſſumit, & inter florentes arbores & cadentia lilia, carne jam mortua, refloreſcit, & ita germinat de ſepulchro, ut germinantia & nitentia cuncta reperiat. Sic enim poſt hyemalis rigoris frigidam quodammodo ſepulturam pullulare elementa omnia feſtinarunt, ut reſurgente Domino, & ipſa conſurgerent. Nam utique ex reſurrectione Chriſti aer ſalubrior eſt, ſol candidior, terra fœcundior, ex eo ſurculus vireſcit in fruticem, herba creſcit in ſegetem, vitea pubeſcit in palmitem. Si igitur cum refloreſcit Chriſti caro, omnia floribus veſtiuntur, neceſſe eſt ut cum idem fructum affert, etiam univerſa
fructificent, ſicut ait idem Dominus: *Niſi granum* Joan. 12.
tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; cum autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Reſloravit igitur Dominus, cum reſurrexit e tumulo; fructificavit, cum aſcendit ad cœlum. Flos eſt cum de inferioribus terræ gignitur, fructus eſt cum altiſſima ſede reconditur. Granum eſt, ſicut ipſe ait, cum ſolus crucem patitur: fructus
eſt, cum plurima Apoſtolorum credulitate circum- Act. 1.
datur. His enim poſt reſurrectionem quadraginta diebus cum diſcipulis converſatus tota illos ſapientia maturitatis edocuit, & ad bonam frugem eos

om-

omni diſciplinarum fœcunditate convertit. Deinde aſcendit ad cœlum, ad Patrem ſcilicet, fructum carnis præferens, in diſcipulis juſtitiæ ſemina derelinquens. [Pſal. 102.] Aſcendit ergo ad Patrem Dominus. Meminit Sanctitas veſtra quod aquilæ illi de pſalterio, cujus innovatam juventutem legimus, comparaverim Salvatorem. Eſt enim ſimilitudo non parva. Sicut enim aquila humilia deſerit, alta petit, cœlorum vicina conſcendit, ita & Salvator humilia inferni deſeruit, paradiſi altiora petiit, cœlorum faſtigia penetravit. Et ſicut aquila relictis terrenis ſordibus ſublime volans purioris aeris ſalubritate perfruitur, ita & Dominus terrenorum fæcem deſerens peccatorum, in Sanctis ſuis volitans purioris vitæ ſimplicitate lætatur. Per omnia igitur aquilæ comparatio convenit Salvatori. Sed quid faeimus quod aquila prædam frequenter diripit, tollit frequenter alienum? Nec in boc tamen diſſimilis eſt Salvator. Prædam enim quodammodo ſuſtulit, eum hominem quem ſuſcepit, inferni raptum faueibus portavit ad cœlum, & alienæ dominationis, id eſt, diabolicæ poteſtatis ſervum de captivitate erutum duxit ad altiora captivum, ſicut ſcriptum eſt in Propheta: [Pſal. 67. Epheſ. 4.] *Aſcendens in altum captivum duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Quæ ſententia utique ſic intelligitur, eo quod captivitatem hominis quem ſibi diabolus captivaret, illi eruendo, ſibi Dominus captivarit, & ipſam, ſicut ait, captivitatem captam ad cœlorum alta ſuſtulerit. Utraque igitur captivitas uno vocabulo [Ibidem.] nuncupatur, ſed non æqualis utraque eſt: Diaboli enim captivitas ſervituti ſubiicit, Chriſti autem captivitas reſtituit libertati. *Aſcendit*, inquit, *in altum, captivam duxit captivitatem*. Quam bene triumphum Domini Propheta deſcribit! Solebat, ſicut dicunt, regum triumphantium currus, captivorum pompa præcedere. Ecce Dominum euntem ad cœlos non præcedit, ſed comitatur glorioſa [Ibidem.] captivitas, non ante vehiculum ducitur, ſed ipſa evehit Salvatorem. Quodam enim myſterio dum Filius Dei filium hominis ſuſtulit ad cœlum, ipſa captivitas portatur, & portat. Quod autem ait: Dedit dona hominibus, hoc victoris inſigne eſt. Poſt triumphum enim victor ſemper dona largitur, & proprio regno reſidens ſervulorum gaudia muneratur. Sic Chriſtus Dominus victor diabolicum poſt triumphum reſidens ad dexteram Patris, hodierna die diſcipulis dona largitus eſt, non [Act. 2.] auri talenta, non argenti metalla, ſed Spiritus ſancti cœleſtia munera, ut inter cæteras gratias Apoſtoli etiam linguis variis loquerentur, hoc eſt, ut Hebrææ nationis homo Chriſti gloriam Romanæ facundiæ eloquentia pertonaret, & redemptionem generis humani peregrinæ aures, quia Judæa prædicantem lingua non caperent, propria loquela cognoſcerent. Omnis lingua in prædicatione Chriſti reſolvitur, ut majeſtatem ejus omnis loquela fateatur, ſicut ait ſanctus David: [Pſalm. 18.] *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*. Ne miremini autem quod ad dexteram Patris reſidere diximus filium. Ad dexteram enim reſidet, non quia major Patre, ſed ne minor Patre eſſe credatur, ſicut hæretici blaſphemare conſueverunt. Sicut enim divinitas honorificentiæ gradum neſcit, ita Scriptura ſancta novit obviare blaſphemiis.

De eadem ſolemnitate,
Homilia tertia.

SCire debet Sanctitas veſtra, fratres, hanc ſanctam Pentecoſtes diem, qua ratione curemus, vel cur iſtorum quinquaginta dierum numero ſit nobis jugis & continuata feſtivitas, ita ut hoc omni tempore, neque ad obſervandum indicemus jejunia; neque ad exorandum Deum genibus ſuccidamus; [Cur Dominica nobis ſolemnis.] ſed ſicut Dominica ſolemus facere, erecti & feriati reſurrectionem Domini celebremus. Dominica enim nobis ideo venerabilis eſt atque ſolemnis, quia in ea Salvator velut Sol oriens, diſcuſſis infernorum tenebris, luce reſurrectionis emicuit, ac propterea ipſa dies ab hominibus ſæculi, dies Solis vocatur, quod ortus eam Sol juſtitiæ Chriſtus illuminet. Inſtar ergo Dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes iſti dies velut dominici deputantur. Reſurrectio enim dominica eſt: Nam in dominica reſurgens Salvator reverſus ad homines eſt, & poſt reſurrectionem tota quinquageſima cum hominibus commoratus eſt. [Aliter ſic legitur: Æqualis ergo eorum in eo eſt feſtivitas, quorum æqualis eſt & ſanctitas.] Æqualis ergo eorum neceſſarium ut eſſet feſtivitas; quorum æqualis eſſet & ſit quantitas. [In quinquageſima quare non jejunamus.] Sic enim diſpoſuit Dominus, ut ſicut ejus [Luc. 5.] paſſione in quadrageſimæ jejuniis contriſtaremur, ita ejus reſurrectione in quinquageſimæ feriis lætaremur. Non igitur jejunamus in quinquageſima, quia in iis diebus nobiſcum Dominus commoratur. Non, inquam, jejunamus præſente Domino, quia ipſe ait: *Nunquid poſſunt filii ſponſi jejunare quamdiu cum illis eſt ſponſus?* Cur enim abſtineat corpus a eibo, cum anima præſentia Domini ſaginatur? Non poteſt enim eſſe jejunus, qui reficitur gratia Salvatoris: Societas enim Chriſti quodammodo eſca eſt Chriſtiani. Reficimur ergo in quinquageſima, Domino nobiſcum converſante. Cum autem poſt hos dies aſcendit ad cœlum, iterum jejunamus, ſicut ait idem Salvator dicens: *Venient autem dies cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt in illis diebus*. Cum enim Chriſtus aſcendit ad cœlum, noſtris auſertur obtutibus: famem patimur non corporis, ſed amoris, & non tam eibi jejunio quam deſiderio laboramus. Deſideria enim quædam noſtri ſuſtinent oculi, dum non perſpiciunt quem requirunt, ſicut ait Propheta: *Defecerunt oculi mei dum ſpero in Deo meo*. [Pſalm. 98.] Defecerunt enim Prophetæ oculi, quia nondum videbat quem ſperabat ſe eſſe viſurum. Sic namque Apoſtolorum defecerunt oculi, cum euntem ad cœlum Dominum nequeunt intueri, ſecundum quod ait Lucas dicens: *Et videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Stabant enim beati Apoſtoli toto ſuſpenſi [Act. 1.] corpore, & aſcendentem ad cœlum Dominum, quia inceſſu pedum non poterant, oculis ſequebantur, & licet ad deducendum Salvatorem viſio humana deficeret, fidei tamen devotio non deficit. Uſque ad nubem enim Chriſtum deducunt, uſque ad cœlos autem cum Chriſto fidei devotione comitantur. Unde ait Apoſtolus ſciens fidem noſtram in cœlis eſſe cum Domino: [Philip. 3.] *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt*. Nubes ergo ab oculis Apoſtolorum ſuſcepit Salvatorem. Videamus ergo quæ iſta nubes ſit, quam ſplendida, quam præclara, quæ lucem mundi Chriſtum ſuſcipere meretur. Neque enim poterat obſcura eſſe ac tetra vel tenebroſa, quia ſcriptum eſt,

Joan. 1. Et tenebræ eam non comprehenderunt. Tenebræ enim lucem geſtare non poterant. Illa enim eſt nubes quæ aſcendentem ſuſcepit Chriſtum, quæ & teſtimonium Chriſto etiam in monre perhibuit, de qua Matth. 17. ait Evangeliſta: Vox in nube audita eſt dicens: Hic eſt Filius meus dilectus: ipſum audite. Non igitur nubes ſuſcepit Chriſtum, ſed Deus Pater recepit Filium, & occurſu quodam pietatis aſcendentem illum gremio molliore complectitur. Nam ideo Pater dicitur ſuſcipere Filium nubis umbraculo, ut oſtendatur reſrigerio quodam ſovere ejus vulnera paſſionis. Poſt crucem enim, poſt injurias, poſt inferos non eſt majus Chriſto refrigerium, niſi quod virtute divinitatis obumbraretur, ſicut in nativitate ejus ad Mariam dicitur: Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Altiſſimus ergo Pater qui naſcente Chriſto obumbravit in virtutæ Mariæ, aſcendentem eum ſuſcepit in nube. Semper enim Deus quos poſt injurias perducit ad requiem, protegit eos nubis umbraculo, ſicut filios Iſrael liberatos de Ægypto nubis columna protexit, & ut poſt multum laborem eos in terram promiſſionis induceret, refrigerii fovit umbraculo, ſicut ait Propheta: Expandit nubem ad protegendum eos. Expandit enim nubem, ne ſiccitate eremi fatigarentur, etiam Solis ardore. Lætemur ergo in hac ſancta die, ſicut in Paſcha lætati ſumus. Eſt enim in utraque die ſimilis eademque ſolemnitas. In Paſcha enim omnes gentes baptizari ſolent: In Pentecoſte autem Apoſtoli baptizati ſunt, ſicut ait Dominus diſcipulis ſuis aſcenſurus ad cœlum: Joannes baptizavit aqua, vos autem Spiritu ſancto baptizabimini, quem accepturi eſtis non poſt multos hos dies. Et ideo dicit Lucas: Cum autem complerentur dies Pentecoſtes, factus eſt ſubito ſonus de cœlo tanquam advenientis ſpiritus validi, ſeditque ſuper ſingulos eorum.

Exod. 13. Pſal. 104. Act. 1. Act. 2.

HOMILIÆ SANCTI MAXIMI,

EPISCOPI TAURINENSIS,

Hyemales & Æſtivales de Sanctis.

In Natali Stephani Levitæ & Protomartyris Homilia.

LEctio actuum Apoſtolorum quæ nobis hodie lecta eſt, dilectiſſimi fratres, quum plurimum habeat in ipſa ſpecie admirationis, non minus tamen continet in myſterio dignitatis: Ecce (inquit) beatus Stephanus dicit: Act. 7. *Video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem a dexteris virtutis Dei.* Conſiderate attentius, fratres dilectiſſimi, cum beatus martyr Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ad dexteram Dei Patris ſtare vidiſſet, cur ſe filium hominis videre teſtatus eſt, & non potius Filium Dei: cum utique plus honoris Domino delaturus videretur, ſi ſe Dei potius quam hominis filium videre dixiſſet. Sed certa ratio poſtulabat ut hoc ita & oſtenderetur in cœlo, & prædicaretur in mundo. Omne enim Judæorum ſcandalum in hoc erat, cur Dominus noſter Jeſus Chriſtus qui ſecundum carnem eſt filius hominis, eſſe etiam Dei Filius diceretur. Ideo ergo pulchre Scriptura divina filium hominis ad dexteram Dei Patris ſtare memoravit, ut ad confundendam Judæorum incredulitatem illi martyri oſtenderetur in cœlo, qui a perfidis negabatur in mundo. Et illi teſtimonium cœleſtis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogarat. Unde Pſal. 115. licet juxta Pſalmum qui lectus eſt: Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus, ſi qui tamen Act. 6. diſtare inter martyres poteſt, præcipuus videtur eſſe, qui primus eſt. Nam quum S. Stephanus ab Apoſtolis diaconus ordinatus ſit, Apoſtolos ipſos beata ac triumphali morte præceſſit: ac ſic qui erat inferior ordine, prior factus eſt paſſione: & qui erat diſcipulus gradu, magiſter cœpit eſſe martyrio, com-Pſal. 115. plens illud quod beatus Propheta in Pſalmo dixit: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuere enim primus voluit Stephanus martyr Domino, quod cum omni humano genere accepit a Domino. Mortem enim quam Salvator dignatus eſt pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori. Poſt hæc ſubiecit Scriptura ſacra & ait: Poſitis genibus clamavit dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Videte, dilectiſſimi fratres, affectum beati viri: Videte magnam & admirabilem charitatem. In perſecutione poſitus erat: & pro perſequutoribus ſupplicabat: atque in illa lapidum ruina, quando alius oblivisci poterat etiam chariſſimos ſuos, ille Domino commendabat inimicos. Quid enim dicebat quum lapidaretur? *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Plus itaque tunc illorum dolebat peccata: quam ſua vulnera, plus illorum impietatem, quam ſuam mortem. Et recte plus. In illorum quippe iniquitate erant multa quæ plangi; in illius autem morte non erat quod debuiſſet doleri. Illorum impietatem mors ſequebatur æterna, hujus autem mortem vita perpetua. Imitemur ergo in aliquo, dilectiſſimi fratres, tanti magiſtri fidem, tam præclari martyris charitatem. Diligamus nos hoc animo in Eccleſia fratres noſtros, quo ille tunc dilexit inimicos ſuos. Sed quod pejus eſt, aliquoties non ſolum inimicos non diligimus, ſed nec amicis quidem fidem integram cuſtodimus. Sed dicit aliquis: Non poſſum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hoſtem patior crudeliſsimum. O quicumque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non conſideras quid tu feceris Deo? Quum enim multum graviora in Deum peccata commiſeris, quare non dimittis homini parum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum? Recole quid tibi in Evangelio Veritas ipſa promiſerit, & quam tibi quodammodo cautionem fecerit, vel quale tecum pactum inierit. Si enim (inquit) dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Si autem non dimiſeritis, nec Pater veſter dimittet debita veſtra. Videtis, fratres, quia cum Dei

Stephanus ab Apoſtolis ordinatus diaconus.

Admirabilis Stephani charitas.

Matth. 6.

gratia

gratia in poteſtate noſtra poſitum eſt qualiter a Domino judicemur. *Si (inquit) dimiſeritis, dimittetur vobis.* Jam ſæpe dixi, fratres, & frequentius dicere debeo, nemo ſe circumveniat, nemo ſe ſeducat, qui vel unum hominem in hoc mundo odio habet: quicquid Deo in operibus bonis obtulerit, totum perdit, quia non mentitur Paulus Apoſtolus dicens: *Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, & ſi tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Quam rem etiam Beatus Joannes confirmat dicens; *Omnis qui non diligit fratrem ſuum, manet in morte.* Et iterum: *Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt.* Hoc loco fratrem omnem hominem oportet intelligi, omnes enim in Chriſto fratres ſumus. Nemo itaque ſine charitate de virginitate præſumat, nemo de eleemoſynis, nemo de orationibus confidat, quia quamdiu inimicitiam in corde tenuerit, neque iſtis, neque aliis quibuslibet bonis operibus placare ſibi Dominum poterit; ſed ſi vult ſibi habere propitium Deum, non dedignetur audire conſilium bonum. Audiat non me, ſed ipſum Dominum ſuum. *Si*, inquit, *offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri ſuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* At nos pugnas habentes intrinſecus, & dolos in corde verſantes, quaſi qui bonam conſcientiam habemus, præſumimus accedere ad altare, non timentes quod ſcriptum eſt: *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.* Sed dicit aliquis: Grandis labor eſt inimicos diligere, pro perſequutoribus ſupplicare. Nec nos negamus, fratres. Non parvus quidem labor eſt in hoc ſæculo; ſed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici efficeris amicus Dei: imo non ſolum amicus, ſed etiam filius, ſicut ipſe Dominus dicit: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt.* Si te aliquis homo dives in hoc ſæculo vellet adoptivum filium facere, quomodo ſervires, quas indignitates etiam ſervorum ejus, quæ ſervitia duriſſima, & aliquoties etiam turpiſſima ſuſtineres, ut ad caducam & fragilem hæreditatem illius pervenires? Quod ergo alius ſuſtinet propter ſubſtantiam terrenam, tu ſuſtine propter vitam æternam. Convincimur enim certiſſima ratione, quia propter Deum poſſumus quidem, ſed nolumus injurias ſuſtinere. Denique ſi nobis aliqua potens perſona injuriam faciat, ſi nobis etiam in facie maledicat, nec reſpondere aliquid aſperum, non dicam vicem reddere audeamus. Quare? Ne ab illa perſona potente adhuc majora quam pertulimus, patiamur. Quod a nobis extorquet hominis timor, debuerat a nobis exigere Chriſti amor. Si ergo potens perſona ſævit contra nos, tacemus, & nihil dicere auſi ſumus. Si vero aut æqualis, aut forte inferior, vel levem nobis contumeliam fecerit, quaſi fera beſtia ſine ulla patientia ac ſine aliqua Dei contemplatione conſurgimus, & aut in præſenti noſtram injuriam vindicamus, aut certe ad majorem vicem reddendam noſtrum animum præparamus. Quid eſt hoc, quod quando potens perſona nobis injuriam intulit, patienter accipimus; quando inferior, nimio furore ſuccendimur? Quod ibi timuimus hominem, hic Deum timere nolumus. Unde rogo vos, fratres, quantum poſſumus cum Dei adjutorio cor noſtrum ad patientiam præparemus, & in omnibus malis hominibus medicorum vicem agere ſtudeamus: & non ipſos homines, ſed illorum malitiam odio habeamus. Pro bonis oremus, ut ſemper ad meliora conſcendant, pro malis ut cito ad emendationem vitæ per pœnitentiæ lamenta confugiant. Quam rem orantibus nobis eſſe, præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Odium fraternum omne opus bonum diſſipat.

1. Cor. 13.

1. Joan. 5.

Ibidem.

Matth. 5.

1. Cor. 57.

Grandis labor inimicos diligere.

Luc. 6.

Comparatio.

Non homines, ſed eorum malitia odio habenda.

Sancti Maximi.

In Natali divæ Agnetis Virginis ac Martyris, Homilia.

CUm in toto mundo virgineus flos Mariæ immarceſſibiles coronas innectat, & ſceptrigeram pudoris aulam immaculato conſervet affectu, eo uſque integritas perſeveraverit ad palmam, ut in puellis trophæum ſanctitatis arriperet, & per veſtigia matris Virginis ad cœleſtem thalamum perveniret. Hinc eſt quod annulo fidei Agnes ſe aſſerit ſubarrhatam, & clamat ſe amore Sponſi conſtrictam: O quam imitabile virginibus, Virgo! tui amoris tradidiſti exemplum. O quam ſanctum pectoribus dandum virginis tribuiſti reſponſum, contemnendo mundi divitias, execrando carnis concupiſcentias, & ſolam Chriſti pulchritudinem adamando. Accedite ad puellam puellæ, & diſcite in annis infantiæ, quales in pectore ſuo circa amorem Chriſti flammas accendit. Dicit ſe amatori ſuo ſervare fidem, & ejus corpus concupiſcere ſolum, qui pro amore hominum mortis non recuſavit interitum. Diſcite, Virgines, Chriſti amorem in puella ferventem, & omnes mundi divitias velut ſtercora recuſantem. Ideo enim Sanctorum per litteras traduntur exempla, ut unuſquiſque pro qualitate ſexus, & pro ætate annorum modum ſui propoſiti teneat, & ſicut per Virginem Virgines, ita per conjugem conjuges vincere ſæculum pro Chriſti amore ſtudeant, ac repugnatione animi mundi dulcia recuſantes, ut ejus non recuſantes auſtera, ad delectationes perpetuas & ad gaudia æterna pertingant. Hæc dicentes, non vituperamus conjugum caſta commercia, ſed Virginum perſeverantiam adoramus. Non enim virginitas malis rebus ſuperponenda eſt, ſed eſt optimis rebus præferenda. Quæ enim mundis mundior, & ſanctis eſt ſanctior, non indiget malarum rerum vituperatione laudari. Sequantur itaque ſancta conjugia Patriarcharum conjuges in religione poſitæ, ac divinis litteris informatæ Sarram, Rebeccam, Rachelem, Annam, Suſannam, ac Sephoram imitentur uxores. Chriſti vero virgines ſolam Virginem matrem luminis ſubſequantur. Hujus pediſſequa Agnes beatiſſima, magnum de ſe pudicitiæ excitavit exemplum, quum virginitatem prætulit vitæ, omnemque a ſe amorem terrenum per amorem cœleſtem expellens, trophæum crucis Chriſti arripuit, & tam contra libidines, quam etiam contra ſupplicia univerſa, fide potius armata quam ferro fortiter dimicavit & vicit. Deſpicit denique blandientem & tenuit minantem, incendium intendit & videt. Neſcit amare aliquid quod tranſit, & dum nimis virginitatem diligit, nec ludibria, nec flammas, nec ſupplicia, nec carnifices metuit, poſtremo nec gladium furentis percuſſoris expavit. Compellitur Virgo ornamenta ſuſcipere corporis; ſed renuit, quoniam jam ſuſceperat mentis. Et quia non de elegantia corporis humani placere ſtudebat, quia timebat de fœditate animæ Domino diſplicere, dabat intus per fidem ſuæ menti candorem, pulchritudinem excolebat animæ, & quantum ſciebat, ut animam ſuam pulchram faceret, tantum in corpore erubeſcebat ſe eſſe formoſam, tantoque ſtudens diſplicere carnalibus in carnis aſpectu,

Sanctorum exempla imitanda

Agnes pediſſequa Virginis matris.

Aa iiij quan-

quanto inſtituit Chriſto & ejus Angelis complacere. Turbatur juvenis a puella contemptus, & ſe muneribus complacere poſſe exiſtimans, aurum, gemmas, congeminans veſtes, prædia pretioſa convectat. Sed quia Chriſti charitas pecuniarum non habet pretium, virginitas ſacratiſſima in ſuo gradu, uſque in ſanguinis effuſionem permanſit, quoniam ſuo illam ſanguine ſubarraverat Chriſtus. Ad concupiſcentem igitur revertitur cenſus, & inconcuſſa virginitas Chriſto ſemel oblata perdurat. Diſcite virgines Chriſti normam puellaris exempli, & oblata ſub ſpecie pietatis virorum munuſcula tota intentione reſpuite, & quaſi rabidi canis morſus omni cum gaudio recuſate. A quo non receperis quo timeas Deum, non accipias quo diligas mundum. Accipe, Virgo, ſed quod amori æterno proficiat. Quotieſcumque hominem ſequuta fueris cenſum ſic accipe, ut te ſponſam Chriſti recognoſcas. Videt ille intus in mente quid facias, & quam expetenter ejus virgines comiteris, attendit: Videte ergo quomodo Agnes ſequitur Mariam per opprobria. Nullum potuit penitus formidare ſupplicium, cui etiam lupanar turpitudinis, locus orationis efficitur, & ubi ei diabolus corruptionis præparaverat ignominiam, illic eam percipere fecit Dominus coronam ſuæ virginitatis & palmam, hoc eſt in ſuis ſedibus hoſtes vincere, captivam ductam Virginem ad penetralia regis libidinem, ipſum regem a Virgine quam captivaret vinctum, & victum cum virginis triumpho exire. Nam qui tenuerat, tentus eſt, qui traxerat tractus eſt, qui occidere ſe putabat, occiſus eſt. Denique ut probemus diabolum a Virgine iſta tunc fuiſſe victum, illius juvenis factum ad animum revocemus, quem contra Agnetes inſaniam ſic armaverat inimicus, ut nudam faceret trahi per vulgus ad lupanar, ſub voce præconis ducis populum ad libidinem invitantis. Hunc ergo ducem fuiſſe diaboli nemo qui dubitet, & victo duce, populum ſuperatum eſſe, omnibus notum eſt, ſuperatis autem cum duce ſuo populis tyrannum teneri captivum omnibus patet. Conſtat ergo diabolum ſuperatum, quoties contra Virginem arma arripuit. Nam expoliata Virgo tegitur crinibus, & nudata ab hominibus malis, veſtitur ab Angelis bonis, & damnata in proſtibulo turpitudinis, in gremio apparuit caſtitatis. Efficitur oratorium Angelorum locus qui perditarum fuerat animarum, & ubi ſemper naufragaverat caſtitas, illic eſt coronata virginitas: Denique populos quos præco ad libidinem invitaverat, Virgo ad caſtitatem obtinuit, & quos ad eam diabolus inquinator induxit, illa a ſe mundos ejecit. Omnes namque ſingillatim ingreſſi unus alterius ſuſtinebat ingreſſum. Quem egreſſum dum non crederet mundum, ſe exhibebat immundum. Sed ingreſſus in libidinem, ad adorandum Dominum meritis Virginis tenebatur, & exibat inde Dei ſervus qui ſervus diaboli intus fuerat ingreſſus, & tot facti ſunt Chriſti cultores, quot diabolus Virginis ſe putaverat inveniſſe corruptores. Remanſit igitur juvenis, qui author hujus extiterat probationis, qui ſe putabat deſenſorem Virginis ſuperare. Hic cum ſplendori cœleſti non ceſſit dans honorem, vitam quam habere videbatur amiſit, & mortem quam quærebat, invenit. Ridentibus lachrymæ ſuccedunt, & inſultantibus finem gaudiorum imponunt. Attendit Virgo lugentem judicem, & quem minantem ante contempſerat, nunc deprecantem exaudit. Illico igitur ut cœpit orare pro mortuo, & a mortuis excitat ſalvum qui morti fuerat deputatus: & ad gaudium evocat qui fuerat præcipitatus ad luctum. Nam qui inceſtus fuerat mortuus, exurgit caſtus: & fit prædicator caſtimoniæ, qui perſequutor extiterat caſtitatis. Ad hæc ſacrilegi conjurbantur in templis, & Chriſtum hæc mirabilia facientem contremiſcunt. Excitant ſeditiones ignobilis vulgi, ut ratio quæ ſuadebat fidem ſeditionum clamoribus pulſa, locum in mentibus hominum invenire non poſſet. Pater vero ſuſcitato filio triſtis abſceſſit, & (ut legitur) turbis ſurentibus vitiatum dereliquit; virgineo itaque corpori præparantur ſtridentes flammæ, ſed corpus quod incendia libidinum ſuperaverat, refrigerium in mediis flammis invenit. Et quæ ad hoc focos ingreſſa fuerat ut arderet, cœpit per ſanctam virginitatem algere, ut diſceret virginitas ſibi flammas & incendia penitus dominari non poſſe. Nec illos periiſſe æſtimes quos pro nomine Chriſti conſumpſit incendium: Nam quum legis Heliam ignibus raptum, & tres pueros in mediis flammis nulla ratione conſumptos, aut dum Laurentium in craticula aſſatum recolis, atque Agnem ſicut Theclam flammarum globos evaſiſſe cognoſcis, nullam in his ſuſpiceris varietatem fidei tunc fuiſſe. Una etenim fides Sanctos Dei in paſſione exercuit; & diverſo genere gloriarum reddit utroſque victores. Nam qui conſumptus eſt martyr exultat, & qui evaſit victor exultat. Et Eſaias ſectus martyrem ſe fecit; & Daniel leonum rabiem morſuſque contemnens probatiſſimum Dei confeſſorem expreſſit. Quo facto utroſque Chriſtianus diaboli oſtendit eſſe victores. Unus enim moritur & triumphat, alius evadit & regnat. Veni jam, Virgo, ad thalamum quem quæſiſti, & pro amore Sponſi gladium percuſſoris admitte, ut ſponſam te virginitas immaculata comprobet Chriſti, & martyrem confeſſio probata conſignet. Felix caterva Virginum quibus ſtudium eſt tuæ ſequi confeſſionis veſtigia. Habebunt enim te coronatam in cœlo, quæ tecum ſuperaverunt inimicum in mundo: Nam ſicut tibi veſtigia Mariæ proſequenti participatio æternæ remunerationis apparuit, ita eis te imitantibus, æterna credimus gaudia non neganda. Itaque o ſplendida Chriſto, pulchra Dei Filio & omnibus Angelis & Archangelis grata, ut noſtri meminiſſe digneris, quibus poſſumus precibus exoramus, ut nobis ille tribuat peccatorum indulgentiam, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto, quia ipſi eſt honor laus gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Norma puellaris exempli.

Paſſionis deſcriptio.

4. Regis 2. Dan. 3.

Dan. 6.

Imitatio.

Homilia prima in die Nativitatis Joannis Baptiſtæ.

SOlemnitatem nobis diverſorum martyrum, fratres chariſſimi, vitæ præſentis occaſus, & ſuſcepta ab eis pro Chriſti nomine paſſio conſecravit. Multimoda namque veterum relatione didicimus nonnullos martyrum proſtratos gladio, igne alios concrematos, complures beſtiarum dilaceratos dentibus, innumeros & jam variis tormentorum cruciatibus affectos, ſpreta ſui corporis morte, Chriſtianæ fidei teſtimonium reddidiſſe. Beatus vero Baptiſta Joannes, cujus nunc feſtivitate lætamur, cœleſtia mundo gaudia ſterili ab utero hodie natus invexit. Et illi quidem indubitata jam gloria regnantem confeſſi ſunt Dei Filium, hic autem & naſciturum Dominum prophetalis ſpiritus illuminatione prævidit, & natum privilegio gratiæ ſingularis oſtendit. In tantum autem ſpecialis in eo præfulſit electio, ut ante mereretur annunciare Dominum, quam naſcendi initium vel linguam, qua enunciare poſſet, acciperet. Denique Eliſabeth illa vetus mulier,

& no-

& nova mater, quæ ante partum ſuum de futuri filii lætabatur officio, venienti ad ſe Beatæ Mariæ

Lucæ 1.

in ipſo ſalutationis occurſu, ait: *Ecce ex quo facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*. Quid hoc eſt miraculi, fratres? quæ tantorum novitas gaudiorum, ut habere ſe in utero Eliſabeth teſtaretur infantem, qui necdum ſemetipſum ſentiens, dominicum jam ſenſaret adventum? Vere hic omnium beatiſſimus parvulorum, qui intra viſcera adhuc materna concluſus, adeſſe Salvatorem mundi, quia necdum ſermone poterat, Prophetico gaudio revelavit. Nullus ignorat, chariſſimi, omnem parvulum materno ab utero prodeuntem inter ipſa lucis exordia mœſtis concrepare vagitibus, ſolus Baptiſta Domini, ultra legem naſcentium, nativitatem ſuam lætitiæ exultatione prævenit. Et quam decuit, fratres, ut de matre ſterili naſceretur qui fœcunditatem Virginis revelabat, quatenus mirabilem partum mirabiliter natus oſtenderet. Illud etiam quam ſtupendum, quamque magnificum, quod Zacharias ſacerdos pater futurus Prophetæ, quia hoc ipſum quod gerebatur, Angelo loquenti non credidit, uſum loquentis amiſit, donec promiſſione completa, natus novi hominis præco paternæ linguæ vincula relaxaret. Os enim quod Angelus clauſerat, promiſſus ab Angelo filius reſeravit. Nam quum de nuncupatione parvuli cognatorum vicinorumque hæſitaret arbitrium, proprietatem veri nominis ejus quam Angelo dictante didicerat, recepta priſtini ſubito facultate ſermonis, pater mutus aperuit, ut cujus nativitatem præceptione cœleſti tacitus expectabat, nati vocabulum loqueretur, & agnoſceret anxius ſenex, per eum ſe ſibi redditum, quem de ſe non crediderat naſciturum. Nec dubitaret ultra cœlitus illum vel promiſſum fuiſſe, vel natum, cujus cauſa & amiſiſſe probabat & recepiſſe ſermonem. Quid hac, fratres, religione glorioſius, quid hac inſignius fide, in qua ſterilis concipit, Virgo parturit, mutus loquitur, & in ſecreto maternorum viſcerum parvuli totius mundi gaudia futura præludunt? Nec enim poterat veteri ſub lege ordinem ſuum mortalis ſervare natura, quando per novam divinitatis gratiam, novum ſaluti omnium myſterium parabatur. Hic ergo eſt

Eſa. 40.

Joannes de quo prophetavit Eſaias dicens: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domino, rectas facite ſemitas Dei noſtri*. Vox (inquit) clamantis, quam bene vox dicitur qui venientem de cœleſtibus in carne hominis unigenitum Dei pleno lætus ore clamabat. Recte vox dicitur, cujus intonante præconio, ſacramentum redemtionis humanæ, ſurda dudum cœpit audire mortalitas. Ut enim venerandus Baptiſta muto patri aperuit linguam, ita aures hominum ſalutaris gratiæ innovavit auditu. Clamabat autem in deſerto, ut prædicationem ejus nec inſolens turba proſtreperet, nec infidelis rideret auditor; ſed hi tantum audire poſſunt, qui prædicantem verbum ſalutis, cura tantum divini cultus expeterent, & adverterent

Matt. 14.

cum vera annunciare de Chriſto, qui per aſſertionem juſtitiæ, ut illicitas Herodis nuptias increparet, nec regem timuiſſet offendere, nec ſqualorem carceris declinaſſet, nec tyrannico gladio refugiſſet occidi. Audiamus adhuc paululum, fratres, quid ad profectum omnium noſtrum Salvatoris nuntius prædicabat: *Parate* (inquit) *viam Domino*,

Eſa. 40.

rectas facite ſemitas Dei noſtri. Vere dignus beatus Joannes, cujus prophetica eſſet nativitas, qui & illis de parentibus quorum eſſet deſperata poſteritas, Dei munere naſceretur. Nam tanta auctoritate, tantoque docendi pondere in vocem ſanctæ prædicationis erupit, ut & inſtantem Domini nunciaret adventum, & in ſemitas rectas male viventium dirigeret pravitatem. Quid eſt enim parate viam Domino, niſi adventanti de cœlo judici, purgato a vitiis pectore, ſimplicis cordis habitaculum præparare? Quid eſt, rectas facite ſemitas Dei, niſi ut tales actuum tuorum tibi munias vias, quas perambulare propitius veniens ad te Dominus delectetur? Ille viam Domino ſuo parat, qui luxuriantis carnis reſpuens voluptates, toto mentis ſuæ ſpiritu ſuſpenſus ad Deum, vigore ſe caſtitatis accingit. Optimam parat Domino viam, qui cogitationes ſuas avaritiæ fluctibus æſtuantes, ſerenæ conſcientiæ tranquillitate compeſcit. Viam Domino parat, qui idolorum vana atque omnium ſuperſtitionum figmenta conculcans unum Dei vivi cultum & fidem veritatis inquirit. Quicumque vero voluptuoſis ſæculi hujus languet illecebris, cupiditatibus avaritiæ ferventius inſanit, in fraterna odia feralis invidiæ facibus inardeſcit, atque ad contumeliam Dei omnipotentis, per anfractas dæmonum ſemitas erraticus viator incedit, non parat Domino viam, ſed inimico miſer ſuo exitiabilem in ſemetipſum patefacit ingreſſum. Hi mores & vita hujuſmodi ampla itinera, & largiſſimas vias, barbaris nationibus in exitium communis ſalutis aperiunt. Hi mores plebem Dei inimicis gentibus jugo miſeræ captivitatis addicunt. Hi mores armatos diſſipant populos, & munitas diruunt civitates. Et quid plura, chariſſimi? Quicquid potentiæ, quicquid virium videmus in hoſtibus, corruptione vitæ noſtræ, noſtraque infidelitate nutritur. Et inde eſt quod nihil fuſa ad Deum ſupplicatione proficimus, quia inceſſabiliter impiis praviſque deſideriis inhærentes, viam Domino noſtro ſecundum prophetica monita non præparamus. Propter quod revertentes ad beatiſſimi præcepta Joannis, paremus Domino viam, rectas faciamus ſemitas Dei noſtri, quatenus videns in nobis Dominus itinera bonæ voluntatis, oviculas ſuas multis jam periculis feſſas benigniſſimus paſtor inquirat. Ut ſicut de Baptiſtæ dominici hodie nativitate gaudemus, ita de Dei noſtri reconciliatione lætemur, cui honor & gloria.

Parate viam Domino.

Exhortatio.

Homilia ſecunda unde ſupra.

CUnctorum quidem Prophetarum, fratres chariſſimi, veneranda recordatio eſt, beatus Joannes Baptiſta, cujus hodie genuinus natalis honoratur, in tantum omnium illorum ſingulari quodam merito ſupergreſſus eſt gloriam, ut Dominum Jeſum Salvatorem noſtrum non ſolum eſſe venturum, ſed adventaſſe jam & cohabitare hominibus veritate præſentis teſtimonii revelaret. Quem quum inter promiſcuas turbas ad baptiſmum ſuum properare vidiſſet, velut digito demonſtrans ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Quam innocens eſt hujus vita, vel qua poſſumus devotione ejus merita compenſare, qui agni cœleſtis adventum & primus agnovit, & ſolus oſtendit? Quam mirabile eſt univerſis ejus præconium? de cujus ore primum abſolutionem ſuam mundus audivit. Hic eſt, chariſſimi, de quo prophetica annunciatione prædictum eſt: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri*. Clamaturus erat enim, ſicut & clamavit, ut vociferante ſalutis præcone, obturatas diu aures mortalium prædicatio cœleſtis aperiret. Quis ergo hujuſ-

Joan. 1.

Eſai. 40.
Joan. 1.
Joannes Propheta tota admiratione ſuſcipiendus.

juſmodi Prophetam non tota admiratione ſuſcipiat, quem tantum recognoſcit obtinuiſſe de Deo, ut ante ejus merita laudarentur quam nativitatis formaretur? Hi ergo Zachariæ juſtiſſimo ſacerdoti, quum multa eſſet ætate provectus & ſterilitate ſeniſſimæ conjugis, ſucceſſionem votivi germinis deſperaſſet, omniporentis Dei cura per Angelum promittitur naſciturus. Et bene ſeniſſimis parentibus novus filius datur, qui ſeneſcenti labentique mundo unigenitum Dei ad ſpem futuræ juventutis oſtenderet. Quid illud, quantoque eſt ſtupore mirandum, [Luc. 1.] quod Zacharias ipſe dum Præcurſorem ſalutaris Verbi concipiendum ſenili alvo paulo tardius crederet, ſilentio repentinæ taciturnitatis obmutuit, nec priſtinum loquendi recepiſſet uſum, niſi nomen pueri, quo vocandus eſſet, clauſi oris ei vincula relaxaſſet? Atque ita factum eſt ut os ſacerdotale quod trepidatio colligaverat dubitantis, meritum filii naſcentis abſolveret, & reparata patris lingua infantis gloriam teſtaretur. Quid autem de continentiæ ejus virtute, quid de amore juſtitiæ [Matth. 3. Marc. 1.] loquar, cui, ſicut legitur, inimitabilis victus, & luce ipſa clarior veritas fuit? Converſatus enim in deſerto veſtimentum habens de pilis cameli, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos, locuſtas edebat & mel ſilveſtre, ut increpaturus hominum mala, nullam penitus haberet vel in veſte, vel in epulis voluptatem. Denique tanta ejus mentem divinæ legis æmulatio poſſidebat, ut & pravitatem perfidæ generationis, prophetico vigore corriperet, & auctoritate ferventis in ſe Spiritus ſancti regem in- [Matth. 14. Marc. 6.] trepidus increparet errantem. Maluitque vir beatiſſimus ſub denunciatione juſtitiæ furentis ſuccumbere gladio, quam reticere veritatem, qui manifeſtare venerat auctorem. Amen.

Homilia tertia, cujus ſupra, de eodem.

FEſtivitatem præſentis diei, fratres chariſſimi, venerandi Joannis Baptiſtæ genuina nativitas conſecravit. Qui idcirco in hoc ſæculum ſuperna diſpenſatione directus dictus eſt, ut non ſolum ipſe prophetali ſublimaretur gloria, ſed ut & omnium etiam per eum Prophetarum præconia firmarentur. Nec immerito illum præcipuo honore nunc veneramur, qui ſpeciali quadam gratia ob hoc Redemptorem mundi noviſſimus prophetavit, ut oſtenderet eum primus. Hic enim ſolus eſt prophetarum, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quem alii in longa tempora futurum præſcierunt, propriis oculis videre meruit, & annunciare præſentem. Nam ſicut ſacratiſſimum Evangelium refert, veniente Domino ad baptiſmum [Joan. 1.] ejus, hujuſmodi prorupit in vocem: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Propter hoc nimirum Salvaror ipſe de illo dicebat ad turbas: *Quid exiſtis in deſertum videre, Prophetam? Dico* [Matth. 11.] *vobis & pluſquam Prophetam*. Plus revera eſt quam [Joannes plus quam Propheta.] Propheta, quum cæteri omnes venturi adhuc Chriſti fuerint præcones, hic autem probatiſſimus venit [Matth. 3.] Domini præſentis aſſertor. Plus quam Propheta eſt, cujus manibus, quod nulli eſt præſtitum Pro- [Joan. 1.] phetarum, baptizandum ſe Dei Filius inclinavit. Plusquam Propheta eſt, cujus tanta eſt prærogativa meritorum, ut uno eodemque momento cœli terræque arbitrium merſum aquis tingeret in Jordane, Spiritum quoque ſanctum venientem cerneret in columba, & atteſtantis vocem Patris audiret e cœlo. Hic eſt ille quem, inſpirante Deo, præſcius annunciat Eſaias dicens: *Vox clamantis in deſerto,* [Eſai. 40.] *parate viam Domini*. Quam congrue, fratres chariſſimi, beatus Joannes prædicatus eſt Vox, qui cœleſtis verbi & præco mittebatur & teſtis. Hic eſt [Lucæ 1.] ille cujus per Angelum Gabrielem prænunciatur nativitas, & nomen, & meritum. Hic eſt qui judicio cœleſtis ſententiæ cunctis mortalibus anteſertur, [Matth. 11.] dicenre Domino: *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*. Quam pulchre dictum eſt inter natos mulierum non eſſe majorem! quia ille [Matt. 14.] omnimodis major erat Joanne, qui de Virgine naſcebatur. Hic eſt etiam qui maluit a Rege proſterni, [Magna Joanni reverentia exhibenda.] quam regem non increpare peccantem. Quibus proſpectis, advertite, dilectiſſimi, quantam huic reverentiam, quantum devotionis debeamus impendere, qui ut honorabilis ſit, a ſancto eſt Spiritu prophetatus, promiſſus ab Angelo, laudatus a Domino, & perpetua ſanctæ mortis gloria conſecratus. Decebat namque ut myſticam nativitatem ejus mirabilis vita ſequeretur, & ſanctam perfectamque vitam mors Deo devota concluderet. Propter quod, fratres, rectiſſime toto hodie orbe Chriſti Eccleſia primordia nativitatis ejus lætiſſima feſtivitate concelebrat, qui æterna mortalibus adeſſe gaudia, ſtupenti mundo teſtis fideliſſimus revelavit.

In Natali beatiſſimorum Petri ac Pauli Apoſtolorum.

GLorioſiſſimos Chriſtianæ fidei Principes annuis ſolemnitatibus honorantes, fratres chariſſimi, ipſum Dominum ac Deum noſtrum, qui [Apoſtoli unde dicti.] hujus auctor eſt fidei, debita religione veneramur, Apoſtoli namque Latino ſermone dicuntur miſſi. Qui ergo honorant miſſos, manifeſtum eſt honorare eos mittentem: quoniam dignitas quæ defertur miniſtris, illi ſine dubio cujus miniſtri ſunt ex- [Luc. 10. Matt. 10.] hibetur, ut ait ipſe Salvator ad diſcipulos ſuos: *Qui vos audit, me audit; & qui vos recipit, me recipit*. Vere beata Apoſtolorum merita, in quibus ſe Chriſtus & recipi predicat & audiri! Beati nihilominus & illi, quorum devotio delata Apoſtolis recurrit in Chriſtum. Tenentes itaque, fratres, tantæ hujus promiſſionis fidem de ſuppliciis patrum noſtrorum pro Chriſti confeſſione ſuſceptis fidelibus gaudiis exultemus, quoniam qui de martyrum morte lætatur, martyres non dubitat cum Chriſto regnare poſt [Petrus & Paulus Eccleſiarum patres.] mortem. Nos vero Eccleſiarum omnium reverendiſſimos patres, Petrum dico & Paulum, piiſſimis ſtudiis honoremus, quibus Chriſti præſtante gratia, factus eſt hodie de morte natalis, quibus finis vitæ, vivendi initium dedit, quibus ut ait Apoſto- [Philip. 1.] lus Paulus: *Vivere Chriſtus erat, & mori lucrum*. Erat utique Chriſtus eis vivere, quibus vita non erat ſine Chriſto. Erat eis Chriſtus vivere, quia totum proficiebat Chriſti Eccleſiis quod vivebant. Erat eis & mori lucrum, qui tali morte vitam ſibi mercabantur æternam. Erat eis mori lucrum, quorum corruptioni incorruptio ſuccedebat, & damna præſentium temporum lucra perpetua ſequebantur. Sed jam neceſſarium, chariſſimi, reor, ut proprias eorum ſpecialeſque virtutes prout ariditas linguæ noſtræ ingeniique tenuitas patitur, imo ut mi- [Speciales Petri virtutes.] ſericors Deus annuerit, proloquamur. Hic itaque ille eſt Petrus, qui confitendo Chriſtum Dominum vivi Dei eſſe Filium, validiſſima invictaque nobis credendi fundamenta conſtituit. Nam percontanti Domino quis eſſe ab hominibus diceretur, reſpon- [Matt. 16.] dit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, id eſt: tu Do-

mine

mine, de carne Virginis factus es Chriſtus, qui Dei vivi es Filius ſempiternus. Tu Domine hominibus natus es homo, qui incogitabili majeſtate Deus es apud Deum. Tu es Chriſtus qui pro redemptione noſtra ad paſſionem veniens, impaſſibilis permanes apud Patrem. Quis igitur unquam in tantum hoc incomprehenſæ deitatis arcanum humani ſenſus attollere potuiſſet obtutum, niſi ab ore Petri ſalutaris hujus fidei veritas radiaſſet? Quis meritorum ejus gloriam quamvis magno æquiparare poſſet eloquio, a quo nobis admirandæ divinitatis fides & cœpit & permanet? Quid tanto glorioſius viro, qui fidem ſecreti inſcrutabilis loquendo edidit, vivendo docuit, patiendo firmavit? Ut autem confeſſionis hujus quanta eſſet magnitudo Salvator oſtenderet, ait ei:

Ibidem.

Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi; ſed Pater meus qui eſt in cœlis, & tibi dabo claves regni cœlorum. Quis ergo Chriſtum per carnem & in carne natum omnipotentis Patris eſſe Filium ſentire potuiſſet, niſi propitius hoc ipſe Pater per Petrum nobis revelaſſet e cœlo? Hæc illi confeſſio dedit, ut ante claves regni cœlorum acciperet, quam cœli januas introiret. Sed ne qua vos, fratres, de creditis Petro clavibus regni, more noſtrarum clavium cogitatio terrena permoveat.

Claves cœli lingua eſt Petri.

Claves enim cœli lingua eſt Petri, quia ſingulorum merita cenſendo Apoſtolus unicuique regnum cœlorum aut claudit, aut aperit. Non eſt ergo clavis iſta mortalis artificis aptata manu, ſed data a Chriſto poteſtas eſt judicandi. Denique ait eis:

Joan. 20.

Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & quorum detinueritis, detenta erunt. Hic eſt Petrus quem Chriſti eſſe confidentiſſimum ſubjecta veſtigiis ejus maria probaverunt:

Matth. 14.

Nam a Domino ſuo novos ſibi dati in fluctibus greſſus, ut fidelis poſcit, & ut dilectus emeruit.

Petrus cur trepidaverit.

Qui ob hoc ſolum trepidaſſe viſus eſt, ut fragilitas humana cognoſceret, quanta eſſet inter Dominum ſervumque diſtantia, dum aggravata peccatis caro mergitur, & immaculati neſcit planta deſidere. Similiter & illud, ne dum ſuper aquas ambulans Petrus pede intrepido perveniſſet ad Chriſtum, Domini forte ſui virtutibus æquaretur. Sed quid illum tantopere dicimus trepidaſſe, cum parva trepidatio ſua majorem profecit ad fidem? Ut enim credidit Petrus imperio Domini ſui poſſe ſe a fluctibus ſuſtentari; ita nihilominus dum mergitur, credidit ipſius Domini ſui ſe virtute ſalvandum. Vere beati Petri & dum trepidat mirabilis fides, quam nec perurgentis periculi potuit turbare formido, clamando enim dum mergitur:

Ibidem.

Domine libera me, de ſe diffiſus eſt, non de Domino dubitavit. Ne quis ergo timorem hunc glorioſiſſimi Petri ducat in vitium; quoniam timor iſte quamvis primam ejus turbaverit fidem, confidentiam tamen in eo reparatæ credulitatis ornavit. Hic eſt Petrus, cui Chriſtus Dominus communionem ſui nominis libenter indulſit, ut enim ſicut Apoſtolus Paulus edocuit: *Petra erat Chriſtus*, itaque per Chriſtum Petrus factus eſt petra, dicente ei Domino: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

1. Cor. 10.
Matth. 16.
Exod. 17.

Nam ſicut in deſerto dominico ſitienti populo aqua fluxit e petra, ita univerſo mundo perfidiæ ariditate laſſato de ore Petri fons ſalutiferæ confeſſionis emerſit.

Joan. 21.

Hic eſt Petrus cui Chriſtus aſcenſurus ad Patrem paſcendas oviculas ſuas agnoſque commendat, ut quos ille pietatis miſeratione redemerat, hic fidei ſuæ virtute ſervaret. Et recte ſane arbiter occultorum Dei Filius paſcendas oves ſuas tuendaſque commiſit, cui noverat in nutriendo grege dominico nec ſtudium deeſſe, nec fidem. Hic eſt Petrus, qui dum ad crucem tanquam crucifixi diſcipulus duceretur, verſo ſe poſcens corpore crucifigi, paſſionem non renuit, ſed æqualitatem crucis dominicæ declinavit, ut oſtenderet univerſis admirandæ ſe humilitatis virtutem, nnvique myſterii diſciplinam & inter tormenta ſervaſſe.

Egeſipus. 3. c. 2. de excidio urbis Hieroſolymitanæ

Quam ſecuturus, chariſſimi, perrexit Petrus ad crucem, qui repulſo timore mortis, moriendi ordinem tam acerba in paſſione quæſivit. Quid etiam de glorioſiſſimo referam Paulo, in quo Dominus fidem nominis ſui dum ipſam fidem perſequeretur, elegit? Qui dum velut acerrimus perſequutor Chriſtianam vaſtat Eccleſiam, inimico adhuc in pectore, amicum ſibi cor Chriſti invenit. Dumque temporalia capit ad ſupplicia Chriſtianos, ipſe perpetuam captus ad gratiam, factus eſt ſubito paſtor ex lupo, ex prædone cuſtos, ex hoſte defenſor. Unde patuit nec Paulum malignæ mentis propoſito plebem dominicam perſequutum, nec Chriſtum latuiſſe quem eligeret in Paulo. Hic eſt Paulus qui Chriſti vocibus inclamatus e cœlo, oculis in ſe Judaicæ infidelitatis obtuſis, videndi aciem non perdidit, ſed mutavit. Amiſit oculos & recepit, ut uno eodemque tempore, & in perſequentem cæcitatis vindicta procederet, & vocantis Dei gratia illuminaret electum. Ait illi namque de cœlo Dominus: *Saule, Saule quid me perſequeris?*

Act. 9.

Id eſt, cur me perſequeris Saule; quæ mea odium erga me tuum excitavit iniquitas? Nunquid quia illuminavi cæcos, quia ſanavi ægrotos, quia fugavi dæmones, quia eſurientes populos quinque panibus pavi, an quia de tumulis mortuos ſuſcitavi, an forte magis quia fidelibus meis regnum cœleſte promiſi? Sed ſi præſtare me poſſe dubitas quæ promitto, aſpice ſi tamen potes unde te vel qualis appello? Sed quare me perſequeris Saule? Aut quid me perſequendo proficies? Nunquid adverſus regnantem in cœlo, ullum tua perſequutio habebit effectum? Nunquid nocere mihi quicquam poteris, quem non potes intueri? *Ego* enim ſum *Jeſus Nazarenus quem tu perſequeris*, qui terras cœlo, crucem regno, mortem perpetuitate mutavi. De quibus omnibus non te debere cunctari, & ereptus tibi nunc, & poſt paululum redditus ſuadebit aſpectus. At beatiſſimus Paulus repentina quidem cæcitate coercitus, intellecta tamen majeſtate loquentis e cœlo, continuo fidelis effectus, & a perſequutione deſtitit, & novos intuendi Chriſtum oculos acquiſivit.

2. Cor. 12.

Hic eſt Paulus, qui pro ſuarum remuneratione virtutum ultra humana merita tertium raptus ad cœlum, cœleſtia ſecreta cognovit, ut Eccleſiarum futurus doctor inter Angelos diſceret, quod inter homines prædicaret. Aut quis ei impune ultra non credat, qui de ſacramentis dominicis non ſolum audita loquitur ſed & viſa teſtatur? Quanta hoc, fratres, Dei noſtri actum eſt gratia, ut qui de cœleſtibus in Apoſtolatum vocatus eſt, Apoſtolatus ejus conſecraretur in cœlo? Et poſt omnia hic eſt Paulus qui cervices ſuas quas adverſum Chriſti nomen ſuperbus erexerat, perfidorum cædendas gladio humillimus pro Chriſti honore ſummiſit, nec piguit eum pro illo mori quem ſæpe probaverat vivere, & regnare poſt mortem. Atque ita factum eſt ut glorioſiſſimum Paulum qui in diverſis gentibus pro fide Chriſti multo certamine dimicando innumera bella peregerat, velut victorem mundi Roma ſuſciperet ad triumphum.

Petrus & Paulus una die paſſi.

Hi ergo ſunt beatiſſimi Petrus & Paulus, qui ſacramentum cœleſtis regni uno ſpiritu prædicantes, ſub unius paſſione diei doctrinam ſuam pio ſanguine & morte fortiſſima conſecrarunt, qui etiam tanquam Eccleſiarum omnium principes facti diſ-

pen-

Digitized by Google

penſatione cœleſti, Romam petentes, ſacratiſſima ſua corpore in illius urbis arce reconderent, quæ totius orbis obtinuerat principatum, quatenus potentiam virtutis ſuæ Chriſtus oſtendens, ubi mundus caput habebat imperii, ibi regni ſui principes collocaret.

Homilia ſecunda de eodem Feſto.

APoſtolici natalis gaudio, fratres chariſſimi, Petri & Pauli quorum hodie beatiſſimis paſſionibus jucundamur, lætior per univerſum mundum Chriſti exultat Eccleſia. Quæ licet omnium ſe Sanctorum martyrio certa ſit adornari, horum tamen victoria glorioſius illuſtratur, quandoquidem videt de hoc ſæculo ipſos fidei patres & magiſtros martyrum triumphaſſe. [Petri præconium, Matth. 16.] Quid enim inſignius Petro, qui in carne poſitus menſuram carnis egreſſus, Chriſtum Jeſum vivi Dei Filium verum confitetur, & quod omnium adhuc mortalium pectus latebat, [Matth. 14.] prima Petri lingua novo eſt ſermone confeſſa? Quid, fratres mei, magnificentius Petro, qui tantæ confeſſionis merito, cum corruptibili adhuc eſſet in corpore, & necdum ipſe aſcendiſſet in cœlum, regnum illi cœleſte & claudere & aperire permiſſum eſt? Quid ejus ſublimius fide, qui gradiente Domino ſuper aquas humanæ conditionis oblitus vitam ſibi in fluctibus dari & popoſcit & meruit, tantaque mentis ejus confidentia fuit, ut crederet ſe poſſe per fidem [Petrus cur mergebatur.] quod ſciebat, homini impoſſibile per naturam? Nam quia poſtea mergebatur, ut mihi videtur, neceſſarium fuit, ne tanti ſublimitate miraculi in perniciem forte ſui æquata Chriſto carnis fragilitas ſuperbiret. Fuerit certe infirmitatis corporeæ quod paulo poſt timuit, quis tamen ambigat imitabilis fidei fuiſſe quod eum deſcendentem de navi, tremula & inconcuſſa humanis greſſibus maris unda ſuſtinuit? Sed jam veniamus ab beatiſſimum Paulum, [Pauli præconium.] cujus tanta eſt nihilominus plenitudo fidei, ut peculiarem quodammodo eum ſibi ducem ad illuminanda gentium corda cunctorum præſcius Salvator eligeret. Erat enim tam præcipuus io doctrina, animi virtute tam potens, innocentia & integritate tam ſanctus, ut uno eodemque tempore, hinc eum ſacerdotes ac principes Judæorum per æmulationem legis antiquæ, data in Chriſtianos perſequendi auctoritate, dirigerent? Hinc illum ad Eccleſiæ ſolatium atque omnium credentium firmamentum Chriſtus vocaret e cœlo. [Act. 7.] Cujus ob hoc ſunt a Domino cæcati oculi, ut ſuſcepta gratia veritatis, cœleſti acie & lumine clariore fulgerent, pariterque adverteret Chriſtiani nominis princeps futurus, Chriſtum quem perſequebatur, cæcandi illuminandique habere virtutem. Ut autem prætercam cætera, quæ eum univerſo orbi mirabilem faciunt, unum illud quod ad omnes ejus ſufficit laudes, quis valeat æſtimare quantæ ſit gloriæ, quod cum inter homines ageret, ſpeciali quadam divinitatis gratia, & paradiſus illi penetrabilis & cœlum pervium fuit? Quid ergo, fratres, hoc Doctore perfectius, qui in cœlo didicit quod in terris doceret? [2. Cor. 10.] Quid hoc teſte veracius, cui elevato ſuper cœlos oculis videre & approbare conceſſum eſt, quod poſtmodum promitteret credituris? Hæc ſunt igitur Apoſtolorum Petri & Pauli ſtupenda merita, per hæc incedentes miracula Apoſtolatum ſuum Domino ac Deo noſtro effuſione devoti ſanguinis conſecrarunt.

Homilia tertia, cujus ſupra, de eadem feſtivitate.

BEatiſſimorum Apoſtolorum Petri ac Pauli inſeparabilem fidem paſſionemque germanam, omni nos devotione, fratres, neceſſe eſt celebrare, quia & laudabilis eos vita ad glorioſiſſimum perduxit occaſum, & mirificus obitus perpetuam tranſmiſit ad vitam. [In Petro fides, in Paulo doctrina præcellit.] Et licet in Petro fides emineat, in Paulo doctrina præcellat, & magiſterium tamen Pauli fidei plenitudo eſt, & credulitas Petri doctrinæ eſt fundamentum. Quos tanta cœleſtis electionis dignatio viſitavit, ut hic fieret de piſcatore doctor, ille de perſecutore defenſor. Sed in hoc omnipotentis Dei attollenda majeſtas eſt, qui inſpiratione mirabili docendi gratiam tribuit imperito, & inimicum fecit amare quod oderat, & fidem quam impugnabat, aſſerere. Illius piſcationem non abſtulit, ſed mutavit, hujus cæcavit oculos ut purgatiore recepto lumine, clariſſimæ mentis acie ultra humanum videre poſſit aſpectum. [Magni meriti apud Deum Petrus & Paulus.] Quanti igitur meriti apud Deum ſuum Petrus erat, ut ei poſt naviculæ parvæ remigium, totius Eccleſiæ gubernacula traderentur? Aut quantum in Apoſtolatus ſui miniſterio complacuiſſe Chriſto credimus Paulum, cui tantum placere potuit perſequutor? Placuit enim quia non iniqui pectoris ſtudio, ſed ſimplicis ignorantiæ incauta devotione certabat. Denique ut primum ſenſibus ejus Spiritus veritatis infuſus eſt, oſtendit continuo non ſe Chriſti ſæviſſe odio, ſed amore paternæ legis innocenter erraſſe. De quo quid ego potiſſimum dicam, cum fideliſſimus ipſe ſibi ſit teſtis, qui cum nec ſuas velit jactare laudes, & Chriſti annuntiare cuperet majeſtatem, verecundius quod in ſe geſtum eſt, confitetur. [2. Cor. 12.] Ut enim velut de altero quodam: *Scio hominem* (inquit) *in Chriſto Jeſu raptum uſque ad tertium cœlum, raptum in paradiſum, & audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Quid hoc Apoſtolo magnificentius, cui in medio mortalium conſtituto & ſupra cœlos ire datum, & ad terras redire conceſſum eſt? Quid hoc beatius viro qui inter ſecreta paradiſi ediſcere meruit, quod nec lingua hominis loqui poſſit, nec quiſquam mereretur audire? Et quum tantæ ſint ſublimitatis illa quæ docuit, ut comprehendere ea mens humana non poſſit, quantæ illud putamus eſſe gloriæ, quod prodere ſibi aſſerit non licere? Quid etiam de Petro referam, cujus tanta a Deo eſt approbata juſtitia, tantaque ei poteſtas attributa eſt judicandi, ut in arbitrio ejus poneretur cœleſte judicium, Perſpicite ergo & æſtimate, quanto oobis ſit Petrus Apoſtolus honore reverendus, cujus ſententiam in terris prolatam ſempiterni judicis æquitas non repellit. Et ideo diligenter intendite quæ ſit ejus gloriæ magnitudo, cui dum claves regni committuntur æterni, cœlum illi claudere & aperire permiſſum eſt. Horum itaque, chariſſimi, per univerſum mundum veneranda hodie paſſio celebratur, horum hodie concurſu lætiſſimo excolit Roma martyrium, & quorum dudum impia perſequuta eſt ſanguinem, eorum nunc peculiari devota patrocinio gloriatur.

Homilia quarta unde ſupra.

BEatiſſimorum Apoſtolorum paſſio, fratres, quorum hodie natalem ſolemniter celebramus, cunctis eſt honoranda credentibus, quos pro juſtitiæ picta-

pietatiſque plenitudine Salvator mundi humano generi & patres eſſe dedit & judices. Quantæ autem integritatis quantæve pietatis fuerint, hinc vel maxime providendum eſt, quod ille eos ad emendationem corrupti ſæculi & miniſterium ſuæ voluntatis elegit, quem non fallebat electio.

Matth. 4. Vocatio Petri.

Vocavit namque Petrum opibus pauperem, opere piſcatorem, qui a converſione populari, & commutione urbium ſegregatus vitam inter fluctus agebat innocuam, & victum de ſimplicitate quærebat. Quem tamen ita dixerim pauperem, ut competens ei ſubſtantia non deeſſet. Quem bene merentem de Deo, copioſi maris dives unda paſcebat. Electus ergo eſt ad prædicationem ſalutaris Verbi, ut mutata vice cœleſtis myſterio ſacramenti, qui captura piſcium alebatur, ſalute hominum paſceretur.

Vocatio Pauli.

Glorioſiſſimum etiam Paulum ad fidem nominis ſui Chriſtus vocavit a cœlo, qui quod perſequi videbatur Eccleſiam, non impietate irreligioſi animi ſæviebat,

Act. 9.

ſed ſub nube ignorantiæ, novam non perſpiciens gratiam, amore antiquæ devotionis errabat. Ideo denique ab oculis ejus veteris umbræ caligo deterſa eſt, ut verum illud lumen, quod de cœleſtibus coruſcabat, & ſibi acquireret, & omnibus revelaret. Cæcatus illuminatuſque eſt, non alia diſpenſatione, niſi ut clauſis carnalibus oculis, ſpiritualis ei aſpectus ad inſpiciendam Dei gloriam formaretur. Accepit & fideliſſimus Petrus hos oculos, qui Chriſtum Dominum noſtrum in carne poſitum, & divinitatem ſuam ſub ſpecie aſſumpti hominis occultantem, Filium eſſe Dei vivi ſancti Spiritus radio illuminatus inſpexit. Ait enim Domino percontanti, quis eſſe ab hominibus putaretur:

Matth. 16.

Tu es (inquit) *Chriſtus Filius Dei vivi*. Quis non reſponſionis plenitudinem, piſcatorem protuliſſe miretur, qua compendio breviſſimæ confeſſionis aperuit & quod de patre habebat Dominus, & quod de humana nativitate ſuſceperat? Chriſtus enim & Filius Dei vivi, utriuſque naturæ indiviſum continet Sacramentum. Vere ſuſcipiendum cunctis & mirabilem piſcatorem, qui dum maris profunda rimatur, ad altiſſimum majeſtatis æternæ pervenit arcanum.

Petrus & Paulus Eccleſiarum columnæ.

Hi itaque ſunt Eccleſiarum columnæ Petrus & Paulus, quos & vita ſanctiſſima venerabilem produxit ad mortem, & glorioſus occaſus fecit eſſe perpetuos. Quos non ſolum honoramus, ut martyres, ſed & ut magiſtros patreſque martyrum veneramur, qui Eccleſiam Dei & cœleſti prædicationis doctrina, & pii ſanguinis effuſione fundarunt.

Homilia quinta unde ſupra.

CUm omnes beatiſſimi Apoſtoli parem gratiam apud Dominum ſanctitatis obtineant, neſcio quo tamen pacto Petrus & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in Salvatore fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipſius Domini judicio poſſumus approbare:

Petrus clavem potentiæ, at Paulus ſcientiæ accepit.

Nam Petro ſicut bono diſpenſatori clavem regni cœleſtis dedit, Paulo tanquam idoneo doctori magiſterium Eccleſiaſticæ inſtitutionis injunxit, ſcilicet ut quos iſte erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem, ut quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clavem enim quodammodo a Chriſto ſcientiæ & Paulus accepit. Clavis enim dicenda eſt, qua ad fidem peccatorum dura corda reſerantur, mentium ſecreta panduntur, & quicquid intrinſecus clauſum tenetur, in palam rationabili manifeſtatione producitur. Clavis inquam, quæ & conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem myſterii ſalutaris includit. Ambo igitur claves a Domino perceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ. Divitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſauros iſte largitur. Sunt enim ſcientiæ theſauri, ſicut ſcriptum eſt: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*

Coloſſ. 2.

Ergo beati Petrus & Paulus eminent inter univerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt. Verum inter ipſos quis cui præponatur incertum eſt. Puto enim illos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione, & ſimili eos fidei devotione vixiſſe, quos ſimul videmus ad martyrii gloriam perveniſſe.

Petrus & Paulus una die, unoque in loco paſſi.

Non enim ſine cauſa factum putemus, quod una die, uno in loco, unius tyranni toleravere ſententiam. Una die paſſi ſunt, ut ad Chriſtum pariter pervenirent. Uno in loco ne alteri Roma deeſſet: ſub uno perſequutore, ut æqualis crudelitas utrumque conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſequutor decretus eſt pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In urbe Roma quæ principatum, & caput obtinebat nationum, ſcilicet ut ubi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & ubi gentilium principes habitabant, illic Eccleſiarum principes morerentur. Cujus autem meriti ſint beatiſſimi Petrus & Paulus, hinc poſſumus intelligere, quod cum Dominus Orientis religionem propria illuſtraverit paſſione, Occidentis plagam nè quid minus eſſet, vice ſui Apoſtolorum ſanguine illuminare dignatus eſt. Et licet illius paſſio nobis ſufficiat ad ſalutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati Apoſtoli ſanguinem profuderunt; ſed videamus cauſam quare iſta perpeſſi ſunt, ſcilicet quod inter cætera mirabilia, etiam magnum illum Simonem orationibus ſuis de aeris vacuo præcipiti ruina proſtraverunt.

Egeſip. l. 3. c. de ex. urbi Hier.

Cum enim idem Simon ſe Chriſtum diceret, & tanquam filium ad Patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere, atque elatus ſubito magicis artibus volare cœpiſſet, tunc Petrus fixis genibus, precatus eſt Dominum, & precatione ſancta vicit magnificam levitatem. Prior enim aſcendit ad Dominum oratio quam volatus, & ante pervenit juſta petitio quam iniqua præſumptio. Ante Petrus in terris poſitus obtinuit quod petebat, quam Simon perveniret in cœleſtibus quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de ſublimi aere depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxo elidens, ejus crura confregit: & hoc in opprobrio facti illius, ut qui paulo ante volare tentaverat, ſubito ambulare non poſſet, & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret. Sed ne forte hoc mirum videatur, quod magus iſte præſente Apoſtolo per aerem aliquandiu volitaverit, hoc patientia Petri fecit. Permiſit enim illum ſublimius aſcendere, ut altius caderet, voluit eum in excelſum levari ad conſpectum omnium, ut ruentem illum de excelſo oculi omnium pervidererent. Hæc igitur iniquitatis eſt elatio, ut in altum ſe ferat, in ſublime ſe erigat; ſed ſancta oratio omnem humiliat ſuperbiam, univerſam dejicit vanitatem.

In Natali divi Laurentii martyris,
Homilia prima.

SAnctum eſt, fratres, ac Deo placitum, ut natalem beati Laurentii præcipua devotione veneremur, cujus radiantibus flammis, victrix in hunc quoque diem toto orbe Chriſti coruſcat Eccleſia.

Qui

Xiſtus Patriarcha.

Qui cum in ſede glorioſiſſimi Patriarchæ diaconatus fungeretur officio, puritate innocentis vitæ, fortiſſimæque mortis triumpho, Apoſtolico ſe conſortio copulavit. Nec immerito cum Apoſtolorum ſupparem prædicamus, cui & caſtitas animi Leviticum miniſterium dedit, & plenitudo fidei martyrii contulit dignitatem. Quem venerabilis Xiſtus Romanæ urbis antiſtes, cum impietatem ſævientia mundi per tormenta ſuperaret & regnis eſſet cœleſtibus jam vicinus, videretque eum paterna de morte triſtiſſimum, ita illum ſpiritu præſcientiæ compellaſſe narratur: Noli, fili, mœſtus eſſe, poſt triduum me ſequeris. Unde apparet, chariſſimi, beatum Laurentium non de ſacerdotis ſui victoria habuiſſe triſtitiam; ſed doluiſſe, quia non etiam ipſe mundum cum ſuo pariter ſacerdote vincebat. Noli (inquit) fili mœſtus eſſe, poſt triduum me ſequeris, hoc eſt, noli triſtis eſſe, velut apud ſæculum derelictus. Nam nec te fides vitaque tua tali morte privabit. Nulla te de meo tranſitu quo ego gaudeo, perturbet anxietas, quia mox & tu habiturus es de tua paſſione lætitiam. Vare beati Laurentii gloria ſingularis, qui tantum de Deo ſuo conſequutus eſt gratiæ, ut ei martyr de martyrio prophetaret, quem pro ſuorum prærogativa meritorum ante victoria lætificavit quam pugna terreret. Ergo ut comperit ore ſacerdotis & martyris ſe quoque omnimodis aſſumendum, congregatis inopum turbis, Eccleſiaſticum cenſum religioſa liberalitate diviſit. Quam profundum ſpiritualis viri & quam cœleſte conſilium, ut & egenis conſuleret, & multitudine conſumente quæ dederat, inveniri non poſſit quod raperet perſequutor! Illam nimirum

Xiſtus urbis Romanæ Antiſtes.

Pſalm. 111.

ſequutus ſententiam: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in æternum*. Miſericordiæ fuit quod alimoniam pauperibus dedit, juſtitiæ autem quod ut vir prudentiſſimus procuravit, ne Sanctorum ſubſtantiam avaris manibus ſacrilegus occuparet. Juſtitia (inquit) ejus manet in æternum. Quomodo non hæc ei in æternum manebit juſtitia, quod & ſancto implevit opere, & glorioſiſſimo martyrio conſecravit? Hoc itaque dolore furor gentilis accenſus craticulam continuo parat ignitam, ſuper quam cremandum Laurentium per membra diſtenderet, ut indignationis ſuæ flammas impiis ignibus vindicaret. Ardet profecto totis viſceribus fortiſſimus martyr, & uritur, ſed regnum cœli promiſſaque Dei fideli mente pertractans refrigerio conſcientiæ victricis exultat. Nec pœnali flexus incendio eſt, cujus in pectore inſuperabili ſancti Spiritus flamma fervebat. Aut nunquid cedere poterat momentaneæ corporis uſtioni, cujus fides æternum gehennæ extinguebat ardorem? Superatis itaque flammarum miniſtris, omne mundanæ inſaniæ refrixit incendium, & ad hoc uſque diabolica profecit intentio, ut & vir fidelis ad Deum ſuum glorioſius aſcenderet, & crudelitas perſequentium cum ſuis ignibus confuſa torpeſceret.

Homilia ſecunda de eodem.

Sicut patrum noſtrorum, fratres chariſſimi, non incerta relatione didicimus, cum venerabilis Xiſtus Apoſtolicæ ſedis ſacerdotio fungeretur, & ſanctiſſimo Laurentii Archidiaconi miniſterio Romana floreret Eccleſia, invidia ardente diaboli adverſus nomen & fidem Chriſti flamma duriſſimæ perſequutionis incanduit, atque ut pernicioſius dominicum gregem feralis beſtiæ rabies inſatiata laniaret noeendi artifex, inimicus privilegiis prius molitur cuſtodiam paſtoris eripere. Et ideo Xiſtum ante omnes ſummum Domini Sacerdotem furor gentilis aggreditur, ut Eccleſiaſtica membra tam valido truncata capite, velut munimine præſidii cœleſtis amoto, cruentus perſequutor invaderet. Sed magnus ille Xiſtus, qui commiſſis ſibi a Deo ovibus aſſuerat paſtor in terris, aderat patronus e cœlo. Denique Sanctum Laurentium quaſi jam Pontificis ſui ſolatio deſtitutum, ad ſubeunda ſupplicia manus pagana perquirit, quem mirabilis Xiſtus adverſus omnia ſævientis mundi mala vaticinio prophetici ſermonis armavit. Nam cum idem Laurentius paſſionem paternam, ut piiſſimus filius inconſolabili mœrore defleret, Xiſtus præſcientia ſancti Spiritus edocente futura dignoſcens, ait illi: Depone omnem, fili, de mea morte triſtitiam. Nec enim diu mea te contriſtabit abſentia, poſt triduum me ſequeris. Quo reſponſo mens devota percepto, indubitatam ſuſcipiens optimo ab antiſtite Chriſti martyre veritatem, nihil magis præ omnibus curat, quam ut avaritia perſequentis quod de morte Sanctorum contriſtabat Eccleſiam, de præda Eccleſiæ gaudium non haberet. Invenit vir prudentiſſimus, unde acrius ſuum poſſit torquere tortorem. Omnem igitur Eccleſiæ cenſum, cunctaque ſacri vaſa miniſterii, ne ea ſacrilegus macularet aſpectus, convocatis inopum turbis, pia erogatione diſtribuit, ut futurus martyr in retributione cœleſti pariter & mercede ſui ſanguinis, & tantæ liberalitatis præmio ditaretur. Non dubitans & in ſemetipſo ſe fidem Chriſto ſuo & Eccleſiaſticas opes in pauperibus ſervaturum. Propter quod protinus ad tribunal rapitur impiorum, vir ſimplicitate innocens, virtute fortiſſimus. Nihil ſane aliud deferens judicanti, quam vivæ mentis conſtantiam, & illæſæ conſcientiæ puritatem, devotam Deo offerens animam, & caſtiſſimum tradens perſequenti corpus ad pœnam, illud Evangelicum ſervans: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Excogitatur itaque in Laurentium ferale tormentum, ut qui metu non movebatur, acerbitate ſupplicii frangeretur; ſed quem ſuarum confortabat multitudo virtutum, non poterat vincere magnitudo pœnarum. Paratur ergo craticula igne ſuccenſa, quæ triumphalis martyris & animum fatigaret, & corpus exureret. Sed ignara viri turba perſequentium & diabolicis obcæcata tenebris, non videbat quod aduſtio illa membrorum, fidelis animi eſſet æterna purgatio, & corpus quod corrumpentibus flammis præſens vita deſereret, ad incorruptionem vivendi damnata morte tranſiret. Vere incomparabile ſalutaris fidei hujus ſacramentum, quo per tormenta beatitudo quæritur, & flammis refrigerium præparatur, ut ait Patriarcha David verbis martyrum dicens: *Tranſivimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium*. Tranſibat per ignem & aquam beatus Laurentius, cum hinc eum mortifera mundi flamma torreret, hinc cœleſtis irrigui vitalis unda perfunderet. Tranſibat per ignem & aquam, cum vim furentis incendii, divini fontis clementia temperaret. Ardebat ergo Laurentius, ſed vincebat ignis ille, de quo ait Salvator: *Ignem veni mittere in terram, & quam volo ut ardeat*! O novum mirandumque certamen unius ejuſdemque viri! & flammis corpus urebatur, & ardentis fidei calore mens ignita fervebat, ſicut loquebantur ad invicem Evangelici illi viri dicentes: *Nonne cor noſtrum erat ardens nobis in via?* Ubi ergo cor ardet: flammam membra non ſentiunt, ubi Chriſti ignis operatur, diaboli neceſſe eſt vincatur incen-

Xiſtus ſummus Domini Sacerdos.

Matth. 10.

Pſalm. 65.

Luc. 12.

Mirandum in Laurentio certamen.

Luc. 24.

dium

dium; & ubi Dei Spiritus ſervet, frigida ſit flamma mortalium. Et hinc eſt, chariſſimi, quod triumphum beati Laurentii totus ubique mundus conſona hodie devotione concelebrat; hinc quod inſuperabilem fidem ejus lætior Roma miratur, quia radiis æterni ſolis accenſus, ignem ſæculi patienter ſuſtinuit, & confidenter evaſit.

Homilia tertia de eodem.

BEatiſſimi Laurentii, fratres chariſſimi, annua ſemperque nova feſtivitas Eccleſiam Dei jugiter in gaudia lætitiæ ſpiritualis accendit, admonens univerſitatem credentium, ut ſicut ille, perfectæ devotionis ardore furentibus non ceſſit incendiis, ita nos diverſarum tribulationum ignis, & malorum ſæcularium flamma a Chriſti ſocietate non moveat, ut ait ille myſteriorum cœleſtium doctor, ac totius virtutis exemplum glorioſiſſimus
Rom. 8. Paulus: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an perſequutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Et vere nullis præſentium perſequutionum poteſt inclinari periculis, qui ſemel promiſſa omnipotentis Dei æterna largiſſimi Redemptoris præmia, fide ſtabili, & inconcuſſa mente concepit. Neque enim poteſt arduum illud præcelſumque bonorum immortalium iter debilis animus & fides clauda conſcendere. Ideo & fortiſſimum martyrem incumbentium tormenta pœnarum, & ſæviſſimi perſequutoris ſuperare flamma non potuit, quia longe ardentius veritatis radiis mens ejus accenſa fervebat. Unde nec potuit de infatigabili ejus pectore calorem divinitus infuſum corporeus ille & mortalium miniſtratus manibus ignis excludere. De hoc validiſſimo Chriſti milite illud credendum eſt dictum, quod ante multa annorum millia
Eſa. 43. prænunciatum eſt per Prophetam dicentem. *Et ſi tranſeas per ignem, flamma te non comburet.* Ecce enim beatus Laurentius tranſivit per ignem, quo non aductus inhorruit, ſed illuminatus effulſit, tranſivit per ignem momentaneum atque terrenum, ſed flammam gehennæ perpetuo exurentis evaſit. Quid hoc beatius viro, qui miſerantis Dei diſpenſante gratia arſit, ne arderet; ut ne ureretur, exuſtus eſt? Qui ſi nullis eſſet ignibus ac ſuppliciis traditus, fuerat quidem ſecuritas libertatis, ſed nulla extiterat gloria dimicantis. Ad hoc enim nos exemplis atque doctrinis in Eccleſia ſua Chriſtus erudit, non ut nihil mali patiamur in mundo; ſed ut mundum multimoda paſſione vincamus. Cecidit quondam variis tribula-
Pſalm. 38. tionibus coarctatus ille clariſſimus Prophetarum Patriarcha David dicens: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Quam ſententiam etiam venerabili Laurentio convenire manifeſtum eſt, cujus cor tanta in fide Chriſti magnanimitate concaluit, ut deſpectis proprii corporis cruciatibus inſaniſſimo tortori ſuo, triumphatis ejus ignibus lætus illuderet. Vere in meditatione ejus inſuperabilis exarſit ignis, qui odio perfidiæ & amore veritatis accenſus, appoſitam ſibi extrinſecus flammam aut non ſenſit, aut vicit. Propter quod, chariſſimi, exultemus & lætemur in Domino, non dubitantes & perſequutorem martyris pro ignibus quos accendit, præparata impiis incendia ſuſtinere, & ipſum beatiſſimum martyrem pro flamma quam pertulerit, apud omnipotentem Deum incorruptæ lucis illuminatione fulgere.

In Natali D. Euſebii Epiſcopi Vercellenſis, cujus ſolemnitas Kalendis Auguſti agitur, Homilia prima.

SActorum Patrum memorias religioſis conventibus honorantes, fratres chariſſimi, & propria eorum merita, & munera in eis divina miramur. Qui idcirco nobis ſunt venerabiles, quia præſentis vitę lucę deſpecta, contemptoque ſuorum corporum cruciatu, ſævientem mundum Dei pro amore vicerunt. Sicut beatiſſimus hic pater noſter dum pro aſſertione indiſputabilis deitatis ſpiritu ferventiore conſurgens Arrianis impietatibus obluctatur, & Eccleſias Dei concertantium hæreticorum procellis ac turbinibus perturbatas, ſerenæ fidei tranquillitate pacavit, & ſibi æterna præmia multimoda paſſione quæſivit, illius nimirum inconcuſſa ſequens veſtigia,
ad quem Dominus ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc* Math. 16.
Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt ei. Vere ac merito cunctis poſteritatibus honorandus ille, qui firmiſſimæ Petræ ſoliditatem ſequutus, inimicos Chriſti, & cœleſtis ſpiritus auctoritate confundit, & infatigatæ patientiæ fortitudine triumphavit. Nec inferni, ſicut dictum eſt, adverſus eum porta prævaluit, qui ſibi portæ æternalis ingreſſum Regem gloriæ confeſſus aperuit. Aut quomodo ei non pateret porta illa vitalis; qui plenitudine Evangelicæ lectionis edoctus, in Patre, Filioque ejus inſcrutabile unicæ majeſtatis aſſeruit Sacramentum, edocens & oſtendens quæ eſſet in uno eodemque Dei filio & ſuſceptæ carnis ratio, & naturalis privilegium deitatis? Sciebat profe-
cto Salvatorem dixiſſe: *Ego & Pater unum ſumus,* Joan. 10.
& qui me videt, videt & Patrem. Hæc illum con- Joan. 14.
feſſio & honorabilem terris, & cœlo reddidit glorioſum. Sed neceſſarium nunc eſſe reor, ut occaſione beati hujus Patris noſtri, quem in tantam gloriam Catholicarum Eccleſiarum fides indeclinabiliter ab eo ſervata provexit, nos quoque propitio largiente Deo ſalutaribus doctrinę dominicę
teſtimoniis imbuamur. Ait ergo Dominus: *Ego &*
Pater unum ſumus. Qui dicit, ſumus, ſolitarius non Ibid. 10.
eſt; qui dicit unum ſumus, utique ab eo cum quo unum eſt, non poteſt eſſe diviſus. Quo mihi nunc, hæretice, in Patre & ejus Filio diverſitatem conaris aſtruere, cum Filius ſubſtantiæ ſuæ nos edocens
veritatem dixerit? *Ego & Pter unum ſumus:* Qui & Ibidem.
unum dicit, & ſumus, nec ſeparatione ſe dividit, nec unione confundit. Qui unum cum Patre eſt, nec perpetuitate a Patre differt, nec virtute diſcordat, cumque ſit cum Patre unum; de Patre tamen natus aſſeritur, ne ut impius blaſphemat Arius, aut creatura quæcumque Filius, aut Patri impar eſſe credatur. Audis ergo, o homo, Deum de Deo natum, ſed in tanto hoc profundo habes quod fide credas, non habes quod diſcutias argumentis. Audis Filium de Patre natum, ſed ne ſexum aliquem poſſis in divini-
tate rimari, ipſe Filius & Verbum dicitur & lumen. 1. Cor. 1.
Dicitur etiam Dei virtus & Dei ſapientia, ut advertas non quaſi per lineamenta genitalium corporaliter creaſſe Patrem, ſed per ineffabile majeſtatis ſecretum, de virtute prodiiſſe virtutem, & lumen manaſſe de lumine. Rurſus ne verbum ipſum non ſubſtantiam veritatis, ſed prolativum loquentis Dei putares eſſe ſermonem, dicitur Filius, ut in eo illius qui Pater eſt & conſonantiam eſſe diſceres & affectum. Iterum quia lumen dicitur, ne forte eum velut radium ſolis, aut ſplendorem lucernæ, alieno putares lucere fulgore, ait de ſeipſo beatus Evangeliſta Joannes, cui

arca

Digitized by Google

arcanum Dei & videre & revelare conceſſum eſt, di-
Joan. 1. cens: *Erat lumen verum*. Verum lumen ait, ut ſcias
illum non cujuſcumque creaturalis deficientiſque
luminis eſſe fulgorem, ſed a vera luce veritatem
eſſe quod lumen eſt. In tantum autem verum eſt
Ibidem. lumen, ut non ſolum non egeat illuminari, ſed illu-
minandi habeat poteſtatem. *Illuminat* enim, ut le-
gitur, *omnem hominem venientem in hunc mun-*
Joan. 14. *dum*. Ait ergo Chriſtus, ut dictum eſt, *Qui me vi-*
det, videt & Patrem. Qui me, inquit, videt, vi-
det & Patrem, quomodo non & duo & unum ſunt,
cum alter videatur in altero, & unum vidiſſe, ſit
utriuſque cognitio? Et revera, fratres, ſicut videre
Filium, videre eſt Patrem, ita intellecto Patre, in-
telligitur & Filius: Nam qui Patrem credit & confi-
tetur æternum, credat neceſſe eſt & Filinm coæter-
num. Sed jam videamus quis iſte ſit aſpectus in Fi-
lio, quo pariter videri aſſeritur & Pater. Videt ſine
dubio in Filio Patrem, qui credit Filium ſecundum
incogitabilem deitatis naturam, ineffabiliter natum
eſſe de Patre. Nec poſſe aliud hunc eſſe qui natus eſt,
quam eſt ille qui genuit. Videt in Chriſto Patrem,
qui opera Chriſti non extraneæ poſſibilitatis, ſed
paternæ credidit eſſe virtutis. Videt in Filio Patrem
qui intendit illum ſub communione paterni nomi-
nis, non ingenioſæ artis induſtria, ſed ſimplicis po-
Joan. 2. teſtate præcepti, aquas in vina vertentem creatura-
Joan. 6. rum mutare naturas, ubertate etiam benedictionis
ſuæ exeſum panem fœcundis eſurientium morſibus
augmentantem. Multiplicando namque eſcas in ore
Exod. 16. mandentium, & panes reformando de micis fecit
pene non eſſe mirabile quod manna fluxit e cœlo.
Quis non advertat in Chriſto paternæ æqualitatis
opus, quum videat eum auctoritate dominantis
terrere dæmones, fugare languores, oculos dare
Joan. 9. homini, necdum figuratos in homine? Cujus etiam
Matth. 10. veſtimenti fimbrias occulto aditu mulier ægrota
Marc. 6. tangendo, velut furtivam ſubripuit ſanitatem, ſed
Luc. 8. tanquam verus Deus, quem nullum humanorum
pectorum poterat latere ſecretum, egreſſam de
ſe mox prodidit medicinam, & circumſtantibus
turbis credentis fœmina meritum publicavit. Videt
in Filio majeſtatem paternam qui aſpicit Chriſtum
non impetrantis gratia, ſed jubentis imperio, &
paternæ voluntatis aſſenſu, aut de lectulis ſuis
mortuos, aut de tumulis ſuſcitantem. Si divinæ
eſt operationis creaſſe hominem, eique dediſſe
vitam, quomodo non divini eſt operis ſalutem
Joan. 14. reddidiſſe defuncto? *Qui videt* (inquit) *me, videt*
& Patrem. Quomodo, fratres, in Patre Filioque
ejus unus eſſe poterat, & indiſcretus aſpectus, niſi
eſſet ei una & indiſcreta ſubſtantia? Cbriſtus igitur
natura Deus, natura & homo, in utroque verus, in
utroque perfectus eſt, quia & humanitatem veraciter
ſumpſit a matre, & de Patre habet naturaliter dei-
tatem. Qui ſic videt Filium, videt Patrem, quia
eum Chriſtum eundem Deum confitemur & homi-
nem, neceſſario paſſiones homini, Deo mirabilia
deputamus, ut intelligatur unigenitus Dei, nec a
paterna majeſtate diſpar, nec a materna carne diſ-
Atii con- ſimilis. Per hanc fidem, chariſſimi, a Patribus
futatur per- noſtris Ariana eſt confutata perfidia, qui utique
fidia. Arius beati Joannis Evangelio contradicens, dum
Verbum Dei Deum, & apud Deum eſſe negat, infi-
delitatis ſuæ cæcatus obſcuritate, nec Patrem potuit
videre, nec Filium, dumque Factorem omnium
facturam eſſe contendit, & intemporali Deo tempo-
ralia conatur adſcribere, præſumptionis ſuæ furore
confuſus, utriuſque in Chriſto naturæ ſalutare per-
Ibidem. didit Sacramentum. At venerandus iſte Pater qui le-
gerat dixiſſe Dominum: *Ego in Patre & Pater in me*
eſt, ſciens in hac doctrina perſonarum eſſe diſtinctio-
nem, non naturæ diſtantiam Patris Filiique ejus,
qui non unus, ſed unum ſunt, indiſſociabilem tenuit,
& edocuit unitatem, aſſerens pariter in Chriſto Do-
mino noſtro & paſſibilem carnem & impaſſibilem
deitatem.

Homilia ſecunda unde ſupra.

AD ſancti ac beatiſſimi iſtius patris noſtri, cu-
jus hodie feſta celebramus, laudes addidiſſe
aliquid decerpſiſſe eſt: ſi quidem virtutum ejus gra-
tia non ſermonibus exponenda eſt, ſed operibus
comprobanda. Cum enim dicat Scriptura; *Gloria* Prov. 10. 15
Patris eſt Filius ſapiens: Quantæ hujus ſunt gloriæ,
qui tantorum filiorum ſapientia & devotione læta-
tur! *In Chriſto* enim *Jeſu per Evangelium ipſe nos* 1. Cor. 4.
genuit. Quicquid igitur in hac ſancta plebe poteſt
eſſe virtutis & gratiæ, de hoc quaſi quodam fonte
lucidiſſime omnium rivulorum puritas emanavit.
Etenim quia caſtitatis pollebat vigore, quia abſti-
nentiæ gloriabatur anguſtiis, quia blandimentis
erat præditus lenitatis, omnium civium in Deum
provocavit affectum, quia Pontificis adminiſtratio-
ne fulgebat, plures e diſcipulis reliquit ſui ſacer-
dotii ſucceſſores. Bene & congrue in hac die quam
nobis beati patris noſtri hujus ad paradiſum tran-
ſitus exultabilem reddit, præſentis Pſalmi verſi-
culum decantavimus: *In memoria æterna erit ju-*
ſtus. Digne enim in memoriam vertitur hominum, Pſal. 111.
qui ad gaudium tranſit Angelorum. Dicit ſermo Eccl. 11.
divinus: *Ne laudes hominem in vita ſua*. Tan-
quam ſi diceret: Lauda poſt vitam, magnifica poſt
conſummationem. Duplici enim ex cauſa utilius
eſt hominum magis memoriæ laudem dare quam
vitæ, ut illo potiſſimum tempore merita ſanctita-
tis extollas, quando nec laudanti adulatio nocet,
nec laudatum tenet elatio. Lauda ergo poſt peri-
culum, prædica ſecurum, lauda navigantis felici-
tatem, ſed cum pervenit ad portum. Lauda ducis
virtutem, ſed cum perductus eſt ad triumphum.
Quis autem vivens tuto poſſit ac ſine trepidatio-
ne laudari, qui & de præterito meminit ſe habere
quod doleat, & de futuro videt ſibi ſupereſſe quod
timeat? Qui vero in hoc corpuſculo poſiti debeant
ſibi quicquam vendicare de meritis, quos iterum
dæmonum infeſtatio velut latronum obſidet mul-
titudo, quibus per omnes vias ſupplantatores in-
viſi animarum laqueos tendunt, innumerabilium
mortibus expaveſcendos? Navigantibus enim no-
bis per *hoc mare magnum & ſpatioſum, in quo* Pſal. 103.
ſunt reptilia quorum non eſt numerus, animalia
puſilla & magna, id eſt diverſa genera inimicorum,
qui ſecundum noſtrarum virium quantitatem com-
penſato nobiſcum agone luctantur. In hujus mun-
di itaque pelago valde nobis pertimeſcendum eſt,
ne navem noſtram aut procella tempeſtatis abri-
piat, aut fluctus abſorbeat, aut in æternam præ-
dam pirata crudelis abducat. Adverſus hæc ergo
multiformia ſæculi mala, caſtigatis ac caſtis acti-
bus reſiſtamus. Beati autem Patris merita jam in tu-
to poſita ſecuri magnificemus, qui gubernaculum
fidei viriliter tenens, anchoram ſpei tranquillam jam
in ſtatione compoſuit, & plenam cœleſtibus divi-
tiis, & æternis mercibus navem optato in littore
collocavit. Qui contra omnes adverſarios ſcutum
timoris Dei tamdiu infatigabiliter tenuit, donec ad
victoriam perveniret. Quid enim fuit totius vitæ
illius curſus, niſi unitus cum vigili hoſte conflictus?
Quantis hic cæcis a via veritatis errantibus, & de
ſum-

ſumma jam in profundum rupe pendentibus amiſſum reddidit viſum, & illum quo Chriſtus videretur reparavit intuitum? Quantorum auribus ſurdis & infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cœleſtium mandatorum, pretioſum infudit auditum, ut vocanti Deo ad miſericordiam reſponderent per obedientiam? Quantos intrinſecus vulneratos angelici oris arte, & orationum ab infirmitate curavit? Quantos per longam incuriam peccati labe reſolutos, & quadam lepræ contagione perſuſos, caſtigationibus, & exhortationibus expiando, Deo in ſe operante, mundavit? Quantorum animas viventes in corpore jam defunctas, & delictorum mole obrutas ac ſepultas, ad emendationem tanquam ad lucem vocando Deo reſuſcitavit, ut Domini ſui admirandus imitator, jam mortuas Deo e contrario mortificet vitali morte peccato? Tunc in alia parte ea qua aperuerat ſalubritate claudebat, ne eis res aliena concupiſcibilis appareret, ne interiori homini maculam exterior culpa transmitteret, ne ad cor tenebræ per vias lucis intrarent, ne in unoquoque prophetica illa interminatio compleretur. *Mors* (inquit) *intravit per feneſtras veſtras*.

Hebr. 9.

Miniſteria enim aurium & oculorum, feneſtræ eſſe probantur animarum. Quando enim aperimus auditum mala & iniqua loquentibus ac damnabiliter obtrectantibus, & quæ Deo ſunt contraria ſuadentibus, mors intrat per feneſtras noſtras, horror mortiferæ noctis irrumpit, per quas ſol juſtitiæ intrare debuerat. Quando iſtæ peccati feneſtræ apertæ ſunt, janua ſalutis & vitæ ac portæ paradiſi clauſæ ſunt. Has iſte vir beatus feneſtras multis ſeris divini timoris obſtruxit. De quantorum cordibus, quos inhoneſta iniquitas & impietas poſſidebat, fugavit luxuriam, dejecit iram, extinxit invidiam, & velut de antiqua domo barbaris hoſpitibus perturbatis revocando illuc fidem, caſtitatem, juſtitiam, miſericordiam, habitatores pacificos intromiſit, per quos in domicilium mentis caput horum bonorum Chriſtus intraret; & appoſitis pœnitentiæ medicamentis, velut quatriduanum fœtentem, increpationum fremitu ſuſcitabat, & emendatione ſuſcepta de mediis mortis faucibus erutos, temporaria reſurrectione vitæ reſtituebat. Hæc itaque atque hujuſmodi plura gerens quæ proferre per nos atque expedire ut dignum eſt, non poteſt ſermo pauperculus melius vobis ea veſter dicet affectus. Summæ enim alacritatis inſtantia fuit cultor & cuſtos animarum cupiditates reſecans, iras comprimens, malitias extirpans. His etiam magis vir iſte temporibus neceſſarius fuit, quibus tanta iniquitas ſumptis quotidie (deficiente juſtitia) viribus convaleſcit. Et quidem ille in hac peregrinatione ſolo corpore conſtitutus, cogitatione & aviditate in illa æterna patria converſatus eſt, & quaſi bonus ratiocinator velut ad centuplum manum porrigens, ſemper de ſiniſtra tranſmiſit ad dexteram, & in cœlo repoſuit ſudores ſuos. Nam & ſi hic opera ejus videntur, illuc operum merita tranſierunt. Illius ergo, in quantum poſſumus, veſtigiis inſiſtamus, quibus per illam nimis arctam vitam ad cœli ampla feſtinans, qua eum ſequeremur, oſtendit.

Feneſtræ animarum miniſtri aurium & oculorum ſunt.

Joann. 11.

In natali divi Cypriani Epiſcopi & martyris, Homilia prima.

SAncti Cypriani feſtivitatem, ſicut omnibus notum eſt, hodie celebramus, & natali, ſicut dicunt imminente vindemia, natalem ejus martyrii procuramus. Conveniunt igitur vota noſtra, & mundi. Mundus vindemiarum ubertate lætatur, & nos Sanctorum paſſione gaudemus. Quæ quidem paſſio vindemiis comparanda eſt. Sicut enim uvarum expreſſione vinum funditur, ita & Sanctorum martyrio, vini vice ſanguis effunditur; niſi quod uva temporales fructus præſtat, paſſio ſempiternos. Recte ergo martyrium vindemiis comparatur; habet enim & ebrietatem ſuam, habet & calicem ſuum, de quo dicit Propheta David: *Et calix tuus inebrians quam preclarus eſt!* Et ipſe Dominus in paſſionis ſuæ exitu conſtitutus, ait: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat calix iſte a me*. Et iterum Propheta: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Recte, inquam, calix martyrio comparatur, quia ſicut calix cum bibitur, omnis humor noxius vini calore decoquitur, ita martyrii poculum cum hauritur, omnes peccatoris fæces paſſionis gloria temperantur. Vinum ergo quoddam ſalutare martyrii eſt, quod cordi lætitiam præſtat, calorem fidei, animæ puritatem. Vinum plane eſt ſpirituale, Dei illa uva, quæ pro ſalute omnium pependit in ligno. Sicut enim botrus redditurus vinum, prius in vinea quadam naturæ arte ſuſpenditur, ita & Chriſtus editurus vinum ſpirituale martyrii in cruce, quadam providentia divinitatis aptatur. Ipſe eſt plane botrus, quem duo exploratores illi, hoc eſt, Jeſus Nave & Caleph filius Jephone in phalanga ad filios Iſrael propriis humeris detulerunt. Quod quidem factum jam tunc præfigurabat adventum Domini Salvatoris. Nam botrus in phalanga ſuſpenſus, in cruce Chriſtus appenſus oſtenditur. Duo autem in phalanga portantes uvam, duo populi demonſtrantur, Chriſtianus utique & Judæus. Et ſicut mos eſt portantium, unus præcedens, alter ſubſequens, ita prior Judæorum deſignatur populus, Chriſtianorum ſecundus. Et ſicut antecedens quod portat non videt, & retrorſum idem ſemper habens quadam dorſi averſione contemnit; qui autem ſequitur ſemper id oculis perſpicit, ſemper cuſtodit obtutibus, ſemper corporis vicinitate potitur; ita ergo Judæus & Chriſtianus populus. Judæus enim prior eſt, Chriſtum in lege portat & neſcit, & retrorſum eum ponens quadam dorſi averſione contemnit; unde ait Propheta: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva*. Chriſtianus vero ſequens populus Chriſtum ſemper oculis aſpicit, ſemper cuſtodit obtutibus, & quadam graduum ſuorum vicinitate complectitur, & quanto eum ille populus pravo itinere poſt ſe relinquit, tanto eum iſte directo curſu feſtinat attingere.

Martyrium vindemiæ comparatur.

Pſalm. 22. Matt. 26.

Num. 13.

Pſalm. 68.

Homilia ſecunda unde ſupra.

IN martyrio Beatiſſimi Cypriani, Fratres chariſſimi, univerſa nobiſcum Chriſti exultat Eccleſia, quam in omne gaudium & cœleſtis eruditione ſermonis inſtruxit, & munere triumphalis ſanguinis decoravit. Fuit enim in eo, ſicut compertum habemus, & contra errores diaboli ſpiritualis ſapientiæ plenitudo, & adverſum perſecutiones mundi, Chriſtiani pectoris infatigata conſtantia. Quis non hujuſmodi virum quantis valet præconiis proſequatur, cujus eloquentia inſpirata divinitus & Eccleſias docuit, & ſæculum confutavit? Vere hic mirabilis, atque omnium ubique ſtudiis celebrandus quem ſanctitas ſacerdotem, peritia doctorem, fides martyrem conſecravit. *Pretioſa*, inquit David, *in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*. Videte cha-

Cyprianus omnium ſtudiis celebrandus.

Pſalm. 115.

chariſſimi, in quantum venerabilis Cyprianus,
etiam propheticam ſupergreſſus eſt laudem, cujus
in conſpectu Domini non ſolum mors, ſed & vita
extitit pretioſa. Moriendo namque proprium Chri-
ſto ſanguinem dedit, vivendo nihilominus cohor-
tatione fortiſſima, innumeros cœlo Martyres acqui-
ſivit. Quid hoc clarius ſacerdote, qui inter ho-
minum turbas gloria cœleſtis converſionis emicuit,
atque inter Angelicos cœtus, & ſua factus eſt &
aliorum morte conſpicuus. Juſtiſſime hic cum Pa-
triarcha David cantavit Domino Deo ſuo dicens:
Cor meum & caro mea exultaverunt in Deo vivo.
Pſalm. 83. Exultavit itaque cor ejus in Deo vivo, cum mo-
rientis ac morituri ſæculi vanitate deſpecta, totum
ſe divinis mancipavit obſequiis. Exultavit & caro
ejus in Deo, quæ de hoc mundo non miſeri cor-
ruptione languoris, ſed piis pro religione ſuppli-
ciis conſecrata migravit. Hic eſt ille Evangelicus
paterfamilias, proferens de theſauro ſuo nova &
Matt. 13. vetera, qui veteris novique Teſtamenti unum atque
idipſum myſterium prædicans Eccleſiam Chriſti
locupletiſſima diſputatione ditavit. Incorruptibi-
lis atque indefeſſus illius eſt hodie theſaurus, qui
pecuniam Domini ſui nummulariis fœnerans quo-
tidie in corde fidelium cœleſtium divitiarum ſan-
ctam conquirit uſuram. Quid igitur, fratres, tanto
ſpecioſius viro, cujus hæc eſt regula & menſura ſer-
Matth. 25. monis, ut inter varios hominum caſus motuſque
diverſos, nunc affectione patris, nunc authoritate
doctoris conſoletur humiles, ſuperbos comprimat,
negligentes arguat, increpet infideles. Tantoque
denique decore ſacerdotium vitamque ſuam vir fi-
deliſſimus adornavit, ut doctrinam ſuam ſubſequen-
tibus confirmaret operibus, dominicam illam ſen-
tentiam tenens: *Qui docuerit & fecerit, hic magnus*
Matth. 5. *vocabitur in regno cœlorum.* Quam magnus hic
quamque præcipuus in regno cœlorum eſt, quem
in omnem gloriam ſermo propheticus, vita mi-
rabilis, & mors Deo devota ſublimat! Nec im-
merito, fratres, tanto cum honore nominis e-
jus memoria, per ampliſſima mundi ſpatia cele-
bratur, quia per univerſum orbem ad firma-
mentum fidei noſtræ & paſſio ejus & doctrina
profecit.

In ſolemnitate divi Michaelis Archangeli, de eo quod ſcriptum eſt: Quis major eſt in regno cœlorum.

SI diligenter audiſtis Evangelicam lectionem, in-
telligere poteſtis quæ miniſtris ac Sacerdotibus
Dei reverentia debeatur, vel qua ipſos clericus in-
vicem humilitatis ſedulitate ſe oporteat prævenire.
Matth. 18. Ait enim Dominus percontantibus diſcipulis quis
eorum in regno cœlorum major eſſet futurus, ſtatuto
coram omnibus puerulo: *Quicumque humiliaverit*
ſe ſicut puer iſte, hic major erit in regno cœlorum.
Humilitatis veſtigia ſectanda. Unde intelligimus quod humilitate pervenitur ad
regnum, ſimplicitate penetratur ad cœlum. Quiſ-
quis ergo cupit divinitatis tenere faſtigia, humili-
tatis ima ſectetur. Quicumque vult fratrem præve-
nire regnando, prius illum præveniat obſequendo,
Rom. 12. ſicut ait Apoſtolus: *Honore invicem prævenientes:*
Vincat eum officiis, ut poſſit vincere ſanctitate. Si
enim te non læſit frater, obſequium meretur ut
diligas: quod ſi forſitan læſit, magis obſequium me-
retur ut vincas. Hæc enim noſtræ Chriſtianitatis
Chriſtianitatis ſumma. ſumma eſt, ut amantibus viciſſitudinem, lædentibus
patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior
ad injuriam, potentior conſtituetur in regno. Non
enim ad imperium cœlorum pervenitur ſuperbia,
divitis præfectura, ſed humilitate pauperis, lenita-
te. *Arctam enim & anguſta eſt via quæ ducit ad* Matth. 7.
regnum. Quiſquis ergo honoribus inflatus fuerit, &
auri theſauris dilatatus, tanquam onuſtum & impe-
ditum animal per anguſtum regni iter tranſire non
poterit. Simul etiam ut ſe exiſtimat perveniſſe, ſar-
cinam ejus exigua porta non capiens, repercuſſo li-
mine retrorſum redire cogetur. Tam enim anguſta
eſt diviti porta cœleſtis, quam eſt camelo acus fora- Matth. 19.
men exiguum. Unde ait Dominus: *Facilius eſt ca-*
melum per foramen acus tranſire, quam divitem in- Comparatio.
trare in regnum cœlorum. Sicut enim camelum
animal tortuoſum atque deforme exigua caverna
præterire non patitur: ita & divitem avarum atque
mendacem arcta cœli janua minime intrare per-
mittit. Nam ideo nudi in ſæculo naſcimur, nudi
etiam accedimus ad lavacrum, ut nudi quoque & ex-
pediti ad cœli januam properemus. Quam autem in-
congruum & abſurdum eſt, ut quem nudum mater
genuit, nudum ſuſcepit Eccleſia, dives intrare velit
in cœlum! Propterea adoleſcenti illi diviti in Evan-
gelio a Salvatore dicitur, qui juſtus ſibi videbatur &
ſanctus, & omnia mandata legis compleſſe, *Si vis* Ibidem.
perfectus eſſe, vende omnia tua & da pauperibus.
Uſque adeo enim nuda virtus apta cœlo eſt, ut
quamvis juſtus, quamvis ſanctus aurum vel divitias
poſſidens, non poſſit eſſe perfectus. Talem enim
voluit adoleſcentem illum Dominus ad paradiſum
redire, qualis Adam fuerat de paradiſi ſublimitate
dejectus. Nudus enim Adam incola paradiſi fuit,
denique poſt peccatum, nuditatem ſuam pervidens
folio pudenda contexit. Prius enim quam peccaret,
honeſtatis erat colore veſtitus, atque ideo nuditatem
inhoneſtam non natura inſtituit, ſed delicti reatus
invenit: Nam & ſancti Angeli in ſplendidiſſimo ha-
bitu conſtituti, nunquid tunicis operiuntur & palliis?
Sed quum ſit illis nativitatis ſuæ nuda ſubſtan-
tia, veſtiti videntur eſſe quod ſancti ſunt. Sic igitur
& Adam cuſtoditus honeſtatis Angelicæ dignita-
te, erat quidem nudus mundanis veſtibus; ſed im-
mortalitatis erat ſplendore veſtitus. Nil pravum
reſpiciebant ejus oculi, non cor ejus turpe aliquid
cogitabat, erat apud honeſtas mentes nuditas ipſa
veſtita: Sicut enim apud nequam homines turpis
cogitatio a concupiſcentia veſtibus non arcetur, ita
apud ſanctos viros honeſta ſimplicitas ad concupi-
ſcendum nuditate non trahitur. Sed ſicut vitioſis ad
corruptelam nuda ſunt omnia, ita religioſis ad ca-
ſtimoniam operta ſunt univerſa. Quid autem ait
Evangelica lectio? *Qui ſcandalizaverit unum de* Matth. 18.
puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpen-
datur mola aſinaria in collo ejus, & mergatur in
profundum maris. Puſillos hic non ætate pueros,
ſed malitia parvulos dicit, ſicut Apoſtolus ait: *Ma-*
litia parvuli eſtote, ut ſenſibus perfecti ſitis. Qui ſunt Puſilli qui. 1. Cor. 14.
iſti niſi clerici idonei, monachi religioſi, vel laici?
Quiſquis igitur his irreverens aut contumelioſus
extiterit, hac belluina pœna plectetur, ut informi
ſaxo religato illi ad collum, præcipitetur in mare. Sed
videamus cur ſcandalizantibus Chriſtianos iſta pœna
decreta ſit, aut quid ſibi velit ipſa ſententia. Puto
enim, illam aliquod myſterium continere. Quaſi
vero non ſufficeret, & in mare homini demergen-
do ſaxum qualecumque non magnum aut enorme,
ſed molæ aſinariæ lapis religetur ad collum, ut cum
perituro homine, pereat res uſui neceſſaria. Sed pu-
to hoc magis eſſe quod in Scripturis aſini figura po-
pulus gentilium nuncupatur, qui clauſis oculis circa
ignorantiæ molam erroris ſui gyro pertrahitur, & ſi-
ne ulla curſus directione veſtigiis in ſe ſæpe redeun-

tibus

tibus invitus uſui laborat alieno. Nonne enim tibi videtur molam aſinariam volvere Gentilis populus, quam diu imperitiæ ſuæ labore verſatur? Naturæ quidem vinculis alligatus ut verbum Dei molat, Dominum cœli quærat, ſed opertæ mentis cæcitate ſubfuſus multum animi erigere ad Deum, cordis oculos levare non poſſit ad cœlum. Sed quoniam mola aſinaria ſaxum eſſe conſtat, videamus ſi & paganorum talis eſt mola. Talis eſt plane: Saxea enim mola eſt paganorum Jupiter Herculeſque lapideus, circa quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt. Cæcos (inquam) dixerim eorum oculos, qui putant ſe videre quod non vident.

Alias confingunt.

Adſpicientes enim ſaxum, Deum ſe videre * confidunt. Attamen qui molam volvit, conſummandi aliquando finem operis habet, excundi ſpem gerit laboris. Cui vero mola aſinaria ad collum ſuſpenditur, portat lapidem qui portare debuerat jugum Domini. Aſinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, Gentilis ad ſaxum, qui adorat eum quem non videt, nec agnoſcit, Deus enim

Act. 17.

non in manufactis habitat, nec in metallo aut ſaxo cognoſcitur. Hic ergo Gentilis populus cum perſequutionem Chriſtiano intulerit, hac pœna plectitur, ut cum ſua ſacrilega mola judicandi ſæculi fluctibus demergatur.

In Natali ſanctorum Tauricorum Martyrum, Octavii, Adventitii & Salvatoris.

CUM omnium ſanctorum Martyrum, fratres, devotiſſime natalem celebrare debemus, tum præcipue eorum ſolemnitas tota nobis veneratione curanda eſt, qui in noſtris domiciliis proprium ſanguinem profuderunt. Nam licet univerſi Sancti ubique ſint, & omnibus proſint, ſpecialiter illi tamen pro nobis interveniunt, qui & ſupplicia pertulere pro nobis. Martyr enim quum patitur, non ſibi tantum patitur, ſed & civibus. Sibi enim patitur ad præmium, civibus ad exemplum.

Martyrum exempla.

Sibi patitur ad requiem, civibus ad ſalutem. Exemplo enim eorum didicimus Chriſto credere, didicimus contumeliis vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid Martyribus debeamus, in quo alter ortus eſt, ut alius ſalvaretur; alter carnificem pertulit, ut Chriſtum alter agnoſceret; alter morti addictus eſt, ut alius vita potiretur æterna, & ad poſtremum Sanctus occiſus eſt, ut peccator evaderet. Beati igitur Martyres nec ſibi vixerunt, nec ſibi ſunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt, bene vivendo converſationis, tolerando fortiter paſſionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diverſis in locis pati Martyres voluit, ut tanquam idonei teſtes præſenti quoddam fidei exemplo ſuæ confeſſionis urgerent, ut humana fragilitas, quæ prædicationis dominicæ aditu longiore vix credit, vel præſenti oculorum teſtimonio martyrio crederet beatorum.

Martyres devotiſſime colendi ut defenſores.

Cuncti igitur martyres devotiſſime percolendi ſunt: ſed ſpecialiter ii venerandi ſunt a nobis quorum reliquias poſſidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant, iſti etiam adjuvant paſſione. Cum his autem nobis familiaritas eſt: Semper enim nobiſcum ſunt, nobiſcum morantur, hoc eſt & in corpore nos viventes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt: Hic ne peccatorum nos labes aſſumat, ibi ne inferni horror invadat. Nam ideo hoc a majoribus proviſum eſt ut Sanctorum

S. Maximi.

oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos Chriſtus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum ſanctis ergo martyribus quieſcentes evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen conſocii ſanctitate. Ait enim Dominus Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt ei.* Matth. 16. Si ergo Apoſtolo & Martyri Petro inferni porta non prævalet, quiſquis ſociatur martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta non poſſidet, quoniam eos paradiſi regna ſuſcipiunt: Nam videmus eos utique jam regnare: Cernimus enim ab iis frequenter obſeſſos immundiſſimis dæmonibus homines liberari, ita ut cœleſti medicina & captiva anima de diaboli laqueis eruatur, & ipſe diabolus vinculis igneis alligatus producatur de ſua captivitate captivus, ut qui prædam paulo ante ceperat, ipſe ſubdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per Sanctos fieri omnibus notum eſt. Et ideo, fratres, veneremur eos in ſæculo, quos defenſores habere poſſumus in futuro. Et ſicut eis, oſſibus parentum noſtrorum jungimur, ita & eis fidei imitatione jungamur. In nullo enim ab ipſis ſeparari poterimus, ſi ſociemur illis tam religione quam corpore.

Homilia ejuſdem de Martyribus.

SUfficere nobis deberent ad profectum ſalutis noſtræ Martyrum exempla ſanctorum, qui propter adipiſcendam cœleſtem coronam, omnibus ſe mandatis dominicis ſubdiderunt, & ita cunctis devinxerunt ſe legibus Salvatoris, ut propter anteactam vitam, mererentur ad hanc martyrii gloriam pervenire. Non enim illo tempore tantum perfecerunt præceptum Domini, quo confeſſionis ſupplicium pertulerunt; ſed neceſſe eſt illos prius ſecundum Evangelium vixiſſe Chriſti, ut Chriſti paſſionibus potirentur. Neceſſe eſt enim, ut initia bona fuerint, quorum finis eſt optimus ſubſequutus. Et Martyres eos non ſolum fuiſſe cum paſſi ſunt, ſed etiam Martyres Chriſti fuiſſe cum viverent. Martyr Martyr. enim Latine teſtis dicitur, ac quotieſcunque bonis actibus mandatum Chriſti facimus, toties Chriſto teſtimonium perhibemus. Unde & crux Domini non illa tantum dicitur, quæ paſſionis tempore ligni affixione conſtruitur; ſed & illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur. De qua mihi videtur Salvator dicere: *Qui vult poſt me venire, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Luc. 9. Nunquid enim omnes martyres qui ſequuti ſunt Dominum crucifixi ſunt? Nunquid omnes virgines quæ juxta Apocalypſim ſequuntur Apoc. 14. Agnum Dei, crucifixæ ſunt ut ſequantur? Nunquid Paulus Apoſtolus crucifixus fuerat quum dicit: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini* Gal. 6. *noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo?* Hoc autem dicit ut intelligas, crucem non ligni eſſe patibulum, ſed vitæ virtutiſque propoſitum. Tota igitur vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundum Evangelium vivat, crux eſt atque martyrium. Sed hoc eſt quod in nobis difficile reperitur, ut omnes actus noſtri ſecundum Evangelium dirigantur, atque ideo quotieſcunque voluptatibus volutamur crucem Salvatoris amittimus: Chriſtus enim eſt caſtitas, pax, veritas, manſuetudo. Quomodo ergo poteſt caſtitati teſtimo-

nium perhibere corruptus? Aut quomodo poteſt pacem prædicare, cujus animus ſemper in lite eſt? Quo pacto etiam veritat=n, aut manſuetudinem qualiter ſervabit inconſtans? Quomodo (inquam) poſſumus ad martyrii gloriam pervenire, quum di- Matth. 10. cat Dominus, *Nolite poſſidere aurum*? Nos etiam auri talenta recondimus. *Nolite* (inquit) *poſſidere aurum*. Hoc aurum habentibus dicit; Unde ſi habentibus aurum poſſidere prohibet, non habentium cupiditatem quæ pœna condemnat? Et ſi qui propria retinent, amittere jubentur, illi qui aliena diripiunt, quam graviter ferientur? Sunt enim plerique fratres, qui cum humili loco geniti fuerint, & nullas a parentibus divitias conſequuti ſint, tanta avaritiæ cupiditate jactantur, ut putent ſe ſine cauſa natos, niſi aurum quoquo pacto poſſederint. Sap. 15. Exiſtimantes enim (ſicut ait Propheta) vitam hominum compoſitam ad lucrum, non dubitant unde videlicet ex malo acquirere, atque ita hujuſmodi homines dum lucrum auri quærunt, damnum ſalutis inveniunt. Requiramus, fratres, quotuſquiſque eſt qui hoc non ſit imbutus? Pauci admodum ſapientes ab hac peſtilentia ſe defendunt. Taxat avaritiæ ſectatores. Si negotiatorem cogites, propter avaritiam primus in culpa eſt. Si malitiam tantum recipias, cupiditas eſt illi tota cauſa malitiæ. Si officia ſingula perſcruteris, invenies homines non honeſtate adduci ad obſequium, ſed præda veluti ad negotium provocari. Omnes igitur pene lucris ac negotiis ſtudent, & cum primo ſurgunt diluculo, non cogitant niſi ut aliquid undecunque percipiant. Quod ſi aut honeſtas convicerit, aut retruderit judicantis autoritas, cur res alienas diripiant, damnum ſe feciſſe queruntur? Sine cauſa (inquiunt) militamus, ſine cauſa laboramus, hodie domum referre nihil potui, iniquitas judicis male me facere non permiſit. Cunctos igitur pene homines agitat Cunctos agitat avaritia. avaritia, nullum de his quietum eſſe permittit. Hi enim qui nihil habent, cupiditate torquentur: illi qui divitias poſſident, ſollicitudine cruciantur. Nec ipſis enim bene eſt qui recondito auro incubant, imo ipſis eſt gravius. Semper enim ſunt anxii, mœſti, ſolliciti, ne hoc ſervus auferat, ne fur effodiat, atque ideo retrudentes illud tenebris, ita abſcondunt, ut omnium ſubterfugiat notionem, nihil ex eo proferentes aliquando ad uſum, ne apertio latebrarum ſit cauſa prodendi. Servant autem illud & non utuntur. Servant, inquam: Cuſtodes ergo dixerim iſtos eſſe non dominos, & alienum attendere diligenter, non proprium convenienter expendere. Quid ergo, fratres, putatis habere aurum eſſe divitias? Ego dixerim majores eſſe divitias, aurum non habere; pretioſior enim mens ejus qui aurum deſpicit, quam qui aurum requirit. Majores plane ſunt divitiæ, non habere aurum, ſed aurum non habentibus eminere. Qui Bona quæ propria. enim propriis abundat bonis, ſæculi theſauros non requirit. Bona enim ſunt propria, honeſtas, ſobrietas, miſericordia, caſtitas, quæ bona omnia auro magis ſunt pretioſa, ut ſciatis quia his ita viliora ſunt metalla auri; talenti emi poſſunt, argenti vaſa comparari poſſunt, honeſtas ſola emi non poteſt. Honeſtas enim non emitur, ſed acquiritur, quia non conſtat pretio, ſed virtute. Tu igitur qui aurum poſſides, ſi placet, bona invicem conferemus. Tu cum peregre proficiſceris, theſauri tui neceſſario domi remanent, quibus longe a te poſitis, ſemper trepidus, ſemper incertus es, ne quum domum redieris, non habeas quod habebas. Ita dum ſemper amiſſionem eorum metuis, apud conſcientiam tuam nudus & pauper es. Ego autem quocumque iero, meæ divitiæ me ſequentur, nec ſeparari a me poſſunt bona, quoniam non terreno ſpecu, ſed theſauro pectoris retinentur. Tu quum recedis e ſæculo, relinquendo tuas divitias perdidiſti, ego autem cum mihi de hoc mundo migrare contingit, divitias meas mecum ad paradiſum veho. Tuas di- Luc. 16. vitias poſt mortem, exemplo illius purpurati divitis, ignis & tenebræ ſubſequentur, meas divitias exemplo Lazari ſinus Abrahæ & beatitudo ſuſcipiet.

F I N I S.

HOMILIÆ

Digitized by Google

HOMILIÆ
SANCTI MAXIMI
EPISCOPI TAURINENSIS,
DE DIVERSIS.

In traditione Symboli de expoſitione ejuſdem Homiliæ.

CUM apud Patres noſtros, ſicut liber Judicum refert, quædam Iſraeliticæ tribus civili adverſum ſe prælio decertarent, nec propter conſimilem populi unius habitum inter bellantes poſſet eſſe diſcretio, tribus illa cujus juſtior erat cauſa pugnandi, quia merito per Dei auxilium victoriam præſumebat, ſignum ſibi certo in ſermone conſtituit: ut quos una armorum facies confundebat, ſecretioris verbi diſtingueret ſacramentum. Quod beati Apoſtoli, ut ego reor, exemplum ſequentes Eccleſiæ Dei, quam adverſum militiam diabolici furoris armabant, myſterium ſymboli tradiderunt, ut quia ſub uno Chriſti nomine credentium erat futura diverſitas, ſignaculum ſymboli inter fideles perfidoſque ſecerneret, & alienus a fide atque hoſtis appareret Eccleſiæ, qui aut tanquam baptizatus neſciſſet, aut tanquam hæreticus corrupiſſet. Credis, inquit, in Deum Patrem omnipotentem? Credendus ſine dubio eſt Deus Pater omnipotens, cujus ſic virtus ſentitur, ut quantitas ejus & qualitas ignoretur. Eſſe enim illius & poſſe non diſcutiendo aſſequimur, ſed credendo. Quem autem credere debeamus, edocet nos Redemptoris noſtri authoritas dicentis:
Joan. 5. *Qui credit in me & in eum qui me miſit, habet vitam æternam.* Et alibi:
Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Plus eſt, fratres, quod fidei oculis intuemur, quam ſenſus poſſit videre carnalis. Credis, inquit, in Deum Patrem omnipotentem. In Deo natura innaſcibilis, in Patre unigeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis oſtenditur. Eſt namque per ingenitam deitatem omnipotens, & per omnipotentiam Pater. Nec diſquirendum qualiter ſit Pater, quia qualiter Deus ſit, aut omnipotens, non poteſt comprehendi. *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum.* Quod Chriſtus eſt factus qui Filius erat, diſpenſatio eſt redemptionis humanæ; quod Dominus eſt, de proprietate naturæ eſt. Unicus autem vel unigenitus annunciatur & creditur, quia unus ita eſt genitus, neque habet in nativitate conſortem. Filium audis non ut illum ſexu aliquo editum putes, ſed ut credas incomprehenſibili majeſtate Deum prodiiſſe de Deo, ut ait ipſe:
Joan. 16. *Ego a Patre exivi & veni in hunc mundum.* *Qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* Spiritum ſanctum audis, ut partum illum mirabilem ſimul & inculpabilem recognoſcas. Cœleſte eſt enim quod ſpiritus agit: inviolatum quod Sanctus operatur. Nam cum unigenitum Dei fieri hominem redemptionis noſtræ neceſſitas flagitaret; hoc nativitati ſuæ privilegium propriæ divinitatis invexit, ut de Virgine naſceretur. Qui enim veniebat inveteratam peccatis hominum revocare naturam, novam legem noluit habere naſcendi. Unigenitus igitur Dei factus eſt filius hominis, ut qui Creator mundi erat, fieret & Redemptor. *Qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt & ſepultus.* Nulla nobis ſit de Chriſti cruce confuſio, quia habemus de ejus paſſione victoriam. Sicut enim ſempiternus Dei Filius non ſibi, ſed nobis eſt natus: ita immaculatus Dei agnus non ſibi, ſed nobis eſt paſſus. Quis autem non mirificum Mirificum myſterium.
adverteat eſſe myſterium, ubi ipſe homo prædicatur qui Deus eſt, & ubi idem Dominus annunciatur qui aſſeritur crucifixus? Nec incogitata ei, quod peremptus eſt, aut improviſa res accidit, qui divinitatis ſuæ conſilio idcirco ſuſcepit hominem, ut pro homine poſſet occidi. Supplicium autem crucis elegerit, ut ſublimiorem victoriam pareret pœna deterior, & qui univerſitatis bono patiebatur, quaſi in conſpectu mundi in altum ſublevatus occumberet, ſimul ut qui crucifixum videbant, mirabilia cernerent crucifixi. Nam ſatis a- Matth. 27.
bundeque gloriam patientis oſtendunt repentina ſolis obſcuritas, tremor terrarum, ſaxorum diviſio, reſurrectio mortuorum. Illud autem quanti eſt Luc. 23.
teſtimonii, quod etiam pariter crucifixus Latro, memoriam ſui in cœleſti regno fieri a conſorte ſupplicii precabatur? Hinc eſt, chariſſimi, quod illuſiones & probra quæ pertulit Chriſtus, crucem mortemque ejus non ſuſpiriis ingemiſcimus, ſed continuis laudibus celebramus. Sepultus eſt autem, quia conſequens erat ut qui mortuus fuerat, acciperet ſepulturam. Sepultus eſt Dominus, ut ad conſolationem ſepultorum benedictionem corporis ejus & terra ſuſciperet. Sepultus eſt, ut qui vere mortuus cernebatur, vere rediiſſe a mortuis crederetur. *Tertia*, inquit, *die reſurrexit a mortuis.* Si credidiſti de Chriſto quod dedecoris eſt, crede quod gloriæ eſt. Si credidiſti quod mortis eſt, crede quod vitæ eſt. Sicut enim in Paſſione myſterium pietatis eſt, ita in Reſurrectione operatio poteſtatis, ut ait ipſe: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam,* Joan. 10.
& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Quomodo itaque non illi ſuppetebat vita poſt mortem, cui mori non fuit conditio, ſed poteſtas? Nec magnum ſane eſt ſi dicamus, potuit Chriſtus reſurgere; cum impoſſibile fuerit ut author vitæ non rediret ad vitam. Aut quomodo poterat inferni legibus detineri, qui idcirco eſt mortuus, ut mors amitteret poteſtatem? Nihil ergo ultra de ejus paſſionibus

confundamur. Nihil de ejus morte trepidemus, cui & reſurgendi poteſtas erat & natura vivendi. Cujus autem dementiæ eſt illum non credere reſurrexiſſe, ad cujus præceptum de tumulo ſepultus emerſit? *Aſcendit in cælum.* Decebat, fratres, talis gloria hominem qui de Virgine naſcebatur: nec impoſſibile ei fuit cœlum aſcendere, cui poſſibile fuit inferos triumphare. Et neceſſe erat ut qui ad mortem de regno venerat, poſt mortem rediret ad regnum. Fuit in hoc, chariſſimi, ſalutaris & incomprehenſa mentibus humanis inter cœlum terramque communio: ut ſicut terra Dei Filium ſe ſuſcepiſſe lætata eſt, ita cœlum filium hominis ſe accepiſſe gauderet, ut cantatum eſt per Prophetam: *Latentur cæli, & exultet*

Pſalm. 95.

terra. Nam ſicut manifeſtum eſt terram exultare de Deo, ita dubium non eſt cœlum gaudere de homine. *Sedet ad dexteram Patris.* Quod ſedet Chriſtus, victoris munus eſt: quod ad dexteram Patria ſedet, divinitatis eſt privilegium, & indiſcretæ conſortium

Diabolus totus ſiniſter.

charitatis. Et bene ad dexteram Patris annunciatur ſedere, in quo nihil voluntatis ſuæ diabolus, qui totus eſt ſiniſter, invenit. *Inde venturus judicare vivos & mortuos.* Neceſſe eſt, fratres, ut hominum genus ille diſcutiat qui creavit, & ipſe judicet qui redemit: juſtumque eſt ut omnipotens Dominus mortales ſuos quos divinitatis virtute formavit, patris pietate ſalvavit, judicis examinatione diſcernat. Nam quid eſſe poteſt æquius apud Deum, quam ut quorum in ſæculo fuit vita diverſa, eorum poſt hoc ſæculum merita diſtinguantur? Vivi autem judicandi referuntur ac mortui: ut omnium hominum eſſe apud Deum cura credatur. *Et in Spiritum Sanctum.* Hæc eſt, chariſſimi, inoffenſa regula veritatis, ut quorum unum nomen eſt, non ſit eorum diverſa confeſſio: & qui in cœlo apud ſe unum ſunt, a nobis non ſeparentur in terris. Nam ſicut divinitati nihil de creaturis æquari poteſt, ita omnem diviſionem &

Joan. 55.

inæqualitatem natura divinitatis excludit. Secundum enim Evangelicam veritatem, ſicut Filius a Pa-

Joan. 4.

tre exivit, ita & Spiritus a Patre procedit. Et ſicut unigenitus Filius Dei eſt, ita & Spiritus ſanctus Dei eſt. Et ſicut Pater cui vult miſeretur, & Filius cui vult, Patrem revelat, ita etiam ſpiritus & inſpirare legitur prout vult, & dona cœleſtium gratiarum

1. Cor. 12.

dividere, prout vult. Quomodo ergo non unum eſſe cum Patre Filioque credendus eſt Spiritus, cui

Sancta Eccleſia confitenda.

æque adjacet poſſe quod vult? *Sanctam Eccleſiam.* Vere ſancta eſt Eccleſia confitenda, per quam & ſanctificatio eſt data mortalibus, & creſcente credentium numero, omnium pene linguis in Dei laudes ſanctior mundus exultat. Sancta eſt Eccleſia, quæ baptiſmi ſacramento peccatorum contagione deterſa, terrarum incolas tranſmittit ad cœlum. *Remiſſionem peccatorum.* Credenda eſt præcipue, fratres, peccatorum remiſſio: quia hoc unum eſt remedium quod hominum genus a ſententia perpetuæ mortis abſolvit. Idcirco unigenitus Altiſſimi ſumere dignatus eſt carnem, complexus eſt crucem, ut te, qui crimina tua evadere & peccata non poteras, indulgentia faceret innocentem. Ideo immaculatus occiſus eſt agnus, ut ejus cruore

Nota altitudinem ſacramenti

humani generis macula tergeretur. Videte, fratres, profunditatem myſterii, videte altitudinem ſacramenti: ubi mors reddidit vitam, & peccantium ſordes ſanguine ſunt innocentia ablutæ. Hæc autem remiſſio non te ad peccatum nutrit, ſed admonet ut peccare jam metuas, qui te intelligis ſine venia non potuiſſe ſalvari. Bonitas enim Dei indulgentiæ ſuæ munere nos non armat ad culpam, ſed abluit ad gloriam. *Carnis reſurrectionem.* Hic religionis noſtræ finis: hæc ſumma credendi eſt. Et vera quia credens Deo poſſit de reſurrectione dubitare, cum manifeſtum ſit hanc ſolam Chriſto cauſam fuiſſe naſcendi? Quæ enim alia ratio, quæve utilitas erat, ut perpetuus carnem dignaretur aſſumere, niſi ut carnem perpetuitate donaret? Quæ gloria eſſet Dei Filium crucem non refugere, mortem expetere, perpeti ſepulturam, niſi vitam mortalibus præſtita reſurrectione conferret? Poſſe autem hoc fieri facit divinitas fidem, cui totum quod vult poſſe ſubſiſtit. Denique ut indubitata reſurgendi exempla capiamus, ipſe hic mundus amiſſa receptaque decoria ſui ſpecie & occidit & reſurgit. Documentum nimirum futuræ reſurrectionis accipimus cum commendata ſulcis frumenta in ſtipulam ſuam redeunt: & renovatis frondibus ſpoliata gelu nemora revireſcunt: cuncta etiam quæ terra producit, aut ſemine aut radice multiplicata redduntur. Quæ autem duritia cordis eſt non credere reformari hominem, cum omnia quæ facta ſunt reparentur? Hoc eſt, chariſſimi, ſymbolum, cujus ſignaculo ſicut in primordio dictum eſt, fideles ab infidelibus ſecernuntur. Hoc eſt ſymbolum, cujus veritas unumquemque credentem efficit Chriſtianum. Hoc eſt ſymbolum quod & viventes ſanctificat, & mortuos reducit ad vitam.

De non timendis hoſtibus carnalibus, & de gratiis poſt cibum agendis,
Homilia prima.

FRequenter admonui vos, fratres, ut dum licet, dum tempus in ſpatio eſt, ſaluti veſtræ omnibus modis conſuleretis, & in hac vita brevi, vitam vobis provideretis æternam. Sapiens enim quiſque intelligit quod hæc vita hominum non ad quietem data ſit, ſed ad laborem, hoc eſt, ut hic laboret, & impoſterum requieſcat, hic autem requies nulla eſt. Tantis enim malis hæc vita repleta eſt, ut comparatione ejus mors remedio putetur eſſe, non pœna. Nam ideo brevem illam Deus fecit, ut moleſtiæ ejus, quia proſperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. Denique ſanctus Job dicit: *Piraterium eſt vita hominis ſupra terram.* Job 7.

Sive quod homines in hac vita omnia experiantur mala. Piraterium enim Latine experimentum dici Piraterium

poteſt. Seu certe Piraterium, quod in hac vita circa homines diabolus renquam pirata deſæviat. Piraterium enim habitaculum piratarum eſt. Tandiu ergo in piraterio ſumus, quandiu in hac carne poſiti, prædonum ſpiritualium tentationibus ſubjacemus, quamvia in hac ipſa vita etiam carnali nobis, qui ſunt barbari piratæ, non deſunt, minus tamen eos timeo, qui etſi auferunt patrimonia, non poſſunt auferre juſtitiam: ſi aurum tollunt, Chriſtum tollere certe non poſſunt: ſi diripiunt argentum, non poſſunt diripere Salvatorem. Quis igitur non feſtinat habere ſibi Chriſtum, quem non poſſit ab eo nec prædo diripere, nec hoſtis auferre, nec captivitas ſeparare? Qui enim habet Chriſtum, hominem non veretur inimicum. Quid enim facturus eſt ſapienti? Pecota ejua abducet? hoc etiam morbi lues facere conſuevit. Armenta diripit? Iſtud damnum abactores tolerando jam didicit. Ipſum fortaſſis, non illi admovet tædia, ſed removet: hoc enim illi intulit, quod majore cum moleſtia febris afferret, præſertim cum dicat Dominus: *Nolite timere* Matth. 10.

eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Illi igitur ſpirituales plus metuendi piratæ ſunt, qui non ſolum corpora hominum, ſed

Piratæ ſpirituales plus metuendi.

& ani-

Digitized by Google

& animas ſpoliare conſueverunt, qui non tam aurum mundi quam aurum fidei auferre nituntur, qui non tam ſæculi ſubſtantiam, quam Chriſti ſapientiam deprædantur. Nam ipſi nobis ſpirituales hoſtes hos carnales immittunt, ut probemur in tribulatione poſiti, quam ſimus confidentes in Deo, qui de ſolo ipſo remedium poſtulemus. Sunt enim quidam, qui in tribulatione poſiti dicant, malis artibus hoſtes vincere iiſdem eos artibus debere ſuperari, deſperantes de Deo, a dæmonibus victoriam flagitantes, miſeri homines neſciunt quid faciant, quid loquantur. Dum enim rebus ſuis metuunt, obliti ſunt religionis ac fidei, qui res quidem ſuas forte non perdant, ſed quod eſt amplius, ſuas animas perdiderunt. Dicit ſanctus
Job 2. Job: *Si bona accepimus de manu Domini, quare non mala tolerabimus?* hoc eſt, ſi bonis ſupervenientibus jucundamur, quare non & adverſis accidentibus confortemur? Adverſa tolerare ſapienti virtutis exercitium, inſipienti prævaricationis eſt occaſio. Dixi ergo frequenter, ut in hac vita brevi vitam vobis provideatis æternam, quod doleo cur hoc facere contemnatis. Cum enim jejunandum dicimus, præter paucos nemo jejunat: cum eleemoſynæ faciendæ, major avaritia vos conſtringit. Orare autem & gratias Deo agere quid ſit, pleroſque de vobis etiam arbitror ignorare, qui ſurgentes primo diluculo non niſi de prandio cogitent; cum pranderint, ſomno ſe tradant, nunquam divinitati gratias referentes, quæ illis & prandium ad refectionem & ſomnum dederit ad quietem. Utique tu, Chriſtiane, ſi es utilis meminiſſe debes cujus panem comedis, & ei laudem dicere. Dic mihi, num ſi aliquid de tuo cuicumque largiris, non expectas ut tibi gratias agat, ut benedicat demum de quo ei humanitas ſit tributa? qui ſi forte gratias non agit, quemadmodum a te denotatur ingratus? Ita ergo & a nobis expectat qui nos paſcit Deus, ut pro præſtitis ab eo eſcis illi gratias referamus, & ſaturati donis ipſius
Beneficiorum retributio reddenda. laudes dicamus. Hæc enim beneficiorum eſt retributio divinorum, ut cum refecti fuerimus, bene nos confiteamur acceptos. Cæterum ſi accipientes divina munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum ſubminiſtratione fraudabimur: ut Deum quem beneficiis non cognovimus, malis ingruentibus requiramus, & adverſis ſtimulemur ad rogandum, qui proſperis gratias non egimus ad fruendum. Sicut nunc contingit, ut qui in pace pigri fuimus ad laudes referendas, modo in tribulatione trepidi exiſtimus ad pericula deploranda.

Homilia ſecunda ejuſdem, unde ſupra.

SAtis abundeque dixiſſe me credo ſuperiore Dominica ad correptionem eorum, qui divinis muneribus perfruentes gratias non referunt creatori, & utentes beneficiis cœleſtibus, tanquam ingrati & indigni beneficiorum non remunerantur auctorem. Ingrati, inquam, qui Deum nec quaſi ſervi metuunt Dominum, nec quaſi filii honorificant ut parentem. Dicit per Prophetam Deus: *Si*
Malach. 1. *Dominus ſum, ubi timor meus; ſi Pater, ubi amor meus?* Hoc eſt, ſi ſervus es, redde Domino timoris obſequium: ſi filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cum gratias non agis, Deum nec diligis, ne vereris: unde aut contumax ſervus, aut ſuperbus es filius. Qui eſt igitur utilis Chriſtianus, ſemper debet Patri ac Domino ſuo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare, ſicut ait beatus Apoſtolus dicens: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10. Videte quale viri Chriſtiani Apoſtolus voluit eſſe convivium, ut magis fides Chriſti, quam prandii ſagina comedatur, & plus reficiat hominem dominici nominis frequens invocatio quam epularum multiplex & copioſa collatio, meliuſque paſcat eſurientem religio quam ſagina: *Omnia*, inquit, *in gloriam Dei facite.* Omnes ergo actus noſtros Chriſto vult ſocio vel teſte compleri, hac ſcilicet ratione, ut bona ipſo authore faciamus, mala propter ipſius contubernium declinemus. Erubeſcit Ibidem. enim mala facere, qui ſcit Chriſtum ſe habere participem: Chriſtus autem in bonis adjutor eſt, in malis noſter eſt conſervator. Ergo cum diluculo

Chriſtus in bonis adjutor: in malis conſervator eſt

ſurgimus, debemus priuſquam procedamus e cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus ſæculi, actus habere pietatis, qui nos quieſcentes, & dormientes in lectulis cuſtodivit. Quis enim niſi Deus dormientem cuſtodivit hominem? ita reſolutus in ſomnum, & oblitus ſui vigoris humani a ſe alienus efficitur, ut neſciat quid ipſe ſit, ubinam demoretur, adeſſe ſibi certe ipſe non poſſit. Neceſſarius igitur Deus adeſt dormientibus, quia dormientes ſibi adeſſe non poſſunt, & a nocturnis inſidiis genus hominum ipſe cuſtodit, quia id temporis ad cuſtodiendum alter nemo pervigilat: debeo ergo illi gratiam, qui ut ego ſecurus dormiam, ille pervigilat. Ipſe enim nos Deus ituros cubitum quodam gremio quietis ſuſcipit, & theſauro pacis recondito ſervat, & caliginum quadam tuitione, in lucem defendit, ut malitia inimicorum hominum repellatur tenebris, quæ non poteſt benignitate depelli, & pacem feſſis præſtet obſcuritas quam non præſtabat humanitas. Dum enim neſcit homo, ubi ſuum adverſarium perſequatur, pacem quam volens præſtare noluit, præſtat invitus. Debemus ergo ſurgentes gratias Chriſto agere, & omne diei opus inſigne facere Salvatoris. Nonne cum adhuc gentilis eſſes, ſolebas ſigna perquirere, quæ ſigna quibus rebus eſſent proſpera, magna inquiſitione colligere? Jam nunc nolo erres in numero, ſcito quia in uno ſigno Chriſti omnium rerum eſt tuta proſperitas. Qui in hoc ſigno ſeminare cœperit, vitæ fructum conſequetur æternæ. Qui in hoc ſigno iter facere aggreditur, ad cœlum uſque perveniet. In hoc igitur nomine omnes actus noſtri dirigendi ſunt, & ad ipſum toties vitæ noſtræ commotio referenda, quia ſicut ait Apoſtolus: Act. 17. *In ipſo vivimus & movemur & ſumus.* Sed & cum veſper diem claudit, ipſi debemus per pſalterium laudem dicere, & gloriam ejus modula ſuavitate concinere, quo operum noſtrorum conſummato certamine, veluti victores requiem mereamur, & laboris quædam palma ſit ſoporis oblivio. Hoc autem ut faciamus, fratres, non ſolum docemur ratione, ſed etiam admonemur exemplis. Nonne enim videmus minutiſſimas aves cum illuceſcentem diem aurora producit, in quibuſdam nidorum cubiculis varia dulcedine perſonare, & id ſtudioſe agere priuſquam procedant, ut Creatorem

Comparatio.

ſuum, quia loquela non poſſunt, ſuavitate demulceant, & quemadmodum unaquæque earum, quoniam confeſſione nequit, modulis prodat obſequium: ita ut videatur ſibi devotius gratias agere, quæ dulcius perſonavit, hoc etiam peracto diei curſu ſimiliter facere? Quid ergo ſibi vult iſta certis temporibus diſpoſita cantilena & jugis intentio, niſi gratiarum quædam ſit immoderata confeſſio? paſtori enim ſuo avis innoxia, quia ſermone non poteſt, ſuavita-

te blanditur. Habent enim & aves paſtorem ſuum, ſicut ait Dominus:

Matth. 6.

Reſpicite volatilia cœli, quoniam non nent, neque metunt, & Pater veſter qui eſt in cœlis, paſcit illa. At quibus tandem cibis paſcuntur aves? viliſſimis ſcilicet & terrenis. Aves ergo propter viles eſcas gratias agunt, tu pretioſiſſimis epulis paſceris, & ingratus es. Quis igitur non erubeſcat ſenſum hominis habens, ſine pſalmorum celebritate, diem claudere, cum ipſæ aves ad gratificandum pſalterii ſuavitate perſultent, & ejus gloriam non verſuum dulcedine perſonare, cujus laudem volucres modulata cantilena pronunciant? Imitare ergo, frater, minutiſſimas aves, mane, veſpere Creatori gratias referendo. Et ſi es devotior, imitare luſciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies ſola non ſufficit, nocturna ſpatia pervigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens operi tuo adde nocturna curricula, & inſomnem ſuſcepti laboris

Noctuæ proprietas.

induſtriam pſalterii ſerie conſolare. Et quia de his avibus mentionem feci, quæ noctibus vigilant, nolo te imitatorem eſſe noctuæ, quæ licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel cæca eſt, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit,

Hæreticorum figura.

ſplendorem Solis horreſcit. Mirum enim in modum illuminatur obſcuritate, luce cæcatur. Iſtud animal hæreticorum figura eſt atque gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Salvatoris horreſcunt, & grandibus diſputationum oculis cernentes vana, non reſpiciunt ſempiterna. De his ait

Pſalm 113.

Dominus: *Oculos habent & non videbunt:* In tenebris ambulant. Sunt enim acuti ad ſuperſtitioſa, hebetes ad divina, qui dum ſe putant ſubtilibus evolare ſermonibus, tanquam noctuæ veri luminis ſplendore turbantur.

Act. 4.

De avaritia, & de eo quod ſcriptum eſt: Eram eis omnia communia, *Homilia prima.*

LEgimus in libro qui Apoſtolorum actibus adſcribitur, tantam ſub memoratis viris devotionem plebis fuiſſe, ita populi Chriſtiani floruiſſe primitias, ut poſt acceptam fidem, nemo domum propriam ſibi defenderet: & nemo ſuum aliquid vendicaret, ſed jure fraternitatis eſſent illis cuncta communia, ſcilicet ut qui eodem conſortio religionis tenebantur, eodem conſortio fruerentur & vita: hoc eſt, ut quibus erat una fides, eſſet & una ſubſtantia: & quibus erat communis Chriſtus, communis eſſet & ſumptus. Nefas etenim putabant religioſi viri ſibi participem non aſciſcere in ſubſtantia, qui particeps

Duplex fraternitas.

eſſet in gratia. Atque ideo fraternitatis charitate omnibus communiter utebantur, niſi quod major eſt fraternitas Chriſti quam ſanguinis. Sanguinis enim fraternitas ſimilitudinem tantummodo corporis refert, Chriſti autem fraternitas unanimitatem cor-

Act. 4.

dis animæque demonſtrat, ſicut ſcriptum eſt: *Erat autem credentium cor atque anima una.* Vere ergo frater ille eſt, qui tam corpore quam unanimitate germanus eſt. Verus, inquam, eſt frater, cujus idem ſpiritus & voluntas in fratre eſt. Melior igitur eſt, (ſicut dixi) fraternitas Chriſti quam ſanguinis. Sanguinis fraternitas interdum ſibi inimica eſt, Chriſti autem fraternitas ſine intermiſſione pacifica eſt. Illa inter ſe communia cum æmulatione dividit; hæc etiam propria cum gratulatione communicat. Illa in conſortio deſpicit ſæpe germanum: hæc aſſumit frequenter alienum. Tanta ergo (ſicut dixi) illo tempore Chriſtianæ plebis devotio fuit, ut nemo domum ſuam diceret: nemo proprium aliquid vindicaret, ſicut ait ſanctus Lucas dicens:

Ibidem.

Et nemo quicquam ex eo quod poſſidebat, ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Nemo enim, inquam, erat cujuſquam egens inter ipſos. Beata igitur plebs, quæ dum plures in Chriſto habet divites, nullum in ſæculo habuit indigentem: & quæ dum æternas cogitat divitias, a fratribus temporalem repulit paupertatem. *Vendebant enim*

Ibidem.

(ſicut ait Scriptura) *prædia & domos ſuas: & pretia venditorum ante pedes Apoſtolorum ponebant, ut erogarent prout cuique opus eſſet.* Videte ſanctorum virorum fidem quemadmodum propter Chriſtum toto ſpoliabantur patrimonio, & nihil ſibi reliqui faciebant. Non enim verebantur ne eſurirent ipſi, dum timebant ne alius eſuriret. Hæc igitur ſub Apoſtolis fuit in plebe devotio: modo quid ſimile reperimus? Et certe idem Chriſtus in nobis, ſed non idem eſt in nobis animus. Eadem in plebe fides, ſed non in plebe eſt ipſa largitio. Ita alter de alterius inopia non cogitat, ut illud ſit quod ait Apoſtolus:

1. Cor. 11.

Alius quidem eſurit, alius ebrius eſt? Nam plerique Chriſtiani non ſolum propria non diſtribuunt, ſed etiam diripiunt aliena: Non ſolum, inquam, colligentes pecunias ſuas ad pedes Apoſtolorum non deferunt, ſed etiam confugientes fratres ſuos protrahunt a pedibus ſacerdotum. Nunc eſt illud tempus quod deſcribit beatus Apoſtolus dicens:

Matth. 24.

In noviſſimis diebus abundabit iniquitas multorum, & refrigeſcet charitas. Modo enim abundat avaritiæ iniquitas, quæ ante largitatis bonitate ceſſabat: & refrigeſcit fraternitatis charitas, quæ prius Chriſti amore fervebat. Tanta enim ſub Apoſtolis fraternitatis dilectio fuit, ut tunc in conventu ſuo non adverterit indigentia. Tanta autem modo Chriſtianitatis diſſimulatio eſt, ut in cœtu noſtro vix invenias locupletem. Locupletem autem vix inveniri dico, non tam facultatibus quam operibus. Ait enim Apoſtolus:

1. Tim. 6.

Divites ſint in operibus bonis: Locupletem enim illum in Eccleſia intelligi voluit, qui dives eſt in Chriſto. Nam & ibi quod ait ſub Apoſtolis neminem indigentem fuiſſe, oſtendit utique tanta eos gratia fidei fuiſſe præditos, ut omnes cœleſtium divitiarum abundaverint largitate. Raro igitur hoc tempore invenimus in Chriſtiano populo locupletem, etſi plerique in domibus auro ſint divites, tamen in Eccleſiaſtica juſtitia ſunt mendici. Dum enim circa pauperes non pro eo quod prævalent operantur; nec eſt hoc gratum quod offerunt, nec illud eſt ſatiabile quod reſervant. Dicit Dominus ad Cain, cum offerret munera:

Gen. 3.

Si autem recte offeras, recte autem non dividas, peccaſti. Sic & tu, Chriſtiane, non recte dividis, qui de tanto auro tuo majorem partem mammonæ reſervas, quam Domino largiaris. Sic namque Ananias in actibus Apoſtolorum dum putat ſe recte offerre, & non recte dividit, pecuniam quam obtulit, perdidit: & quam domi reſervavit, amiſit. Pecuniam, inquam, pariter perdidit & ſalutem.

Duplici pœna Ananias plectitur.

Dum enim ex eo quod promiſerat partem ſubtrahit, ſacrilegii ſimul & fraudis condemnatur; ſacrilegii quod Deum in pollicitatione fefellit, fraudis quod de integris muneribus portionem quandam putaverit ſubtrahendam. Ait enim Apoſtolus Petrus:

Act. 5.

Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Si ergo, fratres, Ananias condemnatur, cum non totum dederit quod de ſuo ipſe promiſerat, quid cenſemus de eo

qui

Digitized by Google

qui non vult reddere quod alius repromiſit? Videte ergo & vos, fratres, quid promiſeritis Deo cum primum gratiam fidei percepiſtis. Ecce abundant in civitate noſtra hoſpites ſive peregrini, facite quod polliciti eſtis, ne dicatur & vobis quod Ananiæ dictum eſt: *Non mentiti eſtis hominibus, ſed Deo.*

Ibidem.

Homilia ſecunda unde ſupra.

RETinet dilectio veſtra, fratres, ante aliquot dies eum plebis ejus, quæ ſub beatiſſimis Apoſtolis fuit, unanimitatem largitatemq; prædicaremus, uſque ad Ananiæ nos avaritiam perveniſſe, qui illo tempore in totius generis puriſſima vita tanquam ovis morbida ſolus inventus eſt. Tanta enim infectus erat avaritiæ peſtilentia, ut ſanctus eum Petrus non tam emendare voluerit quam damnare. Legerat enim: *Ejice de concilio peſtilentem; & exibit cum eo omnis contentio.* Solus ergo in cœtu ſancto peſtilens fuit, qui, cunctis contemptu pecuniæ lucrum vitæ requirentibus, ipſe tantum lucrum magis pecuniæ mercatus eſt, quam ſalutis: & dum pretii ſperat compendium, animæ reperit detrimentum. Ab Apoſtolis igitur Ananias avarus inventus eſt: jam noſtra excuſatur humilitas. Minus enim mirandum eſt abundare ſub nobis hoc vitium, cum ſub Apoſtolis cœperit pullulare: & ſi illorum authoritas hæc in Anania emendare non potuit, nobis quid imputabitur, ſi eadem in pleriſque fratribus corrigere non valeamus? In Anania enim Petrus avaritiam ſi potuiſſet corrigere, non puniſſet; ſed dum illum punit, alios corrigit. Voluit enim ut pœna ad unum, metus autem ad plurimos perveniret. Exemplum ergo avaris omnibus in Anania propoſitum eſt, ut qui ejuſdem criminis reus fuerit, ejuſdem ſupplicii in judicii die ſententia feriatur. Grande igitur malum eſt avaritia; imo malorum omnium eſt origo, ſicut ait Apoſtolus: *Radix autem omnium malorum eſt cupiditas, quam quidem appetentes erraverunt a fide.* Vides ergo quia qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit. Avaritia enim cæcitas eſt: errorem religioni inducit. Cæca, inquam, eſt avaritia, ſed diverſis fraudum oculata ingeniis non videt quæ divinitatis ſunt, ſed cogitat quæ cupiditatis ſunt. Semper quamvis dives ſit, cogitat unde, vel ex malo acquirere: totam in vitam negotium putat compendiorum, etiam omnia ſupprimens inanis præſtationis ſuæ fœnus imponit. Erubeſcit uſuræ nomen, & lucrum non erubeſcit uſuræ. Semper ergo avarus alieno utitur, alieno ſe paſcit damno: eſt illi præda egeſtas alterius: eſt illi lætitia fletus alienus, ſicut nuper factum vidimus. Quot amiſſa deplorant, ſuper quæ invaſa plerique gratulantur? Ecce ſenex pater captum deflet filium: & tu jam ſuper eum velut ſervulum gloriaris? Innocens ruſticus perditum ingemiſcit jumentum, & tu eo rus tuum excolere diſponis, & fructus te putas poſſe capere ex gemitibus alienis? Ecce religioſa vidua tota ſupellectile diſpoliatam domum ſuam dolet: & tu eadem ſupellectili domum tuam ornatam eſſe lætaris? Dic mihi, o Chriſtiane, non compungeris, non conſtringeris, cum vides in hoſpitio tuo lacrymas alienas? Dicit Scriptura ſancta ad filios Iſrael: *A beſtia captum ne tetigeris:* pollutum enim & contaminatum eſt quicquid fera cruenta contigerit. Et per hoc deterior beſtia eſt, quiſquis ſumit quod beſtia ſuperavit. Dic igitur mihi tu, Chriſtiane, cur prædam relictam a prædonibus præſumpſiſti? Cur laceratum & contaminatum, ſicut eſſe putas, tuis ædibus importaſti? Cur quod hoſtilis ſuperavit beſtia, tu ſævior beſtia devoraſti? Ajunt plerique lupos leonum ſubſequi ſolere veſtigia, & non longe ab eorum venatibus aberrare, ut ſcilicet rabiem ſuam rapina ſatient aliena: & quod leonum ſatutitati remanet, id luporum rapacitate conſumatur. Sic iſti avaritiæ lupi prædonum veſtigia ſubſecuti ſunt, ut quod illorum rapacitati ſuperaverit, horum cederet feritati. Sed forſitan emiſſe te dicis, & ideo avaritiæ crimen evadis. Non ita ſolet conſtare emptio atque venditio. Bonum eſt emere, ſed in pace, quod propria voluntate venditur, non in deprædatione. Reſpice contractus originem, venditionis auctorem, pretii quantitatem: & intelligis prædæ magis, non venditionis emptorem. Unde enim barbaro auri gemmarumque monilia? Unde pellito-ſerica veſtimenta? Unde rogo Romana mancipia ſumis? Scimus ea comprovincialium noſtrorum eſſe vel civium. Facit ergo ut Chriſtianus & civis, qui ideo emit ut reddat.

Prov. 22.

Exemplum avari in Anania propoſitum.

1. Tim. 6.

Avaritia cæca.

Exod. 22.

Luporum natura.

Homilia prima de Eleemoſynis.

DIcit Scriptura divina: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.* Magna plane & cunctis ambienda ſententia, quæ hominibus pene jam mortuis & peccatorum ſuorum incendio areſactis, redivivum quoddam beneficium pollicetur, ut interveniente eleemoſyna, ſicut aqua intermortuis, ſuccus refrigerium areſcentibus infundatur, hoc eſt, ut miſeri homines qui in mortem peccatis aruerant, ad vitam eleemoſynis reviviſcant: ſitque illis miſericordia fons ſaluus quibus avaritia fuerat mortis incendium; ut flammas quas ſibi peccando incenderant, largiendo reſtinguant; atque utiliore commercio qui pecuniam quondam dederat, ut adulterium perpetraret, nunc pecuniam eroget, ut adulter eſſe jam deſinat: & emat ſibi quodammodo innocentiam, qui ſibi emerat aliquando peccatum. Dicit enim Dominus ad diſcipulos ſuos: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quamvis ergo pollutus, quamvis multis criminibus circumſeptus, ſi eleemoſynas feceris, innocens eſſe cœpiſti. Abſtergit enim eleemoſyna quod avaritia polluebat: & maculam quam res alienas diripiendo contraxeras, tuas erogando purificas. Vide ergo quæ ſit miſericordiæ gratia, quæ una & ſola virtus cunctorum eſt redemptio peccatorum. Videamus namque interpretationem ipſius divinæ ſententiæ, ut intelligamus, cui rei eleemoſyna comparetur. Ait enim: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit delictum.* Aqua ergo miſericordiæ comparatur, ſed aquam invenio de fonte procedere, neceſſe mihi eſt miſericordiæ fontem quærere. Invenio plane fontem miſericordiæ, fons de quo dicit Propheta: *Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Ipſe, inquam, eſt fons qui in Evangelio a Samaritana muliere, ſicut lectum nuper audivimus, aquam poſtulat, ſed peccata condonat, aquam putei reprobat, ſed fontem vitæ perennis indulget. Ait enim: *Omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum: Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo illi, non ſitiet in æternum.* Aquam ergo Salvator a muliere poſtulat, & ſitire ſe ſimulat, ut ſitientibus æternam gratiam largiatur. Neque enim poterat fons ſitire: neque in quo eſt aqua viva, poterat undam terrenæ fæcis haurire. Sitiebat ergo Chriſtus? Sitiebat, plane non potum hominum, ſed ſalutem ſitiebat: non aquam mundi, ſed redemptionem generis humani. Mirum igitur in modum

Eccleſ. 3.

Luc. 11.

Eleemoſyna a peccatis liberat.

Eccleſ. 3.

Pſalm. 35

Joan. 4.

Sitit Chriſtus non potum, ſed ſalutem.

fons ſuper puteum ſedens miſericordiæ ibidem fluenta producit: & mulierem cum ſexto jam non viro, ſed adultero fornicantem, vivi meatus undæ purificat, novoque admirationis genere mulier, quæ ad puteum Samariæ meretrix advenerat, a Chriſti fonte caſta regreditur, & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportavit. Statim enim indicante Domino, ſua peccata recognoſcens, confitetur Chriſtum, annunciat Salvatorem: & relinquens aquæ vaſculum, ad civitatem non fert hydriam, ſed refert gratiam. Vacua quidem videtur reverti onere, ſed plena revertitur ſanctitate. Plena, inquam, redit: quia quæ peccatrix advenerat, revertitur prædicatrix. Et quæ hydriæ vaſculum amiſerat, Chriſti plenitudinem reportabat, in nullo civitati ſuæ inferens detrimentum. Etenim ſi aquam civibus non intulit, tamen fontem ſalutis invexit. Sanctificata ergo per fidem Chriſti mulier domum redit. De hac igitur dixiſſe
Prov. 30. Prophetam puto: Ejuſmodi eſt iniqua via mulieris meretricis, quæ cum ſe abluerit, nihil ſe dixit feciſſe pravum. De hac plane dictum eſt, quæ poſteaquam eſt fonte abluta Salvatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis aſſumit: & viva aqua abſtergens maculas ſuas, ad evangelizandum non conſcientia peccati retrahitur, ſed fidei calore compellitur. Nihil enim ſe dicit feciſſe pravitatis, dum fit nuncia veritatis, & oblivione abnegat impudicitiam, dum devotione prædicat caſtitatem. Hæc enim virtus Chriſti & Domini, ut quamvis peccator qui ejus unda ſe laverit, denuo in virginem reparatus non meminerit ante quod fecerit, & rediviva nativitate infantiæ innocentiam præferat, juventutis ſcelera non agnoſcat: ſitque Virgo fide Chriſti, qui fuerat adulter corruptione peccati.

Homilia ſecunda, unde ſupra.

Retinet veſtra dilectio ante dies aliquot cum ſermonem ad vos de eleemoſynis faceremus, primitus nos originem miſericordiarum quærere voluiſſe: & reperto earum fonte virtutum, oſtendiſſe quod mulieris Samaritanæ ſordes melius Chriſti unda diluerit quam Samariæ aqua purgarit: & quod mundius miſericordia deterſerit peccata quam puteus. Mundius plane miſericordia quam puteus detergit maculas: quia putei aqua tantum corporis
Joan. 4. cutem abluit: miſericordiæ autem bonitas animæ interna purificat. Hoc etiam demonſtraſſe quod huic Evangelicæ mulieri illa Prophetica meretrix conveniret, quæ poſteaquam viva aqua ſe lavit, oblivione poſſeſſa pravitatis, nitori puritatis exultat. Neque enim de meretrice hujus mundi talem
Prov. 30. ſententiam Propheta diceret, cujus pollutio non ſolum aqua non diluitur, ſed etiam polluit ipſa
1. Cor. 6. quod tangit, dicente Apoſtolo: *Qui autem ſe jungit meretrici, unum corpus eſt*. Quod ſi unum corpus tactu ſuo efficit, & in cohærentem ſibi ignominiæ ſuæ membra transfundit, quomodo po-
Mulier meretrix Eccleſia eſt de gentibus congregata teſt purificari ipſa cum polluat? Quæ ergo ſit iſta meretrix: quæ iſta Samaritana mulier, cujus adulterii ſordes fons Chriſti deterſerit, ſollicitius requiramus. Ego hanc mulierem Eccleſiam eſſe puto de gentibus congregatam, quæ & tranſactis annis quinque millibus, cum in ſexto milleſimo anno idolorum fornicationibus ſubjaceret, omnem ignominiam ſuam, adveniente Chriſti fonte, purgavit: & maculas quas adulterinis ſacrilegiis contraxerat, fide Salvatoris abſterſit, ac relinquens ſicut inanem hydriam priorem patrium curſum, univerſo orbi Domini annunciavit adventum. Hæc inquam illa eſt meretrix, quæ poſteaquam lota eſt, nihil ſe dicit feciſſe pravum. Poſteaquam enim Eccleſia baptiſmi nitore purgata eſt, diabolicæ impietatis non meminit: religione veritatis exultat: factaque de meretrice Virgo non recordatur priorum: ſed gloriatur in integritate. Ait ergo Propheta: *Sicut* Eccleſ. 3.
aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Sæpe quidem videmus hæc fieri, ut aqua effuſa flammarum reſtinguat incendia; ſed & e contrario interdum videmus, quod immenſi ignium globi aquarum fluenta conſumant, & veluti ab aquis accepta eſca vehementius redivivis ardoribus convaleſcat, ita ut videatur aqua non extinxiſſe incendia, ſed auxiſſe. Quænam eſt illa aqua quæ conſumit flammas, nec ipſa conſumitur a peccatoribus, ſed gehennæ conſumit incendia? Quæ dum per baptiſmum infunditur, & ipſa in hominibus, & tartari reſtinguit ardorem. Vivit plane in hominibus, ſicut
ait Dominus: *Aqua* autem, *quam ego dabo ei, fiet* Joan. 4.
in eo fons aquæ ſalientis, & reliqua. Mirum ergo in modum aquam Chriſtus una eademque operatione, & vivificat & extinguit. Vivificat enim animas, de- Baptiſmi ſacramentum.
licta reſtinguit: has lavacri ſui refrigerio reparat, illa gurgitis ſui unda conſumit. En ergo ad majorem baptiſmatis pertinet gratiam, apud ſuperos myſterium celebratur, & apud inferos gehenna reſtinguitur: hic fluunt aquæ, & illic tepeſcit incendium; hic in fonte homo mergitur, & illic de tartaro liberatur. Sed nec mirum ſi in baptiſmi ſacramento aperiatur infernum, cum tunc quoque reſeretur & cœlum. Aperiuntur enim hæc alimenta, ut ad lavacrum Chriſti conveniat libertas & gratia. Libertas enim reſurrecturis tribuitur, gratia regnaturis. Illi eruuntur de pœna: hi aſſumuntur in gloria. Illi qui erant ſervi peccati, liberi fiunt juſtitiæ: hi qui anguſtiis ſæculi tenebantur, paradiſi amœna percipiunt. In baptiſmo ergo Chriſti aperiuntur cœli, aperiuntur & tartara. Inde ut Spiritus ſanctus adveniat: illuc ut miſericordia Salvatoris accedat, deferatur de cœlo vita, mors a tartaro deſtruatur. Ita igitur eleemoſyna extinguit peccata, ſicut aqua baptiſmi gehennæ ex-
tinguit incendium. Ergo eleemoſyna quodammodo Eleemoſyna animarum eſt lavacrum.
animarum aliud eſt lavacrum, ut ſi quis forte poſt baptiſmum humana fragilitate deliquerit, ſuperſit ut ei iterum eleemoſynis emundetur, ſicut ait Dominus: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*; niſi, quod ſalva fide dixerim, indulgentior eſt eleemoſyna quam lavacrum. Lavacrum enim ſemel datur, & ſemel veniam pollicetur, eleemoſynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Hi ergo duo miſericordiarum fontes ſunt, qui & vitam tribuunt, & peccata condonant. Qui utrumque cuſtodierit, regni cæleſtis honore ditabitur, qui autem maculatus, fonte vivo emergente, ad miſericordiæ ſe fluenta contulerit, & ipſe miſericordiam conſequetur.

De Hoſpitalitate, Homilia.

Advertit Sanctitas veſtra, fratres, per Evangelicam lectionem, quemadmodum Dominus diſcipulis ſuis inter cæteras exequendas virtutes etiam hoſpitalitatis jura præſcripſerit. Ait enim: *In quamcumque civitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus eſt: & ibi manete donec exeatis*, & reliqua. Sancta plane & divina ſententia, quæ & diſcipulis eligendi optionem primitus detulit, & facilitatem penitus amputavit. Providit enim mo- Matth. 10.
dum ſtatuendo, ne vir ſanctus aut citus eſſet in judicando, aut levis in hoſpite commutando. Sicut enim nobis permiſit arbitrium ita & voluit nos tenere con-

conſtantiam. Quam enim reprehenſibile eſt, ut vir qui Evangelium annuntiat, & docet errandum non eſſe, ipſe per diverſos incipiat oberrare: & domum cui pacem dixerat deſerere, hoſpitem cui benedictionem intulerat contriſtare?

Magna hoſpitalitatis gratia.

Magna enim hoſpitalitatis eſt gratia, nec facile violanda: omnibus aperta eſt, omnibus parata eſt, & Sanctos libenter ſuſcipit, & peccatores tolerat patienter. Sed repetamus ſanctam ipſam divinamque ſententiam. Si enim in litera placet, & in myſterio forſitan plus placebit. Ait

Ibidem.

igitur ut cum intramus in civitatem, interrogemus quis in ea vel hoſpes dignus, vel idonea domus ſit, & ibi maneamus donec dies perfectionis adveniat. Quæ ſententia altiorem nobis tribuit intellectum: Non enim mihi videtur de hujus ſæculi hoſpite vel domo juſſiſſe, nec tam diligenter inquirere, ſed de illo magis qui nos uſque ad diem exitus noſtri poſſit inoffenſos hoſpites, illæſoſque ſervare. Nam hujus ſæculi hoſpitem cito lædimus, cito offendimus: interdum ei & poſt triduum diſplicemus. Fidelis igitur domus & hoſpes dignus inquiri juſſus eſt. Quæ domus fidelior Eccleſia? Qui hoſpes dignior Salvatore? Iſte peregrinos ut filios ſuſcipit: illa ſuſceptos refovet ut infantes. Iſte hoſpitibus ſicut experti ſumus pedes lavare geſtit: illa menſam parare feſtinat. Quos enim Salvator viva aqua refrigerat, hos reficit cœleſtibus cibis Eccleſia. Hunc igitur hoſpitem Evangeliſta inquiri juſſit: & uſque ad diem exitus noſtri cum hoc habitare præcepit, ne aliqua levitate medio tempore alioſum forſitan emigremus, hoc eſt, qui ſemel in Chriſtum credidimus, non iterum velut tranſgreſſores ad idola recurramus.

Matth. 6.

Scriptum eſt enim: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire: dum enim uni placere geſtit, alterum ſentit iratum*. Chriſtum igitur hoſpitem deſerere non debemus: quemadmodum & Petrus Apoſtolus cum ſuis ſimilibus, deſerentibus aliis, Dominum non reliquit. Sed dicamus quod ille ad Salvatorem

Joan. 6.

dixit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ tu habes, & nos credimus*. Ecce executor cœleſtium præceptorum, qui quoniam Chriſti non mutavit hoſpitium, meruit cum Chriſto regni cœleſtis habere conſortium.

De defectu lunæ, Homilia.

ET ipſi videtis, fratres, quod mea non ceſſat humilitas omni circa vos ſollicitudine laborare, & ad frugem bonam vos tota feſtinatione convertere: ſed quanto plus laboro vobiſcum, tanto amplius

Increpatio.

confundor in vobis. Cum enim video tot commonitionibus meis nullum vos habere profectum, labor meus jam non gratulationi eſt, ſed rubori. Dicit

1. Cor. 9.

beatus Apoſtolus: *Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non percipit?* Ecce ergo paſco gregem Chriſti, & gregis fructum extorquere non valeo: paſco gregem Domini, & nulla ex eo religioſitatis alimenta percipio. Nulla enim me fidei ejus dulcedo lætificat, ſed quicquid ex eo profluit, aſperum & amarum eſt. Tunc enim paſtor Chriſtiani gregis lacte reficitur, quando bonorum operum ejus candore lætatur. Quis enim, fratres, in vobis non graviter ferat (non tamen de omnibus dico; ſunt enim inter vos quos ad religionis cultum debeatis habere exemplo.) Quis, inquam, non moleſte ferat, ſic vos eſſe veſtræ ſalutis immemores, ut etiam cœlo teſte peccetis? Nam cum ante dies pleroſque de veſtræ avaritiæ cupiditate pulſaverim, ipſa die circa veſperum tanta vociferatio populi extitit, ut irreligioſitas ejus penetraret ad cœlum. Quod cum requirerem quid ſibi clamor hic velit, dixerunt mihi quod laboranti lunæ veſtra vociferatio ſubveniret, & defectum ejus ſuis clamoribus adjuvaret. Riſi equidem, & miratus ſum vanitatem, quod quaſi devoti Chriſtiani Deo ferebatis auxilium.

Ironia.

Clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elementum: tanquam infirmus enim & imbecillus, niſi veſtris adjuvaretur vocibus, non poſſet luminaria defendere quæ creavit. Bene igitur facitis qui divinitati exhibetis ſolatium, ut vobis juvantibus poſſit cœlum regere. Sed ſi vultis hoc plenius facere, cunctis & totis noctibus pervigilare debetis. Nam quoties putatis vobis dormientibus luna vim paſſa eſt, & tamen de cœlo non corruit? Aut nunquid ſemper circa veſperum defectum patitur, non aliquando & circa lucem laborat? Sed apud vos veſpertinis tantum horis laborare conſuevit, quando majoribus poculis caput movetur. Tunc igitur apud vos laborat luna, quando laborat & vinum. Tunc, inquam, apud vos turbatur carminibus globus lunæ, quando calicibus turbantur & oculi. Quomodo igitur ebrius videre potes circa lunam quid agatur in cœlo, qui circa te non vides quid agatur in terra? Hoc eſt plane quod ait Salomon, dicens: *Stultus ſicut luna mutatur*.

Eccleſ. 27. Stultus ut luna mutatur.

Mutaris enim ſicut luna: dum ſtultus & inſipiens ad motum ejus, qui Chriſtianus fueras, incipis eſſe ſacrilegus. Sacrilegium enim Creatori committitur, dum imbecillitas adſcribitur creaturæ. Mutaris ergo ſicut luna, ut qui paulo ante fidei devotione fulgebas, poſtea perfidiæ infirmitate deficias. Mutaris ſicut luna dum cerebrum tuum ita exinanitur ſapientia ſicut lunæ obſcuritas, te vero teterrimæ tenebræ mentis invadunt: atque utinam, o ſtulte! ſicut luna muteris: illa enim cito ad plenitudinem ſuam redit, tu ad ſapientiam nec ſero converteris. Illa velociter colligit quod amiſerat lumen, tu nec tarde fidem recipis quam negaſti. Gravior ergo tua quam lunæ mutatio eſt. *Luna defectum luminis patitur, tu ſalutis*.

Pſalm. 71. Sapiens cum ſole permanet.

Quam bene igitur ſcriptum eſt de Sapiente: *Et permanebit cum ſole*. Permanet enim ſapiens cum ſole, cum conſtantia fidei permanet cum Salvatore. Sed dicet aliquis: Luna igitur non laborat? Laborat plane, negare non poſſumus: ſed laborat cum cæteris creaturis, ſicut Appoſtolus dicit:

Rom. 8.

Quia omnis creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc. Et infra:

Ibidem.

Quoniam & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis: & reliqua, *liberabitur*, inquit, *a ſervitute*. Vides ergo quoniam luna non laborat carminibus, ſed laborat obſequiis: non laborat periculis; ſed laborat officiis: non laborat ut pereat; ſed laborat, ut ſerviat. Vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non ſponte mutatur: tu de ſenſu tuo ſponte mutaris. Illa in diminutionem, ſui conditione deducitur: tu in detrimentum tui voluntate pertraheris. Nolo igitur, frater, ita ſis ſicut luna cum deficit, ſed eſto ſicut quando eſt plena atque perfecta. Scriptum eſt enim de juſto:

Pſalm. 88.

Sicut luna perfecta in æternum: & teſtis in cœlo fidelis.

De eo quod ſcriptum eſt in Eſaia.
Caupones tui miſcent aquam vino.

Eſai. 1.

NOn incommodo ante dies paucos proſecuti ſumus functionem hanc ſacerdotalem vicem quandam negotii retinere: & quæſtum eſſe non modicum hoc clericatus officium. Eſt quæſtus plane non modicus, ubi lucrum non pecuniarum, ſed acquiritur animarum. Eſt magna negotiatio, ubi redemptio hominis conſtat, non annunciatione pretii,

ſed annunciatione præcepti. Præceptum enim Chriſti talentum quoddam eſt pretioſum, quo ſalus comparatur, quo vita redimitur: & magna eſt redemptio, cum & pretium datur, & pecunia non videtur. Talentum ergo magnum præceptum eſt Salvatoris, quod commodati vice apud idoneos proficere poteſt: apud negligentes non poteſt deperire. Aliis enim cum multiplici gratia reſtituitur: ab aliis cum pœnarum uſura depoſcitur. Chriſtus enim talentum quod commendat, neceſſe eſt ut requirat; & ſolventi gratiam referat, non ſolventem ſubdat injuriis. Subdit plane injuriis more mundi: ut debitor qui redhibitione ſubſtantiæ ſatisfacere non poteſt, ſatisfaciat vel corporis ultione. Hoc ergo talentum, fratres, nos prædicatione noſtra veſtris pectoribus commendamus: ut lucrum aliquod ſalutis veſtræ Domino daſignemus. Rationem daturi ſumus qualiter aut prædicatio noſtra proficiat, aut obedientia veſtra fructificet. Nonne enim ſine cauſa Evangelium annunciat: Appoſtolus clamat: ſacerdotes loquuntur? in cujuſcumque aures vox ſancta pervenerit, aut beatus erit devotione, aut reus de conteſtatione. Loquimur enim beatitudinem credentibus, conteſtamur judicium criminoſis. Mercimonium igitur eſt adminiſtratio ſacerdotum. Unde & Propheta dicit ad filios Iſrael: *Caupones veſtri miſcent aquam vino*. Non enim de iis cauponibus Eſaias ſanctus loquitur, qui publicis miniſteriis ſervientes meram vini ſpeciem fraudulenta aquæ colluvione permiſcent (nec enim hoc ad beatum virum more judicis ſæculi pertinere poterat, cum corruptis tabernarum vaſculis minus ebrioſo potu populus uteretur) ſed de illis utique cauponibus loquitur qui præſunt Eccleſiis, non tabernis: qui ſitientibus populis non concupiſcentiæ calicem porrigunt, ſed virtutis, non ebrietatis miniſtrant poculum, ſed poculum Salvatoris. Iſtos ergo caupones Propheta arguit & objurgat: quæritur eos vino aquæ ſpeciem permiſcere. Hoc increpat in eis, cum functionum divinarum eſſent præſules: ſectatores rerum facti ſunt humanarum, ſicut ipſe ait Propheta: *Sectamini unuſquiſque domum ſuam*. Quiſque enim Sacerdos, relicto pontificatus officio, mundi oblectationibus delectatur, hic aquam vino permiſcet: hoc eſt rebus ſanctis ac fervidis inſerit res viles & frigidas. Sed & ſic poſſumus accipere, quod iidem Judæorum Sacerdotes aquam vino miſcuerint: cum Dominum Salvatorem non ſicut Deum ſuſciperent, ſed ſicut hominem judicarent; & ſinceræ ac meræ ejus divinitati turbidum quiddam ac ſordidum inferre voluerint, dicentes ad eum: *Quia cum ſis homo; facis teipſum Deum*. Et iterum: *Nos ex proſtitutione non ſumus nati*. Dum enim ſe ab adulterio proſtitutionis excuſant, illum in divinitate nativitatis ſuæ adulterare nituntur. Sed adhuc diligentius videamus quid ſit quod ait: *Permiſcent aquam vino*. Legimus vinum in Eccleſia ſpecialiter abundare, ſicut in Evangelio dictum eſt: Vinum novum in utres novos eſſe condendum, hoc eſt in novos homines Neophytos Spiritus ſancti gratiam conferendam. Si igitur pretioſa & ſpiritualis viri gratia abundat in Eccleſia, aqua vilis & fœtida niſi in ſynagoga eſt referenda. Fœtida enim ſynagogæ aqua eſt, quæ baptiſmate ſuo peccata non diluit, ſed acquirit, quæ hominem non purificat proprio lavacro, ſed polluit. Denique ſicut in vini utribus Eccleſia honoratur, ita & cum aquæ utre ſynagoga projicitur: Nam illa Agar quæ typum ſynagogæ geſtabat, de qua ad Abraham dicitur: *Ejice ancillam & filium ejus*, utique cum ejiceretur, non cum vini, ſed cum utre aquæ de tabernaculis effugatur. Certe domus Abrahæ erat dives, locuples, abundans, attamen non vinum, non oleum, non panem accepit, quæ ſunt vitæ alimenta firmiſſima. Et recte vitæ ſynagoga alimenta non accepit, quia vitam, quæ eſt Chriſtus, ignorat, a qua ſola æger pertrahitur, languidus ſuſtentatur. Conveniens enim erat ut quæ viventis non merebatur alimoniam, nec ſolatium morientis acciperet. Arguuntur enim Sacerdotes Judæorum, cur Eccleſiaſtico vino pretioſo aquam ſynagogæ, abjectam jam & reprobatam voluerint permiſcere. Aqua enim in Eccleſia miſceri non ſolet, ſed mutari: ſicut Dominus invitatus ad nuptias, hydrias plenas aqua non vino miſcuit, ſed mutavit in vinum, ne quid enim in ſancto convivio vilitatis Judaicæ reſideret, maluit naturam vertere quam adulterare ſubſtantiam.

Talentum præceptum eſt Salvatoris.

Eſa. 1.

Caupones Eccleſiæ ſunt ſacerdotes.

Ag. 1.

Joan. 10.

Joan. 8.

Luc. 5.

Vinum in Eccleſia, aqua in ſynagoga.

Geneſ. 21.

Joan. 2.

F I N I S.

Digitized by Google

IN SEQUENTES HOMILIAS
SANCTI MAXIMI
EPISCOPI TAURINENSIS
PRÆFATIO.

I. A*Lteram hujuſce voluminis partem auſpicamur (quod fauſtum ſortunatumque ſit) ab homiliis quibuſdam ineditis Sancti Maximi Epiſcopi Taurinenſis : cujus tanta facundia, tantum ſtudium in rem Chriſtianam fuit, ut vulgatæ ejus homiliæ dignæ ſint meliori luce. Ita enim vero diſtractæ, & alienis coloribus infuſcatæ ſunt, ut quis ſit earum legitimus parens, etiam apud viros doctos dubitetur : dum hi alias Ambroſio, illi alias Auguſtino tribuunt. Neque tamen adeo difficilis eſt de iis conjectura, ut auctori ſuo (ſi modo quis diligentem operam adhibeat) tandem reſtitui non poſſint, maxime Gennadio duce, qui earum argumenta & titulos magna ex parte retulit. De omnibus illis homiliis, ſive quæ apud Ambroſium, ſive quæ apud Auguſtinum, ſeu quæ apud ipſum Maximum exſtant, accuratam afferre cenſuram, non eſt noſtri inſtituti. Hæc cura partim occupata eſt a ſodalibus noſtris, tum iis qui Auguſtini ſermones cum accurato delectu ab intruſis & ſuppoſiticiis jam repurgarunt, tum ab aliis item e noſtris, qui novam Ambroſii operum editionem adornant : nos tantum, quod e re noſtra erit, hoc loco exſequemur.*

II. *Maximi homilias pleraſque, ſi non omnes, invenimus in tribus codicibus perantiquis : quorum unus Mediolani habetur in bibliotheca Ambroſiana : alter Romæ in Monaſterio ſanctæ Crucis, quod* in Jeruſalem *appellatur : tertius in abbatia Sancti Galli apud Helvetios. Poſtremus hic codex, litteris majuſculis ab annis mille totus exaratus, continet homilias XCVII. ſub hoc titulo.* In Chriſti nomine incipiunt homiliæ S. Auguſtini Epiſcopi & conf. *præmiſſa capitulatione ſingularum homiliarum. Pleræque ex his homiliis vulgatæ ſunt inter opera Ambroſii, Auguſtini, & Maximi prædicti : ſed neque Ambroſium, neque Auguſtinum ; omnes vero, aut fere omnes Maximum habent auctorem. Viginti & una inter eas ineditæ ſunt : quas rogatu noſtro deſcripſit religioſus & doctus Hermannus Shenkius, Sancti Galli bibliothecæ præfectus.*

III. *Ambroſianus codex, haud minus antiquus, charactere Longobardico exaratus eſt, ſed initio mutilus. Erant in eo codice homiliæ ferme LXXX. non omnes eædem atque in codice Sancti Galli ; quædam cum titulo* ſancti Maximi Taurinatis Epiſcopi, *qui re vera earum eſt legitimus parens.*

IV. *In codice Romano ſanctæ Crucis, qui fuit olim Monaſterii Nonantulenſis, ante annum Chriſti octingenteſimum* acquiſitus ab Anſelmo Abbate, *continentur homiliæ LXXIII. ex quibus pleræque in Sancti Galli exemplari habentur. Inſcriptum erat in fronte codicis nomen auctoris : ſed, eo abraſo,* Sancti Ambroſii *nomen ſubſtitutum. Maxima pars tamen harum homiliarum ſunt Maximi : tametſi quædam aliæ Hieronymi & Auguſtini ſub eorum nomine inſertæ ſunt.*

V. *Ex his tribus codicibus, quantumvis antiquis, non eruitur certa & explorata notitia omnium Sancti Maximi homiliarum, ſiquidem Sancti-Gallenſis eas ſub Auguſtini falſo titulo adducit : ſanctæ Crucis codex, deleto veri auctoris nomine, Ambroſium præfert : unus Ambroſianus Maximo quaſdam aſſignat, ſed paucas, ut poſtea videbimus. Verum ex aliis indiciis, maxime ex Gennadio intelligimus, omnes, aut propemodum omnes, præſertim quæ in codice Sancti Galli exhibentur, Maximo eſſe tribuendas. Et quidem ita ſimul connexæ & colligatæ ſunt, ut ſi unarum auctor exploratus habeatur, de aliis conſequens futurum ſit judicium. Auctor quippe paſſim homiliæ præcedentis in ſubſequenti mentionem facit. Atqui pleræque Maximum uti legitimum parentem agnoſcunt, utpote quas Gennadius manifeſte deſignavit. Hoc in numero eas eſſe, quas nunc primum in lucem proferimus, ex ſubjectis obſervationibus quivis facile animadvertere poterit.*

VI. *Ma-*

P R Æ F A T I O.

VI. *Maximus, Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, teſtante Gennadio, homilias ſcripſit* de hoſtibus carnalibus non timendis. *Una eſt hoc titulo inter vulgatas Maximi homilias. Prima ex duodecim a nobis edenda ejuſdem eſt argumenti, refertúrque ad præcedentem his verbis*, Sæpe dixiſſe memini, quod hos tumultus bellicos minime timere debemus *&c. Ad idem argumentum revocanda eſt homilia, quæ inter Ambroſianas de Sanctis eſt* XXIV. *in codice Sancti Galli inſcripta de* tumultis bellicoſis. *Quinam fuerint illi Barbari, facile eſſet definire, ſi de Maximi ætate conſtaret. At incertum eſt mortis ejus tempus*. Moritur, *ſi Gennadio fides*, Honorio & Theodoſio juniore regnantibus, *id eſt ante annum Chriſti* CCCCXXIII. *quo Honorius deceſſit. Miræus pro* moritur *reponit* floruit. *At priorem lectionem præfert vetuſtiſſimus codex noſter Corbejenſis, litteris Francogallicis ſcriptus. Verumtamen Maximus Taurinenſis antiſtes anno* CCCCLIII. *ſynodicæ Euſebii Mediolanenſis ad Leonem M. epiſtolæ ſubſcripſit; immo anno* CCCCLXV. *Concilio Romano ſub Hilario Papa, & quidem primus ante omnes, etiam ante Archiepiſcopos Ebredunenſem & Mediolanenſem. Itaque dicendum eſt, aut duos fuiſſe ejuſdem nominis eodem ſæculo Taurinenſes Epiſcopos; aut, ſi unicus fuit, Gennadium in deſignando Maximi obitu a vero aberraſſe: qui tamen illis temporibus erat. Quamquam quod Maximus primus poſt Papam Synodo Romanæ ſubſcripſit, inde colligitur eum antiquitate cæteris ejuſdem Synodi Epiſcopis ſuperiorem fuiſſe.*

VII. *Duæ ſequentes homiliæ, quas edimus, eumdem ac prima auctorem exigunt, ut ex conſecutione patet. Exſtant hæ tres homiliæ in codicibus Ambroſiano & Sancti Galli.*

VIII. *Gennadius Maximo noſtro tribuit homilias* de pœnitentia Ninivitarum. *In vulgatis una eſt* de Ninivitis; *ad quem noſtra homilia* IV. *reſpicit ſub hoc initio*, Diximus anteriore Dominica, Ninivitas &c. *Habetur utraque in iiſdem, qui modo laudati ſunt, codicibus.*

IX. *Homilia quinta* de Kalendis Januariis *totidem verbis ſignatur a Gennadio. Una eſt inter editas ejuſdem tituli & argumenti; una item apud Ambroſium, quæ eſt homilia* XI. *de tempore: cui melius noſtra reſpondet. Nam quæ apud Maximum legitur, auditores ſuos jam dudum a vitiis illis Kalendarum temperaſſe teſtatur: contra vero tum noſtra, tum Ambroſiana. Noſtra porro ſuperiores homilias conſequitur in codice Ambroſiano, in quo item ſuccedit ſequens* de deſectu lunæ, *quæ a Gennadio etiam notatur. Alius ordo eſt in codicibus ſanctæ Crucis & Sancti Galli.*

X. *Homiliæ tres* de Natali Domini, *quem titulum Gennadius ſuggerit, an præferendæ ſint iis quæ apud Maximum leguntur, an ſimul cum illis admittendæ, malumus aliorum judicio quam noſtro definiri. Quamquam noſtræ plus ſucci quam aliæ præferunt.*

XI. *Homilia decima e noſtris, quæ eſt* de hæreticis peccata vendentibus, *reperitur abſque auctoris nomine in uno codice Sancti Galli, quem ab annis mille calamo exaratum fuiſſe jam diximus. Nullam hoc titulo Maximi homiliam ſuggerit Gennadius, niſi forte confuſe his verbis:* Multas alias ejus homilias de diverſis legi, quæ nec retineo. *Certe cum proxime antecedentes in codice Sancti Galli, ac ſubſequentes Maximum auctorem habeant; idem etiam de hac homilia judicium ferendum videtur, maxime cum ſtilus ſit uniformis. Qui autem fuerint illi hæretici, nobis haud liquet.*

XII. *Homilia noſtra undecima* contra clericos negotiatores, *incipit ab his verbis:* Reprehendimus ante diem negotiationem clericos exercentes. Sed ſi recte conſidesamus officium, non vere negotium eſt ſed functio &c. *Hæc homilia videtur reſpondere homiliæ* LVI. *de tempore apud Ambroſium, ſub cujus finem hæc leguntur:* Nam & catholicus clericus hac ſententia retinetur. Si enim non contentus ſtipendiis fuerit, quæ de altari, Domino jubente, conſequitur, ſed exercet mercimonia, interceſſiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur; hic negotiator magis poteſt videri quam clericus. *Quod ſi ita eſt, utraque Maximo vindicanda. Noſtra enim manifeſte pertinet ad illam, quæ apud Maximum extrema eſt, in illud Iſaiæ*, Caupones tui miſcent aquam vino, *quæ a Gennadio diſerte ſignata eſt. Hæc enim incipit ab his verbis:* Non incommode ante dies paucos proſecuti ſumus, functionem hanc ſacerdotalem vicem quandam negotii retinere, & quæſtum eſſe non modicum hoc clericatus officium, *quæ ipſa verba ſunt in homilia noſtra* XI. *ad quam proinde reſpicit indubitata hæc Maximi homilia.*

XIII. *Ho-*

Digitized by Google

XIII. *Homilia e noſtris duodecima ejuſdem eſt auctoris. Maximus quippe, ex Gennadio, ſcripſit homilias* de ſepulcro Domini. *Maximi editi libri duas habent hujuſce argumenti: in quarum altera, quæ eſt* de Cruce & ſepultura Domini ſecunda, *referuntur ipſiſſima homiliæ noſtræ verba ab his verbis*, Sed videamus de hoc ipſo Domini corpore &c. *Hæc de homiliis ſequentibus a nobis edendis: quas ex aliis pluribus ſelegimus.*

XIV. *In codice Ambroſiano una eſt* Homilia Sancti Maximi Taurinatis Epiſcopi de natali ſanctorum Martyrum. *Incipit hoc modo:* Sicut ſcimus, fratres, vota ſemper Domini ſubſequitur feſtivitas ſervulorum &c. *quam in editis non invenimus. Item poſt homilias duas de ſanctis Alexandro & Siſinnio, quos* poſt obitum Sancti Ambroſii *martyrio affectos fuiſſe Paulinus auctor eſt*, Homilia Sancti Maximi de Sancto Euſebio martyre Vercellenſi. *Incipit*, Ad Sancti Euſebii laudem aliquid addere velle, decerpere eſt, &c. *ut apud Ambroſium, rectius quam apud Maximum. Sequitur*, Item dictum Vercellis. Dum ad obſequia venerandæ recordationis, communiſque patris noſtri Euſebii, confeſſionis ejus honore convenimus *&c.* Item de S. Euſebio & de Maccabæis, quod primo dictum eſt Vercellis. Licet me, fratres, debitum caritati veſtræ exhibere ſermonem imperitia pudorque revocet *&c.* Item de S. Confeſſore Euſebio & Maccabæis. Ad celebritatem præſentis diei, fratres cariſſimi, omni nos cum alacritate concurrere devotio geminæ feſtivitatis invitat *&c. Denique ſequitur alia homilia ſub hoc exordio*: Quamquam, dilectiſſimi ſtatres, beati patris noſtri ſummi ſacerdotis & confeſſoris Euſebii indignus ſum filius & minimus ſervus &c. *ubi ad marginem appoſitum eſt antiquiſſimo charactere*: Nota quod Vercellinus eſt iſte. *Hic exhibendi eſſent cum cenſura indices homiliarum, quæ in prædictis tribus codicibus continentur: ſed hæc aliud tempus, aliudque otium exigunt.*

XV. *Illud tamen in tranſcurſu obſervare juvat, libros ſex vulgatos* de Sacramentis, *qui Ambroſio in editis tribuuntur, abſque auctoris nomine inſeri ſermonibus prædictis in codice Sancti Galli, atque in ſermones ſeptem diſtribui ſub hoc titulo*, Incipit prima dies in Paſcha: *ita ut ſinguli ſex libri ſingulos ſermones conſtituant pro totidem hebdomadæ diebus; & quidem ſeptimus ab extrema parte libri ſexti incipiat, id eſt ab his verbis*: Aliud, Pſalmorum David licet unus libellus ſit, &c. *Sed forte majoris momenti erit, quod in ſermone quarto, qui in editis liber quartus eſt, idem codex ita habet*: Vides ergo quam operatorius ſit ſermo Chriſti. Ergo ſi tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant: quanto magis operatorius eſt ut ſint, & in aliud commutentur: *cum in vulgatis poſtremum membrum ſic legatur*, ut quæ erant, in aliud commutentur. *Ex his duabus lectionibus unam conflabat Berengarius, a Lanfranco relatus in Dialogo contra ipſum, ubi eum ita loquentem inducit*: Per conſecrationem altaris fiunt panis & vinum Sacramentum religionis: non ut deſinant eſſe quæ erant, ſed ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur, quod dicit beatus Ambroſius in libro de Sacramentis. *Lanfrancus expoſito hoc loco ita ut a Berengario objiciebatur, ſubdit*, in quibuſdam codicibus præfatam ſententiam verbis aliis inveniri; *nempe iiſdem omnino verbis, quæ modo editi habent. Jam vero per id tempus prædictum opus de Sacramentis in ſex libros diſtributum erat, eoque modo a Lanfranco adducitur.*

XVI. *Revertor ad Maximum, cujus ſermones, prout ſub ejus nomine vulgati ſunt, plerique Maximum auctorem habent, atque adeo eidem vindicandi quotquot ex his Ambroſio inter ejus opera ſupponuntur: ubi pauci admodum Ambroſio, longe plures Maximo adſcribi debent. Quamquam & alii ſunt, quos nec Ambroſio, nec Maximo tribuere poſſumus, ſed poſterioribus auctoribus: quales ſunt ſermones ſecundus ac tertius de Adventu; item ſermones* XXII. *&* XXIII. *de Septuageſima & Sexageſima: quæ vocabula Maximi, nedum Ambroſii tempore ignota erant; uti & nomen Adventus pro certo illo dierum numero, quos ante Natale Domini celebrari mos eſt. Non ergo dixiſſet Ambroſius aut Maximus, quod initio ſermonis ſecundi de Aventu legitur*, Hoc tempus non immerito Adventus Domini vocatur: *neque his verbis ſermonis* XXII. *uſi fuiſſent*, In toto anno non dicitur ulla dies Septuageſima, niſi iſta; nec Sexageſima, niſi ſequens Dominica; neque Quinquageſima, niſi abhinc tertia. *Et certe ſermo* XXXI. *de tempore apud Ambroſium Septuageſimam & Sexageſimam adeo non admittit, ut reprehendat eos, qui Quinquageſimam Quadrageſimæ addebant. Similis appoſitio exſtat inter ſermones* XXVI. *&* XXXIV. *In hoc enim ſoli*

Domi-

Dominici dies a jejunio Quadrageſimali excipiuntur : in illo vero etiam ſabbatum , ad ritum Eccleſiæ Mediolanenſis . Adde quod in illo ſermone XXVI. *jejunium in Quadrageſima præſcribitur dumtaxat ad nonam, quod eſt contra ipſum Ambroſium , & contra veterum temporum diſciplinam, in quibus jejunium Quadrageſimale non ante veſperam ſolvi licebat. Hinc intelligitur, rem Eccleſiæ haud inutilem facturos ſodales noſtros, qui Ambroſianos ſermones , adeo turbatos & confuſos , cum accurato delectu propediem edituri ſunt.*

HOMILIÆ

HOMILIÆ SANCTI MAXIMI EPISCOPI TAURINENSIS.

HOMILIA I.

De Barbaris non timendis ei qui Deum timet, & de ſancto Heliſæo.

SÆpe dixiſſe memini, quod hos tumultus bellicos timere minime debemus, nec quamlibet copioſam hoſtium multitudinem formidare; quoniam, ſicut ait Dominus, *major eſt qui in nobis eſt, quam qui in hoc mundo*. Hoc eſt, potentior eſt ad protegendos famulos ſuos Chriſtus, quam diabolus ad inſtigandum. Quamvis enim idem diabolus colligat ſibi turbas, & crudeli eas armet inſania; tamen facile deſtruuntur, quia melioribus populum Salvator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta: *Imminet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*. Quod ſi Angelus Domini timentes eum de periculis eripit, non poteſt timere barbarum, qui timuerit Salvatorem; nec poteſt metuere hoſtis impetus, qui Chriſti præcepta ſervaverit. Præcepta enim Chriſti arma ſunt Chriſtiani: & divinus timor terrorem a nobis expellit hoſtilem. Arma autem hæc noſtra ſunt, quibus nos Salvator inſtruxit: Oratio, miſericordia, atque jejunium. Jejunium enim melius quam murus tuetur: miſericordia facilius liberat quam rapina: oratio longius vulnerat quam ſagitta. Sagitta enim nonniſi proxime conſpectum percutit adverſarium: oratio autem etiam longe poſitum vulnerat inimicum. Sic namque ſanctus Heliſæus Propheta eum vellet eum Rex Syriæ captivare, ac ſuæ ſubdere ditioni, multiſque eum armatorum cinxiſſet agminibus; non eſt territus, non turbatus: ſed ait nuntianti puero, *Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis*. O fidelis ſanctus Propheta! Non timet adverſarios, quos perſpicit: quoniam ſcit Angelos ſecum eſſe, quos credit. Non metuit terrenas inſidias, quia cœleſtia adeſſe ſibi novit auxilia. Plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis. Mira res! plures de cœlo defenſores meretur ſanctitas, quam in terris oppugnatores adduxit improbitas. Plures nobiſcum quam cum illis. Beatitudinis meritum Propheta nuntiat etiam de multitudine, cum puer adhuc incertus ſit de ſalute. Spiritales oculi carnalibus quantum plus cernunt! Hic perſpicit armatorum numerum, & ille non cernit defenſionis indicium. Quanta eſt divina miſericordia! Defertur hominibus beneficium, nec videtur: auxilium periclitantes conſequuntur, & neſciunt. Hæc eſt enim pietas Salvatoris, ut interveniat ſaluti, ac non ſe prodat affectui: ſentiatur beneficiis, & non cernatur obtutibus. Unde errat qui putat, cum proſpere aliquid geſſerit, propria ſe fortitudine ſuperaſſe. Scire enim debet, quod adverſarii meritis magis quam virtute vincuntur: & non tam virtute, quam ſanctitate ſuperantur: ſicut ſanctus Heliſæus hoſtes ſuos non armis ſuperabat, ſed oratione vincebat. Nam cum idem miniſtro ſuo, ad depellendum ejus timorem, plures adeſſe diceret defenſores, nec metus ab illo poſſet auferri; tunc oravit ad Dominum dicens: *Domine aperi oculos ejus, ut videat. Et aperti ſunt oculi ejus, & vidit, & ecce mons totus plenus equitum*, & reliqua. Oratio ergo Prophetæ aperuit oculos pueri. Non mirum ſi oratio aperuit oculos ut videret exercitum, quæ aperuit cœlum ut veniret exercitus. Non mirum inquam, ſi novos ſenſerit oculos, qui nova promeretur auxilia. Aut cur non aciem producat obtutus, qui acies inſtruxit Angelorum? cur, inquam, non orationis ſuæ habitudine aciem pupillarum dirigeret, qui meritis caliginem nubium penetravit? Neceſſario ergo ſanctus Heliſæus hoc facto miniſtro formiduloſo præſtitit ſecuritatem, cui jam refuderat claritatem: & removit ab eo formidinem cordis, a quo removerat viſionis cæcitatem: geminoque eum remunerans beneficio, abſolvit ejus metum, & abſolvit obtutum. Minus timere cœpit, poſtquam plus videre promeruit, & viſum. In montibus ergo cernuntur armati. Apparet eos vere deſcendiſſe de cœlo, quorum adventus primum in montibus eſſe reperitur. Ipſa enim locorum proximitas hoc demonſtrat, quod deſcendentes de cœlo non niſi juga collium ſibi vicina calcaverint. Tunc igitur oravit Heliſæus, & omnem hoſtilem exercitum cæcitate percuſſit. Non mirum ſi adverſariis cæcitatem intulit, qui famulo largitus eſt claritatem: & ſi hoſtibus auferret viſum, qui miniſtro præſtitit aſpectum. Ubi ſunt qui dicunt pluſquam preces ſanctorum hominum arma poſſe? Ecce una oratio Heliſæi totum exercitum vulneravit, & unius Prophetæ meritis omnis eſt hoſtium numerus captivatus. Quæ catervæ Regum, quæ turbæ militum talem victoriam perpetrarunt, ut ita hoſtes proſternerent, ut de ipſis nullus obcumberet? Hæc eſt hæc incruenta victoria, ubi ſic adverſarius vincitur, ut de vincentibus nemo lædatur. *Explicit.*

HOMILIA II.

Item ſequentia.

MIrum forſitan videtur, quod ante dies Sancti Heliſæi gratiam deſcribentes diximus, in defenſionem ipſius de cœlis auxilia deſcendiſſe, & armatos equites ſive quadrigas ei divinitus adfuiſſe; aſtitiſſe etiam circa ipſum quadrigam igneam. Magna quidem res, ſed in vero Sancto admiranda non eſt. Quid enim mirum, ſi auxilia meretur e cœlo, cujus animus ſemper in cœlo eſt? ſicut ait Paulus Apoſtolus: *Noſtra autem converſa-*

tio

Digitized by Google

tio in cœlis eſt. Ergo ſi noſtra converſatio eſt in cœlis, & cœleſtium converſatio * poteſt nobiſcum: hoc eſt, ut qui vita vivimus Angelorum, recte eorum conſortium mereamur. Eſt enim ſancte viventibus quædam inter ſe cognatio, junctio, atque ſocietas; nec intereſt utrum in cœlis maneant, an in terris. Angelici ſint habitus an humani; dum modo in his ſit eadem vita vel ſanctitas, converſatio connectit, quos ſeparat elementum; & diverſis licet corporibus dividantur, iiſdem tamen actibus conjunguntur. Atque ideo fit, ut Sancti ſibi quodam conſortio cohærentes a ſe invicem non diſcedant, & modo Angeli ad terras veniant, modo homines ad cœleſtia transferantur: ac profectu meliore, quibus vita communis eſt, incipiunt illis vivendi etiam elementa eſſe communia.

* *ſ.* patet.

Sed dicit aliquis: frequenter audivimus Angelos ad homines deſcendiſſe: audire etiam cupimus, quando homines ad cœleſtia tranſmigrarint. Manifeſta res eſt, & in promptu poſita. Helias magiſter Heliſæi, nonne Angelis ducentibus raptus ad cœlum eſt, & quadriga ignea impoſitus, quaſi in quodam triumpho victor aſcendit? Victor enim exſtiterat non gentium barbararum, ſed ſæcularium voluptatum, ſiquidem graviores inimici ſunt pravi mores, quam hoſtes infeſti; & facilius intelligimus hoc tempore malignitatem hoſtium vinci poſſe, quam morum. Ergo Heliam Angeli ad cœlum perferunt, Heliſæum Angeli in terris cuſtodiunt. Quid mirum ſi Angeli, qui magiſtrum portaverant, diſcipulum tuebantur, & novitia quædam obſequia, quæ patri exhibuerant, etiam filio deferant? Ipſe enim Heliæ ſpiritalis eſt filius, ipſe enim hæres eſt ſanctitatis. Recte autem Heliſæus Heliæ ſpiritalis filius dicitur, quia aſcendens ad cœlum ſpiritum duplicem ei ſuæ gratiæ dereliquit. Cum enim data eſſet facultas Heliſæo, ut peteret quod vellet, antequam ab eo * reciperetur Helias; petivit ut duplex ſpiritus Heliæ fieret in ipſo. Tunc dixit Helias: *Dura petis, ſed fiet tibi*. O hæreditas pretioſa, in qua plus hæredi relinquitur, quam habetur; plus conſequitur qui accipit, quam poſſederit qui largitur. Pretioſa plane hæreditas, quæ dum a patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur. Igitur Helias cum ſymbolum ſanctitatis ipſe haberet, ſpiritum Heliſæo duplicem dereliquit. Mirum ergo modum! Helias plus gratiæ dimiſit in terris, quam ſecum portavit ad cœlos: & licet ipſe ad altiora latus transferretur corpore, apud filium tamen major remanet ſanctitate.

* *ſ.* raperetur.

De Heliſæi autem meritis quid dicamus? cujus hæc prima laus eſt, quod patrem voluit gratia ſuperare, dum dari ſibi amplius poſtulat, quam ſcit apud eum eſſe qui poſſidet. Avarus quidem eſt in petendo; ſed idoneus in promerendo. Dum enim a patre plus exigit quam habebat, fecit eum meritis ſuis plus præſtare quam poterat. Nam cum idem Heliſæus poſt aſcenſum magiſtri ſui veniſſet Hiericho, & rogatus a civibus ut in eadem conſiſteret civitate, dixerunt ad illum, *Commoratio opidi bona eſt, ſed aquæ malæ & ſteriles ſunt*; tunc præcepit ſibi dari vas fictile; & in eo reconditos ſales, veniens ad exitus aquarum, projicit in aquas dicens: *Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas iſtas, non erit ex his moriens, nec ſterilis. Et ſanatæ ſunt aquæ in hunc diem*. Videte ergo Heliſæi quanta ſint merita, cujus prima in civitate hoſpitalitas filiorum eſt magna fœcunditas. Dum enim ſterilitatem avertit aquarum, ſucceſſionem largitur hæredum. Non enim hoc facto Heliſæus unum ſanavit hominem, aut unius domui præſtitit medicinam, ſed totius civitatis populum reparavit. Si enim tardius hoc feciſſet, interveniente ſterilitate, ſeneſcentibus cunctis, civitas ſine habitatore remanſerat.

Igitur Heliſæus, dum curavit aquas, curavit & plebem; dum fontem benedixit undarum, fontem indulſit animarum. Nam ſicut ſanctificatione ejus de occultis terræ venis aqua ſana prodivit, ita de occultis vulvæ viſceribus ſoboles ſana proceſſit. Non enim ſola tantum fluenta benedixit Heliſæus. Aquæ fontium jam gremio tenebantur: ſed & illa, quæ humido terræ ſolo adhuc indiſcreta paulatim erant, in poſterum defluxerunt. Unde ait Scriptura, ad exitus aquarum benedixiſſe Heliſæum, ut ſtillantem aquam prius ſanctificatio ſuſciperet, quam ſinus fontis includeret.

Igitur quoniam dicit S. Paulus Apoſtolus, *Hæc in figura contingebant illis*; videamus hæc ipſa figura quam habeat veritatem: hoc eſt, requiramus quæ ſit iſta civitas, quæ ſterilitate laborans, vel quid ſibi velit vas fictile; quid etiam ut aſperſi ſales afferant ſuavitatem. Legimus in eodem Apoſtolo dictum de Eccleſia: *Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis*. Ergo Eccleſia eſt illa ſterilis civitas, quæ ante adventum Chriſti aquarum vitio, hoc eſt ſacrilegio gentilium populorum, ſterilitatem ſuſtinens, Deo filios procreare non potuit. At ubi venit Chriſtus, velut vas fictile adſumens corpus humanum, vitia ſanavit aquarum, hoc eſt reſecavit ſacrilegia populorum; ſtatim Eccleſia quæ erat ſterilis, cœpit eſſe fœcunda. Unde & Apoſtolus dicit, *Lætare ſterilis*: ut plures etiam filios ex eo Eccleſia quam fœcunda ſuſciperet. Aſperſi autem qui ſunt, qui attulerunt medicinam, facile cognoſcimus. Dicit Dominus ad Apoſtolos: *Vos eſtis ſal terræ*. Ergo ſi Apoſtoli ſalibus comparati ſunt, recte figura completur. Sicut tunc effuſi de vaſculo ſales condierunt aquas, ita & nunc miſſi a Salvatore Apoſtoli condiunt univerſos; & ablata ſterilitate vitiorum, prolem incipiunt germinare virtutum. *Explicit*.

HOMILIA III.

Item ſequentia.

MEminit veſtra dilectio, hoc nos ſuperiore Dominica prædicaſſe, ut bonis actibus, orationibus portas nobis juſtitiæ reſeraremus, ac frequentibus eleemoſynis, velut vallo nos miſericordiæ muniremus. Murus enim quidam inexpugnabilis eſt contra adverſarium, reſiſtere eleemoſynis, dimicare jejuniis. Quamvis enim inimici arma ſint valida, fortiora tamen hæc arma ſunt Salvatoris: quibus qui indutus fuerit, licet inermis oculis hominum videatur, ſatis tamen armatus eſt: quia eum divinitas ſumma cuſtodit. Bonum eſt igitur in tribulatione orare, jejunare, pſallere, miſereri. His enim telis, ſicut David exemplum contra Goliam protulimus, ſolent adverſarios ſuos vincere Chriſtiani, his armis civitatis mœnia cuſtodire. Dicit enim ſanctus Propheta: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum vigilant qui cuſtodiunt eam*. In vanum ergo iſte vigilat, qui putat cura ſe armare civitatem, cum ipſe fidei arma non habeat. In vanum plane laborat, qui æſtimat ſe tuitionem alii parare poſſe, cum

ipſe

ipſe ſit Dei gratia deſtitutus. Ait Dominus in Evangelio: *Medice cura te ipſum*. Hoc exemplo dicendum eſt: Prius tu homo tuæ conſule ſaluti, ut poſſis ſaluti providere multorum. Cæterum cum te imbecillem & infirmum videam, ac divinitatis auxilio deſtitutum, non ſolum civitatis quæ per te paratur cuſtodia non confido; ſed etiam vereor, ne conturbet tua deſperatio civitatem.

Tunc ergo civitas munita eſt, quando eam magis Deus ipſe cuſtodit: tunc autem eam cuſtodit Deus, ſicut ſcriptum eſt, quando habitantes in ea ſunt omnes moderati, graves, Chriſtiani, atque Catholici. Neceſſe eſt enim, ut iſtam civitatem conſervet Deus, in qua de præceptis ſuis invenit quod reſervet. Cæterum ubi eſt luxuria, perfidia, atque blaſphemia; illam civitatem non ſervat Dominus: ne non tam civitas, quam in ea quæ ſunt peccata ſerventur. Ergo qui in nomine Domini munitionem præperat civitati, iſte vere ſecuritatem civibus parat. Nam qui ſine Dei gratia munitionem urbi conſtituere conatur, is vulpium more videtur foveæ ſibi latibulum præparare. Nonne enim iſte tanquam vulpis in ea fovea eſt, qui terram jugiter fodit, cœlum omnino non reſpicit? Ait enim Dominus, ſicut lectum nuper audivimus: *Vulpes foveas habeant, & volucres cœli nidos ubi requieſcant: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*: quæ ſententia quem intellectum habeat, diligentius intendamus. Non enim de ipſo ſpecialiter animali locutus eſt Dominus; ſed de his hominibus, qui verſuti, ſemper & callidi, vulpes moribus ſemper imitari ſtudent: dum aliena fraudulenter diripiunt, foveam ſibi perditionis effodiunt; atque ideo caput Chriſti, quod eſt Deus, habitaculum in his non poteſt invenire, quia ipſi habitant in defoſſis.

Quod autem ſpecialiter hæretici vulpibus comparantur, nulla cunctatio eſt. Sunt enim, ſicut vulpes, doloſi, importuni, & timidi: ubi quietem ſenſerint, ibi rabiem ſuæ lævitatis exercent: ubi vigilantiam reperiunt, exinde doloſa fraude diffugiunt. Nam ſicut memoratum animal ſemper eſt fallax, ſemper incertum nec aliquando morum poteſt mutare verſutiam: ita & omnis hæreticus ſemper fallax, ſemper incertus eſt: & cum tecum videatur ſimpliciter loqui, mutat verba, ſed non mutat mores; modeſtiam ſermone promittit, rabiem corde depromit. Vulpis cauda fallit, hæreticus lingua circumvenit: vulpis manſuetudinem animalibus fingit, ut capiat; hæreticus moderationem hominibus promittit, ut noceat: illa ante proludit, ut jugulet; hic prius blanditur ut expoliet. Familiare autem vulpi eſt, gallinæ ſemper inſidiari & pullis: ut ſi a matre quiſpiam longius abierit, in ejus prædam capetur, ita & hæreticus matri Eccleſiæ ſemper inſidiatur & filiis: ut ſi forte aliquem negligentiorem invenerit, ſua illum rabie circumſcribat.

Quod autem gallinæ recte comparetur Eccleſia, in Evangelio legimus, dicente Domino ad Hieruſalem: *Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas?* Recte autem comparatur gallina Eccleſiæ. Sicut enim non ſolum ſuos filios nutrit, ſed etiam alienos ſuſcipit venientes: ita & gallina non ſolum eos nutrit, quos ipſa excluſerit; ſed etiam adpoſitos ſibi educat alienos. Igitur, fratres, armemus nos per hanc hebdomadam jejuniis, orationibus, atque vigiliis: ut interveniente miſericordia Dei, & barbarorum repellamus feritatem, & hæreticorum inſidias retundamus. *Explicit*.

HOMILIA IV.

De Ninivitis.

DIximus anteriore Dominica, Ninivitas in tribulatione poſitos Divinitatis miſericordiam per abſtinentiam meruiſſe, & civitatem ſuam de periculo jejuniis liberaſſe; tantæque eos ſuiſſe ſapientiæ, ut non alienis ſe præſidiis defenderent, ſed propria devotione ſalvarent. Nam non ſtatim deſperaverunt de ſalute ſua. Audierunt a Propheta cum civitatis ſe mœnibus ſubvertendos. Sed quanto proximum adnuntiabatur excidium, tanto magis religioſis actibus armabantur; nec reliquerunt evertendam civitatem ſuam, ſed in ea potius permanſerunt, ſapientes ſcilicet, ut quæ civium vexabatur peccatis, civium orationibus ſalvaretur; & cui perditionem mala converſatio intulerat, ei ſalutem devotio religioſa conferret. Juſtum enim erat, ut quos fuerat paſſa peccatores, eoſdem haberet proprios defenſores. Civitati enim nonniſi propter civium peccatum infertur excidium.

Deſine ergo peccare, & civitas non peribit. Quid fugis patriam? ſi vis ſalvus eſſe, tua potius peccata ſubterfuge. Si tu peccare deſieris, victus eſt inimicus. Dicit ad Abraham Scriptura divina, per decem juſtos patriam poſſe ſalvari. Igitur ſi juſti ſunt qui ſalvam faciunt patriam; utique injuſti ſunt qui relinquunt: & ſi illi propter præſentiam ſuam conſequuntur gratiam, neceſſe eſt, ut hi propter fugam deſolationem mereantur. Injuſtus plane & impius eſt filius, qui periclitantem deſerit matrem. Mater enim quodammodo dulcis eſt patria, quæ te genuit, quæ te nutrivit; quæ ut fugere poſſis, te divitem fecit. Nam ſi non tibi ſuppeteret ſumptuum copioſa ſubſtantia, fugæ præſidium non haberes: atque ideo avaritia ductus, dum metuis divitias tuas perdere, impius in matrem eſſe non dubitas. Unde intelligimus, plus pecuniæ tuæ conſulere, quam ſaluti. Dic mihi, o bone civis, cur fugere diſponis? cur patriam derelinquis? Captivitatem fortaſſe metuis? Da veniam, non intelligis. Neſcis quod hæc eſt prima captivitas, patriam non videre, & (quod gravius eſt omni malo) hoſtile peregrinationis exſilium ſuſtinere? Solet qui aliquid ſceleris admiſerit, hujuſmodi pœna damnari, ut pellatur patria, regionibus incognitis relegetur. Hoc igitur malum propria tibi provides voluntate, quod ſolet ſupplicii cauſa damnatus excipere.

Sed ponamus te forti eſſe animo, & æquanimiter tolerare poſſe peregrinationis injuriam. Dic mihi, qua inter extraneos libertate victurus es? Nonne cum loqui cœperis, objicietur tibi, unde iſte exulat? unde iſte fugitivus advenit? an & noſtram civitatem opprimere nititur, ſicut patriam ſuam oppreſſit? Ita aporiaberis, ita conturbaberis, ut libertati tuæ metuens verearis, ne ingenuitati tuæ ibi non invenias adſertorem. Mihi crede, in aliena patria tanta auditurus es, quanta in tua patria aliis ſæpe dixiſti.

Illud autem nolo dicere, quod quamvis dives ſis in patria tua, quamvis copiis perfruaris; ſtatim ut exieris de domo tua, mendicus & pauper es. Dicit ergo Deus ad Abraham, per de-

cem

Digitized by Google

cem juſtos civitatem poſſe ſalvari. Male igitur de te ſentis, popule Chriſtiane, ſi in tanto cœtu ad ſalvandam civitatem decem juſtos eſſe non credis. Dum enim deſeris patriam, profiteris non in ea eſſe dignos, quorum meritis liberetur. At ego vereor ne omnibus in ea juſtis relictis, tu ſolus qui deſeris, invenaris injuſtus. Sed nolo decem juſtorum numero te perturbes. Legimus autem quod de Sodomitarum excidio meritis ſuis Loth ſolus liberaverit civitatem: quod plus valuerit ad ſalvandum unius gratia, quam ad evertendum peccata multorum. Exeunti enim illi de Sodomis, hoſpitii cauſa Segor parva conceditur. Quod ſi juſto hoſpiti donatur civitas, quanto magis juſto patria conceditur poſſeſſori? *Explicit.*

HOMILIA V.

Incipit de Kalendis Januariis.

BEne quodammodo, Deô providente, diſpoſitum eſt, ut inter medias gentilium feſtivitates Chriſtus Dominus oriretur, & inter ipſas tenebroſas ſuperſtitiones errorum veri luminis ſplendor effulgeret: ut perſpicientes homines in vanis ſuperſtitionibus ſuis puræ divinitatis emicuiſſe juſtitiam, præterita obliviſcerentur ſacrilegia, futura non colerent. Quis enim ſapiens, qui Dominici Natalis intelligit Sacramentum, non ebrietatem condemnet Saturnalium, non declinet laſciviam Kalendarum; & partem cupiens habere cum Chriſto, particeps nolit eſſe cum ſæculo? Hæc enim divini cultus ratio eſt, ut qui ſocietatem habuerit cum vanitate gentilium, copulam non poſſit habere cum veritate Sanctorum. Dicit beatus Apoſtolus: *Quæ portio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis cum tenebris?* hoc eſt pariter Chriſtianos & iniquitatis exercere luxuriam, & Deum juſtitiæ habere placatum.

Nam ſunt plerique, qui trahentes conſuetudinem de veteri ſuperſtitione vanitatis, Kalendarum diem pro ſumma feſtivitate procurent: & ſic lætitiam habere velint, ut ſit magis illis triſtitia. Nam ita laſciviunt, ita vino & epulis ſatiantur, ut qui toto anno caſtus & temperans fuerit, illa die ſit temulentus atque pollutus: & quod niſi ita fecerit, putet perdidiſſe ſe ferias; quia non intellegit per tales ſe ferias perdidiſſe ſalutem.

Illud autem quale eſt, quod ſurgentes mature ad publicum, cum munuſculo, hoc eſt cum ſtrenis, unuſquiſque procedit: & ſalutaturus amicum, ſalutat illum præmio antequam oſculo? Labiis labia porrigit, & manui manum inſerit: non ut amoris reddat affectum, ſed ut avaritiæ perſolvat obſequium; & uno eodemque officio amicum complectitur, & fraudatur. Vos judicate, quale eſt illud oſculum, quod venale eſt, nam quo pretioſius emitur, tanto vilius æſtimatur. Quanti ante aurum potiorum indigni judicabuntur oſculo? Poſteaquam aurum refulſit in dextera, dignos illos facit præda, non gratia. Hoc autem in ipſa iniquitate quam injuſtum eſt, quod expectatur donare inferior potiori; & diviti cogitur ille largiri, qui quod largiatur forſitan mutuatur. Adhuc & ipſam munificentiam ſtrenas vocant, cum magis ſtrenuum quod... Cogitur, inquam, miſer donare, quod non habet; & munus offerre, pro quo filios ſuos obnoxios relinquat.

Sed & divites quique ſunt hac munificentia liberales: verum nec ipſi a peccato habentur immunes. Largitur enim dives cuicumque ſoli locupleti: dumque mendico denarium donare deſpexerit, Kalendis ad domum amici auro onuſtus properat, qui Natali Dominico ad eccleſiam vacuus & inanis advenit. Vides ergo quod apud pleroſque plus eſt præſens adulatio, quam futura remuneratio. Libentius enim habent oſculum potioris quam gloriam Salvatoris. Quod oſculum, oſculum non dicendum eſt, quia venale eſt. Nam & Judas Scarioth tali oſculo oſculabatur Dominum, ſed hinc illum tradere conabatur.

Hoc autem quale eſt, quod interpoſita die, tam inani exordio velut incipientes vivere, ut auſpicia colligant, omniaque perquirant; & exinde totius anni ſibi vel proſperitatem, vel triſtitiam mentiuntur? quæ cum inepta ſint & ridicula, tum illis ipſis ſunt vel inutilia, vel nociva. Nam proſperitatem non habent dum falluntur auguriis: triſtitiam ſemper habent, dum rememoratione omnium ſunt ſolliciti ne contingant. Hoc autem malis ſuis addunt, ut quaſi de auſpicatione domum redeuntes, ramuſculos geſtent in manibus, ſcilicet pro omine, ut vel onuſti ad hoſpitium redeant: non intelligentes miſeri, quod onuſti quidem redeunt, non ſarcina munerum, ſed cumulo peccatorum. *Finit.*

HOMILIA VI.

De defectu lunæ.

ANte dies proſecuti ſumus, fratres, adverſus illos qui putarent lunam de cœlo magorum carminibus poſſe deduci: & eorum retudimus vanitatem, qui non minus defectum patiuntur animi, quam luminis patitur illa defectum. Quos & hortati ſumus, ut prætermiſſo errore gentili, tam cito ad ſapientiam redeant, quam cito ad plenitudinem ſuam illa revertitur: ſicut velociter illa lumen recolligit, quod amiſerat; ita feſtinanter iſti fidem recipiant quam negarunt; & depoſita inſipientiæ nebula, incipiant lunam non jam oculo corporis æſtimare, ſed mentis; & ortum defectumque ejus intelligant ratione magis, quam infirmitate ſubſiſtere: quæ nunquam tantam rebus cunctis mutationem daret, niſi eſſet illi hæc ratio a Creatore collata. Ecce elementum maris luna deficiente ſubducitur, eadem creſcente cumulatur: ut ad motum ejus aut undæ intra ſe redeant, aut fluenta non capiant; ita ut quoties luna mutatur in lumine, toties maria mutentur in fluctibus. Denique dicuntur ipſa maris natantia in carne ſua pleniora eſſe, cum luna perfecta eſt; & exhauſta & deminuta, cum illa minuitur. Magna igitur lunæ ratio eſt, & magna præſtantia, quæ vigore ſuo ita elementa minuit, ut rurſus adimpleat: ita implet, ut denuo minuantur. Scilicet ut diverſis quibuſdam vicibus gratiæ ſit commutatio, dum reparatio ſit perfecta. Et quantum vero terris largiatur augmentum, omnibus notum, quanto rore ſaltus reficit, quos ſic diurnis horis ardor exuſſerat: & admiratione quadam, ardentibus æſtu rebus ſerenitate præſtat humorem. Novo enim genere, illuminante luna, madidam terram ſerenitas facit.

Grandis ergo ratio lunæ eſt, immo grande myſterium. Exinanit ſe lumine, ut univerſa recreet humore & imbre. Ita & Chriſtus Dominus exinanivit ſe divinitate, ut homines repleret immortalitate. „ Unde ait beatus Apoſtolus: Qui cum

„ in

„ in forma Dei eſſet conſtitutus, non rapinam „ arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. Exinanivit ergo ſe Chriſtus, ut vitam præſtet hominibus: evacuavit ſe, ut profectum tribuat elementis.

Sed legimus de Salvatore, quod Sol magis ſit ipſe juſtitiæ. Quomodo ergo eum lunæ motibus comparamus? Non magna plane diſtantia conveniunt ſibi iſta luminaria. Siquidem luna quadam fraternitate conſortii lumen mutuetur a Sole, & radiis lucis ejus repercuſſa, ſplendorem ſui fulgoris accipiat, unde ſi Chriſtus Dominus Soli rectius comparatur, lunam non niſi Eccleſiæ comparavimus. Nam ipſa, ſicut luna, ut inter gentes luceat, mutuatur lumen a Sole juſtitiæ & Chriſti radiis: hoc eſt, Apoſtolorum prædicationibus repercuſſa, ſplendorem ex eo immortalitatis adquirit. Fulget enim Eccleſia non ſuo, ſed Salvatoris lumine; & radiat, non proprio nitore, ſed Patris, ſicut Apoſtolus ait dicens: *Vivo autem, jam non ego, vivit in me Chriſtus*, & iterum, *ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*.

Recte planæ lunæ comparatur Eccleſia: quoniam & ipſa nos lavacri rore perfundit, & terram corporis noſtri baptiſmatis humore vivificat. Recte lunæ comparatur Eccleſia: quia & ipſa augmentum adquirit, patiturque defectum. Minuitur enim ſæpe; frequenter augetur. Minuitur perſecutionibus, prædicationibus ampliatur. Decreſcit, cum minuitur filiis; creſcit, cum Martyribus coronatur: & eadem cauſa, quæ tribuit illi defectum, ipſa præſtat augmentum. Frequenter enim quos dolet perſecutores, ipſos recipit Confeſſores. Quotiens eam, ſicut lunam, putatis magorum carminibus laboraſſe? quotiens eam malæ artes de cœli regno deducere voluerunt?

Nam primum utique Jamnes & Mambres magi, cum Moyſi ſignis prodigiiſque reſiſterent, Eccleſiam ſubvertere cupiebant: ſed ſacris vocibus veneficorum carmen nocere non potuit. Nihil enim incantationes valent, ubi Chriſti canticum decantatur. Deinde eum apud Sergium * Paulinum proconſulem Simon magus Paulum Apoſtolum oppugnaret; utique Eccleſiæ vas tentabat, & veneficis artibus illum quaſſare cupiebat: ſed tanta ab illo virtute convictus eſt, ut non ſolum artis infirmitate, ſed etiam oculorum eum amiſſione cæcaret, & pariter illi auferret carmen & viſum. Non enim merebatur habere corporis oculos, qui mentis oculos non habebat. Quid dicamus de Apoſtolo Petro? quia iterum Simonem, in Romana urbe Eccleſiæ fundamenta turbantem, orationum ſuarum ſoliditate proſtravit. Cum enim ille artibus magicis ſic elatus eſſet, ut etiam per aeris ſpatia volitaret; hic illum fidei virtute dejecit, ut tanto altius caderet, quanto ſublimius evolaſſet. Vere enim Petrus tam ſolida petra ſaxi illum alliſione comminuit, ut qui ſibi regna cœleſtia promittebat, terrenæ mortis duritie periret. *Explicit*.

* Paulum.

HOMILIA VII.

Incipit dictum ante Natalem Domini.

ETiam ſi ego taceam, fratres, tempus nos admonet, quod Domini Chriſti Natalis in proximo eſt, nam prædicationem meam prævenit dierum extrema concluſio. Ipſis enim anguſtiis ſuis mundus loquitur imminere aliquid, quo in melius reparetur: & expectatione feſtina deſiderat, ut tenebras ſuas ſplendidioris Solis candor illuminet. Dum enim curſum ſuum brevitate horarum concludi metuit, ſpe quadam annum ſuum indicat reformari. Hæc igitur expectatio creaturæ, etiam nos expectare perſuadet, ut peccatorum noſtrorum tenebras novus Sol Chriſtus ortus illuminet, & longam in nobis caliginem delictorum juſtitiæ Sol nativitatis ſuæ vigore diſcutiat: nec patiatur curſum vitæ noſtræ tenebris vitæ concludi, ſed virtutis ſuæ gratia dilatari.

Igitur quia Natalem Domini etiam mundo indicante cognoſcimus, faciamus & nos quod mundus facere conſuevit; hoc eſt, ſicut in illa mundus ſpatia ſuæ lucis extendit, ita & noſtram juſtitiam protendamus: & ſicut diei illius claritas pauperibus & divitibus communis eſt, ita & noſtra liberalitas peregrinis & indigentibus ſit communis: & ſicut tunc mundus noctium ſuarum recidit caliginem, ita & nos avaritiæ noſtræ tenebras amputemus: atque ad inſtar hiberni temporis, ſicut in ſegetibus Solis vapore reſoluta gelu nutriuntur ſemina; ita & in pectoribus noſtris reſoluta duritia, juſtitiæ ſemen tepefactum Salvatoris radio coaleſcat. Ergo, fratres, Natalem Domini ſuſcepturi, exornemus nos puris & nitidis indumentis. Animæ autem loquor indumenta, non carnis. Carnis enim indumentum vilis amictus eſt, animæ veſtimentum corpus eſt pretioſum; illud humanis manibus * denſetum eſt, iſtud Dei manibus inſtitutum eſt, atque ideo majoris eſt ſollicitudinis Dei opus ſine macula cuſtodire, quam opera hominum impolluta ſervare. Mundanum enim veſtimentum, ſi ſordidum fuerit, poteſt illud fullo conductus eluere; animæ autem veſtimentum, ſi ſemel inquinatum fuerit, niſi propriis & aſſiduis operibus vix lavatur. Nihil ei prodeſt manus artificis, nihil fullonis operatio. Conſcientiæ enim membra polluta aqua abluere poteſt, non poteſt tamen mundare.

* pro denſatum.

Hæc ſunt animæ veſtimenta pretioſa, quæ Marcus Evangeliſta in Salvatore conlaudat dicens: *Et veſtimenta ejus facta ſunt fulgentia, candida nimis velut nix, qualia fullo ſuper terram non poteſt facere*. Laudatur igitur Chriſti veſtimentum, quia nitebat, non textura, ſed gratia: laudatur indumentum, non quod ſtaminum ſubtilitate denſetum eſt, ſed quod corporis integritate conceptum: laudatur veſtimentum, non quod mulierum manus texuit, ſed quod Mariæ virginitas procreavit. Et ideo in eo magnificatur candoris gratia, quia immaculatum illud non artificis cura præſtiterat, qualia fullo, inquit, ſuper terram non poteſt facere. Non poteſt plane fullo Chriſti facere veſtimentum. Fullo enim præſtare poteſt nitorem, mundiciam, puritatem; præſtare autem non poteſt virginitatem, juſtitiam, bonitatem. Illud enim in arte eſt operis, iſtud eſt in natura virtutis. Hæc enim in Chriſto Domino ſanctus Evangeliſta virtutum indumenta concludat, quæ & beatus David pari ſententia prædicavit, dicens: *Myrrha, & gutta, & caſſia a veſtimentis tuis pretioſis*. Hia enim aromatum odoribus ſanctarum ſignificantur indumenta virtutum.

Ergo, fratres, Natalem Domini ſuſcepturi, ab omni conſcientiam noſtram fæce mundemus. Accuremus nos, non ſericis veſtibus, ſed operibus pretioſis. Veſtimenta enim nitida membra operire poſſunt, conſcientiam mundare non poſſunt: niſi quod majoris eſt verecundiæ nitidum membris incedere, & pollutum ſenſibus ambulare. Interioris igitur prius hominis ornemus affectum, ut exterio-

terioris quoque hominis ſit amictus ornatus. Spiritales maculas abluamus, ut carnalia in nobis fulgeant veſtimenta. Nihil autem prodeſt ſulgere veſtibus, & ſordere flagitiis. Ubi enim conſcientia tenebroſa eſt, totum corpus obſcuratum eſt. Habemus autem quo conſcientiæ maculas abluamus. Scriptum eſt enim: *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis*. Bonum eleemoſynæ mandatum per quod manibus operamur ut corde mundemur. *Explicit*.

HOMILIA VIII.

Incipit de Natale Domini Salvatoris.

PRoxima Dominica dilectionem veſtram admonuimus, Fratres, de diei hujus adventu, in qua diximus nos Natalem Domini hodie etiam mundo teſte ſuſcipere. Mundus enim teſtimonium perhibet, dum naſcente Chriſto & ipſe renaſcitur. Renaſcitur enim, cum de profundis noctium tenebris partu quodam lucis eruitur. Renaſcitur, inquam, cum ejus defectio finitur, claritas reparatur. Atque ideo in ortu Chriſti oportet magis ortum ſæculi nos vocare. In hac enim die ad ſalvanda omnia oritur. Oritur enim die hac lux mundo, defunctis reſurrectio, vita mortalibus: ac propterea hodie non tam Salvatoris natalis eſt, quam ſalutis. Naſcitur ergo ſalus omnium Chriſtus, quem Regem gentium Prophetæ teſtantur: naſcitur ex Virgine, ſicut Eſaias declarat dicens: *Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus*. Probat ergo veritatem Domini ordo naſcendi.

Concepit Virgo, virilis ignara conſortii: impletur uterus, nullo libatus amplexu: & Spiritum-ſanctum caſtus venter excepit, quem pura membra ſervarunt, innocens corpus geſſit. Videte miraculum Matris Dominicæ. Virgo eſt cum concipit, Virgo cum parturit, Virgo poſt partum. Glorioſa Virginitas & præclara fœcunditas! Virtus mundi naſcitur, & nullus eſt gemitus parturientis: vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen Virginitas violatur. Dignum enim erat, ut Deo naſcente meritum creſceret caſtitatis: nec per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta: nec per eum pudicitia corporis læderetur, per quem donatur virginitas baptiſmatis impudicis.

Natus igitur puer ponitur in præſepio, & hæc ſunt Dei prima cunabula: nec regnator cœli has indignatur anguſtias, cui habitaculum fuit virgineus venter. Idoneum plane Maria Chriſto habitaculum, non pro habitu corporis, ſed pro gratia originali. Ergo exonerata felici onere Maria, matrem ſe læta agnoſcit, quæ ſe neſcit uxorem: & eſt glorioſa de ſobole, quæ eſt ignara de conjuge; atque infantem ſe genuiſſe miratur, cum Spiritum-ſanctum ſe ſuſcepiſſe teſtatur: nec quia peperit innupta, terretur: quia teſtimonio utitur virginitatis & ſobolis. Soboles enim Dominum patrem indicat, virginitas ſtupentium ſuſpicionem excuſat. Inde virginitati divinitas teſtimonium perhibet, hinc naturæ ſecretum. Teſtimonium, inquam, perhibet divinitas partui virginali. Ut concipiatur enim Chriſtus, ſecundum prænunciationem Evangelii Spiritus-ſancti repletur gratia, virtute Dei Patris obumbratur, ſicut ad Mariam dictum eſt: *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, & ideo quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*.

In Nativitate ergo Salvatoris completa eſt divina illa ſententia, quæ dicit: *Duobus aut tribus teſtibus ſtabit omne verbum*. Ecce enim Verbum Dei naſcitur teſtimonio Trinitatis. Nam utique in utero Sanctæ Mariæ cum Spiritus-ſanctus ſupervenit, cum obumbrat Altiſſimus, cum Chriſtus generatur; confeſſio in eo fidei continetur. Dignum enim erat, ut Mater ſalutem populis editura, prius in viſceribus ſuis confirmaret Myſterium Trinitatis: & intelligeremus ante Salvatoris ortum, confirmatum eſſe fidei Sacramentum. Maria enim tamquam in ſacrario ventris ſui portavit cum myſterio Sacerdotem, nam quicquid in ſæculo profuturum erat, id totum de ejus ventre: Deus Sacerdos & hoſtia, Deus reſurrectionis, Sacerdos oblationis. Hoc autem totum in Chriſto agnoſcimus. Deus enim eſt, quod Patrem redit: Pontifex, quod ſe obtulit: victima, quod pro nobis occiſus eſt. Mariæ ergo uterum, non uterum dixerim fuiſſe, ſed templum. Templum plane eſt, in quo habitat Sanctum quicquid in cœlo eſt, niſi quod ſupra cœlos æſtimandum eſt, ubi quaſi in ſecretiore tabernaculo myſterium a divinitate diſponitur, quemadmodum a pluribus aſcendatur ad cœlum. Supra cœlos plane æſtimandus eſt uterus Mariæ, quia Filium Dei glorioſiorem remiſit ad cœlum, quam de cœlo deſcenderat. Inde enim ut pateretur, hinc reverſus eſt ut regnaret: inde humiliatus deſcendit in hominem, hinc glorificatus ad Patrem aſcendit. Melius plane templum corporis eſt, quam cœli. Reſidens enim Chriſtus eſt, ibi terribilis, hic manifeſtus: ibi inviſibilis, hic viſibilis atque palpabilis: ibi peccata vindicat, hic condonat: ibi poteſtate judicis utitur, hic dilectione fratres hortatur. Atque ideo eſt bonum nobis adorare eum cum invitat, ut poſſimus eum non timere cum judicat. *Explicit*.

HOMILIA IX.

Incipit dictum poſt Natalem Domini Salvatoris.

LÆtitia Natalis dominici, fratres, adhuc corda noſtra perſultant, & feſtivitatem cœleſtem gaudia continuata ſuſpirant. Quamvis enim votorum dies tranſierit, penes nos tamen votorum ſanctificatio commoratur: & ſicut in dies ſingulos ab ortu ſuo Salvatoris Nativitas creſcit, ita & in nobis creſcit fidei ejus affectus, atque augmentum facit ætatis pariter & ſalutis. Sibi enim Dominus creſcit ætate, nobis proficit ſanctitate. Non quo proficiat Chriſti ſanctitas, quæ ſempiterna eſt atque perfecta: ſed proficere dicitur, cum in nobis facit credulitatis augmentum. Nam Chriſtus poſt Nativitatem, etſi parvulus eſt corpore, tamen Deus eſt majeſtate.

Adhuc ergo gaudia feſtivitatis Dominicæ viſcera noſtra concutiunt enim, dum pro ipſa lætitia prorumpere hortatur in vocem, ut & nos dicamus, quod & Angeli dixerunt in Nativitate Chriſti: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Angeli videte quid dixerint. Non enim dixerunt, *pax hominibus*, aut quibuſcunque hominibus, ſed *hominibus bonæ voluntatis*: ut intelligeremus pacem Chriſti non hominum eſſe, ſed morum. Non enim eam meretur generatio, ſed voluntas; non humana improbitas, ſed bonitas Chriſtiana. Nam non deſertur cunctis,

ſed

ſed offertur probatis : non datur divulganda, ſed proponitur eligenda. Pax igitur Chriſti illi eſt, qui Chriſtum credit pacis auctorem : pax Chriſti illi eſt, qui in ſe pugnam non habet peccatorum : pax Chriſti in illis eſt, quorum non polluitur voluntas cruoribus idolorum. Dignum enim eſt, ut Salvatorem, quem virginitas immaculata genuit, voluntas incorrupta poſſideat : & ſicut Maria cum inlibata geſtavit, ita & anima noſtra illum impolluta cuſtodiat. Maria enim typum quemdam animarum noſtrarum geſſit, nam Chriſtus ſicut Virginitatem in matre quæſivit, ita & integritatem in noſtro requirit affectu. Virgo enim a peccatis anima Salvatorem & concipit, & parturit, dum prædicat : cuſtodit, dum mandata proſequitur. Conceptum enim fides retinet, partum confeſſio emittit, ortum ſollicitudo cuſtodit.

Lætemur ergo ad hanc ejus feſtivitatem, cujus nativitatem Angelorum adnuntiat claritas, paſtorum requirit ſimplicitas, Magorum veneratur religioſitas. Honorat enim in Chriſto angelica gratia Deum, paſtoralis agnum innocentia, magica veneratio Sacerdotem. Sacerdotem plane Chriſtum magis probat veneratio : nam id omne myſterium eorum muneribus confirmatur. Obtulerunt enim, quantum in ipſis eſt, quod putabant eſſe pulcherrimum Salvatori, aurum, thus, & myrrham : aurum, quaſi ad regnandum ; myrrham, quaſi ad reſurgendum ; thus quaſi ad propitiandum. Auro potentia oſtenditur, myrrha deſignatur incorruptibilitas, Pontificium thure monſtratur. Non enim otioſe factum eſt, quod Magi ad Dominum cum his muneribus advenerunt. Invenientes enim curioſitate ſuperſtitionis ſuæ Chriſtum omnibus regnaturum, detulerunt ad eum cunctorum elementorum inſignia : aurum, quo terrena vincuntur ; thus, quo placari putantur cœleſtia ; myrrha, qua condiuntur inferna. Oſtendentes utique a Nativitate Chriſti horum nihil opus eſſe, quoniam per Chriſtum conſtaret & victoria in terris, & propitiatio in cœlis, & requies in infernis. Magi ergo curioſitate ſua repererunt a Nativitate Domini curioſos eſſe ulterius non debere : & hoc illis magica ars profuit, ut ſcirent ſibi eam * prodeſſe. Denique eo non eodem cultu degentes, aliud iter & regrediendi adgreſſi ſunt, & vivendi. Nam Magos, priuſquam Chriſtum viderent, tanquam ſuperſtitioſos ad obſequium ſtella deduxit, poſteaquam viderunt Dominum & crediderunt, tanquam devotos fides ad patriam revocavit.

* f. ulterius non prodeſſe.

Igitur, fratres, & nos qui de gentibus advenimus, imitemur Magos illos uſque ad Chriſti cognitionem. Fas fuerit nos erraſſe poſt ſuſceptum Chriſtum : cavendum eſt ne eadem via qua venimus, nos credulitas gentilitatis adducat. Sunt enim plerique Chriſtiani, qui poſt acceptam fidem prioribus vanitatibus involvuntur : & cum Natalis dominici nobiſcum gaudia procurarint, cum gentilibus Kalendarum convivia ebrioſa procurant : cum benedictionem nobiſcum divinitatis acceperint, cum illis omnia ſuperſtitioſa obſervant. Dolendum plane eſt Magos auguria contempſiſſe, & obſervare auſpicia Chriſtianos : illos artis ſuæ depoſuiſſe peritiam, iſtos morum abjicere nolle luxuriam. *Explicit.*

HOMILIA X.

Incipit de Hæreticis peccata vendentibus.

Semper meminiſſe, & ante oculos habere debemus, fratres dilectiſſimi, quod Dominus Jeſus-Chriſtus ideo ad terram deſcendit de cœlis, ut nobis vitam largiretur æternam. Ideo cum eſſet Dei filius, fieri hominis filius maluit, ut nos qui eramus homines, Dei filios faceret. Non enim propter hanc vitam præſentem tantæ dignitatis operatus eſt myſterium, quæ eſt brevis, caduca, mortalis : ſed propter illam quæ perpetua & ſempiterna eſt. Neque enim Deus nobis hujus vitæ longævitatem præſtaturus erat, quæ plena eſt ærumnis, laboribus, egeſtate : ne non tam longævitatem vitæ præſtaret, quam perpetuitatem malorum. Nam hoc in illa remedii ſolum videtur eſſe, quod brevis eſt. Unde & Apoſtolus ait : *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperamus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Non ergo in hac vita tantum in Chriſto ſperandum eſt, in qua mali, quam boni plurimum poſſunt : in qua feliciores ſunt, qui pejores ſunt ; & proſpere magis degunt, qui criminoſius converſantur. Quid enim boni hæc vita poſſidet ? honores, divitias, ſanitatem : quæ licet caduca ſint, non tamen meritis accedunt, ſed fortuito contingunt. Quantos enim videmus, quos honoratos fecit, non honeſtas, ſed poteſtas ? quantos divitias conſecutos, non relictas a parentibus, ſed ſanguinibus occupatas ? quantos membrorum ſanitate pollentes, qui non Dei miſericordia gubernantur, ſed pecudum ſanguine craſſantur ? Hæc igitur quia temporalia ſunt, & nulla, quibuſcumque paſſim ſine merito ac ſine judicio deferuntur, quia non ad remunerationem data ſunt, ſed ad tentationem.

Nos igitur, quibus vita æterna promittitur, æterna ſemper bona poſſidere debemus & quærere, hoc eſt fidem, juſtitiam, caritatem. Habent enim iſta bona adverſarios ſuos : & licet hæc dona ab hominibus conferri non poſſunt, frequenter tamen a pravis hominibus auferuntur. Atque ideo circa fidei bonum ſolliciti eſſe debemus & providi, & ad cuſtodiam ejus mentis devotione ſemper eſſe armati, nec cito fallacibus credere blandimentis. Solet enim ſub prætextu pacis hoſtis inrepere, hoc eſt ſub vocabulo nominis Chriſtiani hæreticus ſubintrare, qui ad decipiendos ſimplices homines Chriſtum in ore portat, diabolum geſtat in corde : & eum quidem lingua confitetur, ſed mente blaſphemat. Ab hoc igitur oportet penitus declinari, nec aliqua cum eo ſocietate conjungi. Qui enim inimicus eſt Domini, quemadmodum amicus eſt ſervulorum ?

Nec mirari debemus, quod hujuſmodi hæretici in noſtra aberrare cœperint regione. Semper enim gregem ovium inſidiator lupus ſequitur, ſemper Chriſtianum cœtum diabolus deceptor incurſat. Quod quidem fit utiliter, ut ſollicitiore cuſtodia, nec gregem ovis deſerat, nec Chriſtianus Eccleſiam derelinquat. Unde & Apoſtolus ait : *Oportet etiam hæreſes exſiſtere, ut probati manifeſti fiant inter vos*, tanquam ſi diceret : Oportet eſſe Chriſtianis fidei pugnam, ut ſit probatis certa victoria. Nam ut eorum interim blaſphemias ſeponamus, retexamus quæ ſint ipſorum præcepta vivendi. Præpoſiti eorum, quos Presbyteros vocant,

Digitized by Google

cant, dicuntur tale habere mandatum, ut ſi quis laicorum faſſus fuerit crimen admiſſum, non dicat illi, Age pœnitentiam, deplora facta tua, defle peccata; ſed dicat, Pro hoc crimine da tantum mihi, & indulgetur tibi. Vanus plane & inſipiens Presbyter, qui cum ille prædam accipiat, putat quod peccatum Chriſtus indulgeat. Neſcit quia Salvator ſolet peccata donare, & pro delicto quærere pretioſas lacrymas, non pecunias numeroſas? Unde ait ipſe: *Gratis accepiſtis, gratis date*. Denique Petrus cum ter negando Dominum deliquiſſet, veniam non muneribus meruit, ſed lacrymis impetravit. Ait enim Evangeliſta de eo: *Flevit amariſſime*. Vides, inquam, quia apud Chriſtum in lacrymis eſt quantitas, non in donis. Quam graviter enim flevit culpam, tam celeriter conſecutus eſt veniam. Suſcipit ergo dona Presbyter, & pactione quadam indulgentiam de Salvatore promittit. Inſipiens placitum, in quo dicitur, minus deliquiſſe Domino, qui plus contulerit Sacerdoti. Apud hujuſmodi præceptores ſemper divites innocentes, ſemper pauperes criminoſi. Quemadmodum pauper ſatisfaciat pro delicto, qui non habet quod offerat pro peccato?

HOMILIA XI

Incipit quod non debent Clerici negotiari.

REprehendimus ante diem negotiationem clericos exercentes, & juſta eos quodammodo ſententia caſtigavimus: ſed ſi recte conſideramus officium, non vere negotium eſt: ſed functio Sacerdotalis miniſterii functio quædam eſt ſpiritalis mercimonii. Ideo enim terrena impendimus, ut cœleſtia conſequamur: ideo rogamus mundanas pecunias, ut æternas divitias adquiramus: ideo fame noſtra alios paſcimus, ut non deficiat alimonia noſtra, ſed creſcat. Quid enim ſibi vult pauperum per nos refectio, quid nudorum protectio, quid carceratorum viſitatio, niſi quia ſumptus qui in illis erogatur, non impenditur, ſed augetur; & negotiatione quodammodo argenti cum quadam lucri uſura ſervatur? Theſaurus enim quidam divitis eſt pauper eſuriens. Eleemoſynam enim datam non comedit, ſed cuſtodit. Solvatur licet caro, & homo in pulverem redigatur; opus tamen ſanctum in eo vivit & permanet, & erit tibi in die judicii teſtis idoneus, qui ſibi eſt ad paſtum operator inutilis: ita ut cito ei de tuis credatur operibus, cum de ſuis actibus non credatur.

Vide ergo ſi non negotiatio eſt eleemoſyna. Amico quod largitus fueris, tibi perit: filiis quod reliqueris, tibi perit: ſolum non tibi perit, mendico quod dederis. In die judicii enim pauperes tibi proſunt; amici, filiique nihil proſunt. Illi cauſam tuam agent, iſti nec cauſam ſuam poterunt defendere. Mercimonium enim quoddam eſt Chriſtianitatis officium; & negotiatio pretioſa, functio Sacerdotum. Pecunias enim Domini, hoc eſt eloquia Salvatoris populis eroganda ſuſcepimus, de quibus eloquiis ad illum tenacem & inperitum Sacerdotii negotiatorem Dominus in Evangelio dicit: *Serve nequam, oportuit te pecuniam meam dare ad menſam nummulariis, & ego veniens cum uſuris exegiſſem eam*. Arguetur enim, cur præcepta divinitatis ſibi credita reſervaverit reticendo, quæ multiplicare debuerat prædicando. Arguetur, inquam, cur non ſeminaverit erogando, quæ poſſit metere colligendo, ſicut ait Apoſtolus: *Quæ ſeminaverit homo, hæc metet*. Ait ergo Dominus: *Veniens cum uſuris exegiſſem*. Intellige ergo negotiationem ibi eſſe, ubi tanquam pro fœnore uſura depoſcitur; ſed non illa uſura, per quam avarorum mentes lucrativa pecuniæ redhibitione paſcuntur: in qua remuneratur creditori debitum, nec debitum evacuatur: ſed illa uſura depoſcitur, ubi non denariorum ratio, ſed morum converſatio ſubputatur: ubi non de capite ſortis agitur, ſed de capite ſalutis inquiritur. Debitores enim ſumus & obnoxii retinemur ad debitum, non chirographo litterarum, ſed chirographo peccatorum. Unde & Apoſtolus ait de Domino dicens: *delens quod adverſum nos erat chirographum*, & reliqua. Hujus ergo debiti uſuram jubemur exſolvere, nam iſtius debitoris meminit Dominus in Evangelio dicens, tradendum hunc eſſe exactori, mittendum in carcerem, & non dimittendum donec ſolvat noviſſimum quadrantem. Iſtorum igitur eloquiorum & nos, fratres, uſuram debemus, quia enim uſura ab utendo dicitur, quemadmodum nos his utamur eloquiis, rationem daturi ſumus. Non enim incaſſum Evangelium prædicat, non gratis Apoſtolus clamat, non ſine cauſa Sacerdotes loquuntur: in quorumcumque aures vox ſancta pervenerit, aut beati erunt de devotione, aut rei de conteſtatione. *Explicit*.

HOMILIA XII

Incipit præfatio de corpore Domini.

HEſterna die ſatis gaudii accepiſſe vos credo, fratres dilectiſſimi, ex tractatibus domini & patris noſtri præſentis Epiſcopi, qui tanta facundia res divinas diſſeruit, ut prædicatio ejus plena fuerit Sacerdotii gratia, oratoris eloquentia, inſtitutione doctoris. Nec mirum, ſi is, qui in pontificio primatus honorem obtinet, habeat etiam in prædicando primatus eloquium: ut virtutes Dei, quas ſancti pectoris arcano depromit, facundi ſermonis oratione commendet. Atque ideo parvitatem meam ſcio auribus veſtris minus ſolito placituram. Quis enim contentus ſit portari de rivulo, cum poſſit aurire de fontibus? Terra enim aquarum tenuem rorem omnino non ſuſcipit, poſteaquam eam largus pluviarum imber inſuderit. Sic igitur veſtra dilectio inundata ſancti Sacerdotis eloquio, ſermonis mei non patietur vile faſtidium. Quamvis enim doctus vir, quamvis diſertus Orator, elinguis videbitur, ſi cœperit loqui præſente meliore. Sed tamen habet ſolatium ſuum iſta confuſio. Nihil enim ruboris eſt comparatione ſummi Sacerdotis diſplicere minimum Sacerdotum: præſertim cum juvare me poſſit beatorum inſigne conſortium. Si enim David unius ſocietate ſancti alterum ſanctum fieri poſſe proclamat, dicens, *Cum ſancto ſanctus eris*: cur ergo me, quamvis imperitum, quamvis peccatorem, non poteſt fieri poſſe prædicatorem virtute Domini, tantorum conſortio magiſtrorum? Igitur quoniam beatiſſimus frater noſter ſanctorum Apoſtolorum laudes magno eſt proſecutus eloquio; debemus & nos ipſius ſepulturam Domini prædicare: ut quia unius corporis membra videmur, ſimilibus obſequiis procurata; ſimilibus quoque integrum corpus prædicationibus exornetur.

Videamus ergo de Domini corpore, poſteaquam de cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Joſeph ab Arimathia, vir juſtus, ſicut ait Evangeliſta,

Digitized by Google

liſta, & in nôvo ſuo ſepeliit monumento, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Beatum ergo corpus Domini Chriſti, quod cum naſcitur, utero Virginis gignitur; cum recedit, juſti tumulo commendatur. Beatum plane corpus quod virginitas peperit, & juſtitia cuſtodivit. Cuſtodivit illum Joſeph tumulus incorruptum, ſicut ſervavit illum Mariæ uterus inlibatum. Hic enim viri pollutione non tangitur: ibi mortis corruptione non læditur. Ubique beato corpori defertur ſanctitas: ubique virginitas: novus illud venter concipit, novus tumulus includit. Domini caro virgo, & virgo vulva, & virgo eſt ſepultura. Vulvam dixerim: eſt enim ſimilitudo non parva. Sicut enim Dominus de matris vulva vivus exivit, ita & de Joſeph vivus ſepultura ſurrexit: & ſicut tunc de utero ad prædicandum natus eſt, ita & nunc ad evangelizandum renatus eſt de ſepulcro. Niſi quod glorioſior iſta eſt, quam illa nativitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale: poſt illam nativitatem ad inferos deſcenditur, poſt hanc remeatur ad cœlos. Religioſior plane iſta eſt, quam illa nativitas. Illa enim totius mundi Dominum novem menſibus in utero clauſum tenuit, hæc autem tridui tantum tumuli gremio cuſtodivit: illa cunctorum ſpem tardius protulit, iſthæc omnium ſalutarem citius ſuſcitavit. *Explicit.*

FINIS.

I N D E X

RERUM ET VERBORUM IN PRIMO TOMO

S. LEONIS MAGNI

OCCURRENTIUM;

Numerus prior paginam deſignat, poſterior columnam notat.

A

ABeſſe non licet a Synodo. pag. 187. col. 2.

Abſtinentia parco aſſueta victui, delitiarum cohibet appetitum. p. 38. c. 1

Adam in ſtatu innocentiæ potuit mereri. p. 17. c. 1

Adam per ſuperbiæ cupiditatem iter fecit ad miſeriam: Chriſtus per humilitatis fortitudinem viam paravit ad gloriam. p. 66. c. 2

Adam primus. Adam ſecundus. *ibid.*

Adæ inobedientia, & ſuperbia. p. 19. col. 1

Admonitio ſalutaris quam utilis, & quam libenter accipienda. p. 185. col. 2

Adventum regni Dei, quomodo petamus. p. 85. c. 2

Aetius presbyter in honorem reſtitutus. p. 224. c. 1

Æternorum egenus temporalium abundans quis dicatur. p. 6. c. 1

Affectus ſacerdotalis Imperatoris. p. 202. c. 2

Alexandria Eccleſia inſidiata ab hæreticis. p. 198. c. 1. & 11

Alexandrinæ Eccleſiæ ſtatus & libertas. p. 198. c. 2

Alexandrinæ Eccleſiæ privilegium. p. 131. c. 1.

Alexandrina Eccleſia, quæ ſemper fuit domus orationis, ſpelunca latronum. p. 146. c. 1

Amicitia vera quæ ſit. p. 7. c. 1

Amores duo, ex quibus omnes prodeunt voluntates. p. 85. c. 2

Anaſtaſius Epiſcopus Theſſalonicenſis. p. 117. c. 1

Anaſtaſius Epiſcopus Theſſalonicenſis petit, & obtinet a Leone vicariatum Illyrici. p. 186. c. 1. 187. 1

Anaſtaſii coepiſcopi decreta ſervanda. p. 187. c. 2

Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus. p. 121. c. 2. p. 125. c. 2

Anatolius contra regulas canonicas conſecratus Epiſcopus. p. 130. c. 2. Sacratiſſimas Nicenorum canonum conſtitutiones conatur infringere. *ibid.*

Anatolii, & Caroſi ſimultas. p. 197. c. 2

Angeli quomodo ſervierint Chriſto. p. 72. c. 2

Angeli hymnum Deo canentes. p. 93. c. 1

Animæ corpus debet eſſe ſubjectum. p. 12. col. 1

Anni vitæ noſtræ, & actionum temporalium qualitates nec in natura elementorum nec in ſtellarum affectibus conſiſtunt. p. 53. c. 1

Annus emboliſmalis. p. 139. c. 2

Annus communis Hebræorum erat duodecim menſium. p. 139. c. 2

Antiochenæ Eccleſiæ dignitas. p. 130. c. 2

Antiquitas veri privilegii ſervanda. p. 193. c. 2

Anyſius Theſſalonicæ Epiſcopus de Apoſtolica Sede bene meritus, Vicariatum a Siricio P.P. per Illiricum accipit. p. 184. c. 2

Apollinaris Filium Dei ita veram humanæ carnis credidit ſuſcepiſſe naturam, ut in illa carne diceret animam non fuiſſe quia vicem ejus explevit ipſa divinitas. p. 17. c. 2

Archimandrites. p. 103. c. 1. p. 110. c. 1

Arelas. Conſtantina a Conſtantino nominata, & Galliarum Metropolis. p. 182. c. 2

Arelatenſis civitatis antiqua prerogativa, & inter Gallias prima Eccleſia. p. 182. c. 1

Arelatenſis juriſdictionis controverſia cum Vienneſi. *ibid.*

Arma Chriſtianorum. p. 11. c. 2. p. 35. c. 1

Arma dæmonum qualia ſint. p. 84. c. 2

Arii error. p. 17. c. 1

Aſcenſio Domini materia noſtri gaudii. p. 72. c. 1

Athanaſius beatæ memoriæ Epiſcupus. p. 194. c. 2

Attici inſolentia. p. 201. c. 2

Atticus, & Andreas Eutychianæ perfidiæ conniventes. p. 203. c. 2. Iidem non admittendi in communione ante publicam erroris deteſtationem. *ibid.*

Avaritiæ morbus. p. 11. c. 1

Avaritia quam pernicioſa. p. 56. c. 2

Avarorum & prodigorum egeſtas. p. 6. col. 1

B

BAptizandi parvuli qui in captivitatem devenerunt, & baptiſmum non reminiſcuntur ſe conſecutos. p. 120. c. 2

Baptizatis ab hæreticis, quod ibi defuit, decet conferri. *ibid.*

Baptizatus qui ſe agnoſcunt, ſed cujus Fidei fuerint neſciunt, per manus impoſitionem Catholicis copulandi ſunt. p. 165. c. 2

Baptizavit Petrus Apoſtolus in die Pentecoſtes tria millia virorum. p. 100. c. 2

Baptizandi duo tempora a Romanis Pontificibus prefixa: Paſcha ſcilicet & Pentecoſte. *ibid.*

Baptizandum omni tempore in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii. *ibid.*

Baptiſmi iteratio vi vel errore facta ſublevanda remediis, diligenti habita ratione ætatis aut periculi. p. 149. c. 1

Baptizati ab hæreticis ſola Spiritus-ſancti invocatione, per impoſitionem manuum confirmandi. *ibid.*

Baptizandum non eſt in natalibus Martyrum. *ibid.*

Baptiſmus eſt quaſi Virginis uterus. p. 17. c. 1

Baptiſmus in die Epiphaniæ celebrari non debet. p. 99. c. 2

Baptiſmum ſi quis receperit ignoret, neceſſe eſt renaſcatur. p. 165. c. 2

Baptiſterium miraculoſum aqua vacuum Paſchali nocte hora baptizandi ex ſe repletur. p. 140. c. 1

Baſilius. p. 107. c. 2. p. 112. c. 1

Beata mens quæ ſit. p. 45. c. 2

Bigamia non eluitur in Baptiſmate. p. 186. c. 1

C

CAiphæ furor. p. 52. c. 1

Canonici termini non traſgrediendi. p. 187. c. 1

Canonum obſervantia exigenda. p. 191. c. 1

Canonum obſervantia commendatur. p. 196. c. 1

Captivi uxorem qui duxerit, eſt inculpabilis. p. 148. c. 2

Captivi reverſi liberam habent facultatem priores uxores in conjugium recipere. *ibid.* c. 1

Caro noſtra jugiter caſtiganda. p. 78. c. 2

Caroſi monaci petulantia. p. 196. c. 2

Caroſus in Fide correctus. p. 197. c. 2

Caroſus & Dorotheus e ſuis monaſteriis ablati. p. 197. col. 2

Ca-

Digitized by Google

Catholica Fides in humano genere quid? p.203.c.2
Catholicæ Fidei defenſores diligendi p.196.c.2
Cauſa major quæ, & ad quem. p.185.c.1.
Centenalis Theophili curſus quid? p.194.c.1.
Centurionis Fides. p.65.c.2.
Chalcedonenſi Concilio præeſt per Vicarios Romanus Pontifex. p.125.c.1
Chalcedonenſis Synodus juſſu Pulcheriæ convocata. p.126.c.2
Chalcedonenſe Concilium pacem Eccleſiæ Catholicæ reddidit. p.135.c.2
Chalcedonenſe Concilium a Pontifice Romano approbatum. ibid.c.2
Chalcedonenſis Synodi decreta non retractanda. p.198.c.2
Chalcedonenſis Synodus Evangelicis doctrinis conſona. p.199.c.1.2
Charitas omnium virtutum mater. p.34.c.1
Charitas eſt virtus Fidei Chriſtianæ. p.41.c.1
Charitas facit omnia communia. p.44. & ſine ea non proſunt cæteræ virtutes. ibid.c.2
Charitate & miſericordia nihil contra diabolum efficacius. p.73.c.1
Chriſtiana exercitia cur nobis tradita. p.84.c.2
Chriſtiani omnes Sacerdotalis officii ſunt conſortes. p.3.c.1
Chriſtiani nonnulli religioſa priuſquam ad B. Petri Baſilicam perveniant, ſuperatis gradibus quibus ad ſuggeſtum aræ aſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe Solem reflectunt, & curvati cervicibus in honorem ſe ſplendidi orbis inclinant. p.21.c.1
Chriſtianorum vita debet reſpondere ipſorum profeſſioni. p.60.c.2
Chriſti in carne venturi promiſſio. p.14.c.1
Chriſti corpus non prius formatum, quam animatum. p.22.c.1
Chriſti Incarnationis excellentia. p.25.c.1
Chriſti obedientia & humilitas. p.16.c.1
Chriſti vera divinitas, & humanitas. p.42.c.2
Chriſti patientia & manſuetudo. p.48.c.1
Chriſti Paſſio cur facta in feſto Paſchali. p.53.c.1
Chriſti ineffabili gratia ampliora adepti ſumus, quam amiſeramus. p.71.c.2
Chriſto quis offerat aurum, thus, & myrrham. p.31.c.2
Chriſtus eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. p. 2. c. 1. in ipſo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti omnes etiam ſuſcitati. p.61.c.1
Chriſtus quare ſpecialiter pro Petro rogarit. p. 4. c. 1. cum eſſet dives inops factus eſt, ut nos ſua paupertate ditaret. p.5.c.2
Chriſtus quando major & minor ſit Patre. p. 13. c. 1. aſſumpſit formam ſervi ſine ſorde peccati, humana provehens, divina non minuens. ibid. c. 2. cur in Ægyptum delatus. p. 26. col. 2. in paſſione ſua ſe Deum oſtendit. p. 48. c. 1. ad ſe omnia traxit in cruce p. 52. c. 2. p. 55. c. 2. cur noluerit ſe plangi a mulieribus. p. 57. col. 2. cur clamarit in Cruce. ibid.
Chriſtus quid egerit inter Aſcenſionem & Reſurrectionem. p.71. c. 2. p.72. c.1. Filius dilectus exponitur. p.92.c.2
Ciborum delectus quomodo obſervandus. p.84.c.1
Cibus & potus homini conceſſus, ſanctus & mundus eſt in generis ſui qualitate: quod ſi immoderata aviditate ſumatur, nimietas edaces & bibaces dedecorat, non cibi neque poculi naturam contaminat. p.38.c.2
Cicatrices cur Chriſtus ſervaverit. p.71.c.2
Clerici ſuo nec alieno nomine fœnus exercere debent. p. 98. c. 1. unius Epiſcopi ab alio Epiſcopo non cuſtodiendi. p.187.c.2
Clericorum a Pſeudoepiſcopis ordinatorum ordinatio rata habebitur, ſi in ipſis Eccleſiis perſeverent. p.163.c.2
Clericum transfugam Metropolitanus redire ad ſuam Eccleſiam compellet. p.155.c.2
Clericum alienum, invito Epiſcopo, nemo debet ſuſcipere. ibid.
Clericus cujuslibet ordinis delapſus in hæreticorum ſectam, & ad Catholicam Fidem reverſus, in eo gradu quo erat, remanere debet ſine promotione. p.98.c.2
Clericus a Dæmone invaſus. p.103.c.1.
Collatio Synodorum utilis. p.185.c.1
Collectiones cur inſtitutæ. p.4.c.1
Communione privati, ſi ſic moriatur ſtatus. p.164.c.2
Concilia Provincialia Epiſcoporum bina quotannis celebranda. Quod ſi res difficilis emerſerit, ad Romanum Pontificem referenda. p.155.c.1
Concilium univerſale quod. p. 189. c. 2. ſolum a Concilio decernendum de Fide p. 217. c. 2. Conciliorum decreta de Fide irretractabilia. p.204.c.1
Concilium in Italia celebrandum, & in nullo alio loco. p.114. c.1. quando celebrari non poſſit. p.124.c.1.
Concordia Sacerdotum divino cultui apta. p.196.c.1
Conflictus Chriſtianorum. p.81.c.1
Conjugii non eſt duplicatio ancillam a thoro abjicere, & uxorem accipere. p.164.c.2
Conſcientia ut ſcrutanda. p.36.c.2
Conſtanter reſiſtendum ſceleratis auſibus. p.199.c.1
Conſtantiam Fidei probat Deus. p. 202. c. 2. & poſt certamen palma. p.202.c.2
Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conſuetudo firmata. p.220.c.2
Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſecundum poſt Apoſtol. Sedem obtinet locum. p.220.c.2
Contentione in Concilio oborta omnia ad Pontificem Romanum referenda. p.155.c.2
Continendum non tantum a cibis, ſed etiam erroribus. p.86.c.1.
Continentia mater virtutum. p.47.c.1
Cooperatores Dei ſumus. p.20.c.1.p.39.c.1
Corona Papæ epithetum. p.182.c.1.p.183.c.2
Corporis & Sanguinis Domini perceptio quid efficiat. p.62.c.2
Corvus examine Vincentii corpus tuetur. p.93
Crimen ſuum commodis alienis impendere inhoneſtum. p.98.c.1
Crimina eleemoſynis redimuntur. p.95.c.2
Crucis Chriſti efficacia. p.55.c.2
Crux Chriſti non eſt erubeſcenda, quæ de virtute divini conſilii, non de conditione peccati. p.48.c.1
Crux Chriſti cujus rei Sacramentum. p. 50. c. 2. 55. unica ſpes noſtra. p.51.c.1
Cyrillus. p.103.col.1.p.118.c.2
Cyrillus & Leo contemporanei. p.137.c.2

D

DEcreta Sedis Apoſtolicæ a Sacerdotibus cuſtodienda. p.187.c.1
Definita quæ ſemel ſunt in dubium non ſunt revocanda p.126.c.1.p.204.c.1
Deitatem Chriſti credere debemus, qua ante omnia ſæcula in forma Dei æqualis eſt Patri; humanitatem etiam, qua noviſſimus diebus in forma ſervi unitus eſt homini. p.28.c.2
Delitiæ & epulæ Chriſtianorum. p.47.c.1
Deus dat virtutem ne ſub magnitudine gratiæ ſuccumbant infirmi. p. 1. col. 2. non patitur quemquam ultra vires tentari. p. 202. col. 2. non ſinit fieri quod ſaluti adverſatur. p. 203. c. 1. nihil a nobis ſupra vires exigit. pag. 84. col. 1
Deus charitas eſt. 45. c. 1. eſt author bonorum operum. p. 34. c. 1. quid nos moneat in bonorum collatione. p.1.c.2
Deus Verbum ut in nobis habitavit. p. 24. c. 2. homo factus. p. 194. col. 2. a Juda traditus. ibid. quando crucifixus ibid. a mortuis reſurgens. p. 194. c. 2. non mutatur miſeratione. p. 126. col. 1.
Dextra Patris Filius Dei. p.23.c.1
Diaboli tyrannis ubi deſtructa. p.14.c.2
Diaboli aſtus & malitia in deceptione generis humani. p. 5. c 1. p. 21. c.1. p. 35. c. 2. bene ope-

perantibus magis inſidiatur. p.8.c.2
Diabolum ex ſe vel ex chao eſſe & propriam habere naturam ajunt Priſcilianiſtæ. p.167.c.2
Diabolus in Cruce victus. p.57.c.2
Dignitates Eccleſiaſticæ a quo potiſſimum conferantur, & ad quid valeant. p.1.c.1
Dilectio Dei in quo oſtendatur. p.197.c.2
Diligere Deum eſt amare juſtitiam. p.92.c.1
Dioſcorus Fidei, & morum vaſtator. p.192.c.1
Dioſcori mors. p.197.c.1
Diſſenſio inter nos & dæmnnes. p.34.c.2
Divini Sacerdotii Sacramentum non per generationum tramitem currit, nec quod caro & ſanguis creavit eligitur: ſed ceſſante privilegio patrum & familiarum, eos rectores Eccleſia accipit, quos Spiritus ſanctus præparavit. p.2.c.1
Divinitas Chriſti. p.18.c.1
Divitiæ quantum ad ipſas ſpecies earum atque ſubſtantias pertinet, bonæ ſunt & humanæ ſocietati plurimum proſunt, cum a benevolis habentur & largis, nec illas aut luxurioſus prodigit, aut avarus abſtrudit, ut tam pereant male conditæ, quam inſipienter expenſæ. p.6.c.1
Doctrina Cœleſtis auxilio non indiget. p.205.c.1
Doctrinam Evangelicam & Apoſtolicam retinere oportet, nec ab ea uno quidem verbo licet diſſedere. p.122.c.2
Dominus non deſerit Eccleſiam. p.199.c.1.2
Dorus Beneventanus Epiſcopus. p.101.c.1
Dulcitius notarius. p.107.c.2

E

Eccleſia univerſalis debet omnibus florere virtutibus. p. 3. c. 1. non minuitur perſecutionibus, ſed augetur p. 79. c. 2. nec rugam nec maculam cujuſquam erroris eſt habitura. pag. 121. c. 2
Eccleſia Dei Corpus Chriſti. p.122.c.1
Eccleſiæ ſtabilitas. p.2.c.2.
Eccleſiæ Romanæ fidem nunquam hæretica corrumpere pravitas, nec pagana potuit ſuperare perfidia. ibid.c.2
Eccleſiæ jejunia authore Spiritu ſancto inſtituta. p. 77. col. 1
Eccleſiæ utilitas in agnitione eorum quæ aguntur. p.198.c.1
Eccleſiæ res ad publicos judices non pertinere. p. 197. c. 1
Eccleſiæ qualiter regendæ. p.185.c.1
Egeni qui erubeſcunt palam poſcere ea quibus indigent, & qui malunt miſeria tacitæ egeſtatis affligi quam publica petitione confundi, ſunt ab occulta neceſſitate ſublevandi. p.5.c.2
Egyptii Epiſcopi pro Fide extorres. p. 200. c. 2. Conſtantinopoli ab Imperatore ſuſcepti. ibid in afflictione juvandi. p.201.c.2
Elementa tremuerunt, Chriſto ſpiritum emittente. p.49.c.1
Eleemoſyna ut ſalvet hominem. p. 4. c. 2. & p. 5. c. 1. facit omnes utiles eſſe virtutes. p. 6. c. 2. extinguit peccatum ſicut aqua ignem. p.46. c. 2. excruciat diabolum. p.4.c.2
Eleemoſynæ peccata delent, mortem periniunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. p. 6. c. 2. præcellunt jejuniis. p.78.c.1
Eleemoſynarum fructus. p.4.c.1.& p.9.c.2
Emmanuel nobiſcum Deus. p.16.c.2.p.24.c.1
Emboliſmus. p.139.c.2
Epheſinum Concilium juſſu Imperatoris congregatum. p. 110. c. 2. p. 111. c. 1. factum contrarium Canonibus. p. 114. c. 2. acta illegitima. ibid. non judicium, ſed latrocinium. p. 126. c. 2. p. 213. c. 2
Epicarpius. p.101.c.2
Epiphanius. p.113.c.1
Epiſcopale judicium non retractandum. p.199.c.2
Epiſcopalis conſtantia quam utilis Eccleſiæ. pag. 199. c. 1. 2. quam neceſſaria. p.200.c.1
Epiſcopi gubernacula. p. 185. col. 1. 2. quæ ſuper gregem vigilantia. p.185.c.1.2
Epiſcopi qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati, Epiſcopi non habentur. p.164.c.1
Epiſcopi notitia qualis. p.197.c.1
Epiſcopi plurimi quod hæreſim recipere noluerint ſedibus pulſi, & in exilia deportati. p.125.c.1
Epiſcopo non deeſſe divina præſidia. p.197.c.1
Epiſcoporum Galliæ epiſtola egregia. p.127.c.1
Epiſcopus quis ordinandus. pag. 158. c. 1. nullus invitus & non petens ordinandus. p.155.c.1
Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus unius uxoris viri. p. 186. c. 1. debent ceſſare ab opere conjugali, non tamen repudiare conjugium. pag. 164. c. 2.
Epiſcopus imitari debet prædeceſſorem. p. 184. c. 2. ſervum alterius ad officium clericatus promovere non poteſt. p. 97. c. 1. civitatem ſuam deſerens majorem ſedem ambiendi cauſa, illam obtinere non poterit, & ſua privari debebit. p. 155. c. 2
Errantium correctio ſperanda. p.197.c.1
Errores veritatis ſplendorem conciliant. p.221.c.2
Errores damnati repellendi. p.203.c.1
Evangelica prædicatio efficacior quando? pag.197. col. 1
Eudoxia in melius mutata. p.191.c.1
Euſebius Epiſcopus Mediolanenſis. p.129.c.1
Eutyches in divinis humana vacuabat. p. 86. c. 1. communione a Flavio privatus. p.102.c.1
Eutychetis hæreſis. p.22.c.2. impietas. p.103.c.1. de juſtiſſima ipſius excommunicatione. ibid.c.2
Eutychetis verſutia. p. 208. col. 2. quid ſenſerit de Chriſto. ibid. & p. 189. col. 1. Sacerdotio, & communione interdicatus. p.208.c.2
Excommunicationis ſententia non temere ferenda eſt. p.162.c.1
Exempla glorioſa cito ſequenda. p.184.c.2

F

Facultatum terrenarum non tam poſſeſſio, quam diſpenſatio nobis commiſſa eſt. p.6.c.1
Fatorum obſervatio ſuperſtitioſa. p.21.c.1
Favor Dei precibus impetrandum. p.223.c.2
Fide nil ſublimius ad lætandum. p.218.c.2
Fidelis & religioſus animus ea quæ ſunt cœleſtia concupiſcit, & divinarum promiſſionum avidus in amorem incorruptibilis boni, & in ſpem veræ lucis ſe attollit. p.2.c.2
In Fide nihil novum docendum. pag. 193. c. 2. quod principale eſt inceſſanter obtinendum. p. 198. c. 2
De Fide cum hæreticis non diſputandum. p.203. col. 2
Fidei Eccleſiæ Romanæ præconium. p. 2. col. 2 unitas. pag. 205. c. 1. conſtantia manifeſtata. ibid. commendatio. p. 17. c. 2. difficultas, pag. 18. col. 1
Fidei victoria cui tribuenda. p. 221. c. 1. ſacramenta cuſtodienda. p. 210. c. 2. virtus in iis quæ viſui non ſubjacent. p.66.c.1
Fidem mirabilem Magorum non terrena ſapientia erudivit ſed Spiritus ſanctus inſtituit. p.29.c.1
Fides una & eadem ſemper fuit. p. 16. col. 1. p. 32. c. 1. p. 60. c. 2. oblatrantium hæreticorum ſpernit errores. p.22.c.2
Fides operibus eſt declaranda. p.32.c.2
Fides ſine charitate eſſe poteſt. p.5.c.1
Fides Eccleſiæ Mediolanenſis. p.129.c.1
Figura Paſſionis Chriſti. p.56.c.1
Filius Dei coœternus eſt Patri. p.15.c.1
Filii perſona cur incarnata ſit. p.59.c.1
Flavianus Sanctæ memoriæ Epiſcop. p. 193. c. 2. p. 217. col. 2
Flavianus in Epheſina Synodo damnatus. p. 210. c. 2. ab Eccleſiaſticis Sacramentis ſeparatus. p. 212. c. 2
Fœminæ quæ captis viris aliis nupſerunt remeantibus de captivitate viris, ad priores viros reverti debent. p. 148. c. 2. Si reverti nolint ad prio-

Digitized by Google

priores viros, communione Eccleſiæ ſunt privandæ, & impiæ habendæ. *ibid.*
Fœneratoris malum. p.11.c.1
Fœnoris iniquitas fugienda eſt, & lucrum quod omni caret humanitate, vitandum eſt. *ibid.*
Fœnus pecuniæ funus eſt animæ. *ibid.*
Fragilitas conditionis humanæ facile in delicta probatur. p.32.c.2

G

GEnerationes mirabiles omnium ætatum. p. 25. col. 1
Gloria vana in benefactis vitanda. p.87.c.1
Gloriæ inanis contentio vitanda. p.202.c.2
Gradus aſcenſionis ad beatitudinem. p.91.c.1
Gratia Dei, qua ſemper eſt univerſitas juſtificata Sanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta. p.16.c.1
Gratianopolis Viennæ ſubjecta. p.183.c.2

H

HÆreſes omnes in ſua perverſitate damnandæ; habent tamen ſingulæ in aliqua ſui parte quod verum eſt. p.17.c.1
Hæreſes diverſæ circa Incarnationem Verbi. p.24. col. 2
Hæreſeon catalogus. p.22.c.2
Hæreſis latere non poteſt. p.38.c.2
Hæretici diaboli miniſtri. pag. 9. c. 2. prodendi ſunt, magna eſt enim pietas impiorum prodere latebras. p. 5. c. 2. p. 10. col. 1. paratiores docere, quam diſcere. p.24.c.2
Hæreticorum jejunia vana. p. 77. col. 1. fraudolenta ſubtilitas. p. 103. col. 1. linguis diabolus utitur ad ſeducendos rectorum animos. pag. 9. col. 2. ſermo ſerpit ut cancer; humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. *ibid.* Veniunt ſub veſtitu ovium, intus autem ſunt lupi rapaces. *ibid.* mentiuntur ſe Chriſtianos. *ibid.*
Hæreticorum perverſitas nihil obtineat. p. 200. c. 1. nomina ad ſacra altaria non recitanda. p. 122. c. 1. p. 124. c. 2
Hæreticorum petitionibus non annuendum. pag. 207. c. 2. reliquiæ comprimendæ. p.198.c.1
Hæreticus ſe damnat, cum de Eccleſia ipſe ſe projicit. pag. 524. c. 2. diſcedendus ab unitate Eccleſiæ. p.204.c.1
Hæſitatio diſcipulorum de Reſurrectione Domini cur permiſſa ſit. p.71.c.1.
Hærodes quid. p.30.c.2
Hærodis & diaboli ſimilis inſidiandi furor. pag.32 col. 1
Hilarius Diaconus. p.107.c.2.108.c.2
Hilarius ne acta Epheſini Concilii ſubſcribere per vim cogeretur effugit. p.115.c.1.p.116.c.1.& 2
Hilarii Arelatenſis pertinacia. p.187.c.1
Homo ad imaginem Dei conditus eſt ut imitator ſui eſſet authoris. p.7.c.1
Hoſtiæ ſpirituales quæ. p.3.c.1.
Humana natura per Chriſtum ſublimata. pag.15. col. 1
Humilibus & obedientibus nihil difficile. pag. 31. col. 1. p. 196. c. 1
Humilitatis Chriſti magnum exemplum. pag. 32. c. 1. veſtigia ſectanda. p. 24. c. 2. Laus. p.33. col. 1

I

JEjunare corpus ab eſcis, mens debet a vitiis. p.12.c.2
Jejunia nos contra peccata faciunt fortiores, concupiſcentias vincunt, tentationes repellunt, ſuperbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt. p.9.c.1.p.12.c.2
Jejunia a Spiritu ſancto manarunt. pag. 64. c. 1. non tam purgatio animæ, quam carnis afflictio eſt. p.12.c.2
Jejunii tempora ab Eccleſia deſcripta. p.12.c.2
Jejunio nihil poteſt eſſe efficacius. pag. 8. col. 1. Iſraelitæ vires animi & corporis ſibi reparaverunt in Philiſtinos. p.34.c.1
Jejunium Chriſtianum. p. 37. c. 1. verum. pag. 42. col. 2. ſanctum & ſpiritale. pag. 36. c. 1. eſt Apoſtolicæ traditionis per Spiritum ſanctum, ſancta obſervantia celebrandum. p.75.c.2
Jejunium generale præfertur privato. p.84.c.2
Jejunium menſis Septembris cur inſtitutum, ejuſque efficacia. p.8.c.1
Jejunium tunc proficit, cum abſtinentia jejunantis eſuriem reficit indigentis. p.78.c.1
Jejunium corporale abſque ſpiritali non prodeſt. p. 12. c. 2
Jejunium licet in veteri Teſtamento ſit obſervatum, tamen etiam in novo obſervandum eſt. p. 9. c. 1
Incarnatio Chriſti non fuit fruſtra dilatata. p.16. col. 1
Incarnatio Chriſti facta eſt Hærode apud Judæos Rege, ubi legitima Regum ſucceſſione ceſſante & Pontificum poteſtate deſtructa, alienigena obtinuerat principatum. p.27.c.2
De Incarnatione Domini quid ſenſerint Patres. p. 189. c. 2
Incarnationis Myſterium expenditur. p. 13. c. 1. diabolo occultatum. p.58.c.2. p.66.c.2
Incarnationis Filii Dei neceſſitas. p. 14. c. 1. p. 15. c. 2 p.22.c.1
Infans cujus eſt tantum unius diei vita ſuper terram, non eſt mundus a ſorde. p.13.c.1
Infantia quam ſit Chriſto grata. p.33.c.1
Ingratitudinis eſt tacere Dei beneficia. p.1.c.1
Ingratitudo quam pernicioſa. p.80.c.2
Inhabitationis divinæ experimenta. p.34.c.1
Iniquitates Dominus ſi obſervaret, nullus judicium ſuum ſuſtineret. p.1.c.2
Iniquus tam is eſt qui non juvit afflictum, quam qui oppreſſit. p.95.c.1
Injuriarum remiſſio neceſſaria. p.46.c.1
Inobedientia corrigenda. p.187.c.2
Innocens nemo præ vitæ difficultate. p.45.c.2
Innocentes Martyres Hærodis juſſu necantur. p. 26. col. 1
Inſidiator occultus plus nocet quam hoſtis manifeſtus. p.43.c.2
Inſtabiles animæ quid paveant. p.197.c.1
Inſtitutiones Apoſtolorum ſervandæ. p.5.c.2
Inſtructio Alexandrini Epiſcopi de ritu paſchali. p. 197. c. 2.
Interceſſio Sanctorum. pag 8. col. 1. pag. 10. c. 2. p. 13. c. 1
Intemperantiæ malum. p.12.c.1
Joannis decurionis legatio & laus. pag.197. col.2
Judæ ſcelus. pag. 48. col. 1. deſperatio. pag. 49. col. 2 p.58.c.2
Judas non credidit Chriſtum Deum. pag. 48. col. 2
Judæi inexcuſabiles in paſſione Chriſti. pag. 63. col. 1. dum ſolam carnis naturam in Chriſto aſpiciunt, tota ſe veritatis luce privant. p. 23. col. 2
Judæorum ſcelus. p.55. c.1. duritia. p. 65. col. 2. punitio. p.50.c.1
Judæorum vocatio ad reſipiſcentiam. pag. 150. col. 2
Judæorum excæcatio fuit gentium illuminatio. p. 26. c. 2
Judæorum atque Gentilium certamen. pag. 324. col. 2
Judicii extremi forma. p.5.c.1
Juliani ſuggeſtiones. p.196.c.2
Julianus Aquilejenſis Epiſcopus. p.98.c.2
Julianus Epiſcopus Coenſis. p.107.c.2
Juſtificatio non meritis retribuitur, ſed ſola in baptiſmo gratiæ largitate donatur. p.46.c.1
De Juſtitia Dei nemo præſumat, & de ipſius miſericordia nemo diffidat. p.1.c.2
Juſtus quum ceciderit non collidetur, quia Do-

 minus

minus ſupponet manum ſuam, p.69.c.2
Juvenalis Epiſcopus. p.136.c.1

L

LAtronis magna fides. p. 339. col. 2. converſio in Cruce. p.48.c.2
Latronum in Cruce ſignificatio. p.50.c.2
D. Laurentii Martyris excellentia. p.81.c.2
Leges privatæ non debent eſſe auſteriores, quam publicæ. p.36.c.2
Leo fidem ſuam ex Gallicorum & Italorum ſuffragio aſſerit. p.200.c.1
Lex per Moſem data eſt, gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt. p.66.c.1
Lex vetus figuras & umbras, nova effectum habet. ibid.
Libertas Chriſtiana qualis ſit. p.84.c.1
Litterarum frequentia Pontificis cura dignoſcitur. p.188.c.1
Lucianus Religioſus Epiſcopus. p.221.c.2
Lumen illud verum toto mentis affectu debemus amplecti, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. p.21.c.2
Lumen majus apparet, ſi poſt tenebras. pag 221. col. 1
Luporum ſævitia nulla immiſcenda ſimplicitati ovium. p.204.c.2

M

MAcedoniani licet Patri & Filio tribuant æqualitatem tamen Spiritum ſanctum inferioris putant eſſe naturæ. p.73.c.2
Macedonius divinitatem Spiritus ſancti non recepit, ſed in Patre & Filio unam potentiam, & eandem confeſſus eſt eſſe naturam. p.17.c.1
Machabæorum fratrum Martyrium. p.81.c.1
Machinamenta hæreticorum confracta. p.197.c.2
Magi in Oriente ſtellam novæ claritatis viderunt ſideribus cæteris pulchriorem & illuſtriorem. pag 26. col. 1. thus Deo, mirram homini, aurum offerunt Regi, venerantes divinam humanamque naturam in unitate. ibid. col. 1. pag. 29. col. 2. cur per aliam viam reverſi ſint. p. 28. col. 1. primitiæ gentium. ibid. c.1
Magi quid. pag. 30. col. 2. tres unde venerunt. pag. 31. col. 2. tres cur adoraturi veniant. p. 32. col. 2. potuerunt de antiquis Balaam pronunciationibus commoveri, ſcientes eſſe prædictum: *Orietur Stella ex Jacob, & exurget homo ex Iſrael & dominabitur gentium.* p.29.c.1
Malum urbis auctoritate pellendum. p.201.c.2
Malum eſt ab Apoſtolica traditione deviare. pag. 201. col. 2
Mandata Dei ſplendidiſſimum ſpeculum in quo homo faciem ſuæ mentis inſpicit, & quam conformis aut quam diſſimilis agnoſcit. pag. 46. col. 1
Manichæi execrabiles. pag. 186. col. 2. infames. pag. 214. col. 2. impii. pag. 10. col. 1. pag. 29. col. 2 p.43.c.2
Manichæi legem per Moſem datam & inſpirata divinitus oracula rejiciebant, ipſaſque Evangelicas & Apoſtolicas paginas quædam auferendo & quædam inferendo violabant, multaque falſitatis volumina ſub Apoſtolorum nominibus confingebant; quibus erroris ſui commenta muniebant. p.29.c.2
Manichæi indignum putabant credere Deum Dei Filium fœmineis ſe inſeruiſſe viſceribus, & majeſtatem ſuam huic contumeliæ ſubdidiſſe, ut naturæ carnis immixtus in vero humanæ ſubſtantiæ corpore naſceretur. p.29.c.2
Manichæi negant Chriſtum de Maria Virgine natum corporaliter, vere paſſum, ſepultum & ſuſcitatum. p.17.c.1
Manichæi in honorem Solis ac Lunæ die dominico & ſecunda feria jejunant. p. 38. c. 2. plurimi Romæ detecti. pag. 98. c. 1. contumaces exilio relegati. ibid. c. 1. vitandi. p.30.c.1
Manichæi quibus pœnis, affligendi. p. 187. col. 2. dignitate militiæ, & urbis habitatione privandi. ibid.
Manichæorum ſacrificia tam obſcena ſunt quam neſanda. p.10.c.1
Manichæus quo tempore extiterit. p.75.c.1
Manus imponere quid. p.158.c.1
Marcianus Imperator. p. 120. c. 2. p. 122. c. 2. p. 194. col. 1. ſollicitudo. p. 197. col. 2. mors. p. 198. c. 1.
Maria ſacra gravidanda fœtu divinam humanamque prolem prius concepit mente quam corpore. p. 11. c. 1
Martinus Presbyter. p.119.c.2.p.120.c.1
Martyrum ſolemnitates exhortationes ſunt martyriorum. p.93.c.2.
Matrimonium verum etiam ante baptiſmum. p. 185. c. 1.
Maximi Antiocheni Epiſcopi crimen. p.197.c.2
Maximus Donatiſta Epiſcopus converſus ad fidem. p. 159. c. 2
Mediator Dei & hominum Chriſtus. p.13.c.3
Mendacia colorata avertenda. p.193.c.1
Menſura donorum cœleſtium non pendet de qualitate noſtrorum operum. p.1.c.2
Merces poſt laborem. p.202.c.1
Metropolitanis ſua jura ſervanda. p. 154. col. 2. ordinare debent Epiſcopos irreprehenſibiles, non laicos bigamos, & viduarum maritos. p.155.c.1
Metropolitanæ Venetiæ. p.156.c.2
Metropolitanus Epiſcopus de electo quem eſt ordinaturus ad Theſſalonicenſem Epiſcopum debet referre, & Metropolitanum Provinciales Epiſcopi facere. p.155.c.1
Metu in hæreſim lapſi ſi converſi fuerint recipiendi. p.122.c.2.p.124.c.2
Miraculum quod Meltinæ accidit. p.140.c.1
Miſericordia Dei non abutendum. p.46.c.2
Miſericordia nihil contra diaboli dolos validius, p. 73. c. 1
Miſericordia in pauperes quam grata Deo. p. 45. col. 1
Miſericordiæ opera ſalvant hominem. p.5.c.2
Miſericordiæ tria potiſſimum opera. p.7.c.2
Monachi propoſitum propria voluntate ſuſceptum non poteſt deſeri abſque peccato, purgari debet ſatisfatione publicæ pœnitentiæ. p.165.c.1
Mulieres plangentes & lamentantes Chriſtum. p. 57. c. 1
Mutabile eſt non ſolum quod minuitur, ſed etiam quidquid augetur. p.18.c.1

N

NAtivitas nihil abſtulit nihil contulit majeſtati Filii Dei, quia ſubſtantia incommutabilis nec minui nec augeri potuit. p.20.c.2
Nativitas Chriſti omnem intelligentiam ſuperat, & cuncta traſcendit. p.25.c.1
Natura divina & humana in una perſona ſubſiſtit. p.15.c.2
Naturæ duæ in Chriſto. p.20.c.2
Naturæ divinæ & humanæ tanta eſt unitatis facta communio, ut quicquid ibi eſt Dei non ſit ab humanitate disjunctum; quicquid eſt hominis, non ſit a Deitate diviſum. p.22.c.1
Naturæ humanæ infirmitas. p.11.c.2
Neſtorius divina ab homine dividebat. pag. 86. col. 1
Neſtorius, & Eutyches anathem. p.189.c.2
Nicæni Concilii quanta authoritas. p. 130. col. 2. p. 181. c. 1
Noctuæ proprietas, hæreticorum figura. pag. 366. col. 1
Norma vetuſtatis in regula fidei ſervanda. p. 193. col. 2
Nuptias & procreationes filiorum afferunt Priſcillianiſtæ eſſe peccatum. p.167.c.2

Obcæ-

INDEX

O

OBcæcationes ſibi imputent pertinaces. p. 193. c. 2
Occaſio nulla danda ioimicis Crucis Chriſti. p. 193. c. 2
Opera bona neceſſaria filiis Dei. p.20.c.1
Operum commendatio. p.31.c.1
Opportnoitas noo negligeoda ſcribendi ad Pontificem. p.191.c.1
Opiniones terrenæ varietatis abigendæ. p. 203. c. 2
Orandum pro hæreticis. p.30.c.1
Ordinandi diligenter examineotur. p.185.c.1
Origenis opinio de anima damnatur. pag. 708. col. 1
Otii & tranquilitatis pericula. p.32.col.1

P

PAganorum & hæreticornm varia jejunia. p. 77. col. 2
Palæſtini Monachi. p.141.c.1.& 2
Paſcha ſecundum Hæbreos tranſitns dicitur. p. 140. c. 1
Paſcha a Paſſione nomen accepit. p.140.c.1
Paſcha tantum die dominico celebretur. p. 196. col. 2
Paſchale tempus quale. p.194.c.1.2
Paſchalis ſolemnitas cæteris excellentior. p. 44. c. 1. p. 53. col. 1
de Paſchatis die variæ opiniones. p. 140. c. 1. 2 p. 141. c. 1
de Paſchali ſolemnitate nihil variandum. p.196.c.2
Paſcha Chriſtianorum quare, & in quo differat a Judæis. p.194.c.2
de Paſchate compuzi varj. p.196.c.2
Paſchaſinus Epiſcopus Lilibetanus. p.139.c.2
Paſſio Dominica purificatis corporibus, & animis celebranda. p. 57. c. 1. contemplata quid præſtet. p.58.c.1
Paſſionis dies undecimo Kalendas Maii occurrit ſecnndum aliquos. p.140.c.1
Patritii laudata conſtantia. p.199.c.2
Patrum traditiones ſervandæ. p.6.c.1
Paulus præco veritatis, tuba Spiritus Sancti. p. 213. c. 2
Pauli vocatio. p 355.c.2. præconium. p.354.c.1 ſpeciales virtutes. p.352.c.2
Paulus Presbyter. p.101.c.1.2
Pavor diſcipulorum excuſabilis. p.56.c.1
Panperes cur Deus eſſe permiſerit. p.85.c.1
Panperibus verecundis ſnbveniendum. p.5.c.2
Paupertas Chriſtiana ſemper dives eſto quia plus eſt quod habet quam quod non habet, nec pavet in iſto mundo indigentia laborare cui datum eſt io omnium rerum Domino omnia poſſidere. p.38.c.1
Pax cum Deo qualis ſit. p.19.c. 2. ejuſdem commendatio. *ibid.*
Pax mundi qualis. p.20.c.1
Pax hominis vera, & libertas. p.34.c.2
Peccati remiſſio non fit ſine Spiritus Sancti advocatione. p.74.c.2
Peccatum in Spiritum ſanctum cur ſit irremiſſibile. p.74.c.2
Peccatum malnm eſt ſine delectatiooe, ideo cito acquieſcitur deceptoriæ voluptati diaboli. p.32.c.2
Pentecoſtes jejunium. p.77.c.2
Perſectorum vera juſtitia. p.35.c.2
Perſecutionibus tirannorum creſcit Eccleſia. p.32.c.1
Perſecutio nova dæmonis in Chriſtianos. *ibid.* col. 1
Perſecutionis Chriſtianorum oon una caoſa. p. 43. col. 2
Petrus in accepta fortitudine petræ perſeverans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. p. 2.c.2. non ſolum ſedis Romanæ præſul, ſed omoium Epiſcoporum Primas. *ibid.* c. 2
Petrus unus eligitur de toto mundo, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cnnctiſqoe Eccleſiæ Patribus præponatur. p. 3. col. 2. dicitur Petra ſopra quam fundatur Eccleſia. *ibid.* explicanrur illa verba: Beatus es Petrus, quia ſanguis & caro non revelavit tibi; ſed Pater meus qui in Cœlis eſt. *ibid.* c.2
Petrus & Paulus quid Romæ cootulerint. p. 78. col. 2
Petrus Apoſtolorum primus. p. 79. c. 2. totius Eccleſiæ Princeps. p. 80. c. 2. Petra. *ibid.* ſupra cæteros data eſt cura ovilis dominici. p.71.c.2
Petri converſio. p. 50. c. 1. negatio. p. 56. c. 2. confeſſio. p. 80. c. 1. privilegium. *ibid.*
Photinus Chriſtnm Deom de Deo ante omnia ſæcula genitum eſſe non credidit. p.17.c.2
Pietas Sacerdotalis Imperatorum. p.191.c.1
Pietate carens vacuis arboribus comparatur. p. 12. col. 1
Piis maxime inſidiatur diabolus. p.43.c.2
Pilati facinus & judicium. p.54.c.2
Piſcatores ad prædicandum Evangelium cur electi. p.205.c.1
Pœna eorum qui eleemoſynas non fecerunt. p. 12. col. 1
Pœnitens nullum negotiationis lucrum exercere debet. p.163.c.2
Pœnitentia Judæ iofructuoſa. p. 48. col. 2. p. 52. col. 1
Pœnitentia. p. 150. col. 1. p. 162. col. 2. dilata. p. 164. c. 2
Pœnitentia lapſi inſtaurantur. p.46.c.1
Pœnitentia hæreticis correctis non deneganda. p. 205. col. 2
Pœnitentia unicum Chriſtianorum præſidinm. p. 206. col. 1
Pœnitentia in Deum non cadit, qui ſecnndum æternum placitum non poteſt aliud velle quam voluit. p.95.c.1
Pontificatus qualitas quæ ſit ſecundum ordinem Melchiſedech. p.2.c.1
Pontificis cura per omnes Eccleſias oſtenditur. p. 186. col. 1. ſollicitudo omnibus Eccleſiis debita. p.199.c.2
Pontificis ſcriptis obediendum. p.208.c.1
Poteſtas ligandi & ſolvendi tranſit quidem in alios Apoſtolos, & ad omnes Eccleſiæ Principes, ſed non fruſtra uni Petro commendatur, quod omnibus intimatur & quare. p.3.c.2
Præcepta moralia veteris legis per Chriſtum abrogata ſunt. p.62.c.1
Prærogativa terrenæ originis non obtinet unctionem, ſed dignitas cœleſtis gratiæ gigoit Antiſtitem. p.2.c.1
Presbyteri aut Diaconi ordinatio celebranda die dominica. p.150.c.2
Presbyteri aut Diaconi in aliquo crimine detecti per manus impoſitionem non accipiunt remedium pœnitentiæ. p.264.c.2
Primatus Romanæ Eccleſiæ. p.160.c.2
Primordia rerum a Deo cupienda. p.221.c.2
Priſcillianiſtæ cur die natalis Domini & die dominico jejunent. p. 167. c. 1. corpora humana dicunt eſſe figmenta dæmonum, eorumque opera conceptionum ſemina in mulierum uteris figurari. p. 167. c. 2. Reſurrectionem negant. *ibid.* Filios promiſſionis aſſerunt ex Spiritu ſancto conceptos. *ibid.* animas incœleſtibus peccaſſe dicunt, & ſecundum peccati æqualitatem in hoc mundo accipere ſortem bonam vel malam. *ibid.* animas & corpora hominum fatalibus ſtellis adſtringi opinantur. p.168.c.2
Priſcillianiſtarum libri apocriphi. *ibid.*
Privilegia Eccleſiarum Patrum Canonibus & Nicenæ Synodi decretis inſtituta. p.132.c.1
Privilegium Viennenſi Epiſcopo redintegratum. p. 187. c. 1
Prophetæ locuti ſunt futura ut præterita. p. 63. col. 2
Promiſſio ad Abraham facta in Chriſto eſt completa. p.25.c.2
Proterius Alexandrinus Epiſcopus. p.142.c.1
Proterii fides probatiſſima. p. 198. col. 2. cædes. p.199.

Digitized by Google

p. 199. c. 1. & 2. literæ ad Leonem. p. 196. c. 2.
Alter Abel. p.204.c.2
Pueri effici debemus. p.33.c.1
Pugna continua Chriſtianorum. p. 8. col. 2. p. 11. col. 2
Pulcheria Auguſta. p.108.c.2
Pulcheria Auguſta Neſtorianam & Eutychianam hæreſim deſtituit. p.127. c. 1. Catholicos Sacerdotes de Eccleſiis ſuis injuſta ſententia ejectos reſtituit. *ibid.* quid petat a Leone. p.217.c.2

Q

QUadrageſimæ obſervatio. p. 12. c. 2. p. 34. c. 2. ſacratiſſimum jejunim. p. 37. c. 2. hoc tempore vivendum ſanctius. p. 39. c. 2. p. 40. c. 1. p. 43. c. 1. jejunium cur Paſcha præcedat. p.44.c.1
Quæſtiones fatuæ reſpuendæ. p.208.c.1

R

RAvennius Arelatenſis Archiepiſcopus. p. 162. col. 1
Regni ſtatus optimus, quando ſempiternæ Trinisati unius deitatis confeſſione ſervitur. p. 102. c. 1
Religio Catholica reverenda. p.217.c.2
ex Religione recta imperii ſecuritas. p. 218. col. 2
Renatus Presbyter. p.107.c.2. p.118.c.2
Reparatio hominis major quam creatio. p. 60. col. 1
Reſurrectio Chriſti lætitiæ noſtræ cauſa. p. 72. col. 1
Reſurrectionis Chriſti multa documenta. p. 169. col. 1
Retractandum nihil de bene compoſitis. p. 204. col. 1
Roma quæ erat magiſtra erroris facta eſt diſcipula veritatis. p. 78. c. 2 Sedes S. Petri, caput orbis effecta latius preſidens religione divina, quam dominatione terrena. p.78.c.2 & 79.c.1
Romana Eccleſia ſupra omnes mundi totius Eccleſias principatum tenet. p.182.c.2
Romana Fides annunciata in univerſo Mundo. p.89.c.1
Romanus Pontifex præſidet Conciliis. p.125.c.1
Romanorum ſuperſtitio. p.79.c.1

S

SAbellius unitatem ſubſtantiæ in Patre & Filio & Spiritu ſancto inſeparabilem ſentiens, ſingulariter dedit quod æqualitati tribuere debuit. p. 17.
Sacerdos contra interdicta faciens a ſuo officio ſubmovendus. p.98.c.1
Sacerdotale nihil tam quam vovere Deo puram conſcientiam, & immaculatas pietatis hoſtias de altare cordis offerre. p.3.c.1
Sacerdotes ſunt ſpecioſiſſima Dei tabernacula & excellentiſſima corporis Chriſti membra. p.1.c.2
Sacerdotes præcipue inter cæteros populos debent meritis pietatis excellere. p.3.c.1
Sacerdotibus ſolis dicendi & prædicandi munus conceſſum. p.137.c.2
Sacerdotium & Eccleſiaſtica officia, viduarum mariti, & quibus fuerint numeroſa conjugia, conſequi non poſſunt. p.97.c.2
Sacrificium nullum ſacratius quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit. p.59.c.2
Sacrificium Miſſæ iterandum in feſtivitatibus, cum multitudo fidelium frequentior eſt. p. 150. col. 2
Salvator divinitate impaſſibilis carne paſſibilis. p.189.col.1
Salvatore coruſcante, Antichriſtus fugabitur. p. 193. c. 1
Salus hominis a quo. p.205.c.1
Salus nemini unquam contigit niſi per Chriſtum. p.47.c.2
Salutis ſacramenta per ordinem rerum digeſta ſunt. p.99.c.2
Sanctorum patrocinium. p. 75. c. 2. ambienda ſuffragia. p. 31. c. 1. mors pretioſa in conſpectu Dei. p. 59. col. 2. meritis adjuvamur. p. 78. col. 2
Sanguis Chriſti tam potens fuit, ut ſi univerſitas captivorum in Redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. p. 59. col. 2
Sapientia Chriſti cæcitas facta eſt prudentibus Mundi. p.18.c.2
Sapientia mundi ſtulta. p. 205. c. 1. in quo differat ab Evangelio. *ibid.*
Securus in hac vita nemo eſſe poteſt. p. 34. col. 1
Signa facta in morte Chriſti. p.40.c.2
Simonis Cyrenæi myſterium. p.55.c.1
Solem inchoatione divinæ lucis exurgentem inſipientiores quidam de locis eminentioribus adorant. p.21.c.1
Soli boni conſecrandi Sacerdotes. p.185.c.1
Soliditas Petro conceſſa tranſit in ſuos hæredes. p.95.c.1
Soliditas Fidei quæ in Apoſtolorum Principe laudata eſt, perpetua eſt. p.2.c.1
Sollicitudo indeſinenter inſtruenda de his, quæ circa Fidem. p.191.c.1
Solvere Jeſum quid ſit. p.106.c.2
De Spiritu ſancto quid ſentiendum. p. 74. col. 1
Spiritus ſanctus etiam ante Pentecoſtes datus. *ibid.* etiam provincialibus Synodis revelat. p. 187. col. 2
Spiritus ſancti dona ſeptem. p.75.c.2
Stella cur Magis apparuerit. p. 27. c. 2. quid miſtice ſignificet. p.30.c.2
Studia Chriſtianorum Quadrageſima. p.43.c.1
Subdiaconis carnale conjugium denegandum. p. 155. col. 1
Superbia bonis operibus inſidiatur. p.38.c.2
Superſtitio paganorum damnata. p.186.c.1
Synodi definitio irretractabilis. p.203.c.1
Synodi Oecum. non iteranda decreta. p. 204. col. 1
Synodus non cogenda ad hæreticorum vota. p. 201. col. 1
Symbolum per authoritatem Apoſtolicæ inſtitutionis acceptum. p.58.c.1. p.89.c.2

T

TEmeritas non intervenit præſumptionis ubi eſt diligentia pietatis. p.165.c.2
Temperantiæ modus, ac bonum. p.6.c.1
Tentari Chriſtus permiſit, ut cujus munimur auxilio ejuſdem erudiremur exemplo. p.34.c.2
Tentatione omnes probantur. p.45.c.2
ut Tentet quam calidus ſit hoſtis. p.288.c.1
Tharantaſia Viennenſi Epiſcopo ſubjecta. p.183.c.2
Theodoſius Imperator piiſſimus. p.216.c.2
Theodoſius Auguſtus. p.102.c.1. p.104.c.2
Theophili laus. p.194.c.1
Theſaurus hominis quis. p.87.c.1
Theſſalonicenſes antiſtites vicem Apoſtolicæ Sedis ſemper impleverunt. p.154.c.1.& ſeq.
Theſſalonicenſis Pontifex moderationem debet ſervare in evocandis Provincialibus Epiſcopis, nec amplius quam duos de Provinciis appellare, quia ſtatuto Concilii tempore ultra quindecim dies commemorari non debent. p. 154. col. 2
Traditionis Apoſtolicæ authoritas. p.77.c.2
Transfiguratio Chriſti cur facta ſit diſcipulis. p. 89. col. 2
Tribulatio a Deo ſublevatur. p.202.c.2
Tribulatio brevis. *ibid.*
Trinitatis divinæ opera indiviſa. p.76.c.1
De Trinitate quid ſentiendum. *ibid.* c. 2

in

Digitized by Google

In Trinitate ſancta nulla diverſitas. p.73.c.2

V

VAlentia Viennæ ſubjecta. p 183.c.2.
Vanitas verborum vitanda. p.205.c.1
Velum Templi ſciſſum quid ſignificet. p. 57. c. 2. pag. 65. c. 2
Veniam pro illicitis poſtulans, debet a multis licitis abſtinere. p.165.c.1
Verbi & carnis indiſſolubilis copula non minus ſuſcipienda in præſepe jacens quam in throno paternæ altitudinis conſidens. p.24.c.2
Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit, nec caro naturam noſtri generis reliquit. p. 106. c. 1.
Veritas Corpus Chriſti in Euchariſtia. p.86.c.2
Verſutia cogitationum inimica fidei. p.204.c.1
Vetus lex in nova impletur. p.10.c.2
Videre Deum quantæ ſit beatitudinis. p.92.c.1
Viennenſis Civitas. p.182.c.2
Vigilandum ſi nolumus decipi; pugnandum ſi ſuperare volumus. p.34.c.2
Vincentii martyris vita & paſſio. p.92.c.1
Vincentius quantum extrinſecus multiplici pœnarum genere contritus arctabatur, tantum intrinſecus exultante interiori homine dilatabatur. p. 93. c. 1
Virginitas non eſt violata partu, ut nec fuerat temerata conceptu. p.15.c.2.p.25.c.1
Virginitatis propoſitum ſi puellæ propria voluntate ſuſceperint, peccant ſi nupſerint licet nondum fuerint conſecratæ. p. 165. c. 1
Virtutes abſque miſericordiæ operibus non proſunt. p.6.c.2
Vita noſtra in medio inſidiatorum in medio præliorum eſt. p.34.c.2
Vita noſtra plena periculis, plena laqueis. pag. 39. c. 1
Vita Chriſtianorum reſpondere debet ipſorum profeſſioni. p.60.c.2
Vita & mors duplex. p.68.c.2
Voluntas bona muneratur. p.36.c.1
Voluptatum terrenarum gaudia brevia, & caduca ſunt, quæ ad æternitatem vocatos a ſemitis vitæ conantur avertere. p.2.c.2
Uxoris & concubinæ differentia. p.164.c.2
Uxuras nec clerici nec laici exigere debent. p.97.c.2

F I N I S.

IN

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM
IN TOMO SECUNDO
S. LEONIS MAGNI
OCCURRENTIUM.

Numerus prior paginam, poſterior columnam deſignat.

A

ABrahæ Fides circumciſionis ſignaculum. p. 247. c. 1
in Abrahæ ſemine omnis gens benedicetur. p. 252. c. 2
Abraham in naturali præputio juſtificatus. p. 247. c. 1
Adæ natura ante peccatum quæ. p. 231. c. 1
Agnitio Dei non pendet ex noſtris operibus. p. 233. c. 1
Amare aliquid extra Deum non eſt caſta dilectio. p. 264. c. 1
Amatores Mundi gratiæ lucem non accipiunt. p. 237. c. 2
Ambitio cur fugienda. p. 264. c. 1
Anicia virgo laudata. p. 259. c. 1
Animalis voluntas quæ. p. 230. c. 1. 2
Apologia SS. PP. de gratia. p. 267. c. 2
Apollinaris, Valentini, & Manichæi errores refutantur. p. 307. c. 2
Ex libero Arbitrio non ſolvenda quæſtio, cur hic non ille gratiam accipiat. p. 242. c. 1. 2
Aſcenſio Domini eſt complementum victoriæ Chriſti. p. 312. c. 1
Auguſtini Epiſtola ad Hilarium. p. 267. c. 2

B

BAptiſmi effectus in regenerandis. p. 262. c. 1
Poſt Baptiſmum continuata Dei gratia indigemus. p. 256. c. 2
Bona opera cui tribuenda. p. 241. c. 1
Bonitas Dei generalis omnibus hominibus ſemper affuit. p. 213. c. 1
Bonorum operum effectus ex quo. p. 240. c. 2
Bonum velle quis operatur in nobis. p. 258. c. 2
Bonus nemo ſuis viribus, ſed participatione ejus qui ſolus eſt bonus. p. 256. c. 2

C

CAntus in Eccleſiis. p. 311. c. 1
Capitula librorum de libero arbitrio cujus ſint. p. 286. c. 1
Capitula de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio qua occaſione & quo tempore ſcripta ſint. p. 291. c. 1
Cauſſæ operum & conſiliorum Dei non quærendæ. p. 250. c. 2
Cauſſæ latentes divinorum operum ab effectibus monſtrantur. p. 235. c. 2
Charitatis laus & virtus. p. 264. c. 1. nihil virtutes ſine ipſa. *ibid.* peccatorum multitudinem operit. p. 265. c. 1. nullum bonum ſine ipſa *ibid.*
Charitatem qui non exercet Fidem perdit. p. 245. c. 1
Chriſti gratia gentibus abſcondita, non autem Prophetis. p. 249. c. 1
Chriſtus omnia in omnibus operatur. p. 252. c. 2. oravit pro univerſa Eccleſia. p. 310. c. 2. paſſus eſt pro omnibus. p. 243. c. 1
Circumcideretur puer, cur die octavo. p. 262. c. 1
Cogitationes rectæ a Deo. p. 265. c. 1
Cognitio veritatis per quem acquiratur. p. 242. c. 1
Conſenſus voluntatis per gratiam gignitur. p. 251. c. 2
Conſilia Dei abſcondita. p. 236. c. 1
Conſuetudo Epiſcopalis exhortationis in Eccleſia. p. 309. c. 1
Contemptus rerum ad quæ. p. 260. c. 1
Controverſia vetus de autore librorum de vocatione gentium. p. 266. c. 1
Converſio hominis ex Deo. p. 231. c. 1
Creatura nova quid habeat proprium pro gratia. p. 239. c. 2
Credentes in Chriſtum poſſunt non credere. p. 252. c. 1
Credentes juvantur ut maneant in Fide; non credentes ut credant. p. 252. c. 2
Crucem portare quid ſit. p. 310. c. 1
Crux Chriſti nobis & ſacramentum & exemplum. p. 309. c. 1

D

DEmetriadis ſanctimonia laudata. p. 259. c. 1. immerito accuſata. p. 302. c. 2. non rea. p. 303. c. 1. an obſcura remanſerit. p. 304. c. 1
Deo ſervientes quid agant. p. 261. c. 2
Deſiderium ſalutis ex ſola Dei inſpiratione. p. 232. c. 2
Deſiderius Eraſmus librum laudat de vocatione gentium. p. 266. c. 1
Deus autor conſilii, intelligentiæ & ſapientiæ. p. 235. c. 2. vocavit gentes in Abraham. p. 238. c. 1. vult omnes homines ſalvos fieri. p. 242. c. 1. 2. autor omnis boni. p. 241. c. 1. ſibi temperat elementa prout vult. 235. c. 2. quid amet, quidve oderit in nobis. p. 230. c. 2
Diabolus cœlo expulſus. p. 261. c. 1
Diſcretio falſa quorundam inter gratiam, & motus liberæ voluntatis. p. 229. c. 1
in Diſcretione animali quid ſentiendum. p. 230. c. 1
Divinum donum eſt omne bonum hominis meritum. p. 238. c. 1. p. 239. c. 2
Divites humiles eſſe poſſunt. p. 260. c. 1

E

ECcleſia quid petat a Deo in ſuis precibus. p. 234. c. 2. corpus Chriſti. p. 260. c. 2
Electio non tollit orationis ſtudium. p. 254. c. 2
Electionis effectus per quid compleatur. p. 254. c. 2
Electi ab æterno omnes ſalvi fiunt. p. 253. c. 2

Ele-

INDEX.

Elementa Dei bonitatem prædicant. p. 272. c. 2. ſerviunt verbo Dei ad eruditionem noſtram. *ibid.* famulantur mentibus ad ſanctimoniam exercendis. *ibid.*
Per Elementa admoniti olim ad Dei cultum homines. p. 243. c. 2
Evangelio promulgato inexcuſabiles facti qui credere noluerunt. p. 233. c. 1
Evangelium ad omnes gentes miſſum. p. 243. c. 1. ad omnes deſtinatum. p. 278. c. 2
Eugenius Tirannus a Theodoſio magno confectus. p. 271. c. 1.

F

FAmiliaritas ſancta D. Leonis cum Demetriade. p. 307. c. 2
Fidei perſeverantia donum Dei. p. 241. c. 1
Fidei ſpiritu diſcreti qui inter gentes Deo placuerunt. p. 244. c. 1
Non Fidendum noſtris viribus. p. 231. c. 1
Fides a quo fonte naſcatur. p. 238. c. 2
Fides in perſecutionibus roborata. p. 248. c. 1
Fides Libiæ laudata. p. 239. c. 2
Filii promiſſionis qui. p. 232. c. 2

G

GRatia Dei omnibus apparuit. p. 243. c. 1
Gratia accipitur ex ſola Dei voluntate. p. 237. c. 1
Gratia Dei ſine meritis datur. p. 236. c. 2
Gratia ſic reparat opus Dei, ut liberum non tollat arbitrium. p. 231. c. 1. 2
Gratia Dei eſt quæ reparat reparabilem, & ſanat ſanabilem. p. 244. c. 2
Gratia Dei principaliter in omnibus juſtificationibus præeminet. p. 257. c. 2
Gratia datur electis ut non ſint otioſi. p. 254. c. 2
Gratia Dei quid agat in nobis. p. 262. c. 2. p. 263. c. 1
Gratia Dei plene, & veraciter confitenda. p. 261. c. 1
Gratia præveniens non aufert libertatem. p. 258. c. 2
Gratia præſtat ut lex impleatur, non facile ut ait Pelagius. p. 257. c. 2
Gratia Dei necdum peccata dimittit, ſed adjuvat ne committantur. p. 257. c. 2
De Gratia diſputantes quibus definitionibus inniti debeant. p. 253. c. 1
Ex Gratia omne bonum in homine. p. 240. c. 1
Gratia continua Dei indigemus poſt Baptiſmum. p. 256. c. 1
Ex Gratia opera bona incipiunt. p. 233. c. 1
Gratiæ largitas ex donorum diverſitate aſtruenda. p. 240. c. 1
Gratiæ variatæ cauſſa non inveſtiganda. p. 245. c. 1
Gratiæ varii gradus occulto Dei judicio habentur. p. 353. c. 2
Gratiæ opus in æterno Dei conſilio ſemper permanſit. p. 254. c. 1
Gratiæ primum munus quod. p. 261. c. 1
Gratiæ eadem menſura non omnibus confertur. p. 244. c. 1
Extra Gratiam efficitur qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur. p. 260. c. 2
Per Gratiam creatura nova quid habeat proprium. p. 239. c. 2
Inter Gratiam, & motus liberæ voluntatis, diſcretio falſa quorundam. p. 229. c. 1
Gratiam cur hic non ille accipiat, quæſtio non ſolvitur ex libero arbitrio. p. 142. c. 1

H

HIlarius Arelatenſis Auguſtino ignotus. p. 268. c. 1
Hilarii Siracuſani ad Auguſtinum Epiſtola. p. 267. c. 1
Homo non voluntate, ſed voluntatis ſanitate per peccatum ſpoliatur. p. 231. c. 1
Homo lapſus non perdidit appetitum ſed mutavit affectum. p. 231. c. 1
Hoſtis quid agat, ut genus humanum nitatur avertere. p. 261. c. 2
Hugo Grotius quid de libris de vocatione gentium. p. 266. c. 1
Humana natura poſt Adæ lapſum in malum proclivior. p. 230. c. 2
Humanæ intelligentiæ non perquirendum cum Iſrael obcæcatum Deus patiatur. p. 238. c. 1
Humilitas hominis & altitudo Deitatis in Chriſto. p. 307. c. 1
in vera Humilitate nihil diviſum. p. 260. c. 2

I

INdiculus ſententiarum quibus nominibus appelletur. p. 285. c. 1
Inexcuſabiles omnes gentes in idololatria. p. 230. c. 1
Iniquitas cur robuſtior inventa tempore adventus Chriſti. p. 247. c. 2
Inſcrutabile eſt cur Deus judicarit quorumdam vocationem differendam. p. 243. c. 1
Inſtructio de Myſterio S. S. Trinitatis. p. 305. c. 1
Joannes intra Eliſabet viſcera prius ſentit initia gratiæ, quam naturæ. p. 246. c. 1
Iſraeliticus populus ſpeciali indulgentia electus. p. 243. c. 2
Judicia Dei impenetrabilia. p. 242. c. 1
Judiciorum Dei inſcrutabilitas unde oſtendatur. p. 236. c. 1. 2
Judicium voluntatis a quo depravatum. p. 231. c. 2
Juſtitiæ origo in quo ſita ſit. p. 237. c. 1

L

LApſi nullius deſperanda reparatio. p. 255. c. 2
Laqueos tendunt, qui docent neminem gratis, ſed ex retributione ſalvari. p. 238. c. 2
Laudis cupiditas qua ratione cavenda. p. 261. c. 2
Legalia præcepta in elementis omnes acceperunt. p. 230. c. 1. 2
Leonis allocutio ad judæos quæ. p. 283. c. 2
Leo quid intelligat per gratiam omnibus communem. p. 278. c. 2
Liber de Vocatione Gentium non eſt S. Ambroſii opus. p. 266. c. 2. non Eucherii. *ibid.* non Hilarii, ſeu Proſperiani, ſeu Siracuſani, ſeu Arelatenſis. p. 267. c. 1. p. 268. c. 1. 2. non Proſperi Aquitani. p. 269. c. 1. ſed D. Leonis opus. p. 288. c. 1. p. 270. c. 1. a Gelaſio I. Papa laudatum. p. 270. c. 2
Luminaria in Eccleſiis. p. 311. c. 1

M

MAlis ingruentibus cur corripiat homines Deus. p. 245. c. 2
Malitia pertinax inexcuſabilior. p. 246. c. 2
Medium triplex, per quod cogitationem ſuam nobis impertit Deus. p. 179. c. 1
Merita bona incipiunt ex gratia. p. 233. c. 1
Meritorum imparitas nec in liberum arbitrium eſt referenda, nec in querelam revocanda. p. 244. c. 2
Miſericordia Dei nunquam defuit. p. 245. c. 2
Miſericordiæ viſcera impendit Dominus ad omnium ſalutem. p. 237. c. 2
Miſericordiæ Divinæ debemus quidquid meriti habemus. p. 236. c. 1
Ut Miſericordiam Dei quæramus, miſericordia eſt. p. 263. c. 1
Miſericordiam nulli denegat Deus. p. 272. c. 2
Mortis exordium, vitæ principium. p. 250. c. 1
Ante Mortem de nullo pronunciandum eſt quod ſanctus ſit futurus. p. 255. c. 2
Mundi ſtulta, cur elegit Deus. p. 260. c. 1

N

in NAtivitate Chriſti gaudendum. p. 311. c. 2
Natura hominum ante gratiæ illuminationem qualis. p. 237. c. 2
Natura ipſa rerum Fideles docet ad ſerviendum Deo. p. 277. c. 2
Neſtorii & Eutychetis errores. p. 306. c. 1
Noe arca Eccleſiæ figura. p. 247. c. 1

No-

Noriſii objectio ex doctrina circa parvulorum ſalutem. p.280.c.2
Noriſii argumentum qoomodo ſolvatur. p.282.c.1

O

OBjectio ſoluta ex parvulis contra illud : Qui vult omnes ſalvos fieri. p.249.c.2
Operarii iniquitatis reprobati. p.232.c.2
Opioiones vaniloquorum moltæ. p.235.c.2
Opinionum compugnantia; de libero arbitrio, p. 229. c. 1
Opus de vocatione gentium quando, & qua occaſione ſeriptum fuerit. p.277.c.2
Oratiooes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant. p, 257. c. 2
Orationibos Sanctorum confidendum. p.259.c.1
Originale peccatum transfuſum in poſteros Adæ, negat Pelagius. p.238.c.2

P

PAganorum eſt de fato ſentire. p.238.c.2
Parvuli non renati cur pereaot nihil expoſitionis afferendum. *ibid.*
Peccati materia quæ. p.260.c.1
Pelagiana hæreſis quibus capitulis concludebatur. p.296.c.1
Pelagiana hæreſis ab Innocentio Pontifice damnata. *ibid.*
Pelagius in quo poſuerit veram Chriſti gratiam. p.279.c.2
Perit nemo qoi perire non debet. p.253.c.2
qui Perſeverant in bono poſſunt a Deo recedere. p.252.c.1
Perſeveratio virtus unde ſit. p.241.c.2
cur Petrus hæſitare permiſſus. p.273.c.2
Petrus Martirii avidiſſimus. p.252.c.2
Piorum eſt in Domino gloriari. p.230.c.2
Poſſibilitatem naturalem in Adam omnes perdiderunt. p.294.c.2
Prædeſtinatio unde pendeat. p. 242. c. 1. quid ſit. p. 294. c. 2. quid ſenſerint Semipelagiani. p.296.c.1
Prædeſtinatus cur unus ſit alter non, ad quid referendum. p.294.c.2
Prædicatores de ſua infirmitate trepidare non debent. p.243.c.1
Prædicatores Deus non derelinquit. *ibid.*
Præceptis Divinis nihil vacuum. p.277.c.2
in Prævaricatione Adæ quodnam foit initium peccati. p.261.c.2
Preces publicæ ſolitæ fieri feria ſexta hebdomadæ Sanctæ, ex apoſtolica traditione ſunt. p.258.c.1
Principium, profectus, & conſummatio virtutum ex Deo. p.241.c.2
Proficit tantum quiſque, quantum Deus donaverit. p.240.c.1
Proſperi carmen contra ſecundam Noriſii objectiooem. p.280.c.2

Q

QUæſtio ioter defenſores liberi arbitrii. p. 229. c. 1
Quæſtiones profundiores non cootemnendæ, nec peoitus aſſerendæ. p.258.c.2

R

ROmanæ urbis laus. p.273.c.2

S

SAcerdotale munus quid. p.236.c.1
Sacerdotum laus. p.234.c.1
Salvari nullus poteſt niſi Chriſti gratia. p.256.c.2
Salvos fieri ob generalem gratiam Deus vult omnes homines omni tempore : at peculiari gratia quoſdam taotum. p.251.c.1
Scrutandum non eſt cur Deus alios elegerit, alios non. p.238.c.1
Secreti Divini profuoditas nobis in hac vita patere non poteſt. p.235.c.1
Sectarum tot geoera, cur tot differentiis diſtinguantur. p.235.c.2
Senſualis voluntas quæ. p.229.c.2
Spiritualis voluntas quæ. p.230.c.1
Spiritum Dei non habet, ſi quid boni ſe habere putat homo, quod non ſit a Deo. p.261.c.1
Sublimiora quæque gravius corruunt. p.263.c.2
Subſtantia nulla de novo creatur in homine converſo, ſed quæ ſuerat per peccatum labefactata reparatur. p.231.c.1
Superbia unde oaſcatur. p.261.c.2
Superbiæ malum quam cavendum; p.261.c.2
Superbis quæ debeatur retributio. p.261.c.1

T

TEntatio eſt tota vita, p.252.c.1
Timor Dei omnibus ioſeritur; p.233.c.1
Timor Dei perſeverantiæ ſignum. *ibid.*

V

VErbum bonum ſubminiſtratio eſt Spiritus Sancti. p.240.c.2
Virtutum munera otioſa eſſe non poſſunt. p.254.c.2
Vitia ſe a virtutibus ſecernunt. p.261.c.2
Vocatio omnium gentium in Iſaac de promiſſione concepto præconditur. p.246.c.1
Vocationis multimodæ varietas ad commendandam gratiæ excellentiam pertinet. p.236.c.2
Voluntas hominum triplex. p.239.c.2
Voluntas ſine divina gratia prona iniqoitati. p. 230. c. 2
Voluntas bona ſuperni agricolæ plantatio. p. 230. c. 2. omnium virtutum germen. *ibid.*
Voluntatis vitium per quod ſoperetur. p.246.c.2

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
Quæ per Homilias SANCTI MAXIMI Epiſcopi Taurinenſis occurrunt.

A

ADventus Chriſti cur etiam ab infideli prædictus. pag. 325. col. 2
Agger iſte Mundus eſt. p.335.c.2
Agnes pediſequa Virginis matris. p. 349. col. 2
Ananias duplici pœna plectitur. p.366.c.1
Antichriſtus debet regnare ante adventum Chriſti. p.317.c.1
Aquilæ habitus. p.345.c.1
Ariana cæcitas intelligentiæ oculis cernere nequivit illam unitatem, qua Creatori creatura conſeritur. p.358.c.1
Arius Dei unigenitum ejuſdem cum Patre gloriæ atque ſubſtantiæ eſſe negavit, minoremque aſſeruit Filii eſſe Deitatem. *ibid.*
Ariana perfidia confutatur. *ibid.*
Avaritiæ exemplum in Anania propoſitum. p. 366. c. 1
Avaritiæ ſectatores taxantur. p.362.c.1
Avaritia cæca. p.367.c.1
Aurum quid repræſentet. p.325.c.2

B

BAptiſmi Sacramentum. p.368.c.2
Beneficiorum retributio reddenda. p.365.c.1
Bona quæ propria. p.362.c.2

C

CAupones Eccleſiæ ſunt rectores. p.370.c.1
Chriſtianitatis ſumma. p.360.c.1
Chriſti in adventu quales inveniri debeamus. p. 318.c.2
Chriſti & Suſannæ ſimilis judicii cauſa. p.335.c.1
Chriſti nati humilitas. p. 320. c 1. cur in præſepi ponatur. *ibid.* c. 2. pronunciatur a Prophetis. p. 321. c. 2
Chriſtus utriuſque ſexus curam habet. p.322.c.2
Chriſtus noctis tempore adventurus. p. 317. c. 1. omnium Dominus. p. 325. col. 1. cur baptizetur. p. 328. c. 2. Deus & homo unde dignoſcatur. p. 332. c. 1. dicitur petra. p. 340. c. 2. in bonis adjutor, in malis conſervator. p. 365. c. 2. cur taceat. p. 334. c. 2. vincit cum judicatur. *ibid.*
Clavis cœli lingua eſt Petri. p. 353. c. 1
Conſona teſtimonia de Chriſto. p. 320. c. 1
Creare quæ non ſunt majus eſt quam creata mutare. p. 327. c. 2
Crucis Sacramentum grande eſt. p.337.c.1
Crux Chriſti in Eccleſia eſt ut arbor in navi. p. 336. c. 2
Cyprianus omnibus ſtudiis celebrandus. p.359.c.2

D

DEceptio in Petro & Adam ſimilis. p. 340. c.1
Deus Figulus. p.335.c.2
Diabolus nox omnium peccatorum. p. 317. c. 1. leo feralis. p. 330. c. 2. quomodo vincendus. p. 331. c. 2. totus ſiniſter. p.364.c.1
Doctrina a moribus ſæcularibus trahitur. p.318.c.2
Dominica dies cur nobis venerabilis, & ſolemnis. p. 347. c. 2
Dominus cur ierit ad nuptias. p.324.c.1

E

ECcleſia ſancta confitenda. p. 364.c.1
Eccleſiæ & navis comparatio. p.337.c.1
Elementa omnia gloriantur in Reſurrectione Domini. p.343.c.1
Eleemoſyna eſt lavachrum animarum. p.368.c.2
Eſuries religioſa. p.332.c.1

F

FEneſtræ animarum ſunt miniſteria aurium & oculorum. p.359.c.1
Fidei efficacia. p.339.c.2
Fraternitas duplex. p.366.c.1

G

GEneratio Chriſti, ſi narrari non poteſt, credi poteſt. p.319.c.1. p.321.c.2
Generationes duæ in Chriſto. p.319.c.2

H

HÆretici Salvatoris adverſarii. p. 334. c. 1. ad ſuperſtitioſa acuti, ad Divina hebetes. p. 366. c. 2
Herodis inſania. p.326.c.2
Hoſpitalis gratia non violanda. p.369.c.1

I

JEjunare Deo, & jejunare hominibus qui dicantur. p.329.c.1
Jejunia Deo grata. p.330.col.2. p.333.c.1
Jejunium Chriſtianum. p.332.c.1
Infantium ſimplicitas. 334.c.2
Inimicos diligere grandis eſt labor. p.349.c.1
Joannes Propheta tota admiratione ſuſcipiendus. 351.c.2. plus quam propheta. p.352.c.1
Joanni magna reverentia exhibenda. *ibid.* c.1
Judæorum mortifera obſtinatio. p.324.c.2. ingena in poſteros impietas. p.343.c.1
Judæorum atque gentilium certamen. p.324.c.2

L

LAcrymæ ſunt preces tacitæ. p.340.c.2
Latro fidelis. p.339.c.1.2
Laurentii certamen mirandum. p.356.c.2
Lectus noſter communis eſt terræ hujus ampliſſimum ſolum. p.317.c.1
Luporum natura. p.367.c.2

M

MAnibus elevatis cur orare præcipiamur. p. 337. c. 1.
Martyr quid ſignificet. p.361.c.1
Martyres devotiſſime colendi ut defenſores. *ibid.*
Martyrum exempla. *ibid.*
Miraculorum magna gloria. p.325.c.1
Morales lapides ſunt duo Teſtamenta. p.318.c.1
Molentis officium. *ibid.*
Molere quid ſit. p.317.c.2
Munera Magorum ſunt myſteria. p.325.c.2
Myrrha quid ſignificet. p.325.c.2

Digitized by Google

I N D E X.

Myſteria tria uno die acta. p.323.c.2
Myſterium magnum & tremendum quod. p.326.c.2

N

NAtalis Domini cultus miſticus. p.319.c.1
Nativitas Chriſti miſtica lætificavit cœlum & terram. p.326.c.2
Neophyti unde vocitentur. p.344.c.2
Noctuæ proprietas, hæreticorum figura. p.366.c.1

O

ODium fraternum omne bonum opus diſcipat. p.349.c.1
Odio non ſunt habendi homines, ſed eorum malitia. p.349.c.1

P

PArare viam Domino. p.351.c.2
Paſſionis B. Agnetis deſcriptio. p.350.c.1
Paoli vocatio. p.355.c.2. præconium. p.354.c.1. ſpeciales virtutes. p.352.c.2
Peregrini ſunt Chriſtiani. p.336.c.1
Petrus dicitur Petra. p.340.c.2. ter Chriſtum negaverat & ter confitetur. 340. col. 2. cur mergebatur. p.354.c.1. cur trepidaverit. p.353.c.1. cur tacuerit. p.340.c.1
Petrus & Paulus magni apud Deum meriti. p.354.c.2. Eccleſiarum columnæ. p.355.c.1. Patres. p.341.c.1. una die unoque in loco paſſi ſunt. p.353.c.2
Petrus clavem potentiæ, Paulus ſcientiæ accepit. p.355.c.1. in Petro Fides in Paulo doctrina præcellit. p.354.c.2
Piratæ ſpirituales valde metuendi. p.364.c.2
Piraterium. p.363.c.1
Præfiguratio Dominicæ Paſſionis. p.341.c.2
Proximi Deo quomodo efficiamur. p.345.c.2
Puellaris exempli norma; p.349.c.2
Puſilli qui. p.360.c.2

Q

QUinqoageſimæ tempore quare non jejunamus. p.347.c.2

R

REligioſi Principis exemplum. p.345.c.2

S

SAcramenti altitudo. p.364.c.1
Salvator quare in aliena ſepultura ponatur, p.338.c.1
Sanctificare jejunium quid ſignificet. p.330.c.2
Sanctorum exempla imitanda. p.349.c.2
Sapiens cum Sole permanet. p.369.c.2
Sepoltura eſt reqoies Chriſtiani. p.336.c.1
Stella Dominicæ Nativitatis miniſtra. p.326.c.1
Stephanus ab Apoſtolis ordinatus Diaconus. p.348.c.2
Stultus ut Luna mutatur. p.369.c.2

T

TAlentum præceptum eſt Salvatoris. p.370.c.2
Tangere Dominum. p.338.c.1

V

VInum in Eccleſia, aqua in ſinagoga. p.370.c.2
Ulyſſis Fabula. p.336.c.2

X

XIſtus Patriarcha. p.356.c.2
Xiſtos Romanæ urbis antiſtes. ibid.c.1
Xiſtus ſummus Domini Sacerdos; p.356.c.1

F I N I S.

005663836

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967

Digitized by Google